UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Qvibus Totvm Hominis Christiani Officivm Explicatvr; Quídque is fugere, quid agere debeat, quàm exactißimè traditur

**Segneri, Paolo**

**Augustæ Vindelicorum ; Dilingæ, 1695**

urn:nbn:de:hbz:466:1-45993

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2671.

J.XI.6

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Serva Mandata. Matth. 19.
Quid boni faciam ut ha-
beam vitam æternam?

# HOMO
# CHRISTIANUS
IN SUA LEGE INSTITUTUS.

*SIVE*

## DISCURSUS MORALES

*QUIBUS*

*UM HOMINIS CHRISTIANI OFFICIUM EXPLICATUR;*
*Quidque is fugere, quid agere debeat,*
*quàm exactiſſimè traditur.*

AUTHORE

## P. PAULO SEGNERI
SOCIETATIS JESU,

*r & Paſtoribus Animarum ſummè utilis, & privatæ*
*Cujuslibet lectioni apprimè deſerviens.*

Editio ſecunda Latina, priore multò emendatior
& exactior.

*Additæ, præter Indicem Rerum, Tabulæ,*
æ docent, quis quolibet Dominico, aut Feſto per annum die
Diſcurſus ad dicendum pro Concione ſerviat.

PARS TERTIA.

*Gratia & Privilegio Sac. Cæſ. Majeſt. & facultate Superiorum.*

AUGUSTÆ Vindelicorum, & DILINGÆ,
ptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ.

*ANNO M. DC. XCV.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

P. SEGN
Homo Cris

Discu

DIS
De ſtultici
verſione

Cum con
dilata c
tempore fi
tempore di
hoc tempor
conſideration
ſi, id eſt à c
pido, id eſt,
huiuſmodi fag

DIS
De Nec

Cum Or
noſtra curan
tu, quod c
propter adn
ſalutem con
propter ma
tuum, ſalu

DIS
De cond
ora
Si quand
ſuſtam re

# INDEX

## Diſcurſuum in tertiâ Parte contentorum.


*DISCVRSVS I.*

De ſtultitia illorum, qui converſionem uſque ad mortem differunt.

CUm converſio uſque ad mortem dilata comparetur fugæ hiema-tempore fieri ſolitæ, quam Chriſtus opere diſſuaſit; oſtenditur, quanta temporis, à ſæviſſimis ventis, id tentationibus; à terrâ fixâ & frigi-dâ, id eſt à corde impij; & à Sole lan-pido, id eſt, à recedente divinâ gratiâ, modi fugæ obſticula ſint ponenda.

*DISCVRSVS II.*

De Neceſſitate & efficaciâ Orationis.

Cùm Oratio generaliſſimum mala curandi ſit remedium, oſtendi-tur, quod quàm facilè eſt per illam, propter admirandam ejus efficaciam, ... conſequi, tam ſine illâ etiam, propter manifeſtam ejusdem neceſſi-tatem, ſalutis jactura certa ſit.

*DISCVRSVS III.*

De conditionibus ad efficacem orationem requiſitis.

Si quandoque nullum ex oratione fructum referimus, id non aliundè, quàm à nobis ipſis provenit, vel cul-pâ ſupplicantis, vel ſupplicationis, vel modi ſupplicandi.

*DISCVRSVS IV.*

De Veneratione Eccleſijs debitâ.

Si Eccleſiæ propter commercium, à Chriſto inter Cœlum & terram re-novatum, ſtabilita ſunt emporia, pro-batur, peccatum eſſe non poſſe niſi graviſſimum, quod eſt damnoſiſſi-mum, dum tempore eodem honor, quem DEUS vult tribui Eccleſijs, & Gratiæ hominibus conferendæ im-pediuntur.

*DISCVRSVS V.*

De Baptiſmo.

Explicantur Privilegia, quæ Chri-ſtianus quivis in Baptiſmo conſequi-tur, & quæ ſint illius eidem reſpon-dendi obligationes.

*DISCVRSVS VI.*

De Sacramento Confirma-tionis.

Cùm duo ſint belli genera, quibus à Mundo Fideles impugnantur, bel-lum ſcilicet apertum, quod eſt furoris,


)( 2 &


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& bellum clandeſtinum, quod eſt fraudis, expenditur; quàm utile ſit contra utrumque Sacramento Confirmationis munitum eſſe.

*DISCURSUS VII.*

De Amore Chriſti Euchariſtiam inſtituentis.

Ad intelligendum, quantus ſit Amor divinus in Euchariſtiâ (quaſi ignis in ſua ſphærâ) qui non niſi per effectus nobis manifeſtatur, tria dantur indicia: Dona, quæ nobis in illâ Chriſtus impertitur; Humiliationes, quas in impertiendis illis ſuffert; & Unio, quam in illorum elargitione Intendit.

*DISCURSUS VIII.*

De Præparatione ad Sanctiſſimam communionem neceſſariâ.

Ne ampliùs tam abſurdum prodigium videatur in terris, quòd ex DEI nobiſcum in Euchariſticâ conjunctione nihilominus non efficiamur toti divini, accuratæ ad Communionem præparationis neceſſitas probatur, modúsque & norma ejusdem proponitur.

*DISCURSUS IX.*

De frequenti Communione.

Quàm validæ ſint invitationes, quibus Chriſtus tam per ſe, quàm per alios ad hanc magnificam ſuam nos menſam invitat, oſtenditur; ut omnes videant, quàm non officioſæ ſint repulſæ, quas Chriſtus à nobis patitur.

*DISCURSUS X.*

De horribili cum conſcientia peccati mortalis Communicantium Sacrilegio.

Cùm quodvis monſtrum propter duas cauſas ſit horrendum; tum propter malum, quod à primo ortu ſecum adfert, quàm propter id, quod præſagit futurum, demonſtratur, quàm verum propter utramque cauſam Communio in peccato perdita ſit monſtrum.

*DISCURSUS XI.*

De Sanctæ Confeſſionis beneficio.

Ut cognoſcatur, in quo beneficiorum gradu ponenda ſit Sancta Sacramentalis Confeſſio, demonſtratur, in utilitatem noſtram ſimul Dei manum & cor, hoc eſt, ſummam Omnipotentiam, ſummámque Bonitatem quaſi inter ſe contendere.

*DISCURSUS XII.*

Quàm grave malum ſit ſtudioſè in Confeſſione peccatum reticere.

Ut muta ſtudioſè peccata ſua in Confeſſione reticentium corrigatur lingua, primò ſurditas illorum curatur; dein patefactis jam auribus, oſten-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtenditur, quàm gravem Deo faciant injuriam, & quàm grave ſibimet ipſis damnum inferant; efficaciáque ad ſolvendam linguam adferuntur remedia.

## DISCURSUS XIII.

### De Dolore confitenti neceſſario.

Cùm nulla utilior peccatori ſit ſcientia, quàm peccata ſua noſſe deflere, ad eam obtinendam tria illi proponuntur bene percipienda: Primum eſt, ut Dolor ſit validus, à quibus motivis confeſſurus eum derivare debeat? Secundum eſt, quàm neceſſarium ſit bene confiteri? Tertium eſt, quomodo, qui nullo compunguntur dolore, illum aſſequi debeant?

## DISCURSUS XIV.

### De propoſito in Confeſſione neceſſario.

Cùm potiſſima Confeſſionis vis in emendationis propoſito ſita ſit, demonſtratur, præcipuam in eodem faciendo adhibendam eſſe curam, ut firmâ reſolutione peccata tam præterita, quàm futura, ſine ullâ exceptione, in effectu ipſo deteſtemur; quas tres conditiones in vero pœnitentiæ propoſito Deus requirit.

## DISCURSUS XV.

### De Propoſito Occaſiones fugiendi Confitenti neceſſario.

Oſtenditur, eum, qui non habet firmum vitandi voluntatem, nunquam bene confiteri; quia ſine hac reſolutione aut eſt certus ſe in peccata priora relapſurum, aut veriùs jam relapſum eſſe.

## DISCURSUS XVI.

### Confeſſionem poſt commiſſum peccatum non eſſe differendam.

Ut plurimorum conſulatur perditioni, qui poſt peccatum commiſſum Confeſſionem differunt, duæ maximi momenti veritates perpenduntur. Prima eſt, quòd quò tardiùs hoc in naufragio ad arripiendam felicem pœnitentiæ tabulam manus applicatur, tantò major poſtea futurus ſit labor. Secunda eſt, quòd quamvis tandem arripiatur, tantò minoribus viribus retineatur.

## DISCURSUS XVII.

### Veri Doloris Indicia.

Veri Pœnitentis indicia à corde, manibus & linguâ confitentis deſumuntur: de quo judicari non poteſt, an ad novam vitam renovatus ſit, niſi cogitationibus, verbis & operibus debita ſigna ſimul exhibeat.

## DISCURSUS XVIII.

### De Errore illorum, qui fiduciâ Confeſſionis peccant.

Duplex oſtenditur periculum, quod incurrunt illi, qui peccant, ajúntque ſe poſtea confeſſuros, qui, inquam, morbum contrahunt, eâ fiduciâ, quòd ope parati remedij ſanita-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tem ſint recuperaturi. Unum eſt, ne deinde non confiteantur bene; alterum, ne licèt etiam bene confiteantur, recenti delicto admiſſo æternùm damnentur.

*DISCURSUS XIX.*

De Pœnitentiâ cuivis peccatori neceſſariâ.

Ut nemo pœnitentiam, quam corporalem dicimus, aſpernetur; oſtenditur, non eſſe opus aliquod ſuperabundans, ut aliqui exiſtimant, ſed poſt peccatum omnino neceſſarium; & ut etiam nemo terreatur, demonſtratur, opus non eſſe adeò laborioſum, ut multis videtur, ſed factu non difficile.

*DISCURSUS XX.*

De Jejunio.

Perditâ per primorum parentum noſtrorum intemperantiam olim in paradiſo terreſtri juſtitiæ originalis dignitate, oſtenditur, quomodo ad eandem recuperandam jejunio ritè obſervato habiles reddamur.

*DISCURSUS XXI.*

De Indulgentijs.

Cùm Indulgentiæ ſint ſubſidium charitativum ab Eccleſiâ ad ſatisfaciendum divinæ Juſtitiæ, quæ ſuum requirit, nobis donatum, duæ circa illas explicantur doctrinæ; una eſt, quæ ſit auri hujus inviolati & indeficientis vena; altera eſt, quis ſit modus illud copioſè acquirendi.

*DISCURSUS XXII.*

Quantum Peccatores recidivi de ſtatu ſuo ſibi timere debeant.

Quemadmodum Infirmi, ſic quoque peſſimus eſt peccatoris ſtatus recidivus, & hoc quatuor ob cauſas; quia infirmi vires deficiunt; quia mali violentia creſcit; tum quia remediorum minuitur efficacia, tandem quia tam tenacis morbi tædet Medicum, qui idcirco ægrum deſerit.

*DISCURSUS XXIII.*

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Ad explicandam extremæ Unctionis virtutem quaſi in campum ab una parte terribiliſſimi inſultus, qui contra moribundum doloribus ſuis à morte, à conſcientia ſuis remorſibus, & à Diabolo ſuggeſtionibus ſuis producuntur; alterâ parte auxilia, quæ contra hos ſimul omnes ſe ſolum præſtat Sacramentum, adducuntur.

*DISCURSUS XXIV.*

De Sacramento Ordinis.

Poſtquam dictum eſt; quanta ſit Sacerdotij à Chriſto inſtituti eminentia, explicatur, quibus gradibus ad hanc dignitatem, ad evitandam temeritatem, aſcendendum ſit.

*DISCURSUS XXV.*

De Sacramento Matrimonij.

Ut conjuges Chriſtiani officio ſuo ſatisfaciant, docentur, debere eos in tribus rebus ſuum honorare Matrimonium, ſcilicet in ijs, quæ præcedunt, quæ illud ſequuntur, & comitantur, illarúmque praxis ſingulatim traditur.

*DISCURSUS XXVI.*

De gravitate Adulterij.

Ad terrendum Adulterum velut inſignem latronem, demonſtratur, quàm altum eodem ſimul tempore in-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

...m ipſum clamet ratio; circa ipſum, Leges tam Canonicæ, quàm Civiles; ...ipſum, Deus ipſemet, qui ſibi ...quam ad ſe pertinentem tam gra... ſceleris enormitatem judicandam ...ervat.

*DISCVRSVS XXVII.*

Reprehenditur procandi conſuetudo.

Ne conſuetudo tam communis non ...ratà lite condamnetur, tria graviſſima, quæ ab illâ inferuntur damna, ...monſtrantur: Primum communi ...ilium bono; ſecundum privatæ ...particulari animarum ſaluti; ter... directè honori divino. Atque ...evidenter deducitur: illam eſſe ...in juventutis perniciem ex Inferno erumpentem.

*DISCVRSVS XXVIII.*

Reſpondetur argumentis pro defenſione conſuetudinis procandi allatis.

Cùm nulla tam mala ſit cauſa, quæ ...onum non inveniat, prætextus adducti, quibus procandi conſuetudinem probare nonnulli volunt, culpâ ...are, infirmantur, oſtenditúrque, ...rum non eſſe, quòd hæc ſit via expeditiſſima Matrimonium contrahendi, ſed potiùs, quòd ſit via omnium ...lentiſſima.

*DISCVRSVS XXIX.*

Improbantur ſaltus & choreæ.

Cùm proci & amantes à choreas ...ibus non aliter diſtinguantur, quàm hi, qui in foro privato ab illis, qui in nundinis publicis honeſtatem periculo exponunt, oſtenditur Juventutem duo præcipuè pati damna, quæ in nundinis malè fortunatis incurruntur, unum eſt lucrum ceſſans, propter bonum, quod ibi negligitur; alterum eſt damnum emergens, propter malum quod inde refert.

*DISCVRSVS XXX.*

De Vanitate & Immodeſtiâ veſtium.

Cùm Apoſtolus feminis permiſerit veſtes ornatas, ita ut hic ornatus intra ſobrietatis & verecundiæ limites contineatur, oſtenditur quanti interſit; ne tam juſti termini vanitate aut immodeſtiâ tranſiliantur.

*DISCVRSVS XXXI.*

Comædias obſcænas deteſtatur.

Oſtenditur comædias obſcænas auſcultantibus horrendum inferre maleficium; quia ad voluntates pervertendas in illis maleficium amatorium, hoſtile, & ſomniferum conjunguntur; quæ quaſi tria rabioſi illius Cerberi capita in ruinam Chriſtianorum ab Inferno ſuſtentantur & aluntur.

*DISCVRSVS XXXII.*

De vitio Ludendi.

Cùm conſuetudo Ludendi omnino directè Chriſtiani officio ſit contraria, concluditur mirum non eſſe, ſi ludo vacare, prorſus idem ſit, ac Animam velle perdere.

*DISCVRSVS XXXIII.*

De nimiâ cõverſandi libertate.

Ut omnibus conſtet, non abſque causâ tantopere nimiam converſandi libertatem reprehendi, quæ viget his tempo-

temporibus, demonſtratur illam eſſe animarum peſtem; quia facillimè inficit, & quia ſemel illius cœpta contagio nunquam ſine luculenta ſtrage deſinit.

*DISCVRSVS XXXIV.*

Quanta Confidentia in Beatiſſimæ Virginis protectione habenda ſit.

Ne quis Chriſtianorum in procelloſo hujus vitæ mari dubiam jaciat anchoram, oſtenditur, quænam vera ſit erga Dei matrem devotio, cui ſecurè ſpem ſalutis noſtræ credere poſſimus, & quæ falſa ſit, cui non fidendum.

*DISCVRSVS XXXV.*

De Cultu Sanctis debito, præcipuè verò Angelo Cuſtodi.

Cùm Sancti à Deo nobis dati ſint tanquam archetypa, & protectores noſtri, probatur devotionem erga illos non eſſe perfectam, quia opis illorum implorationi Sanctitatis eorumdem non jungit imitationem.

*DISCVRSVS Vltimus.*

De neceſſariâ ad mortem præparatione.

Omnes Diſcurſus concluduntur veritate omnium aliarum prædicatorum graviſſimâ, in his duobus punctis comprehensâ; neceſſitate & modo præparationis proportionatæ ad illum tranſitum, ex quo pendet Æternitas.

DI-

# DISCURSUS I.

## *De Stultitia illorum, qui converſionem differunt uſque ad mortem.*

I. INter alia, quæ Chriſtus Dominus noſter Hieroſolymitanæ obſidionis tempore Diſcipulos ſuos obſervare voluit, monita, valde opportunum fuit illud; ne in hieme fugam caperent. *Orate, ut non fiat fuga veſtra in hieme.* Secundùm literalem ſenſum Chriſtus dicere voluit, calamitoſas adeò fore civitatis illius anguſtias, exercitu Romanorum jam tinctæ, ut ad illas maturè evitandas nulli parcendum ſit ſolicitudini, neque uſque in breves dies & conglaciatos hiberno frigore viarum anfractus fuga differenda. Sed ſecundùm ſenſum myſticum, omnes peccatores Dominus admonere voluit, ne, ſi Dei iram effugere velint, ultimum & fatalem ſibi morbum exſpectent, quia mortis jam appropinquantis incommoditas, contrariumq; crudi illius temporis frigus, ineundæ fugæ difficultates duplicabit. *Orate, ut non fiat fuga veſtra in hieme.* Non potero meliùs hujus tanti momenti admonitionis praxin vobis perſuadere, quàm ſi horrendæ illius hyemis, in qua moribundus peccator conſtitutus eſt, horrorem demonſtravero, ut intellectâ tam importuno tempore itineris adeò infauſti difficultate, pœnitentiam non ad uſq; tales vitæ anguſtias, converſione quò tardiore, eò incertiore, differre ſtatuatis.

II. Tres ſunt potiſſimæ cauſæ, quæ hiemem efficiunt: Venti, Terra, Sol. Venti, qui furioſiùs perflant ab aquilone; terra ex natura ſua frigida & immota lentore ſuo per ſe auget gelu; Sol elongando ſe à terra, radijsq; obliquis aſpiciendo, abſque omni ſuccurſu in nativo ſuo rigore eam relinquere videtur. Hæ ergo tres cauſæ in illa ſumma hieme, quâ inveteratus peccator premitur jam morti vicinus, bene obſervari debent. Quare licèt in veritate temeritatem illorum arguere poſſim, qui pœnitentiam in futurum differunt, idque ſuæ, quod non eſt, faciunt poteſtatis, audacter tempus ſibi aſſignando, cujus minuta, imò momenta ſibi Pater cæleſtis reſervavit; Nihilominus, ut cum omni procedam manſuetudine, dato, quod mors peccatori non accidat improviſa, detur ipſi conterendi, confitendi, divinamque juſtitiam placandi ſpatium: ſi tantummodo conſideretur, quàm difficilis tunc futura ſit fuga, an non ſuf-

ſufficere deberet tam periculoſam abdicare mentem, quicunque granum non dico Fidei, ſed rationis habet in capite?

I.

III. Perpendite itaque, quàm faſtidioſum futurum ſit illud tempus, propter primum frigidiſſimorum ventorum incurſum, qui tunc magis furibundi, quàm unquam aliàs inſurgent. Hi venti ſunt Dæmonis tentationes, qui ob brevitatem temporis, quod ſibi tunc ad tentandam illam Animam relinquitur, ad ſolitam rabiem & fraudes, novos addet ſtimulos. Venti ſolent ad finem diei majori cum impetu furere; certi itaque ſitis, idipſum accidere in tentationibus, quæ in extremis peccatorem jam moribundum furioſiùs aggrediuntur. *Deſcendit Diabolus ad vos*, inquit Scriptura, *habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet.* Forſan aliqui veſtrûm, tanquam magis aſſueti ſatisfacere ſuggeſtionibus Diaboli, earum importunitati cedendo, quàm eas ſuperare fortiter repugnando, non capient id, quod jam incepi dicere. Quare familiari ſimilitudine illud elucidabo. Si quis veſtrûm aliquando creditò aliquid emerit à mercatore, obſervaverit à mercatore illo, quotieſcunque illi in foro, aut alibi obviam factus eſt, nunquam ſe ſolutionis faciendæ admonitum fuiſſe; ſed imaginemini vobis, talem debitorem velle deſerere patriam, ut in alio territorio ab illâ diverſo habitet: quamprimum hæc nova percipiet mercator ille, ſine morâ talem ſuum debitorem adibit, hacque illum durâ & reſolutâ voce compellabit: aut ſolvito, aut in carcerem ito. Sed unde talis mutatio? Indè nimirum, quoniam deſiderat mercator, ſi ſolum illud cum alio longè diſſito, aliique tribunali ſubjecto mutaverit, debitum ſibi non expungendum. Talem quoque mutationem Dæmonis ſentietis in horâ mortis, niſi fortè citius moriatur quis, quàm ſe mori ſentiat. Dicet ille intra ſe: ecce Anima hæc eſt in procinctu ex hoc Mundo migrandi in æternitatem. Si non jam omne meum jus, quod in illam acquiſivi, cum uſurâ exigo, non dabitur mihi ampliùs tempus illud proſequendi. *Tempus non erit ampliùs.* Non habebo ampliùs illam tentandi tempus, nec illa ampliùs conſentiendi. Hinc impoſtor ille omnes vires ſuas colliget in puncto iſto, facietque, ut cadente die, pavor ille & angor tentationum ſuarum impetu ſummopere augeatur.

*Ariſt. ſect. 26. Probl. n. 27.*

*Apoc. 12. 12.*

IV. O quanta eſt Diaboli in morte tentandi poteſtas! dicebat Sanctus Comes Elzearius jam morti vicinus. Qui tamen in carne ſicut Angelus vixerat cum Sponſâ ſuâ Delphinâ, in ſtatu etiam matrimonij Virginitatem ſervando. Jam quanto terribilior erit illa vis, ubi agitur de tentando peccatore in omnium vitiorum genere inveterato? Rationabiliter loquendo, boni tunc minus deberent tentari, quàm mali. Venti illi, qui ex ſolo motu aëris excitantur, ſemper ſunt ſuaviores leniore ſque: Sed qui præter aëris motum ab exhalationibus, vaporibus & humiditate terræ oriuntur,

ſemper vehementi protruduntur impetu, eoque majore, quò major tam impetuoſorum halituum ſubminiſtratur copia. Eodem modo perſonarum innocentum, & ad bene faciendum aſſuetarum tentationes, ſunt tantùm levis agitatio aëris in comparatione illorum motuum, qui in corde hominum vitijs deditorum exſurgunt; qui intra ſe materiam alunt ſenſuum & rationi, & religioni contrariorum; hoc eſt vaporum ad terribiliſſimam tempeſtatem ſuſcitandam diſpoſitiſſimorum. Diabolus illo tempore, inquit S. Thomas, adeò commovet humores corporis, ut res una pro aliâ appareat vigilanti, ſicut dormienti in ſomno evenire ſolet. Nunc verò in quos magis inimicus ille hoc tyrannicum ſuum exercebit imperium, quàm in illos, qui totâ vitâ ſuâ voluntariè ſe ei ſubjecerunt?

V. Nec opponatis mihi velim, non paucos hujuſmodi peccatores tranquillè mori: reſpondeo enim vobis, talem in ipſis tranquillitatem omni etiam tempeſtate pejorem eſſe. Peccator vitijs inveteratus, ſi in puncto mortis ſuæ timet & tremit, cauſam mihi dat pavendi dubitandique, ne talem diffidentiam ſequatur deſperatio. Magis tamen timeo, ubi video nulla eum commotionis alicujus ſigna edere. Tunc de ſalute ejus deſperare cogor, quia tam placida mors aliunde non poteſt provenire impio, quàm ex præſentiâ Dæmonum, tentationũ ſuarum impetu etiã ipſam fidem eripientium. Aridâ & atrâ linguâ non quæri ſitim in acutiſſimâ febri, malum eſt ſignum: ſignum eſt præſentis delirij. Idem profectò contingit in morbis animæ. *Hipp. prognoſt.* Intuemini conſcientiam aliquam mille culpis denigratam, omni pietatis ſenſu deſtitutam, eò tandem devenire, ut nihil penitus ſentiat: talis indicat, quod nec Deum, nec Infernum, nec Paradiſum agnoſcat ampliùs, imò quòd proprio Atheiſtarum delirio nihil credat. De cætero, quomodo poteſtis imaginari vobis, Dæmonem tunc temporis adeò quietum fore, niſi jam prædam teneret intra fauces? Canis ſi coturnicem ſtiterit, etiam ipſe ſubſiſtit, non latrat, nec ſe movet, licet priùs, antequam illam attingeret, tantos ediderit ſtrepitus, ſurſum deorſumque currendo, ut eam aſſequeretur: atque hæc ipſa quies clarum eſt indicium, jam jam eſſe deprehenſam, & licèt adhuc non actu, ſpe tamen devorari, mox, ac herus permiſerit, mordicus apprehendendam. Impius nonnemo poſt commercium longo tempore cum Dæmone habitum, ut ab eo in ſceleribus patrandis opem paratam haberet, tandem incidit in manus juſtitiæ, à qua ad reſtim condemnatus fuit. *Raulin. t. 1. ſer. 17.* Erat igitur jam ductus in locum ſupplicij, ubi cùm deberet magno cum dolore animi compunctis invocare Deum, voce ſubmiſſâ Dæmonem, ut ſe è manibus lictorum liberaret, mortemque evaderet, appellavit, tam erat imperterritus. Sed omnia in vanum. Denique poſt tot tantasq; invocationem, quaſi nauſeabundus comparet impoſtor malignus, illique at-

attritorum calceorum, quibus humeros oneratus erat, faſcem monſtrat: ecce, inquit illi: omnes hos calceos poſt te currendo attrivi; cùm verò te jam aſſecutus ſim, adeò ſimplicem & ſtultum me putabis, ut ad fugiendum à me tibi aſſiſtam? Morere tantùm & deſpera, nihil enim aliud magis, quàm te damnatum videre deſidero. An non ſunt hæ tempeſtates, quæ ſub apparente illius tranquillitatis malaciâ ſe ſe abſcondunt, quâ enormes peccatores ſub mortis tempus frui videntur?

VI. Verum eſt, poſſe Angelos bonos omnibus ſe hiſce ſuggeſtionibus opponere, efficereque, ut ceſſent, horrendum illum turbinem in ſerenitatem convertendo; ut fieri ſolet, quando ventus contrarius exurgens ventum ſibi adverſum compeſcit. Sed quis ſperare poteſt, velle Angelos bonos in gratiam illius, qui toto vitæ ſuæ curſu illorum ope indignum ſe præſtitit, poteſtatem ſuam exercere? Imò veriſimile eſt, fore illos ſpectatores ſententiæ, non diu poſt ferendæ contra infelicem illam animam; quæ optimo jure ſpectat ad Dæmones, Poſſeſſionis titulo jam pridem adito. *Qui poſſedit majori anni parte, præfertur alteri.* Hæc lex eſt, cujus etiam in foro divino communis eſt uſus. Jam verò quis non videt, quàm difficile futurum ſit, ſincero cum dolore ad Deum reverti? O quanta hiemis hujus aſperitas! infelix ergo Anima illa, quæ fugam eò differt, quando tam gelidi potenterq; furentes venti inchoatum iter cogent abrumpere! *Orate, ut non fiat fuga veſtra in hieme.*

*Ariſt. l. 2. meteor. c. 6. de accid. vent.*

VII. At hoc minimum eſt. In fine vitæ foris tantùm diabolicæ ſuggeſtiones nos impugnant. Magis timenda eſt perverſa voluntas, interiora occupans. Cor ejus induratum, terra illa eſt, quæ naturali ſuo ſitu & frigore, condenſatoq; perverſorum habituum gelu, viæ tam moleſto tempore faciendæ difficultatem ſummopere auget. Chariſſimi mei, vos non concipitis veram peccatoris in peccatis inveterati & ad extrema deducti ideam; quare illum vobis ad petendam peccatorum ſuorum remiſſionem, recipiendamque ſtatim actu ipſo, diſpoſitiſſimum imaginamini. Sed omnino fallimini. Verum peccatoris hujuſmodi exemplar eſt, oculis clauſis, manibus pedibuſque ligatus, graviq; ſub lapide ſepultus & abſtruſus Lazarus. Talis erit ſtatus veſter, ſi pergendo malè vivere, ad extrema deducti bene nihilominus mori confidatis. Dico, quod in hoc ultimo vitæ puncto unum ex duobus his malis facillimè evenire poſſit: aut quòd vos convertere non poſſitis, etſi velletis; aut quòd non velitis, quamvis poſſetis.

VIII. Ideoque (quoad non poſſe) eritis tunc ſicut oculis capti, enormi cæcitate mentis, quæ minus vobis Deum cognoſcere permittet, quàm aliis in vita cognoſcebatis; ubi tamen tam exiguæ ejus cultus vobis curæ fuit. Si nunc cùm eſtis ſani, mente liberi, ſpiritibus vegeti, ſenſibus vivaces tantam ſentitis difficultatem, debitas de Deo, ejuſque honore concipiendi cogitationes; quid tunc viribus exhauſti, naturâ morbi gravitate oppreſſâ, ca-

pite

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pite ſomno & habetudine repleto de cœleſtibus ſentietis? Si in medio die non videtis, quis credet ſerâ luce vos viſuros? ideo adhortatur nos Propheta, ut priusquam adveniant illæ tenebræ, DEUM agnoſcamus. *Date Domino Deo veſtro gloriam antequam contenebreſcat.* Quoniam tenebris ultimi iſtius diei ſupervenientibus, nimis quàm difficile erit aliquid videre. Quod ſi illo tempore minùs quàm unquam aliàs tremendam Dei Majeſtatem, veſtrorumque, quibus eam offendiſtis, peccatorum malitiam apprehendatis, manifeſtum eſt, minùs etiam, quàm unquam, ad eum converti poſſe voluntatem. Et ecce manus vobis ligatas & pedes; manus ad bene re ipſa operandum; pedes, ad ſeriam converſionem ſaltem affecta proſequendam.

IX. Notandum igitur eſt, voluntatem tunc adeò morbo præſenti, tamque ſenſibili diſtractam eſſe, ut non poſſit ad malum inſtans, tam parùm ſibi cognitum, evitandum mentem applicare. Experti eſtis, quòd ſi unquam filium quendam vobis ſuſtulit Libitina; plurimos dies ita permanſiſtis attoniti, ut impoſſibile vobis fuerit de alio magis, quàm de funeſtâ hac privatione cogitare. Dies illos totos abſque ullâ Dei recordatione conſumpſiſtis; ſolitas devotiones veſtras intermiſiſtis, beſtiarum more vixiſtis: adeò nimirum voluntas veſtra præſentis mali ſenſu occupata, potentias ſuas non poterat, quàm ad hoc ipſum, applicare. Et putatis vos minùs propriæ vitæ, quàm prolis alicujus ſenſuros jacturam? Quare de veſtro illius temporis ſtatu argumentamini: exiguæ illæ vobis relictæ vires, quæ pro concipiendis ad DEUM Creatorem veſtrum amandum, deteſtandamque erga illum à vobis toties oſtenſam ingratitudinem motivis applicari deberent, in apprehendendo morbi periculo, in avertendis ejusdem moleſtijs, in timore & dolore, uxorem, filios, familiam, bona fortunæ, & quod eſt ampliùs, ipſum corpus, ſupra DEUM dilectum, amittendi collocabuntur. Communi ſolet dici proverbio; ubi homo dolet, ibi adeſt manus; & hoc poſito, quomodo eſt probabile, quòd afflicti, anguſtiati, maximoque, qui vobis accidere queat, timore mortis conſternati, eò quò Anima neceſſe habet, mentem advertere poſſitis, præcipuè qui non pro alijs quàm temporalibus damnis ſoliciti fuiſtis?

X. In illo prælio quo Carolus Quintus Imperator capto Electore Saxone Lutheranorum exercitum internecione delevit, fama increbuit, paſſimque ut fieri ſolet, vulgata eſt, inuſitatis cœlum prodigijs illo die rem Cæſaris adjuviſſe. Cùm igitur poſt aliquod temporis intervallum Pariſijs eſſet Dux Albanus (qui prælio interfuerat, non exigua ejus pars) interrogatus fuit à Rege Franciæ, num vera fuerint illa prodigia, quæ rumor ſparſerat? Cui Dux reſpondit: Rex, eo in prælio tantum mihi negotij in terris fuit, ut quæ in cœlo agerentur, per tempus obſervare non licuerit. O utinam peccatores inve-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

terati idipſum in horâ mortis non poſſent dicere! In lecto illo adeò acerbè ſuis cum doloribus, tam animæ quàm membrorum omnium confligunt; adeò propter familiæ, quam malè conſtitutam relinquunt, neceſſitates, hærent cogitabundi; propter debita nondum extincta, filios nondum adultos, nec filias in Matrimonio collocatas, verbo, in terram affectu adeò intenti ſunt, ut de cœlo cogitandi planè nullum tempus ipſis ſuperſit; unde antequam ſe migrare ſentiant, jam ſe alterius Mundi incolas eſſe attoniti vident.

XI. Non equidem nego, quòd in tali ſtatu agnoſcant, aut apprehendant damnationis periculum; licèt enim Fides in illis ſit debilitata, non tamen eſt extincta. Sed quid? aliud eſt timere pœnam, aliud propter timorem pœnæ odiſſe culpam. Primum facile eſt, quia etiam beſtiæ ad macellum ductæ inhorreſcunt; ſed ſecundum peccatori eſt difficillimum: partim quia culpam nunquam aliquid mali eſſe exiſtimavit, imò dilexit, ſuaſque delicias eſſe duxit; partim quia omnibus viribus deſtitutus eſt, ſicut huc usque obſervavimus; Et licèt manus & pedes ſoluti eſſent, non eſt ampliùs illi quidquam roboris ad removendum lapidem tam immanem: nec pedibus ad deſiderandum, nec manibus ad tentandum vires ſuperſunt, & quis eſt iſte lapis? eſt malus habitus, jam in naturam converſus. Si à principio aſſuefacti eſſetis, timere Deum, ei voluntatem veſtram ſubmittere, ejus offenſam maximam æſtimare jacturam, credere quis poſſet, etiam ad extrema deductos, ſicut ſtrictè aſſueveratis, conaturos, quantum valetis, atque ad Deum convertendos, non obſtante quavis morbi gravitate, omnibusque morbi, quæ remoram injiciunt, anguſtijs. Sed in ſtatu planè diverſo hoc quis ſperet? voletis, & virium vobis ſatis non eſſe exiſtimabitis. Elephas, ſit licèt molis enormis, membrorumque ineptorum, ſi à teneris inflectere genua aſſuefiat, etiam jam ſenex incurvabit. Sed ſi à teneris non fuerit aſſuefactus, impoſſibile illi erit in ſenio, nervis jam induratis, in genua procumbere, itaque idem vobis evenire imaginemini. Si à juventute Dominium, quod in vos habet Deus, agnoſcere, & ad ſanctiſſimas illius leges vos inflectere aſſuefeceritis, etiam in fatali lecto his ipſis cogitationibus locus erit: quod verò in vitâ aut rarò præſtitiſtis, aut nunquam, certò credite, nec in morte præſtabitis; ad talem potentiarum ſtupiditatem vos deductos ſentieritis, ut ne quidem in mentem ventura ſint, quæ ad Animæ ſalutem neceſſaria ſunt, quod eſt amare Deum ſupra creata omnia, & odiſſe peccatum ſupra mala omnia. *Nullus eſt, quia agat pœnitentiam, ſuper peccato ſuo dicens: quid feci?* Jer. Ecce cæcitatem peccatorum, ad agnoſcendam, dum ſani ſunt, culpam: *Confuſione non ſunt confuſi, & ſe erubeſcere neſcierunt.* Ecce in pœnitendo cordis duritiem; quare damnationem illam in morte ſecuturam audi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

audite. *Idcirco cadent inter corruentes, dicit Dominus.*

XII. Sed fortè à tantis vos difficultatibus liberandos ſufficiet auxilium præſentis Parochi, Confeſſarij, aliorumque plurium Sacerdotum, qui certo quodam modo à pectore hunc lapidem removebunt? ita ne? Sed quid proderunt omnes iſti, ſi nunc cum ijs juvantibus poſſetis reſipiſcere, non tamen voletis? quod eſt alterum infortunium ſummum, quod vobis prædixi. Eſt inter inſecta animalculum, quod millepedes vocatur, & tamen vix mille pedibus ſe movet. Hujus rei ratio eſt, quia cùm careat ſanguine, calore quoque, quo inſtrumentis ad motum à naturâ ſibi datis uti deberet, deſtituitur. Ita peccator moribundus circa lectum multos habet Religioſos, multas Sanctorum Reliquias, multa, quæ dicunt, Brevia, benedictiones, & indulgentias plurimas; ſed quia nullam charitatis in corde habet ſcintillam, nec hilum ei proſunt. Ita languidus eſt, ut nullo tam multorum mediorum pro felici morte impetrandâ uti poſſit. Idemque illi in hac extremâ neceſſitate accidit, quod Davidi, qui in ultimâ ſuâ ſenectâ nihil jam in ſe excitare caloris poterat. *Et Rex non calefiebat.* Ita ut etiam onuſtus & involutus pellibus, frigeret. Efficient, non nego, Sacerdotes iſti, ut in hoc ultimo agone Confeſſionem peragatis: ſed hoc idem erit ac extimo corpori applicare veſtes ac pannos. Summa rei in hoc ſita eſt, ut tantus adhuc intus vigeat calor, quo his adjumentis & commoditate uti poſſitis ad Confeſſionem, qualem oportet, faciendam: Duo verò indicia luculentiſſima contrarium potiùs futurum demonſtr. nt.

XIII. Primum indicium eſt, quod ſit quidem Confeſſio, ſed quæ habet ſpeciem potiùs coactæ, quam liberæ: id quod S. Hieronymum exclamare fecit: *quæ eſt iſta pœnitentia, quam ſolum quis accipit, quia ſe vivere non poſſe amplius cernit?* Si bijugi thedæ alicujus equi, excuſſis è manibus aurigæ habenis, ſine obice ullo currentes, in medio curſu ad obvium aliquod grande flumen greſſum ſiſterent; diceτisne, ideò illos currere ceſsâſſe, quòd veredarius receperit habenas, aut diceτis ideo curſum ſtitiſſe, quia non erat ampliùs via currendi? Idem videtur dici poſſe, quando peccator laxatis habenis currendo usque ad finem ſuos ſequitur appetitus, excuſſo, qui carpentum regere deberet, divini timoris freno. Verùm eſt, quòd ob tales animi anguſtias ex improviſo & lethali morbo exſurgentes, quaſi ab obvium fluminis alveum, ille jam non peccet ampliùs: ſed putatisne vos, hoc inde provenire, quòd nolit ampliùs peccare? Inde provenit, quòd non poſſit. Non eſt timor Dei, qui receptis habenis infrenatos ſtitit appetitus, ſed eſt via jam emenſa. *Qui primò à peccatis relinquitur, quàm ipſa relinquat, ea non liberè, ſed quaſi ex neceſſitate condemnat;* Axioma eſt ex ſacris Canonibus deſumptum. Quapropter dicebat Seneca; ut cognoſcas aliquem velle, opus eſt, ut in eo colloce-

*Euſ. in ep. ad Dam.*

*De Pœnit. diſt. 7. c. null.*

locetur ſtatu, ubi poſſit non velle: *Si vis ſcire an velim, effice ut ego poſſim nolle.* (*De Benef. l. 2. c. 18.*) Atque ita ſi in ultimo iſto articulo confiteberis, te domum aliquam queſtu meretricio infamem frequentâſſe, facilè tibi hoc erit dicere, *Pater, non frequentabo ampliùs:* quia certè ubi ſepultus jam fueris, domum illam cœlo inimicam ampliùs non adibis. Sed unde intelliges, id à verâ mutatione voluntatis, illicitas voluptates nunc abhorrentis, provenire? cùm ſis in ſtatu tali, ut non poſſis, etiamſi velis voluptatibus frui? Non tu peccata deſeris, ſed peccata te deſeruut. Et hoc primum eſt argumentum, de ſimilibus in ultimo mortis puncto Confeſſionibus dubitandi: Nimis quàm pronum eſt, in eo decipi, ut credas voluntatem peccandi eſſe mutatam, cùm tantùm ſit ligata: juxta illud: *Facilè eſt, ut homo ſe nolle putet, quod poſſe non datur.* (*Hugo de S. Vict. de Sacr. l. 2. p. 14. c. 15.*)

XIV. Altera dubitandi ratio eſt, quia experientiâ patet, quòd ſi aliquis moribundorum horum pœnitentium diſcrimen evadat, ſtatim ad priorem vitæ conſuetudinem redeat; uſuras, quas ſe reſtituturum promiſit, non reſtituit; luſum ſi deteſtatus eſt, non fugit: quam abſque morâ dimiſſurum ſe promiſit, feminam non dimittit, omniaque ejus propoſita ſimilia ſunt votis nautarum, quæ durant, quàm diu durat tempeſtas maris. *Scio non modicos pecunioſorum,* dicebat S. Hieronymus, *acceptâ in mortis articulo pœnitentiâ, convaluiſſe corpore, & pejerâſſe vitam.* (*Epiſt. ad Damaſ.*) Hæc ergo tam ſolita inconſtantia, ſicut tam magnum Sanctum de Confeſſionibus hiſce in mortis articulo peractis dubium reddidit, ita & me valdè anxium relinquit: magnum enim dubitandi fundamentum video, quòd qui ex intimo corde peccatum non deteſtetur; ſed periculum tantùm formidet, naturali quodam timore, quid cor ſeriò ad Deum convertendum non ſufficit. Leo ſatur, cùm ſibi Venatores inſtare videt, ut expeditiùs currendo ſibi conſulat, cibum jam devoratum emovit: finitâ verò venatione, ſordidis hiſce, quas paulò antè ejecerat, reliquijs ſtomachum rurſus reficit. Et unde hoc? niſi quia cibum iſtum non abhorrebat, ſed ſolùm ejus effectum, id eſt gravitatem, quâ quominùs velociſſimè ex inſectantium oculis ſe ſubduceret, impediebatur, nauſeabat.

XV. Nulli proinde fit injuria, ſi hujusmodi morientium pœnitentia nullatenus ſincera habeatur, utpote quam fucatam, aut extortam eſſe, tot argumenta convincunt. Solùm in tempus tam importunum illam diſtuliſſe, clarè demonſtrat, ipſos gratiam Dei Creatoris ſui non æſtimâſſe; atque ideo ſi nunc Dei vindictam timent, timor illorum tantùm ſervilis eſt, ſimilis illi Regis Antiochi; timor nimirum ejusmodi, qui licèt tandem Dei in vitam noſtram abſolutum agnoſcat Dominium, eum tamen ad amorem non adducit, ut timeat talem tantumque Dominum offendere, etiam in illis caſibus, in quibus ipſe non vellet injuriam ulciſci. Ceterùm

quod

quod clarius poteſt dari ſignum, rem perditam non æſtimari, quàm ſi ejusdem inquiſitio in longum tempus differatur? quod ſi hodie crumenam nummis aureis refertam perdidiſſetis in itinere, non exſpectaretis in craſtinam eam quærere; ſed quamprimùm adverteretis, gradatim redeundo oculis in terram fixis viam relegetis, omnes vobis obvios de crumenâ perditâ interrogando. Quomodo ergo quis credat, illos omnibus rebus alijs Dei ſui gratiam præferre, qui amiſſam non tantùm integros menſes, imò fortè integros annos differunt recuperare, verùm in ipſam noctem, difficillimum quærendi tempus, hoc eſt, ad extremam infirmitatem prolongant recipere? Chariſſimi, væ vobis, ſi in ſtatu tali Deum quærere ſtatueritis, audacter enim dico, etiamſi quæſieritis, difficillimè invenietis. *Quæretis me, & non invenietis*; Aut quia non quæretis quando inveniri poteſt, *dum inveniri poteſt* (unde vobis continget, quod Animæ, de quâ in Canticis, in mediâ nocte illum quærenti & non invenienti) aut quia non quæretis eum, ſicut quæri oporteret, id eſt, efficaciter & ex toto corde, quemadmodum talis inventio exigit. *Si quæſieris Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, invenies eum.*

XVI. Atque hæc eſt cauſa quare tam Sancti Patres, quàm Concilia tales converſiones ad extrema dilatas tam parvi faciant, fatentur enim verè quidem eſſe poſſibiles, ſed difficiles. Tertullianus converſiones vocat coactas, de illis loquendo, qui Baptiſmum uſque ad extremum tempus differebant. In eodem ſenſu loquitur S. Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis Ita quoque ſentiunt S. Iſidorus, Salvianus, Sanctus Gregorius, Sanctus Hieronymus, Sanctus Ambroſius, S. Bernardus, & præ omnibus S. Auguſtinus, qui verba hæc notatu digna in ſcriptis reliquit, proteſtans ſe eadem, ac ſi coram Deo foret, proferre. *Si quis poſitus in ultimâ neceſſitate ægritudinis, voluerit accipere pænitentiam, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus quod bene hinc exijt; Pænitentiam dare poſſumus, ſecuritatem dare non poſſumus.* Si te vis, ſubjungit Sanctus hic Pater, iſto tanti momenti dubio liberare, dum adhuc ſanus es, ceſſa peccare. Quod ad Concilia, ſatis vobis ſit ſcire, quòd Arelatenſe deciderit, infirmis ad extrema deductis, & tunc ſolùm converti volentibus, Sacram communionem negandam eſſe; nec ampliùs concedendam, donec priſtinis reſtituti viribus dignos pœnitentiæ fructus fecerint. Concilium verò Neocæſarienſe inſuper mandat, ne tam tardi pœnitentes, poſtquam ex morbo lethali convaluerint, ullo modo ad gradum Sacerdotalem admittantur, æſtimando Fidei illorum parum, aut nihil tribuendum; Unde eſt quod hoc fidelium genus per opprobrium inter Chriſtianos vocaretur: *Chriſtiani lectarij*, ut qui non vellent Chriſtianorum more vivere, quàm dum fatali lecto premuntur. Cavete ergo ne pro fugâ veſtrâ tempus hibernum,

*L. de Pænit. c. 7.*
*L. 4. Epiſt. 2. ad Anton.*
*de Pœn. d. 7. 1. idcir.*
*L. 1. ad Eccleſ.*
*L. 25. Moral. c. 2.*
*in Epiſt. ad Dam.*
*Exhort. ad Pœn.*
*Serm. 38. inter Parvos*
*de Pœnit. d. 7. c. ſi quis poſſit*
*Concil. Arel. c. 23.*
*Concil. Neoc. c. 57.*
*Baron.*

hoc eſt, infirmitatem ultimam eligatis.

III.

XVII. Tantùm ergo ſupereſt, ut hoc frigus à tentationum ventis, & duritie lentoreque cordis in peccatoribus condenſatum, ab amabili divinæ Bonitatis Sole diſſolvatur, quæ nulli

*Matth. 5. 45.* quantumvis etiam perverſo deeſt. *Qua Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* Verùm hoc ipſum eſt, quod ſupra omnia exhorreſco; frigus enim ex hac parte, nonſolùm eſt ingens, ſed in-

*Pſ. 147. 7.* tolerabile. *Ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?* Obſervate igitur primariam hiemis cauſam eſſe Solem: non quòd radijs ſuis, eorumque reflexione frigus efficiat, ſed quòd ille à terrâ recedat longiùs, ſicque terra hoc vitali & vegeto privata calore, gelu & frigore rigeſcat. Eodem modo dici poteſt, Deum primariam eſſe iſtius indurationis cauſam, quam peccato-

*Exod. 21.* res ſentiunt, ad extrema deducti. *Ego indurabo cor ejus.* Non quòd poſitivè, ut Scholæ loquuntur, corda eorum induret, quaſi malitiam illorum augendo, ſed quòd negativè, miſeri-

*Hom. 11. in Ezech.* cordiam non exhibendo. *Non enim cor peccantis Dominus indurat*, inquit S. Gregorius, *ſed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat.* Quare ſi Sol ideo hiemis eſt cauſa, partim quia nimis brevem ſupra terram trahit moram, partim quia obliquioribus eandem illuſtrat radijs: eodem modo etiam Deus hujus funeſtæ in animo peccatoris hiemis eſt cauſa, partim quia rariùs, partim quia parciùs ſuas illi gratias largitur.

XVIII. Ut bene hanc tanti momenti veritatem intelligatis, præſupponite, Chariſſimi, quòd ſicut nullus peccator verè pœnitens unquam à Miſericordiâ Dei rejicitur, ſic nullum peccatorem ex toto corde converti poſſe, niſi eum ad talem converſionem Miſericordiâ ſuâ Deus adjuvet. Contrarium aſſerere, manifeſta foret hæreſis, contra illud, quod clariſſimè Sacræ innixa Scripturæ tradunt Concilia. Ratio eſt iſta; quia vera pœnitentia quoad ſubſtantiam debet eſſe ſupernaturalis; cùm ſit diſpoſitio ad gratiam, & ſupernaturalis quoad motivum ſuum: unde ſequitur nullum poſſe pœnitere, compungi, & ex animo converti, niſi Deus ex liberalitate ſuâ hoc ei elargiatur. Atque hoc eſt, in quo potiſſimi hallucinantur peccatores ignorantes, qui non aliter de ſ. pœnitentiâ ſub mortis tempus exercendâ loquuntur, quàm ſi hæc tunc à ſolo illorum arbitrio ac voluntate tota penderet. Nonſolùm à fundo, ſed etiam à cœlo maris color derivatur; imò plus cœlum, quàm ipſemet tantarum aquarum fundus ad hunc confert. Idem dixero in caſu noſtro. Id quod efficit velle bonum, non eſt ſola voluntas noſtra, ſed voluntas & Deus; & potiùs Deus absque comparatione, quàm voluntas noſtra. Poſſumus viribus naturalibus relicti cadere in peccatum; ſed reſurgere non valemus, poſtquam cecidimus. Eodem modo ſicut horologium ſtare per ſe, aut male moveri, ſed per ſe ipſum ad motum ordinatum horaſque rectè indicandas redire

non

non poteſt; opus eſt, ut expertus Director applicet manum. *Homo eſt idoneus ad caſum ſuum, non eſt idoneus ad reſurrectionem ſuam: ſemper in profundo eſt, niſi liberetur.* Hoc poſito, ut omnino vos convincam, adhuc duo vobis me demonſtrare oportet. Primum eſt, Deum poſſe, absque eo, quòd quidquam vobis injuriæ inferat, gratiam in articulo mortis ultimo neceſſariam ad rite pœnitendum negare: alterum eſt, quòd eam communiter iis, qui extremam mortis horam ad id exſpectant, negare ſolent.

XIX. Quod ad primam veritatem, Deum ad ritè pœnitendum efficacem poſſe negare gratiam, eſt illa manifeſtiſſima; tam quia gratia eſt; quàm quia ſuâ culpâ inſuper omne meritum de condigno peccatores perdidêre, & ſecundùm plures Scholaſticos etiam meritum de congruo, quo tantum favorem ſub illud momentum accipere quoquo modo digni eſſent. Nec id tantùm, ſed inſuper demeritum poſitivum contraxêre. Unde nunc nihil aliud illis debet Deus quàm pœnam.

XX. Et quod ad ſecundam, facilè intelligi poteſt ex Scripturâ. Nullibi invenio in eâdem; Deum nolle in gratiam ſuam recipere peccatorem; imò invitat, exſtimulat, & omni modo ſolicitat, certâ reconciliationis ſpe. Sufficiant, ne longior ſim, verba Apoſtoli: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Nunc, adhortatur Apoſtolus, eſt tempus aptiſſimum faciendi cum Deo pacem; nunc tempus eſt ſalvandi animam. Notate bene illud, *nunc*, quod ſolum tempus præſens appellat: è contra, ubi de futuro fit mentio, non eam in promiſſis benignitatem reperio: imò non aliud invenio, quàm minas, quas Deus ad ſe reverti tardantibus intentat; terribiliores ijs, qui tardiùs; terribiliſſimas his, qui usque ad extremam horam reditum illum differre non verentur. Audite quomodo loquatur in Proverbijs: *Tunc invocabunt me, & ego non exaudiam: manè conſurgent, & non invenient me, eò quòd exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint.* Tunc, monet Deus, in puncto mortis vocabunt me peccatores, & ego non exaudiam &c. idipſum repetit ex ore Micheæ Prophetæ. *Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo; ſicut nequiter egerunt in adinventionibus ſuis.* Nonſolùm Deus illos eam ſub horam non exaudiet, *tunc*, ſed etiam ne videat illos, faciem ſuam avertet, ſicut meriti ſunt, usque in illud ipſum tempus peccatis intenti. *Ex tunc ira tua,* inquit Propheta Regius. Ab hoc momento Domine, ira tua ſæviet contra illos, qui usque ad ultimam mortis horam patientiâ tuâ ſunt abuſi. *Nunquid DEUS audiet clamorem ejus, cum venerit ſuper eum anguſtia?* inquit S. Job. Clamat etiam Propheta Ezechiel: *Anguſtiâ ſuperveniente requirent pacem & non erit; conturbatio ſuper conturbationem veniet & auditus ſuper auditum.* Sicut fugitivis ex prælio, ita illis turbatio ſequetur ex turbatione, tumultus ex tumul-

*Prov. 1. 26.*

*Mich. 3. 4.*

*Pſ. 75. 8.*

*Iob. 27. 9.*

*Ezech. 7. 5.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tumultu. Atque ita concludite, quod ſicut Scriptura plena eſt ſuaviſſimis ad agendam præſenti tempore pœnitentiam invitationibus, ita quoque minis, contra peccatorem in extremis tantùm reſipiſcere volentem, eſt refertiſſima. Itaque clariſſimè patet, Deum non tantùm non teneri tunc ad converſionem gratiam efficacem concedere, ſed quòd multo minus ſolitus ſit illam impertiri.

XXI. Dicamus quod res eſt, quòd ſi tanta ſinceræ pœnitentiæ gratia unquam alicui negari debeat, cui potiori jure, quàm peccatori illi, qui tanto tempore divinâ patientiâ eſt abuſus, erit deneganda? Si civitas aliqua rebellis, antequam obſidione cingatur, reſipiſcens legitimo Domino ſuo claves offerat, absque difficultate gratiam & veniam obtinet. *Adhuc illo*
Luc. 14. 32. *longè agente rogat ea, quæ pacis ſunt*; Sed ſi non tantùm exſpectet obſidionem, ſed ſuggeſtum tormentorum, globorum ignitorum miſſionem, aſſultus, & tunc ſolùm paciſci cogitat, quando victorioſa jam in vallo plantata videt vexilla, à nemine audietur, ultimæ ruinæ & excidio derelinquenda. Hoc ipſum continget Animæ. *Usque ad inferos peccatum illius: obliviſcatur ejus Miſericordia*, dicebat
Job. 14. 20. ipſe Jobus. Miſera hæc rebellionem ſuam continuare voluit, donec haberet jam pedem unum in barathro? jure ergo divina miſericordia eam oblivioni det, neceſſitates non aſpiciat, nullius moveatur precibus, nullis compatiatur lacrymis, nullius ab alto permittat auxilium, etiamſi miſera tantis preſſa anguſtijs clamore ſuo totam viciniam excitet. *Obliviſcatur ejus Miſericordia.* Hoc, inquit Rupertus, evenire ſolet ſerpenti cum Elephante pugnanti. Elephas, ſuper illum cadendo, conterit, omneque virus, quod vivens deponere noluit, in morte cogit exſpuere. Interim ſibilanti & ſtridenti nullus paſtorum opem laturus accurrit, quia in vita omnibus ſemper noxius, hanc gratiam non meretur.

XXII. Non ignoro hunc diſcurrendi modum pluribus ex vobis peregrinum, ingratum & veritati forte non adeò conſentaneum viſum iri dicendo: ſi hoc modo Deus derelinqueret animam, & licèt invocatus, ſpeciali, ſuper abundanti & indebito auxilio non adjuvaret, quomodo infinita ejus eſſet miſericordia? Talis verò diſcurſus totus ex ignorantia proficiſcitur. Primò enim ſcire oportet, licèt miſericordia Dei in eſſentia ſuâ ſit infinita, non tamen ideo infinita eſt quoad numerum operationum ſuarum. Imò hæ limitatæ ſunt: hoc eſt, vices illæ limitatæ ſunt, quibus alicui Deus miſericordiam vult exhibere, veniamque impertiri. Adeoque ubi patientia divina ad hunc terminum pervenerit, tandem etiam in juſtum furorem erumpit. Donec pariendi tempus non advenerit, mulier gravida quieta eſt, nec lamentatur; at cum jam adeſt tempus illud, totam domum clamoribus ſuis conturbat. Idem de ſe futurum ait Patientia divina. *Tacui, ſemper ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar.* Modò illa

adeò

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

adeò diſſimulat, quaſi nullius nauſeæ ſentiret gravedinem: tempore verò ejus exonerandæ jam evoluto, quód eſt ultima mortis hora, adcò tremendum vociferabitur, ut omnia peſſumdet. *Diſſipabo & abſorbebo ſimul.*

XXIII. Præterea diſtinguere oportet, quam intelligaris Miſericordiam, dicendo ſemper miſereri DEUM peccatorum noſtrorum: quandoquidem in Deo duæ expenduntur miſericordiæ, una antecedens, altera conſequens. Miſericordia conſequens eſt illa, quâ peccatorem revertentem recipit, veniam impertit, amicitiæ ſinum aperit, oblatoque pacis oſculo, velut pater, ut primùm reſipiſcentem vidit filium prodigum, amplectitur. Et hanc miſericordiam concedo, nulli unquam à DEO negatam eſſe, ut ſupra dixi. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Miſericordia antecedens eſt illud auxilium, quo DEUS ad pœnitentiam vocat peccatorem, urget, ſollicitat, animosque ad reſurgendum ſuppeditat. Et hanc dico non ſolùm aliquando peccatoribus malè habituatis in fine vitæ, ſed ordinariè negari; utpote hominibus ingratitudine ſuâ eam malè merentibus, præcipuè illis, qui temerariè præſumendo, nunc velut alimento, nunc ut aſylo peccatorum ſuorum abutentes illam ipſam miſericordiam offenderunt. *Auxilium legis fruſtra quis implorat, qui committit in legem.* Ita profectò DEUS illis denunciat, quemadmodum intellexiſtis. Unde ſicut de divinis ejus promiſſionibus dubitare non licet, ita & intentatas ab eodem minas in dubium revocare temerarium foret; neque exiſtimare ullus debet, idipſum, quod ſimilibus peccatoribus in Scripturis tam ſæpe intimatur, non niſi rariſſimè effectu ipſo adimpleri. Imò toties & toties ad effectum deducitur, ut inde commotus S. Auguſtinus exclamet: *Magnum eſt, cui Deus tunc inſpirat, ſi quis eſt, pœnitentiæ remedium.* Advertite horribilia hæc verba: *Si quis eſt.* Tam raros innuit hic Sanctus eſſe, qui pœnitentiæ opportunum remedium à DEO obtinent, quantumvis tardum, ut dubitet, an unquam aliquis obtineat.

*De pœn. d. 7. c. nullus. V. Mag. ſent. diſp. 20. q. 1. & Ruiz de Præd. deſt. 14. ſect. 3. n. 11.*

XXIV. Quare miſericordia efficiet, ut invitus tunc vos puniat DEUS, non tamen efficiet, ut ideò non caſtiget. *Qui tangit terram & tabeſcit*, qui eſt DEUS iratus, *aſcendet ſicut rivus omnis*, inquit Propheta, *& defluet ſicut fluvius Ægypti:* Notâſtisne bene? Omnes fluvij naturaliter currunt deorſum, nec unquam motu & impetu proprio retrorſum fluunt. Nihilominus quicunque fluvius, adverſum ſibi offendens aggerem fortiter reſiſtentem reluctantemque, etiam retro abit, quemadmodum tunc in Ægypto Nilus ipſemet; qui licet rapidiſſimo curſu deorſum deferatur in mare, quando tamen tempeſtate aliquâ, congeſtâ in grandem acervum arenâ, ſeptena ſua oſtia reperit occluſa, etiam ipſe recedit, adeoque æſtuat, ut intra ripas ſuas ſe continere non valens, ſe elevet, totamque terram longè lateque inundet. Hic ergo totus

*Amos. 9. 5.*

erit fructus illorum ex divinâ patientiâ relatus, qui, ut jam pridem dixit
L. revel. c. 22. S.Brigitta, *in arbitrio ſuo poſuerunt Miſericordiam Domini*, de Miſericordiâ Dei diſponunt, ſecumque rationes ineunt, quaſi ſtabilis eſſet reditus, & non ſimplex aliquod bonum. Hoc, inquam, totum erit emolumentum: non quòd non puniantur à Domino, ſed quòd ſolùm contra voluntatem ipſius puniantur; qui ſicut fluvius naturâ ſuâ beneficus, nativoque pondere propenſus, ipſis gratificari vellet; ſed peccatorum eorum multitudine retroactus, curſum naturæ ſuæ omnino contrarium ſumere cogitur, *alienum opus ab eo*, & ut non ampliùs benevolus ſit; ſed aſper ac durus.

XXV. Tunc ergo Deus nullam habebit rationem neque naturæ à ſe peccatoribus datæ, manu ſuâ ex nihilo productis, neque dolorum pro ipſis toleratorum, neque Sanguinis effuſi, neque alicujus alterius ad ipſos amandum motivi, verùm ſolam ab ipſis contractam intuebitur culpam; reliqua omnia cortinâ obvelabit, ut antiquitus apud Areopagi judices erat ſolenne, reum condemnantes, ne fortè miſeri hominis aſpectus à juſtitiâ illos deflecteret.

XXVI. At non idcirco affirmo, quòd Deus peccatoribus ad poſtremas usque horas ſuâ in pravitate hærentibus, omnem etiam ordinariam ſit opem negaturus; Hoc non dico: dico vero talibus ſpeciale illud, ſuperabundans & efficax auxilium negaturum, quo ſi gauderent, facillimè cooperantes ſalutem ſuam conſequerentur. Ut fiat hiems, neceſſe non eſt à Sole Horizontem non illuminari; ſufficit rariores illum obliquioresque ſpargere radios. O quàm cruda ipſi tur hiems in corde peccatoris fiet, ſi Deus ſimilem, id eſt minùs ſecundùm minusq; frequentem conceſſerit gratiam! Hoc enim ad ſalutis æternæ jacturam ſufficit. In hoc itaque tota impij morientis ſita eſt miſeria, forti & perpetuo indigere auxilio, non tamen niſi debili & parco munitum eſſe. Indiget miſer gratiâ illâ triumphatrice, ad elidendos tentationum à Diabolo movendarum inſultus, adferendos corporis, capitisque debilitati dolores, ad enervandos in illam horam usque inveteratos malos habitus, & ex alterâ parte non alio, quàm ordinario fruetur auxilio. Panis durus eſt, & culter non ſcindit; dicebat ſceleratus quidam in mortis articulo, Pœnitentiæ admonitus; expertus tunc miſer ille in ſe ipſo, quàm vera ſit Eccleſiaſtici minitatio, quâ affirmat cor durum ad faciendam pœnitentiam in extremis eſſe infeliciſſimum. *Cor durum malè habebit in noviſſimo.* In duobus caſibus momentaneam fieri mutationem, docet S.Thomas: quando S. ſubjectum eſt in ultimâ diſpoſitione illam recipiendi, vel ſi agens infinitâ operetur virtute. Sed in caſu noſtro, anima peccatoris nonſolùm non ultimam ad ſeriam converſionem, ſed potiùs omnino oppoſitas pœnitentiæ faciendæ habet diſpoſitiones; nec ſolùm Deus non vult ad convertendam illam infinitâ ſuâ, ſed valde limitatâ uti virtute; ut doctus quidam commenta-

mentator in verba illa Sapientis paulò ante citata notavit, dicendo. *Dignus enim eſt, ut is ſentiat Deum mollem in morte, qui ei ſe toties præbuit durum in vitâ.*

XXVII. Non ignoro, vos mihi objecturos graviſſimos quoſdam peccatores in extremis à Deo adhuc converſos ſalvatosque. Sed ego repeto, quod dixi, caſum eſſe de rarò contingentibus; quia in Sacris Scripturis, præter unicam talem converſionem, aliam non invenio, & hæc eſt converſio boni Latronis; quæ tamen an verè tarda fuerit, incertum eſt; quia jure dubitatur, an ullam Servatoris notitiam antea Latro ille habuerit; potiùs certum eſt, fuiſſe illam expetitam & promptam, mox ubi Redemptorem agnovit, ut obſervavit S. Ambroſius; & poſito, tardam etiam fuiſſe ejus converſionem, ſolus fuit, & ut inquit S. Auguſtinus. *Unus eſt, ne deſperes; ſolus eſt, ne præſumas.* Sed an ſalutis veſtræ anchoram tam fragili alligabitis funi? Accidit aliquando ut Latro ad furcam ductus præteriens cæmiterium eluſis cuſtodibus parùm attentis in ejus Eccleſiam fugerit. Sed quis ideo reus tam rarum ſibi promittet, effugium? Quivis etiam quantum poteſt à longè Lictores, carnifices & apparitores fugit; quia quo felicior in tantâ & extremâ deſperatione hæc fuga illi accidit, eo minus illi favere poteſt hæc regula: *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.* Deſperata eſt ſalus infirmi illius, qui non niſi per miraculum poteſt evadere.

XXVIII. Quare, Chariſſimi, ſi ad hanc usque horam, tam exiguæ anima veſtra vobis curæ fuit, omnino non decet, ut impoſterum tam parvi eam æſtimetis. Tantùm Deum obſecrate, ne ſuperveniente hieme, tempore tam incommodo, fugæque inepto, Juſtitiam divinam fugere cogamini. *Orate, ut non fiat fuga veſtra in hieme.* O quàm facile eſt hunc cadere in errorem, malè vivere, & benè ſperare! hæc eſt communis impiorum hallucinatio. *Error Impiorum*, è quibus nullus eſt tam perfidus, tamque perditus, qui non ſaltem in morte bonâ Confeſſione cogitet animum expiare. Attamen expreſsè hortatur Eccleſiaſticus: *ne demoreris in errore impiorum; ante mortem confitere:* C.17. 26. Abſit Chariſſimi; quod ſi & vos hoc errore decepti eſtis malo veſtro, nolite in eodem perſeverare diutius. Intellexiſtis jam ingens illud à Diabolo, corde veſtro, & Deo in extremâ veſtrâ luctâ ſubeundum periculum. A Dæmone tentationes ſuas multiplicante; à corde veſtro, ad benè operandum tempore illo ſemper ineptiori. Ab ipſo Deo apertè amicam vobis opem tunc ferre nolente. Quare, *ne demoreris*, repeto, *ne demoreris in errore impiorum; ante mortem confitere.* Hæc vera eſt reſolutio, nunc ſe convertere, nunc illam facere Confeſſionem, qualem in extremis verè dolentem, integram, humilem & fructuoſam facere velles. Jam debitæ obligationi ſpontaneè ſatisfaciendi tempus eſt; jam quod fuit ablatum, ſive quoad bonam famam, ſive quoad res fortunæ, voluntariè reſtituendum; jam illici-

tum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tum omne & pravum commercium abdicandum, jam deniquecuivis, ut decet, ad Deum revertendum, peccatumque deſerendum, ne nos ab illo priùs deſeramur. Talis pœnitentia ſecundùm omnem ſuùm valorem integerrima erit moneta: integra quoad materiam, integra quoad pondus. *Vivus & ſanus confiteberis*; atque adeo ritè expiati meritò illam à Deo peccatorum veniam ſperare poteſtis, quam impetrare differentes, temerariè vobis pollicemini. *Vivus & ſanus confiteberis, & gloriaberis in miſerationibus ejus.*

# DISCURSUS II.

## *De Neceſſitate & efficaciâ Orationis.*

I. SI vera eſſet Pythagoricorum opinio Muſicam eſſe remedium omnia curandi mala, an non viderentur, ſibi ipſis inſenſi infirmi illi, qui tantâ cum facilitate, imò tantâ cum lætitiâ ſalutem ſuam comparare recuſarent? Si verò natura non permiſit morborum noſtrorum remedia eſſe tam facilia, ne nimis frequenter illis affligeremur; Gratia tamen, aut non multùm præjudicium hoc timendo, aut planè non curando, talia permiſit. Unde provenit, tantam ab illâ orationis noſtræ voci omnibus medendi malis collatam eſſe virtutem, quantam ne quidem de Sphærarum cœleſtium harmoniâ Philoſophi quondam ſomniârunt. Et nihilominus aſpicite quæſo qualis pigritiæ lethargus potiſſimam Chriſtianorum partem oppreſſam teneat! Innumeri ſunt, tale remedium ad ſalutem ſuam à Divinâ deſtinatum Providentiâ, aut reſpuentes, aut negligentes. De hoc ergo remedio hodierno die diſcurram, utque eodem ſæpius, utamini, urgentia proponam motiva. Antequam vobis orationis demonſtrem efficaciam, primò, neceſſitatem ejus luculentis firmabo argumentis, ſpe fretus ejusdem vos mecum futuros ſententiæ, quàm facilè ſit omnibus peccatoribus ſalutem æternam hoc medio acquirere; & quàm hoc ipſo excuſari nullâ ratione mereatur, qui illo neglecto æternùm perit.

I.

II. Primò autem non vellem vos exiſtimare, cùm de oratione loquor, me cogitare in deſertum vos deducere, ubi ab omni humano ſegregati conſortio, ſepties in die, ſicut S. Maria Magdalena, in aërem elevari debeatis, cœlumque conſcendere. Per orationem intelligo, in præſenti & propriè, orationem, id eſt, petitionem, quâ mediante deſiderium, bonum aliquod à Deo obtinendi, exprimimus. *Oratio eſt petitio decentium à Deo.* Ita definivit S. Joannes Damaſcenus:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſemus: quo poſito vobis demonſtrabo orationem hanc, ſeu, ut meliùs dicam, petitionem, utroquè neceſſitatis genere, à Theologis in Scholis recepto, eſſe neceſſarijſſimam; neceſſitate ſcilicet medij, & neceſſitate præcepti. De poſteriore, utpote notiore, priùs agamus.

III. Roma antiqua olim legem habebat, quæ poſtea tanquam ſuperſtitioſa ab Imperatore Theodoſio ſublata fuit; non licere hæredi, quiscunque ille foret, in judicio hæreditatem ſuam expoſcere, exceptis tribus his diebus: Martis, Jovis & Sabbathi. Aſt videte, quantùm lex à Chriſto ſupremo noſtro Legislatore lata iſti ſit oppoſita. Tantùm abeſt, aliquem voluiſſe excludere diem, quo non liceret cœleſtem à Patre noſtro ſupremo flagitare hæreditatem, imò etiam nolliceret non poſtulare, ut ne quidem, ut ita dicam, aliquod momentum exceperit. *Oportet ſemper orare & non deficere.* Et, ut verum dicam, nimis clarè id ratio exigit. Omni momento coram Deo pauperes ſumus; juſtum eſt ergo, ut Deus velut tales mendicos nos videre velit. Pauperes ſuperbos nimis odit, ut habetur in Eccleſiaſtico: & quales hos putas eſſe? Sunt illi, qui in extremâ neceſſitate omni re egentes, nihilominus illi, qui ſolus indigentiæ illorum ſubvenire poſſet, ne quidem verbo et corde prolato ſupplices fieri volunt: Non ita ſit, *oportet ſemper orare & non deficere.* Idcoque conſiderate, quid Chriſtus fecerit, ut ad ſemper petendum nos obligâret: à tantò nos eripuit malo, quantum erat, Deo inviſos vivere.

IV. Imò ſimul etiam ingenti nos dignatus eſt honore. Quia licet absque precibus id, quod deſideramus, à Deo obtinere poſſemus, absque comparatione melius eſt nobis, mediantibus precibus illo potiri. Itaque inprimis ſummopere ab ipſo honoramur. Ut enim verum loquar, quanta demum res eſt, crebra à DEO accipere beneficia? hæc ſors & beſtijs communis eſt. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Ps. 144. 26. Jumenta, columbæ, corvi, paſſeres ipſi, quos nec ſub porticibus veſtis hoſpitari permittitis, continuis à Deo aluntur beneficijs. Aſt quid hoc? bona quidem accipiunt omnes beſtiæ, ſed non impetrant. Impetrare aliquid ſupra terram, ſolis à DEO hominibus conceſſum eſt. Adeoque ſi Deus aliquod bonum non rogatus vobis impertiretur, tali actu tantùm declararet, nos bonorum capaces eſſe: ubi verò ſupplicibus permotus precibus petita largitur, ea nos inſuper promeritos declarat. Atque hæc ſublimis eſt gloria. *Elevabis ad Deum faciem tuam: rogabis eum, & exaudiet te.* Job. 22. 27.

Tantò magis, quantò preces ad Deum fuſæ altioris ſunt ordinis, quàm quibus terræ hujus Principes coluntur, quibus ſupplices porrecti libelli nullius ſunt lucri, ſed meræ perditionis; ſique petitione tuâ fruſtreris, oleum perdidiſti & operam, ideoque melius eſt non rogando ab ipſis quidpiam obtinere. Verùm non ita ſe res habet apud Deum: ipſum ſupplicare

apud Deum, jam eſt aliquid lucrari.
Iſ. 4. 10. *Tantummodo invocetur nomen tuum*
*ſuper nos*, quia ſola Oratio ob præcla-
ros virtutum actus eam comitantes &
modo debito peracta, inſignem con-
S. Thom. junctam habet utilitatem: unde nulla
2. 2. q. Oratio ad Deum fuſa fruſtranea dici
23. art. poteſt. *Idem Dominus omnium dives in*
15. *omnes, qui invocant illum*: dives in il-
Rom. 10. los, qui obtinent, dives in illos quo-
12. que, qui non obtinent. Quia, qui ob-
tinet, impetrat bonum illud, quod
petivit; qui non obtinet, illi ſatis
emolumenti eſt, preces ſuas ad Deum
fudiſſe: adeoque uterque à Deo locu-
Pſ. 34. pletatus recedit. *Oratio mea in ſinu*
16. *meo convertetur.*

VI. Denique pluribus & fervidis petitionibus divinas obtinere gratias, efficit, ut easdem pluris æſtimemus: id quod dici non poteſt quanti ſit momenti. Quid cauſæ eſt, quòd luſores nummos illos tam parvi faciant, quos ex abaco luſorio retulerunt? cauſa eſt, quòd lucrum illud nullo conſtiterit labore. Sicut vas aliquod largioribus vaſtum labris facilè impletur aquâ, ita quoque absque labore effunditur: ita illorum manus, pecuniam absque ſudore acquiſitam, incurij dilapidant. Putatisne, tam prodigum fore luſorem, ſi ſudore vultûs ſui id, quod tantâ cum levitate adeò malè impendit, diu irrigaſſet? minimè profectò: Sed Euclionum more pecuniam proprio ſanguine non minoris faceret; adeò utrumque pari cuſtodiret amore. Prudenter itaque Chriſtus nos voluit ab æterno Patre auxilia gratiæ efflagitare, ut quòd ignorantia noſtra, ſine precibus obtentum, parvi ducit, id impetrandi difficultas magni nos faciat æſtimare. *Vitam manus tuæ invenisti*, inquit Propheta, *propterea non rogâſti.*

VII. Verùm eſt, Chriſtum, adorandum nos obligando, non reſpexiſſe ſolùm utilitatem noſtram: ſed potiùs, ut juſtum erat, gloriam æterni Patris ſui. Mancipia ſolebant olim in facie ſignari, ut ex apertâ adeò nota, cujus eſſent Domini, dignoſcerentur. Nos verò cuncti naſcimur Dei mancipia, non quidem in vultu ſignati, id eſt ſuperficietenus, ſed in corde, hoc eſt, in intimo Eſſe noſtro, adeò Creatori noſtro ſubjecti, ut ille ipſe totâ ſuâ omnipotentiâ ab hac altiſſimâ ſervitute, & ſubjectione eximere nos non valeat. Quare hoc principium noſtrum eo modo, quo ab ipſo dependemus, cognoſcere debemus: & quia ab ipſo nonſolùm tanquam à ſupremo Domino, ſed etiam à Domino infinitè bono dependemus, ideo nonſolùm adorationibus & Sacrificijs, ſed etiam orationibus & precibus à nobis colendus eſt. Adeoque inter omnes religionis actus, quibus eſſentiæ divinæ profitemur plenitudinem, præcipuus eſt, ſecundùm S. Thomæ doctrinam, actus orationis. *Oratio præ-[illegible] eminet alijs actibus religionis.* Non ſolùm quia cæteris Religionis actibus, ut ſunt genuflexiones, inclinationes, incenſationes, ſimilesque alij ritus, Eſſe noſtrum externum, oratione verò internum illi ſubjicimus; Sed etiam quia tali actu oſtendimus, De-

aſ

unâ nobis æſtimari pro eo, qui eſt, id eſt, inexhauſtum bonorum omnium Oceanum, qui in mille poſſit diſtribui flumina, nec unquam tamen diminui. Et huc fortè reſpexit Propheta, dicendo: *In quacunque die invocavero te, ecce cognovi, quia Deus meus es.* Quaſi inſinuare voluiſſet, optimam Deum, ut Deum, colendi, manifeſtationem eſſe, precibus invocare. Veritas hæc adeò clara eſt, ut etiam ipſis Gentilibus in tenebris ſuis illuxerit: unde quidam illorum dixit; Principes ſuos ſimilitudinem cum Diis non participare ab exercitibus, neque à theſauris, neque à triumphis, neque à ſtatuis, ubique locorum magnâ cum ſuperbiâ erectis, ſed ſolùm à ſupplicibus precibus illis oblatis. *Qui fingit Sacros auro, vel marmore vultus, non facit ille Deos, qui rogat, ille facit.* Ex dictis patet, in quo fundetur illa Orationis neceſſitas, quam dicimus Neceſſitatem præcepti.

VIII. Sed mihi non ſufficit hæc ſola neceſſitas, quâ ad orandum vos incitem. *Oportet ſemper orare & non deficere.* Oſtendam vobis cum viris Sanctitate illuſtribus aliam magis eſſentialem, dictam neceſſitatem medij, quâ uno verbo declaratur; tanti intereſſe precibus ſuppliciter Deum exorare, quantum fieri poſſit, quanti eſt ſalutem ſuam procurare. Credo vos non ignorare, quòd omnibus naturæ viribus ſufficientes non ſimus, aliquid unquam boni facere. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis:* opus eſt auxilio Divinæ gratiæ. *Sed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Contrarium affirmare, manifeſta foret hæreſis, jam in pluribus Concilijs ab Eccleſiâ condemnata. Archita, celeberrimus inter antiquos Mathematicus, columbas aliquas ſculpſit mirabiles, eâ dexteritate & arte, ut ſecretis aliquot rotulis interius coagmentatis, impulſumque ad volandum artificialiter cientibus, medium tranarent aërem. Sed quàmdiu? ceſſante illo impulſu, columbæ per ſeipſas cadebant in terram, quia ad elevandum ſe extrinſeco inſtrumentorum & fulcrorum indigebant auxilio; ad relabendum verò proprium pondus ſufficiebat: ita & nobiſcum ſe res habet; ut ad boni aliquid faciendum excitemur, aſſiſtentia Divinæ gratiæ ſummè nobis eſt neceſſaria; ad præcipites verò nos in malorum barathrum agendos, nullitatis & naturæ noſtræ ad ima tendentis gravitas ſatis habet virium. Hanc autem gratiam non vult dare Deus abſque Oratione: juxta illud: *petite & accipietis*, quapropter unicuique noſtrûm Oratio tam eſt neceſſaria, quàm neceſſaria eſt ipſa Gratia. Ita fatentur unanimiter Doctores, præeunte S. Auguſtino; receptiſſimo illo ſuo principio: *nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire: nullum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari; nullum niſi orantem, auxilium promereri.* *lib. de Eccleſ. Dogm. c. 56.* Verba hæc, propriè loquendo, ſunt velut catena aurea trium annulorum ſibi invicem connexorum: Sicut enim impoſſibile eſt à ſtatu perditionis pervenire ad ſtatum ſalutis, niſi quis

à Deo vocatus fuerit, & ſicut impoſſibile eſt, ut vocatus à Deo ad ſtatum ſalutis, illam ſine novo gratiæ auxilio ſibi conceſſo operetur, ita impoſſibile eſt abſque aſſiduis precibus eadem gratiæ auxilia mereri. *Nullum credimus, niſi orantem, auxilium promereri.* Ideoque Chriſto ipſi cum cœlum aperiretur, ut in viſibili columbæ ſpecie ſupra ipſum Spiritus Sanctus deſcenderet, non in ipſo actu apertum eſt, cùm ſtaret in aquâ, Baptiſmumque per Præcurſoris manus reciperet, ſed poſtquam egreſſus undis actu orabat:
*Luc. 1.* *JEſu baptizato & orante, apertum eſt cœlum:* ut ſignificaret, quemadmo-
*S. Th. 3.* dum explicat S. Thomas, quantopere
*p. q. 39.* Fidelibus, etiam mundatis, ad reci-
*ar. 4. in c.* piendum qualecunque gratiæ donum, poſt baptiſmum neceſſaria ſit oratio: quia videlicet fidelibus neceſſaria oratio eſt poſt baptiſmum: licet enim poſt baptiſmum omnes culpæ extinctæ ſint, non ideo quoque rebellio, ad easdem irritans, edomita manet, illaque ſolâ orationis ope ſedanda eſt.

IX. Video vos hæc dicta mea, ſi non ut falſa; ſaltem velut amplificata accipere: tot contra me in corde veſtro adducentes teſtimonia, quot veſtrûm hîc eſtis præſentes, qui abſque ullâ petitione ad magna à Deo bona facienda vobis videmini accepiſſe auxilia, etiam quando vitam viventes diſſolutam, minimeque ad ea intentam, illis deſtitui merebamini. Quare ad enervandam hanc veſtram, & ſatis validam, ut videtur, objectionem, duo ponderanda ſunt. Primum eſt, Deum verè quaſi impatientem diffuſionis ſui ipſius tam diu exſpectandæ, etiam ſupra non flagitantes ſuam profundere gratiam, quemadmodum nocturno tempore hominibus altum dormientibus, rorem ſuum cœlum diſtillat.

Verùm hoc, inquit S. Auguſtinus, de primâ gratiâ, homine nondum à Deo prævento, intelligi debet. *Inventus ſum à non quærentibus me.* Non autem de ſecundâ, quando homo jam præventus ad recipiendam ſecundam, primâ ſe juvare poteſt, accipi debet. *Deum nobis dare aliqua, etiam non orantibus, ut initium fidei; alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut perſeverantiam.* Quando primâ vice terra frumentum produxit, nec aratro ſciſſa, nec ſemente culta fuerat, ſolo Divinæ vocis imperio illud proferebat. Sed non ita vice ſecundâ. Unde meſſis altera à labore, & culturâ hominum dependebat: ad eundem modum peccator à Deo ad pœnitentiam vocatus, ad inſtar terræ aridæ primâ vice aliquid boni operis germinat: hæc prima gratia, cui primus hic debetur fructus, abſque orationis labore provenit; Sed non eodem modo abſque orationis culturâ ſecunda datur gratia, hoc eſt, gratia illa ac bonum inceptum continuandum neceſſaria, quæ eſt quaſi meſſis ſecunda. *Alia non niſi orantibus præparâſſe, ſicut perſeverantiam in finem.*

X. Alterum, quod ad tanti momenti veritatem cognoſcendam ponderare oportet, eſt quod ſequitur. Verum eſt Deum aliquando nobis non

roga-

rogatum quædam gratiæ impertiri auxilia, etiam quando ſupplices ab eo flagitare poſſemus: Sed in hoc caſu non ſecundùm ordinarium, ut ſolet, ſed ſecundùm extraordinarium providentiæ curſum operatur, & in Lege aliquâ, in qua aliàs rariſſimè connivet, etiam, ut nos loqui ſolemus, invitus diſpenſat. In Nuptijs Canæ Galilææ aquam immediatè mutavit in vinum: aſt hoc factum eſt miraculo. Lege quidem communi, à Deo ſtatutâ, aqua convertitur in vinum, ſed non convertitur immediatè: mediante terræ fertilitate, & vitis ſubſtantiâ, ſecretâ quadam operatione aqua de cœlo pluvia in vinum transmutatur. Scitote ergo, quoties Deus, mente veſtrâ ad ſe non elevatâ, ne quidem rogatus, gratiæ ſuæ vobis præſtat auxilia, toties manifeſtum patrari miraculum, nec ordinarium curiæ ſuæ cœleſtis ſtylum in tali liberalitate ſervari. Et hæc cauſa eſt: cur Clemens Alexandrinus, hanc, primo aſpectu, mirabilem fecerit propoſitionem, quæ eſt: Chriſtiano cuilibet optius eſſe debere, favores illos, quos orando à Deo petijt, non obtinere, quam ſine precibus ijsdem potiri. Ille non ſit in numero illorum, qui Deum ad miracula ſine neceſſitate facienda tentare volunt.

XI. Inſuper, licèt Deus independenter ab oratione plurima animæ noſtræ præſtaret auxilia, ſæpius tamen non ſunt gratiæ ordinariæ: magna illa ſubſidia executiva, & efficacia, quibus tandem anima Salutem adipiſcitur, ſicut nunquam ab ipſo promiſſa ſunt, niſi flagitanti; ita communiſſimè rogantibus conferuntur. Et hæc eſt magis fundata illuſtriorum Theologorum opinio, quæ ſingulari quâdam emphaſi in Evangelio à Chriſto nobis dictata videtur: *Vigilate*, inquit *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis.* Obſervate ponderoſa hæc verba: *ut digni habeamini:* plena ſunt altiſſimo myſterio, quod vobis exponam. Tam Sancti, quàm peccatores ad obtinendam in ultimo mortis articulo finalem perſeverantiam gratiâ indigent particulari & privilegiatâ, dictâ à S. Auguſtino *donum coronans omnia alia dona.* Eſt enim quaſi ventus Favonius, navim in optatum deducens ſalutis portum. Imò, quod plus eſt, gratiam hanc omnium, quæ ſalutem noſtram retardant, impedimentorum triumphatricem, nullus, quantumvis juſtus, condignè promereri poteſt: omnis equidem juſtus gratiæ ſanctificantis augmentum, quæ eſt omnium laudabilium actionum noſtrarum terminus, condignè mereri valet, quæ eſt fructui ſimillima: *habetis fructum veſtrum in Sanctificationem:* Sed nunquam gratiam adjuvantem, quæ eſt principium, ſimilisque ſemini, ex condigno meretur. Iſta eſt purum Dei donum, cujus eſt dare cui vult. *Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti.* Unde licèt aliquis totâ viâ ſuâ caſtior fuiſſet Joſepho, patientior Jobo, Sanctior Davide, Deus permittere poteſt talem gravi aliquâ tentatione impugnatum labi in

*Suarez. l. 2. de Relig. l. 2. c. 2.*

*Leſſ. l. 4. de Sum. bono c. 1.*

*Luc. 21. 36.*

*S. Th. 1. 2. q. 114. ar. 8. ad 2.*

*Rom. 6. 22.*

*S. Th. 1. q. 114. ar. 5. in c.*

*2. Cor. 9. 10.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in peccatum (ſicut Sanctus hic Rex
lapſus eſt) nec lapſi reſurrectionem
tenetur exſpectare Deus (quomodo
aliàs exſpect vit Davidem) ſed in tali
prævaricationis ſtatu absque ullâ in-
grati animi, aut injuſtitiæ notâ ex hoc
Mundo eum tollere poteſt absque
injuſtitiâ; quia cuicunque majus vi-
tæ ſpacium negat, non debitum, ſed
donum negat. Conſiderate ergo,
an peccatori iſtud denegando fiat inju-
ria, qui ipſo poſt peccatum inſtanti
Gen. 2. mori deberet. *In quocunque die co-*
16. *mederis ex eo, morte morieris.* Abs-
Sylv. que ingrati animi nota; quia malum
Maur. de offenſæ à viliſſimo homuncione com-
act. hum. miſſum contra expreſſam DEI legem,
q. 33. n. absque comparatione omnibus obſe-
20. quijs unquam Deo præſtitis, aut im-
poſterum præſtandis, majus æſtima-
Job. 22. tur. *Quid prodeſt Deo ſi juſtus fueris?*
3. Clarum eſt igitur perſeverantiam fi-
nalem (imo ipſam ordinariam) nul-
lum unquam *de condigno* mereri poſſe.
S. Th. 1. *Perſeverantia viæ non cadit ſub merito.*
2. q. 114. Tantùm *de congruo* mereri poſſumus,
ar. 9. in hoc eſt, diſpoſitione quadam congruâ,
c. ut ex parte noſtrâ non ponamus obi-
cem dono adeò illuſtri recipiendo.
Quapropter ſupradictis verbis Chri-
ſtus monuit: *Vigilate omni tempore
orantes, ut digni habeamini fugere
omnia iſta, quæ futura ſunt, & ſtare ante
filium hominis.* Non dixit, *ut digni ſi-
tis*, ad quod requireretur condignitas,
ſed dixit, *ut digni habeamini*, ad quod
S. Th. 1. ſufficit congruentia. *Congruum enim*
2. q. 114. *eſt*, inquit S. Thomas, *ut dum homo be-*
ar. 6. in *ne utitur ſuâ virtute, Deus ſecundum ſu-*
c. *perexcellentem virtutem, excellentiùs ope-*

*retur.* Sed quæ debet eſſe ante alia omnes hæc diſpoſitio? audiſtis ex ipſo textu. Debet eſſe Oratio continua. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini.* Orantes omni tempore. Ecce medium deſideratum conſequendi perſeverantiam. *Ut digni habeamini*, ecce finis. *Et ideo*, pergit Sanctus Doctor, *poſtquam aliquis eſt juſtificatus per gratiam, neceſſe habet* (notate neceſſitatem tam expreſſam, de quâ loquimur) *neceſſe habet à Deo petere prædictum perſeverantiæ donum*, ut ſcilicet cuſtodiatur à malo uſque ad finem vitæ. *Multis enim datur gratia, quibus non datur perſeverare in gratiâ.* Inferamus ergo, Deum egiſſe nobiſcum, quemadmodum olim ſolebant Inſularum Balearium incolæ, qui, ut filios ſuos artis jaculandi peritiſſimos redderent, nunquam in manu panem ipſis dabant, ſed ſupra trabis alicujus ſummitatem ponebant: porrigendoque illis arcum cum ſagittis, jam per ætatem ad eum tractandum idoneis: Ecce hîc panis, inquiebant, ſi comedere vultis, agite ut in terram cadat. Videtis, an non, ſicut dixi, eodem modo etiam nobiſcum agat Deus. *Paraſti in dulcedine tuâ pauperi Deus*, clamat Propheta. O Domine dulciſſimam miſericordiam tuam ab altiſſimo Throno tuo omnibus pro ſalute ſuâ indigentibus paratam tenes; Orationis arcum porrigendo nos identidem extimulas, ut plus ejus pluſque ad nos ex alto cadat, ope continuarum precum, quas eò [illegible]culamur: eaq; causâ nunquam eas, ut ſagittas jaculari deſinam. *Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum, qui benefecit mihi, cla-*

mabo

*mabo*, ad obtinendam in bono perſe-verandi gratiam, *ad Deum, qui beneſe-cit mihi*, qui mihi incipiendi donum dedit.

XII. Videte igitur, an non orare Deum neceſſe ſit. Adeò neceſſa-rium eſt, ut abſque hoc medio potiſſi-mos Dei favores, præcipuè illum omnium aliorum excellentiſſimum, id eſt, mortem piam, non ſitis obtenturi. Quapropter nemò hîc ſeipſum deci-piat. Deus hanc legem tulit, *petite & dabitur vobis*, nec propter vos eam mutabit. Et ſi hoc pretio ſalutem dilectioribus Sanctis ſuis vendidit, conſiderate an abſque illo unquam impijs ſit daturus. In hoc puncto ſtatuta ſemel fixa diſpenſando non immutat; Sphæræ cœleſtes, Stellæ, omneſque cœli unanimiter parati ſunt pleniſſimo copiæ cornu ſaluberrimos ſuos in nos mortales derivare influxus; ſed hoc pacto, legem influxuum or-dinariam non transgrediendi. Vel-letiſne ergo vos ſoli eos cogere ab hac lege deviare? domus ſuas muta-re, pervertere curſum, novaſque or-dini vias? temeritas foret intoleran-da. Id ipſum peccari poteſt in caſu noſtro. Deus, non eſt dubium, ad omnes ſalvandos paratiſſimus eſt. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ideoque promptiſſimus eſt ad gratia-rum ſuarum influxus, omnibus quo-que communicandos, ſed hac condi-tione, ut inceſſantes pro his ad ſe pre-ces fundantur. *Si quis veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabi-tur ei.* Quare an non ille, qui ſalvari deſideraret, nec Deo precibus ſup-plex fieri vellet, injuriam faceret illi? an non ei reſiſteret, publicis præter morem legibus ſe ſubtrahendo, pri-vilegiaque, non tantùm abſque meri-tis, ſed etiam ſine neceſſitate exigen-do? Difficile eſt, objicietis mihi, in-ficiari, Deum non ſaltem aliquando hujusmodi conceſſiſſe gratias: hoc Deus ſcit, an ſimiles in caſu noſtro ali-cui unquam impertiverit: hoc eſt, an unquam, in qua plurimum ſitum eſt, perſeverantiam finalem dederit. Aſt concedamus ſalvâſſe Deum aliquan-do hominem abſque oratione, illum, qui ſe Deo orando commendare po-tuiſſet, nec tamen fecit. Ergo idem vo-bis præſtabit Deus? Solent aliquan-do Victores non per civitatis portas, ſed per effractos introduci muros, viâ-que inſuetâ, nec veſtigijs, alijs unquam tritâ, triumphalem celebrare ingreſ-ſum. Hinc ergo præſumeretis eodem modo Deum vobiſcum acturum, ita, ut dum aperta patet porta, per quam alij intrant in civitatem, vobis è diver-ſo planè novus paretur acceſſus. An non videtis, hoc eſſe tentare Deum, quantò magis inſolita, tantò magis inconvenientia petendo miracula? Oratio igitur neceſſaria eſt pro vitâ æ-ternâ conſequendâ. *Oportet ſemper orare & non deficere.*

XIII. Verùm fortioribus adhuc vos urgebo argumentis. Oratio non ſolùm eſt, ut dixi, medium neceſſa-rium pro ſalute æternâ conſequendâ, ſed, quod plus eſt, aliquando eſt me-dium unicum, ita ut non aliud, quàm hoc ſuperſit, nos ab æterno in Orci ba-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

barathrum præcipitio præſervandi.

Job. 19. 20. *Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos.* Dicebat Job; quaſi diceret, peccatorem (qualem ipſe undique ulceroſo & fœtente corpore repræſentabat in fimo) peccatorem dico ob vulnerum ſuorum multitudinem, peſſimorumque habituum fœtorem eò miſeriæ deductum eſſe, ut nihil integrum & ſanum ipſi reliquum ſit, præter labia, quibus ſe Deo precibus commendare licet. Cæterùm ob pœnam culpæ etiam ſolitâ ordinariæ gratiæ proviſione privatur, ita tamen, ut ſi ad Deum exorandum ſua moverit labia, eam ſit conſecuturus, ſi verò ea muta & immota manſerint, ſine veniæ ſpe peſſum iturus ſit. *Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos.* Quid nunc ergo amplius dici poteſt? Hoc noſtro Seculo in magnâ quadam urbe, peſſimâ invaleſcente conſuetudine, certis quibusdam liquoribus homines intoxicandi, opportunè judicatum fuit, primariarum Platearum angulis affigere certum quoddam antidotum contra tam lethale virus inventum. Optarem ego nonſolùm ad omnia platearum capita, ſed imis omnium pectoribus ſalutarius imprimere monitum, quòd eſt ſolùm illud antidotum, plurimis in rebus animæ deſperatis reſiduum, id eſt, Oratio: deinde hoc non contentus irem ad omnium feneſtras, ſimilique tono, qualem tuba illa per totum terrarum Orbem extremo die editura eſt, clamarem: Murmuratores, Vindicativi, Uſurarij, Senſuales, in peccatorum veterno obſtinati, Orate, Orate, Deum inceſſanter precamini, ut à peccato vos liberet: ut iramdometis, proprias ſpernatis utilitates, animasque veſtras ex carnalium voluptatum volutabro eripiatis, absque hac oratione ſperari vix poteſt, vos pro ſalute veſtrâ quidquam boni facturos. *Niſi magnis precibus gratia in nos implorata deſcendat, nequicquam terrena labis vincere conamur errores.* Ita definivit S. Innocentius Papa ſcribens ad Concilium Carthaginenſe. Et quod ita res ſe habeat, auſcultate.

V. Bellarm. Tom. 4. l. 2. c. 14.

XIV. Certus quidam Adoleſcens, nomine Pacco, pœnitentiâ peccata ſua expiaturus, Scetes deſertum ingreſſus, poſt plures ibibi annos transactos, tam atroci carnis tentatione impetitus fuit, ut deſperans ſibi ipſi mortem inferre ſtatuerit. Dicebat inſanus ſecum diſcurrendo. Omnino ſatius eſt ſemel vitam finire, quàm eandem prolongando ſolùm augere damnationem. Sicque ratâ fixâque voluntate fauces cujusdam cavernæ adit, ea intentione, ut ab egredientibus ſub veſperum duabus hyenis, quas ibi habitare noverat, in fruſta diſcerperetur. Et jam planè nudus aliquo tempore morum illarum operiebatur. Et ecce beſtiæ illæ odore corporis humani, cujus ſunt cupidiſſimæ, ineſcatæ, ingenti cum furore accurrunt, ſed vix attigerant hominem, ſtatim manſuetæ ad ejus ſe provolvunt pedes, illosque non ſecus ac duo catelli molliter lingere incipiunt. Hoc prodigium Monacho tantos addidit animos, ut receptis indutus veſtibus, quaſi triumphabundus magnâ cum lætitiâ ad

iq.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

antrum ſuum redierit. At Dæmon non abſceſſerat, ſed ut miſero magis illuderet, tantiſper ſe ſubtraxerat. Quare magis, quàm unquam antè, primis eum tentationibus aggreditur; in formâ Æthiopiſſæ illi apparens, adeò ut Eremicola in pejorem, quàm unquam antè deſperationem adactus fuerit. Quare iterum foras egreſſus, certus velociſſimè vitam abrumpere, videt aſpidem in arenâ latentem; quam mox arripit, pungit, & ad magis veneno nocendum irritat, magnoque animo nudo applicat pectori. Verum aſpis ſolitæ crudelitati non indulſit, imò ne offendi quidem viſa eſt: quare dum ignorans, cœlo indignans, quæritur, cccur fugientibus adeò prodigè acceleraret mortem, quærentibus verò adeò parcè eam negaret: vocem audit ab alto clamantem: quid tibi miſer imaginaris, à te viribus tuis poſſe tentationes ſuperari? Deum roga, Deum precare, & quando cognitâ vilitate tuâ omnem in Deum ſpem collocaveris, tunc palmam reportabis. Quâ voce tantâ mens Monachi inſtructa fuit luce, ut ad debellandos Dæmonis inſultus non aliud magis expediens cognoverit medium, quàm continuam Orationem; quâ ille quamprimùm ſe munivit, & deinceps nec toti Acheronti ceſſit. Vos verò interim perpendite quæſo, verá ne ſi hæc mea doctrina? An Deus non primâ vice miſerum hunc Anachoretam, tam terribilibus potuit liberare impugnationibus? & tamen non liberavit: ſed potiùs tria voluit patrare miracula, quæ fuère: primò ab hyenarum illæſum ſervare dentibus, deinde ab Aſpidis cuſtodire veneno, denique è cœlo ipſo illum alloqui; potiùs quàm unum ſolum facere miraculum, quod tamen omnium fuiſſet majus, hoc eſt, abſque præmiſsâ ferventi oratione illum liberare. Quisquis clariorem ad indiſpenſabilem orationis neceſſitatem, quâ omnes indigemus, ptobationem deſiderat, illum aut Fide, aut ratione carere dixero.

II.

XV. Fateor quidem hanc legem aliquibus duram viſum iri, ſi Oratio, quàm ad ſalutem conſequendam eſt neceſſaria, non etiam tam efficax foret. Sed macti animis eſtote, videbitis enim efficaciſſimam eſſe: vis ejus & energia à tribus dependet capitibus, à me nunc exponendis. Primum videre eſt ab ipsâ Orationis naturâ, quæ ad id ordinata eſt, ut alterius animum ad id, quod petitur, elargiendum inducat, nec aliam ob cauſam, quàm quòd rogatus ſit, deſiderata concedat. *Domine non confundar, quoniam invocavi te*, inquiebat Propheta. Domine, quantumvis nullis polleam meritis à te aliquid obtinendi, ſolus hic tamen ſupplicis, ad pedes tuos provoluti, titulus ad quilibet à te ſperandum mihi ſufficit. Quondam equidem aliud in miſero naufragante requiritur meritum, ad opem in præſentiſſimo ſuo periculo impetrandam, quàm eandem clamore ſupplici expoſcere? eritne aliquis cordis adeò crudi, qui pro porrigendâ naufrago tabulâ aliquid prætérea exigat? ipſa etiam bruta animalia, Pſ. 30. 19.

malia, quando agitata apud nos videntur quærere refugium, ad opem ſibi ferendam quaſi nos cogunt: unde Athenienſis inhumani illius Senatoris nomen perpetuâ notatum manſit infamiâ, quòd paſſerem fugientem ab accipitre in gremium ſuum devolantem, etiam ridendo rejecerit. Quare, quomodo tale quid in corde Divino nobis imaginabimur, quale ſi in homine reperiremus, omnino creaturâ
*Eccl. 4. 4.* rationali indignum ſentiremus? *Rogationem contribulati ne abjicias*, inquit Eccleſiaſticus. Unde quomodo quis ſibi perſuadeat, quando non viliſſimum aliquod animalculum, ſed Anima immortalis, toto Mundo corporeo præſtantior, ad optimum ſuum recurrit Dominum, ut, à quibus jamjam deglutienda eſt, Inferni faucibus ſe liberet; illum, cùm amicè deberet eam amplecti, potiùs velle infeliciſſimæ merita rigido ſubjicere examini, nec precibus, nec lacrymis ad ſe fuſis contentum, ſed inſuper præſtita exigere obſequia? fallimini, fal-
*Pſ. 49. 25.* limini. *Invoca me, eruam te*; & hæc invocatio, ſubjungit Deus, adeò meam devinciet Bonitatem, ut inter invocationem, & ſuccurſum nullum temporis ſpacium, relinquatur. Imo petitionem ſuam, antequam finierit, benignâ jam manu ſignatam ſentiet.
*Iſ. 65. 24.* *Adhuc illis loquentibus ego audiam*, & ratio eſt, quia *meritum innititur juſti-*
*S. Th. 2. 2. q. 83. ar. 16. ad 2.* *tiæ*, ait S. Thomas, *ſed impetratio innititur gratiæ*: absque hoc, licèt ſuſtinere voluerimus ad Orationis efficaciam orantis etiam prodeſſe merita, his non caret, quicunque ob eam, quam habet de Deo, æſtimationem ad precandum ſe accingit. Imò ipſa Oratio (ut bene notavit Angelicus Doctor) Dei familiaritatem, quod eſt grande meritum, nanciſcitur: unde magna eſt differentia inter preces, quæ Deo, & illas, quæ homini ſupplices offeruntur. Ad homini ſupplicandum [illegible] oportet jam ejus frui familiaritate; ad ipſum Deum verò deprecandum hæc non [illegible] requiritur; ipſa enim Oratio nos ejus reddit amicos. *Ipſa oratio, quæ ad Deum emittitur, familiares nos Deo facit.* Quippe Oratio eſt mentis in Deum elevatio, per fidem; & elevatio voluntatis per fiduciam.

XVI. Alterum caput, à quo Orationis efficacia dependet, validiſſimum, eſt promiſſio à Chriſto facta, eaque toties in Evangelio confirmata. *Petite & accipietis; quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis, omnis enim qui petit, accipit.* Deus, qui pauper eſſe non poteſt, avarus etiam eſſe non poteſt. Sed ſi per impoſſibile in aliquo caſu ſumma Dei Bonitas nunquam ſe diffundere poſſet invita, ei, qui ſe ex animo invocat, adeò devincta eſt, ut omnem liberaliſſimè donandi difficultatem ſuperaret. Unicum Dei verbum à tot ſeculis, intra exiguæ arenæ littora, conſtrictum tenet mare; ingentem hunc terræ globum ſuſpendit in aëre, nunquam hucusque loco ſuo motum. Adeò rapido concitat cœlos curſu, ut intra unius horæ ſpacium plus quàm quadraginta duas milliarium conficiant milliones; multò plura ſimilia absque numero patrare poteſt miracula, & non pos-

P. SEGN… Homo Gris…

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poterit ſupplici alicui creaturæ ſuæ, poſt tot iteratas promiſſiones, facere eleemoſynam, quamque, ut à ſe peteret, toties ſuaſit, præcepit, rogavitque? Qui de Orationis efficaciâ dubitat, jam fidem negavit, quia aut dubitat an Deus promiſerit à ſe nos exaudiendos; aut, an ei promiſſa ſervandi poteſtas ſit, ita ut majori vinculis ſuis debito ſolvendi ſe obligârit. Cùm tamen nemo ignoret, verbum Dei non eſſe verbum alicujus Regis, ſed verbum Dei; hoc eſt verbum, cui reſiſtendo nulla in terris eſt poteſtas. *Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit.* Ex alterâ parte, quid cauſæ movere divinam poteſt Bonitatem non ſtandi promiſſis, cùm de poſſibilitate ſervandorum ſit certiſſimus? Fingite caſum hunc impoſſibilem, promiſſa ſua Deum infringere: abſque ullâ comparatione major foret ejus jactura, quàm noſtra. Quid nos miſeri perderemus vermiculi, ſi datam ille nos exaudiendi falleret fidem, Perderemus bonum aliquod finitum, cujus tantùm capaces ſumus. DEUS verò perdendo infallibilitatem ſuam, bono privaretur infinito, adeoque perfectionem perderet infinitam, imò, ut meliùs loquar, perderet ipſum Eſſe Dei. Quam ob cauſam ut probaret S. Paulus Deum fidelem eſſe, ad omnes dixit, Deum ſeipſum negare non poſſe. *Seipſum negare non poteſt.* Quoniam nos quidem fidei noſtræ deeſſe poſſumus, non deſinendo eſſe qui ſumus; Deus verò fidem ſuam labefactare non poteſt; quin deſinat eſſe, quod eſt. *Ego ſum veritas.* Saltem

indubitatum eſt, quòd ſuam frangendo nos exaudiendi fidem, ſtatim ſuâ privaretur gloriâ, qui eſt unicus ad extra ſe operandum finis. Et quòd ita ſe res habeat, auſcultate. In Judicio particulari ad unoquoque poſt animæ ab hoc Mundo egreſſum ſubeundo, dabit, ad oſtendendum Bonitatis & Juſtitiæ triumphum (*ut vincat cum judicâris*) dabit inquam cuique ſui defendendi locum, & ad proferendas excuſationes animabit.
*Narra, ſi quid habes, ut juſtificeris.* Nul- Iſ. 43. 86.
lus tamen nocens animum reſponden-
di habebit. *Omnis iniquitas oppilabit* Pſ. 106.
*os ſuum.* Sententia à Chriſto ferenda 42.
adeò clara erit, ut omnium obmuteſcant ora. Non autem talis appareret, ſi pro defenſione ſuâ, liberalia ſibi promiſſa non ſervata corã ipſo Judice poſſent allegare Impij. Moram, moram nobis date (tunc dicent reprobi) an non nobis dictum fuit, pro ſalute no-
ſtrâ acquirendâ. *Omnia quæ orantes* Marc.
*petitis, credite, quia accipietis, & eve-* 11. 24.
*nient vobis?* Et ecce, petivimus infelices, ſed in vanum. Et in ſolenniſ-
ſimo illo Extremi diei judicio, quo-
modo auderent Angeli, quatuor E- Math. 7.
vangelij volumina, ad roborandam 7. &c.
ob Sacrarum illarum Paginarum violationem damnandorum, cauſam pro-
ferre; ſi totidem in contrarium, ex Marc. 11.
his ipſis libris, poſſent adferre propo- 24.
ſitiones, non conſiderando, quis eas Luc. 11.
promulgaverit? poſſentque objicere. 9. &c.
Hi ſunt ipſimet libri, è quibus toties
nobis inculcatum fuit; oraremus, pre- Joan. 14.
caremur, pulſaremus, Patrem cœle- 13. &c.
ſtem pro æternâ ſalute noſtrâ invoca-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

remus, eam nos certò obtenturos: & heu decepti ſumus. Oporteret in tali caſu, Angelos, utpote honoris & gloriæ Domini ſui Zeloſiſſimos, omnium ab eodem dictorum abolere memoriam, & potiùs, quàm unum Evangeliorum codicem in lucem producerent, omnes ſimul quatuor communi totius Univerſi incendio devorandos, inque cineres redigendos permittere. Videtis itaque, ſicut certum eſt, non tantùm non poſſe diminui Eſſe Dei, ſed nec ſimplicis, quem habet de gloriâ ſuâ Zeli, jacturam pati, ita certum eſt ſimiliter, nec Orationem ritè peractam ſuâ poſſe carere efficaciâ. O Inſana hominum corda, quæ tam audacter fragili & fractæ innituntur arundini, id eſt, mutabili & fallaci hominum promiſſioni, monti verò integro, qui eſt ipſe Deus, eorumque ſe præbet, ſuſtentaculum, fidere pertimeſcunt.
Pſ.93.22. *Factus eſt mihi Dominus in refugium & Deus meus in adjutorium ſpei meæ.*

XVII. Attamen adhuc optimum mihi reſtat argumentum, qui eſt fons tertius, ex quo ſalubris Orationis ſcaturit efficacia. Hæc ſunt Chriſti merita omnibus nobis, velut fratribus ſuis minoribus, conceſſa. Qui alium meliori modo vult ſecurum reddere, non vobis tantùm & datâ ſyngraphâ contentus eſt, ſed inſuper aliquod pignus tradit. Simili modo egit Dominus noſter. Sciens ille hominem naturâ ſuſpicioſum eſſe, & pronum ad dubitandum, ut in ipſi omnem de ſe non exaudiendo dubitationis anſam tolleret, voluit, poſt tot tantaſque, quas ab unigenito Filio ſuo fieri voluit, promiſſiones, voluit, inquam, immobile ſecuritatis pignus relinquere. O quale pignus! Chariſſimi, o utinam illud cognoſceretis! ſunt utique omnes ipſiuſmet unigeniti Filij Dei paſſiones, omnes ſudores, omnis ſanguis, omnes, ut paucis abſolvam, divinæ & humanæ, quas exercuit, operationes. Immenſas has Divitias optimo animo nobis ceſſit Pater cœleſtis in arrham certiſſimam nunquam patiendi repulſam. Quamobrem reſpondete mihi, quid eſt, quòd Orationi diffidatis? an ideo quòd nullum meritum in vobis dignum exauditu appareat? Sed quæſo adeſte animis: omnia JEſu Chriſti merita veſtra ſunt; dico veſtra: quia ob ſtrictiſſimam, quam membra habent in quovis corpore cum capite conjunctionem, ſequitur etiam in myſtico Eccleſiæ corpore, opera JEſu Chriſti, non tantùm Chriſti, ſed etiam noſtra ipſorum opera à Patre æterno æſtimari: id quod adeò verum eſt, ut S. Thomas hanc ob cauſam probaverit, potuiſſe Chriſtum operibus ſuis nonſolùm ſalutem nobis impetrare, ſed etiam illam mereri. Quia dum opera illa conſiderantur velut ſua, & noſtra, moraliter unus idemque operans merensque æſtimatur. Ideoque ſi merita JEſu Chriſti, quaſi noſtra uniuſcujuſque propria à Patre cœleſti habentur, cur dicitis, Chariſſimi, vos in Oratione meritorum veſtrorum defectum extimeſcere? ſufficit nolle vos à tanto capite peccato ullo mortali ſeparari, ne ſubitò tanquam membra mortua reji-

cia-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ciamini. De cætero, O beatos vos! Nihilominus omnia, quæ hucusq; atrali, non ſunt præcipua, quæ ad animos vobis addendos ſufficiant. Non enim Pater æternus ſolùm merita unigeniti Filij ſui orantibus pro pignore & cautione aſſignare voluit, ſed etiam eundem Filium ſuum nobis obſidem reliquit. Quid hîc amplius deſiderari poteſt? Poteſt equidem Pater aliàs ditiſſimus gemmarum pro pignore relictarum jacturam patienti ferre animo, at filium unicum pro ſecuritate oppignoratum perdere, quo tandem feret animo? Atqui hanc Chriſtus hodiedum in Sacris Altaribus noſtris repræſentat perſonam, quam ad finem usque Mundi ſuſtinebit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem ſeculi.* Et hæc omnia non ſufficerent ad fluctuantes noſtros in Oratione animos confirmandos, ita ut faciliùs ſit impoſterum avernali inimico è pectore cor noſtrum, quam è corde confidentiam evellere; Sola Chriſti merita tantum ad preces noſtras exaudiendas nobis jus tribuunt, ut quaſi non ampliùs titulo miſericordiæ, ſed juſtitiæ, quas volumus, gratias à Patre petere liceat. *In juſtitiâ tuâ libera me.* Quid ergo erit, quantique valoris, ſi ad perſonalia Redemptoris merita (ſpectata etiam ut merita noſtra) ipſamet etiam Perſona accedat? quid excelſius à Deo flagitare poſſumus, quàm illum, quem habemus in manu noſtrâ, JEſum Chriſtum? Neque etiam Chriſtus amplius facere poterat, ut fieres nobis is, quem ſe modò nominat, *Deus Spei,* quàm ut eandem confidentiam non tantùm ſuper verba ſua, ſed etiam ſuper propriam fundaret perſonam: adeoque quaſi captivum ſe intra Altarium noſtrorum Sacraria, utque ſecuritatis obſidem in quotidiano precum noſtrarum cum Patre æterno commercio ſe ſiſtit, quas propterea ſemper cum hacce terminamus clauſulâ: *Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum.* Nunquam enim hæc non exaudiri poteſt. *Amen, amen dico vobis: ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* *Joan. 5. 23.*

XVIII. Tribus ergo hiſce fundamentis ſuſtentatur Oratio: quæ ad inſtar celeberrimæ ſcalæ Jacob à terrâ ad cœlum usque pertingens, idem generoſo aggreditur animo, ut fieri conſuevit in munitionum & arcium aſſultibus, quibus paciſcendo ſeſe dedere hoſtibus, ignominioſum videtur. *Oratio piè Deo vim infert.* Audax hic fortè videretur loquendi modus, ſi pridem eo ipſo Deus ore proprio uſus non fuiſſet: *Dimitte me,* quondam dicebat Moyſi, dum ab eo pro obtinendâ Hebræis rebellibus veniâ ardentiſſimis urgeretur precibus. *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos.* Pari modo, ut audire ſolemus homines reum quendam in flagranti deprehenſum abripere volentes, ſinite ſinite nos, trucidemus nebulonem hunc, extermine musque. Nihilominus Moyſes orando perſeverans Deum placavit, vicitque. *Dei potentiam,* inquit S. Hieronymus, *ſervi preces impediebant.* Id quod tantopere vim & efficaciam attollit Orationis, ut quid ſublimius

*Joan. clim. grad. 28.* *Exod. 32. 10.* *Ep. 22.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dici poſſit, non appareat. Si enim magnâ cum cautelâ legibus humanis permiſſum eſt ſervis, ſupplices Dominis ſuis offerre preces, aureſque rogando fatigare; quàm mirabile non erit, Dei Tribunal tam benevolum omnis generis etiam violentas ſervis ſuis permittere preces, quin imò tanti roboris & efficaciæ, ut quaſi in conflictu aliquo Omnipotentiæ vim inferant, ſuperentque? Sed quid refert? Interim de Oratione verificatur, quod olim Jacobo ab Angelo dictum, qui ſimiliter ab eo luctando vinci volebat:
Gen. 32. *Contra Deum fortis fuiſti.* Certus quidam Milo ab inſolitum corporis robur inter antiquos famoſiſſimus, ubi manum in pugnum ſtrinxerat, neminem earum reperiebat virium, qui illam ſibi diduceret. Una tamen fuit perſona, illi imprimis chara, quæ ſummâ cum facilitate ejus manum aperuit. Cui unquam tantus eſſet animus, ut Deum Omnipotentem, etiam invitum, ad manum ſuam aperiendam cogeret, ſi ille nollet? etiam cogitare quid ſimile, temeritatis foret. Verùm ille ab eo, qui eum ſupplex rogat, vinci deſiderat. Quare millies tam ad amicam erga ſe violentiam adhibendam invitat, varijſque in caſibus omni ſtudio repugnantem, reſiſtentem & obduratum ſe ſimulat, quô nobis occaſio relinquatur certo quodam modo vi ad preces noſtras eum infle-
Matth. 15. 28. ctendi. *O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.*

XIX. Quapropter quid Oratione ad Deum fusâ efficacius deſiderari poteſt? plus efficit apud Deum Oratio, quàm ipſamet precantis merita, quàm ipſa amicitia; quòd nec merita, nec amicitia evincunt, ſola ſæpiſſimè Oratio obtinet. *Etiam ea, quæ non meremur, orando impetramus.* Clariſſimè docet S. Thomas: imo certò quodam modo plus valet Oratio, quàm Sacramenta: ipſa enim effectus ſuos habent determinatos, intraque certos limites reſtrictos, Oratio vero valet ad omnia, ad tantumque ſe extendit, quantum Omnipotentia divina ſe extendit. Adeoque Orationi ſoli gratia ſummi illius doni conſequendi reſervata eſt, quod eſt, ut ſupra intellexiſtis, perſeverantia Finalis, quæ in totâ Scripturâ nulli alij operi pio promiſſa legitur, quàm Orationi. Favorabilis neceſſe eſt ventus, qui ſalvos in portum nos deducat: an non ita eſt? *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Ecce igitur, cui Favonius ille infallibiliter promiſſus eſt? nimirum poſtulanti: *Si vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quantò magis Pater veſter de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus ſe?*

XX. Quis nunc auditis hiſce Veritatibus, non miretur ſummopere ſupinam, tot peccatoribus comunem, negligentiam, qui ne quidem ſemel per diem, imò neque ferè per menſem, ſe Deo precibus ſuis commendant? An non hoc eſt ſua ſponte velle infelicem eſſe? tam facili ab omnibus ſe liberandi malis non uti remedio? Abaſſinorum Imperator nunquam ſibi ſupplicantibus faciem ſolet oſtendere, ſed tantùm, idque ex inſigni gratiâ, modo pedem aliquem,

modo

modò manum. Quod ſi idem nobiſcum faceret Deus, nihilominus toto die ſubmiſſis miſerias noſtras precibus illi repræſentare deberemus. Denique cùm in omni loco, omni horâ & tempore benignis nonſolùm Deus ſe invocantes aſpiciat oculis, ſed etiam invitet, minetur & imperet, ne ab Oratione deſiſtamus, nos, non ſcio, quâ ſopiti torpedine, & attoniti, oblatum ſpernimus acceſſum, potiusq́ue obſtinati fame mori, quàm eleemoſynam petere malumus? & quid aliud humana expectat pigritia, quàm ſui ipſius confuſionem? Deum velle plus boni nobis conferri, quàm acceptare velimus! Deum magis deſiderare nos è malis eripere, quàm nos tandem evitare cupiamus! *Erubeſcat humana pigritia*, inquit S. Auguſtinus, *plus vult ille dare, quàm nos accipere, plus vult ille miſereri, quàm nos à miſeriâ liberari.*

XXI. Verum eſt, multos ſibi perſuadere intrando diebus Dominicis Eccleſiam coram Altari majori flectentes ſe preces ſuas perſolvere. Sed quæſo, quæ poteſt hæc eſſe Oratio? Poplitum unum inflectere more ſupplicantis, alterum more illudentis erigere in omnes Templi angulos conjicere oculos; interciſa aliqua ruminare verba: ſubinde etiam tergum obvertere Altari, in quo, ceu ſolio, Chriſtus reſidet? Si pauper quiſpiam tali ſchemate, aut obvertendo tergum, aut hinc inde reſpiciendo à vobis peteret eleemoſynam, illámne tam facile illi porrigeretis? An non vos modò abſque comparatione multò ineptioribus pejoribusq́ue ſimilem à Deo eleemoſynam petitis? Quæ Orationis ſpecies hæc vobis videtur, ſolâ labiorum ſuperficie terminata? *Illam Orationem Deus non audit*, inquit S. Gregorius, *cui, qui orat, non intendit.* Oratio ſecundùm omnes, *eſt elevatio mentis in Deum.* Non eſt igitur ſola linguæ ſe moventis, aut manuum corollam precatoriam terentium operatio; eſt ſpiritûs ſimul, & cordis operatio. Si filiorum, aut fratrum veſtrorum quiſpiam, ſi maritus veſter, in periculo ab Judice mortis ſententiam accipiendi verſaretur, an adeò frigidè tunc Principem rogaretis, ſicut modò Deum deprecamini, ut ab Orco vos liberet, à quo, quotieſcunque mortalis culpæ eſtis Rei, nonniſi duobus diſtatis digitis? Credo hoc unum è majoribus inter damnatos Chriſtianos malæ conſcientiæ fore tormentum: videre quàm facilè ſalutem æternam conſequi potuiſſent, petendo à Deo gratiam, ab iſto ceſſandi luſu, hoc illúdve injuſtum reſtituendi lucrum, illas intermittendi blaſphemias, talem cum tali ineundi pacem, illud infame tollendi commercium, & nihilominus tam parum pro ſalutis ſuæ ſecuritate operis neglexiſſe? Non ita pridem nobilis quidam Flander in Hiſpaniâ in carcerem conjectus fuit, cui limæ ab amicis, aliaq; rumpendis compedibus ad capiendam fugam, inſtrumenta ſubmiſſa fuêre. Verum quia limæ aliaq́ue frangendis vinculis ſupellex citharæ aliíve inſtrumento muſico incluſa erant, infelix ille vir non advertit; quare tam opportunâ uti occaſio-

caſione neſciens in ferali pegmate capite truncatus fuit. Ah miſeri peccatores, qui à Deo omnia ad diſtringendas compedes veſtras neceſſaria accepiſtis inſtrumenta, quaſi ſuaviſſimæ incluſa teſtudini, hoc eſt, in tam facili Orationis medio, & tamen uti illo ipſo non dignamini! Si nobilis ille opis ſibi allatæ, cavo incluſæ ligno, aliquam habuiſſet cognitionem, putatiſne illum eâdem uſurum non fuiſſe? Nihilominus vos, qui ex ore meo audiſtis, quanta ſit neceſſitas, quanta ad obtinendam Dei gratiam, perſeverantia, Paradiſum, omniaq; bona Orationis efficacia; audebitis adeò inſipienter negligere, dicereq;, vobis pro precibus ad Deum fundendis tempus non ſuppetere, aut modum precandi ignorare? ſed quid erit tandem, quando non tantùm caput in fatali theatro, ſed animam æterno gehennæ rogo adjudicatam intueri oportebit? Una media hora, ſi obtineri poſſet in avernalibus hiſce flammis orandi Deum, quàm precioſa foret? hæc tamen poſt tot ſæculorum myriades expetita, nunquam concedetur.

Pſ. 111: 10. *Deſiderium peccatorum peribit.*

XXII. Quare antequam hinc diſcedamus, Chariſſimi, quod tandem noſtrum erit decretum? Hoc eſto, Patrem cœleſtem audire, eumque impoſterum frequentiſſimè invocare. Ecce

Jerem. 34. ſuaviſſimum ejus alloquium: *Ergo ſaltem amodo voca me, Pater meus tu es.* O quàm legitima, poſt tot illius neceſſitatis & Orationis efficaciæ documenta, Conſequentia: *Ergo ſaltem amodo.* Saltem hodie & impoſterum. Deberemus quidem ſemper velut pauperes, miſerabileſque ante Divinæ fores Miſericordiæ noſtras exhibentes miſerias, ejuſque implorantes opem, ſtare; at velut fugitivos Divini obſequij propriæque utilitatis noſtræ hoſtes, comparere nos tædet. Saltem ergo nunc, ſaltem in futurum compareamus. Parvo illo vitæ noſtræ reſiduo, quantulumcunque erit, præteritam compenſemus negligentiam. *Saltem amodo voca me:* nullum ſit, quod nos avocet, impedimentum. *Nemo impediaris orare ſemper.* Simillima vult eſſe hac in parte Oratio reſpirationi, ut ſit continua: *ne impediaris orare ſemper.* Neque negotia, nec cura familiæ, neque itinera, neque ſomnus, nec amici, nec recreationes reſpirationem impediunt; ita nec etiam opem à Deo petendam morari debent: *ſine intermiſſione orate.* Adeoque medio tam valido æquè ac ſuavi ſalvati gratias agentes benedicemus Dominum, qui tantâ cum benignitate nunquam à Throno ſuo preces noſtras, nec à precibus noſtris gratiam ſuam, & favorem amovit. *Benedictus Deus, qui non amovit Orationem meam, & Miſericordiam ſuam à me.*

DIS-

# DISCURSUS III.

## *De Conditionibus ad Orationis efficaciam requiſitis.*

I. MAgnes chalybe notæ melioris armatus eâ virtute pollet, ut clavum muro infixum quandoque ingenti vi ad ſe trahat: illé tamen ipſe rubiginoſo munitus ferro adeò debilis eſt, ut vix acum à terrâ attollat. Eadem prorſus eſt Orationis conditio ipſa convenientibus ſibi prædita conditionibus, omnia poteſt efficere; his verò deſtituta, omnino parùm valet. Non tamen ideo, quòd vos petatis, & nihil obtineatis, ejus precium minoris eſt æſtimandum. Veſtrá id culpâ accidit. *Non accipitis, eò quod malè petatis.* Inquit Dominus ore S. Jacobi Apoſtoli, rubiginoſum cor veſtrum omnem Orationi à vobis oblatæ vim aufert, adeoq; enervat, ut tandem ipſum ſibi attrahendi naturam planè deperdat. Quare neceſſe eſt, modum bene orandi addiſcatis, ut preces veſtræ eo, quod rite ad Deum fuſæ habent, valeant precio & robore; id est, ut ita dicam, ipſum vinciant Omnipotentem.

II. Deus adeò ad nobis benefaciendum propendet, ut aptiſſimè à S. Baſilio de Selencia fœminæ parturienti comparetur, quæ nonſolùm libentiſſimè ventris ſui fructum in lucem profert, ſed angitur, & dolet usque dum illum enixa fuerit. Quare ſi precibus noſtris locus non detur, id Deo nunquam attribui poteſt; neceſſe eſt ut à nobis proveniat ipſis, ex uno trium horum capitum nunc à me explicandorum. Aut orantis, aut orationis, aut modi orandi culpâ & defectu.

III. Primò quidem id provenit culpâ ſupplicantis. Capitis reus, etiam inter mortales, antequam pro obtinendâ Principis gratiâ ſupplicem porrigat libellũ, læſæ debet ſatisfacere juſtitiæ. Hinc miſer ille, qui à Tiberio Imperatore ad finiendas carceris ſui moleſtias aliud præter mortem non petijt, pro reſponſo accepit: *nondum mecum in gratiam rediiſti.* Quod ſi ergo non eſt permiſſum delinquenti, antequam in Domini ſui aliquam recipiatur gratiam, coram illo comparere, & ne quidem ut mori liceat orare; quomodo licebit peccatori actuali, Divinæ Majeſtatis læſæ reo, in conſpectu Principis Omnipotentis comparere, & ab eodem vitam, & æternam quidem, rogare, priusquam ipſimet tam tremendæ Majeſtati aliquo usque ſatisfecerit, quam hactenus vilipendere non ceſſavit? Sed advertite rem miram! eſt non nemo in patriâ ſuâ, qui ad ſedandam carnalis concupiſcentiæ rabiem ſibi prædo-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

minantem, nec ætati, nec ſtatui, nec ſexui, neque illibato Viginitatis flori parcit; imò quâ eſt proterviâ, quem nec proprio maculam afferre ſanguini pudet, quique inſtar lupi, ſtragi, quàm famelicæ ejus poſſint deglutire fauces, ſemper majori inhiantis, quod dentibus non valet diſcerpere, inſatiabili oculo deſiderioque devorat. Alius eſt, qui uſuris, exaggerato pretio, mendacijs, perjurijs, impoſturis omnem pauperibus ſubſtantiam exprimit, & tanquam lapidum jactatione, ac baculi miniſterio decidere cogit lucri fructus, quos ſolius ope manûs ab arbore colligere non poteſt. Erit alius, qui totos dies æſtuans irâ, nomen Dei blaſphemat, imò quandoque, tantùm ut alijs animoſus videatur, mille injurijs tantum Nomen, absque ullâ mentis efferveſcentis commotione, proſcindit, & ſine ullius in cœlo Sancti reſpectu, tam domi, quàm foris, majori, quàm Diabolus ipſe, ſi & ipſe linguæ organo inſtructus eſſet, vocis inſaniâ debacchatur. Nihilominus omnes iſtius ſimilisque farinæ homines vadunt ad Eccleſiam: Sed quo fine? ut ibi ſuas perſolvant preces, id eſt, ſupplicem neceſſitatum ſuarum libellum porrigant Altiſſimo. Sed quæſo vos, paulò lentiùs feſtinate: An priùs ob tam enormia ſcelera Principi veſtro reconciliati eſtis? num ſacrâ exomologeſi peccata veſtra expiâſtis? num propter eadem in corde veſtro compuncti eſtis? an ſaltem perperam admiſſorum veniam petijſtis? nihil minus. Itur enim ad Eccleſiam, ut amatorijs oculis alienæ formæ delibentur; vel ut ipſe adiens oculorum ejusmodi objectum ſit; eo loco peccata multiplicanda, ubi calidiſſimis lacrymis forent deflenda. Deinde tamen queritis, Deum vobis ſuas obturare aures? Cor veſtrum tali rubigine denigratum, ut omnem orationi vim & virtutem auferat. *Nos iniquè egimus & ad iracundiam provocavimus, idcirco tu inexorabilis es.* Divinam priùs Juſtitiam placare oportet; aliàs eidem ſatisfacere pœnitentiâ, deinde Miſericordiam invocare. Antoninus Imperator, ut ſolus regni teneret habenas, Getam fratrem ſuum, optimum Principem, & quidem in Matris ipſiusmet ſinu, occidit. Quod ſi poſtea novus ille Cainus, rubentibus adhuc ſanguine fraterno manibus, aliquod aliud donum, aut gratiam petiturus, rurſus ſe Matris etiamnum lugentis conſpectui obtuliſſet, credetisne aliquid ab eâ obtenturum fuiſſe? & tamen crudiùs cum Deo ſe gerunt peccatores, dum manibus Divino illo ad mundationem noſtram effuſo Sanguine adhuc inquinati, æterni Patris tribunali non verentur ſe ſiſtere, ejûsque gratiam & auxilium implorant, non recordantes apertiſſimæ ejus per Prophetam Iſaiam factæ proteſtationis; à ſe, quantumcunque vociferentur, in tali ſtatu non exaudiendos. *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Ah crudeles! ſaltem priùs lavate manus, antequam Dei conſpectui vos ſiſtatis. Id conſilium vobis dat pro tempore tali Apoſtolus, dicendo, *volo viros orare in omni loco,*

levan-

*levantes puras manus.* Si ſecus feceritis, ipſa veſtra oratio contra vos clamabit. Quotidianâ docemini experientiâ, hominem fœtente halitu vos alloquentem, nonſolùm ingratum eſſe, ſed talem etiam parere nauſeam, ut quævis hora, donec diſcedat, mille vobis videantur anni. Jam judicate vos ipſi, quâ cum nauſeâ Deus ſe in oratione alloquentes auſcultare debeat Blaſphematores illos, illos maledicos, illos nequam, perjuros illos, qui putrefactâ intus animâ omni momento horrendum exſpirant halitum, infernali non abſimilem mephiti. *Non eſt iſte ſermo qui miſericordiam provocet, ſed potius qui iram excitet, & furorem accendat.* Hoc idem eſt ac irati Elephantis ſe offerre conſpectui, & quidem veſtibus indutum rubris.

IV. Verùm, ut non putetis his dictis omne me vobis velle præcludere refugium, indignis etiam à Divina Miſericordiâ apertum, oportebit peccatores in duas diſtinguere claſſes. Prima eſt illorum, qui aut actualiter peccant, aut actualiter adhuc affectum ad peccata ſua retinent. Secunda Claſſis eſt eorum, qui commiſſorum memoriam peccatorum aut aboleverunt, aut nunquam in eadem relabi firmiſſimè ſtatuerunt. Primi illi actu ipſo Dei amicitiam contemptui habentes, exaudiri omnino non merentur; atque de his præcipuè, quæ hucusque dixi, intelligi debent; imò quod diu ante in perſonâ ſimilium expreſſit David, dicendo, *iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus,* quaſi diceret, ut explicat Bellarminus: quòd ſi adhuc peccatum in intimo corde meo benevolo dignor intuitu, ſi probo, ſi amo, ſi, licèt foris non demonſtrem, voluntatem rurſus committendi habeam; quomodo orationem meam exaudiendam ſperabo? *non exaudiet Dominus.* Quia nonſolùm Dei inimicus ſum, ſed inſuper me eſſe gaudeo. Hujusmodi non ſunt peccatores alij, qui quidem mali ſunt, ſed volunt deſiſtere eſſe mali, fierique boni deſiderant. His ſicut obtinere non eſt negatum, ſic nec rogare prohibitum eſt; quemadmodum neque Paraliticus ille, nec Publicanus, nec famoſus Rex Manaſſes repulſam paſſi fuère: imò ipſos, ut precibus ſuis importuni eſſent, Chriſtus adhortatus eſt, quæ importunitas amicitiæ defectum ſupplet, eamque quaſi ſuperat, ut opportunè notavit S. Joannes Chryſoſtomus, quando dixit. *Non tam valet amicitia apud Deum, quàm oratio, & quod amicitia non perfecit, id perfectum eſt ab oratione.* Ratio dictorum eſt hæc; quia virtus orationis non fundatur in perſonæ orantis merito, ſed in bonitate Dei, in ejus verbis & promiſſionibus; cui peccatoris indignitas, advertentis intra ſe peccatum, ſed non ſibi de eo complacentis, ſufficienti non poteſt eſſe obſtaculo. Unde quamvis conſcientia tam tranquilla ſit, ut nihil eam remordeat, ſummopere tamen conducit, qualemcunque occultam ex animo eradicare ſuperbiam, ut tales, quales eſſe debemus, faciliùs à Deo exaudiamur. Imò vivaciſſimis profiteri verbis debemus,

*S. Th. 2. 2. q. 83. ar. 16.*

*Hom. 56. de Divers.*

omnem in eo nos fiduciam collocare. Dan. 9. 18. *Inclina aurem meam Deus meus & audi*, dicebat ad Deum Daniel, *neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* Atque ita nobis dicendum eſt, qui tantò magis DEO confidimus, quantò magis nobis ipſis diffidimus.

II.

V. Verùm hic non eſt ſolus Orationis defectus. Id quod tanto cum ardore flagitabat David, fuit, ut oratio ſua eſſet recta. Pſ. 140. *Dirigatur oratio mea:* in hoc enim præcipuè orationis exaudiendæ ſita eſt difficultas: non tantùm in vitio ſupplicantis, ſed mala etiam ſupplicationis qualitate; quod erat ſecundum punctum à me ſuprà indicatum. Preces noſtræ ut plurimùm à recto rationes tramite deviant; res à Deo flagitamus malas, aut ſaltem in malum tendentes. Alexander Magnus, pro magna, quam de Philoſopho Diogene conceperat, æſtimatione, eundem amicè rogavit, gratiam quandam à ſe peteret. Qualem putatis hunc Philoſophum ſtantem tunc & ad Solis radios ſe calefacientem, petiiſſe gratiam? petijt ſat inciviliter, recederet Alexander, nec ſibi tantum umbræ faceret. Ecce quò ſæpe Chriſtianorum etiam colliment preces; cùm non ignorent, velle Deum mirabili liberalitatis exceſſu, cunctos liberè omne à ſe bonum flagitare, *petite & accipietis*, petunt, ut à ſe recedat Deus. Job. 21. 14. *Dixerunt Deo, recede à nobis*, ne ſibi Majeſtatis ſuæ magnitudine umbram faciat, ſuo ſe vivere modo permittat, bonâ corporis gaudere valetudine, etſi eâdem in perniciem animæ abutantur, illum in Judicio lucrari cauſam, ditescere, omnibus præeminere, pingue aliquod obtinere Eccleſiæ Beneficium, ſi hic temporalis hujus fortunæ fulgor ad aliud non proſit, quàm ad noſtra, viliſſimo miſeræ hujus terræ amore, corda magis magiſque excæcanda. O quàm ineptæ eſt hæc oratio! non eſt illa ſuave thymiama rectà cœlum petens; fœtida pix eſt, cujus non tam adire quàm inficere proprium eſt. Non dico, non poſſe nos plurima etiam terræ bona laudabiliter à Deo petere, ſanitatem, bona fortunæ, lautiora numeroſæ familiæ ſuſtentandæ media; ſed dico, priùs bona ſpiritualia, quàm illa à Deo poſtulanda eſſe; utpote ſolùm originis noſtræ nobilitati proportionata, hoc eſt ſacro Baptiſmati, è cujus undis feliciùs, quàm ex cineribus ſuis ullus phœnix, renaſcimur. Denique dico; illa bona hæc non tantùm implicita conditione, ſed etiam, quantum poſſibile eſt, expreſſa peti debere: ſi nimirum Deus noverit noſtræ animæ illa profutura. Magna aliàs ipſi orationi fiet injuria, arma nobis pro ſalute noſtra à DEO tam potentia ſubminiſtrata, in nos ipſos vertentibus.

VI. Sed quid diceretis, ſi hæc ipſa contra Deum verteremus arma? Magnus ille Conſalvus, ob præclaras victorias & recuperatum Neapolitanum Regibus Arragoniæ Regnum, Magnus Belli Dux vocatus, dicere ſolebat, tal-

nullâ ſe magis victoriâ gloriari, quàm nunquam ſe contra Regem ſuum vertiſſe gladium. Neſcio quot ſibi hanc laudem poſſint vendicare Chriſtiani; ſi enim oratio gladius eſt, quot non videre eſt, qui eo contra ipſummet Deum utuntur? quid enim Sicarij, qui res ſacratiſſimas ſecum geſtant, ut eò ſecuriùs ſua patrent latrocinia? quid furioſi illi, qui cùm non poſſint inimico damnum inferre, Deum rogant, ut illum pro ſe puniat, igne cæleſti comburat, aut in imam demergat abyſſum? quid adulteræ illæ, quæ non petunt à Deo, ut domeſtico ſibi blandiente liberentur Dæmonio, ſed ne Diabolus ille nocturnus à Zeloſis maritis deprehendatur? quid dico, an non tales Orationem ſuam in Deum vertere videntur, petereque, ut ſe patienter ab illis percuti, flagellari & in ipſam agi Crucem permittat? Legati Athenienſium à Philippo Macedonum Rege, licèt illos à ſe alienos nôſſet, ſummâ cum amicitiæ teſtificatione accepti fuêre. His jam ad abitum accinctis quodam benevolentiæ exceſſu ſignificavit, num quid adhuc aliud à ſe peterent? cùm ecce eorum unus accedens propiùs, neſcio magíſne inſolenti, an inhumanâ libertate reſpondit: omnino, *volumus ut te ſuſpendas.* Perpendite, an non id ipſum poſtulent illi, qui Deum in continuandis ſceleribus ſuis ſibi volunt eſſe benevolum: Deum rogant, ut ſui ipſe ſit Carnifex; ut ſi non ad propriam internecionem, quæ in eum non cadit, ad inferendas ſaltem ipſimet injurias & opprobria, auxiliares præbeat manus. At quæ eſt hæc Orationis ſpecies? Non permittunt Imperatores hujus Sæculi, ut quidquam vel fiſco nocivum, vel Legibus contrarium à ſe petatur. *Nec damnoſa fiſco, nec juri contraria poſtulare oportet.* Conſiderate ergo: an tam veſanam precandi rationem Imperator cæleſtis admiſſurus ſit? fieri poteſt, ut quandoque, ſed in porrigentis ſubſcribat perniciem, concedatque iratus, ut loquitur S. Auguſtinus, quod negaret placatus. Sed quòd tunc in eum feratur amore, nolite imaginari. Audite num veritati conſentanea loquar; & ne in bonis incertis petendis, majori contentione laboretis, exemplum accipite.

*l. nec. C. de precib. Imp. offer.*

*S. Th. 2. 2. q. 83. ar. 16. in c. Tract. 73. in Joan.*

VII. Puella quædam nubilis, ob vitam, quam ducebat ſolitariam, meruit ſentire ad feliciores ſe cum Chriſto celebrandas vocari nuptias; quare cùm deliberatum haberet, perpetuam Deo Virginitatem conſecrare, jam de ſtrictioris cujusdam Monaſterij ingreſſu agitabat. Sed ſicut diruptâ ſepe facilè etiam ſuos vinea perdit fructus, accidit, ut & hæc puella aſſuetam interea temporis relinquens ſolitudinem, etiam fructuoſas ſuas perdiderit cogitationes. Incepit tum aliquantiſper ſtare ad feneſtras, inde paulatim liberiùs proſpicere; deinde etiam ſpectandam ſe exhibere, recipere literas, reſponſa reddere; unde quantopere Sponſum antea deſiderabat cœleſtem, tantopere poſtea anhelabat terreſtrem; qui erat Juvenis nobilis, illi acceptiſſimus. Intellexerat fortè ex alijs fœminis,

*Joan. Nytius Exempl. 71.*

quæcunque Sanctam Catharinam aſſiduis veneraretur precibus, illam per ejus interceſſionem, Sponſum, quem optaret, obtinere poſſe; quare huic devotioni quamprimum applicat animum, tâutaque continuarum precum importunitate Divam interpellat, quaſi ſuarum nuptialium eam tædarum mediatricem eſſe cogere vellet. Præſertim verò in Sanctæ hujus Virginis pervigilio, vigeſimo quarto Novembris, validiſſimo precum ardentiſſimarum aſſultu ſacras ejusdem fores impetivit. Verùm ingemiſcente illâ coram marmorea invictiſſimæ Martyris icunculâ, ecce, ſtatua ſe ipsâ, absque ullo impulſu, in terram labitur, ſimulque collo capiteque truncatur. Signo hoc ſenſibili volebat Sancta admonere Virginem Nobilem, matrimonialem ei ſtatum minimè profuturum. Verùm tantum non effecit ſignum iſtud, ut ad ſaniorem redierit mentem inops conſilij filia; adeò ſubinde cerebrum fœminæ, ad inſtar argenti vivi alioquin inſtabile, ſemel capto inhæret conſilio: quid porro? tam perſeveranter precibus ingemuit, ut tandem deſideratâ gratiâ, ſed ſuo damno potita ſit. Quare initis matrimonij pactis, nuptiisque ſolenniter celebratis, dum ſub occaſum Solis ſplendido cognaturam matronarum comitatu in domum ſponſi deducitur, ecce tibi, deſcendens è nuptiali curru, pedem, neſcitur qui id factum, in ſolum impingit, collum cervicemque frangit, eâ figurâ omnino, quâ non ita pridem Divæ ſtatuam truncatam viderat, ſicque in limine domûs pro ſacro ſibi cœnobio electæ, cujus ne poſſeſſionem quidem adhuc cœperat, infelicem exhalavit animam. An non videtis verum eſſe, Deum concedere iratum, quod placatus negaret? quales ergo creditis has eſſe coram illo ſupplicationes? Supplicationes ſcilicet plus mali, quàm boni attrahentes.

VIII. Quare impoſterum amicum Prophetæ vos ſequi velim conſilium. *Exquiſivi Dominum & exaudivit me!* à Deo ipſummet Deum poſcite, ſalutem animæ, peccatorum veſtrorum veniam, tentationum victoriam, vitiorum deteſtationem, amorem virtutum, & in hoc non hallucinabimini; res verò petituri temporales; ſemper iſta cum limitatione petitote; ſi Deo placuerit. Verbo, ſic Deum orate, inquit Sanctus Auguſtinus, quaſi homines in tali actu in fundo cordis veſtri intuerentur, quo ſingulæ veſtræ preces colliment. Quanto pudore ſuffunderetur fœmina orans, ne infame ſuum commercium erumpat in lucem, ſi talis petitio clam audiretur à marito? quantum orationis ſuæ perderet nurum illam, mortem ſocrui ſuæ imprecantem, & ſocrum illam eodem malo nurum ſuam devoventem, quam nunquam aſpicit, quin ſecum muſſitet: tot & tanta adoleſcentularum in Mundo audimus funera, nunquamne iſta quoque, quæ poſt me domum meam intravit, libitinæ fiet victima? hæccine ſola toti meæ dominabitur familiæ? Certum eſt, neminem alta voce talia auſurum petere,

vere. Attamen dicite mihi, an non pejus eſt talia à Deo, quàm ab hominibus audiri vota?

IX. Accedit: Deum ipſum ſolere iis, qui primò & præ omnibus animarum ſuarum quærunt ſalutem, inferioris etiam ordinis, quæ deſiderant, bona elargiri. Quia Salomon non longam vitam, non divitias, nec honores, nec ſuorum inimicorum interitum, ſed ſolam ſapientiam petivit, ideò tantum Deo placuit, ut non petitam ſolum ſapientiã, ſed inſuper vitam, divitias, honores, continuamq; pacis tranquillitatem, cumq; illis omnibus, quæ felicem in hoc Mundo poſſunt reddere Principem, illi conceſſerit, eò usque, ut ipſe ſolus omnes Reges anteceſſores ſuos nominis gloriã & rerum magnitudine ſuperârit. Ita & vobiſcum proportione ſua aget Deus, ſi unicè ejus amorem & timorem quæſiveritis. Hæc Divina Sapientia velut Sponſa Regia pro dote omnia alia caduca in domum veſtram bona adferet; bona tamen pro vobis vera, hoc eſt, quæ non ſub ſpecioſo cortice, velut pomum Adami, occultum continent venenum. *Inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Ps. 33.

### III.

X. Verum eſt, ea, quæ hucusque dicta ſunt, ad preces noſtras abſolutè efficaces reddendas, non ſatis eſſe: ultra debitam ſupplicantis & ſupplicationis habitudinem duæ inſuper conditiones ad modum ſupplicandi pertinentes, requiruntur, quæ ſunt, fides, & perſeverantia; quibus, ſi Oratio noſtra, velut quondam Regina Eſther duabus virginibus, innixa fuerit; quidquid deſideraverit, impetrabit. Quare ultimum ex tribus mihi propoſitis punctum exponere aggredior. Prima igitur conditio ad bene orandum, in omni caſu maximè neceſſaria eſt fides; ideo pluribus, quid ea ſit, explicare oportebit. *Omnia quæcunq; petieritis in oratione, credentes accipietis.* Matth. 21. 22. Ergo omnipotens illa fides, de quâ hic ſermo eſt, partim intellectum, partim voluntatem reſpicit. Quoad intellectum, fides hæc firmiter credere debet; promiſiſſe Deum ſe nos exauditurum; ideoque ſi Oratio noſtra requiſitis ab illo qualitatibus instructa fuerit, absque omni dubio promiſſa ſua adimpleturum: fideliſſimus eſt enim Deus, nec mentiendo ſe ipſum negare poteſt. *Fidelis eſt & ſeipſum negare non poteſt.* 2. Tim. 2. Quoad voluntatem verò, fides illa vocabulo magis proprio fiducia nominatur, eſtque firma, fortis & inconcuſſa ſpes omnem animi trepidationem excludens, & timorem ſpei, virtuti Theologicæ oppoſitum, quæ ne dubitat quidem unquam, an ſit exaudienda. *In te ſperavi, non confundar in æternum.* Pſ. 30. 2. Talis ergo anima, hac fide fundata in Dei promiſſis, & amore Dei imbuta, infallibiliter ſe exaudiendam credit, quo iescunque, ut dictum eſt, aut ex parte orantis, aut ex parte rerum petendarum nullus ponitur obex. O feliciſſimum cor illud, quod, quantum eſt ſinapis granum, tantillum in ſe fidei concludit! quia, ut inquit Chriſtus, tantillum etiam ad transferendos

montes

montes & in profundum maris præcipitandos ſufficeret. Gloriabatur Archimedes, ſi modò unicum pedem extraMundi ſphæram ponere poſſet, ſperare ſe unico impulſu totam hancce machinam loco moturum. Jactantia hæc fuit enormis. At verò illa fides, de qua loquor, animam ſupra ſe ipſam elevatam, inque Omnipotentiæ ſinu collocatam tantis roborat viribus, ut nonſolùm terram, ſed etiam cœlorum orbes ſitum mutare cogat; nec ſolùm invertit naturæ leges, ſed Dei, ut ita dicam, decreta immutat, apud quem tamen non eſt mutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. *Omnia poſſibilia ſunt credenti*, inquit Chriſtus, *omnia, omnia*; nec ullus hujus potentiæ admittitur terminus. Hanc ergo fidem adeò vivam, omni quâ licet animi contentione concipere oportet, quoties rationabilia veſtra Deo offertis deſideria, conſiderantes cum Divo Auguſtino, ſi Deus nos exaudire noluiſſet, exaudire non promiſiſſet, nec unquam ad orandum adhortatus fuiſſet, multò minus præcepiſſet, ſi præcantibus aures ſuas obturare voluiſſet. *Nos non hortaretur, ut peteremus, niſi dare vellet.* Quod ſi quandoque tanta in ſinum ſe non invocantium immittit bona, quantam & quam coagitatam bonorum menſuram effundet in ſinus eorum inquit S. Chryſoſtomus, qui vix aliud agunt quàm ſupplices & continuas offerre Deo preces?

*Matth. 9. 22.*

*de verb. Dom. Serm. 5. & 29.*

*Hom. 68. de diverſ.*

XI. Atque hæc poſtrema Sancti jam nominati verba ad alteram bene orandi requiſitam conditionem me deducunt, id eſt, perſeverantiam, quæ tanti eſt momenti, ut in ipſâ ſoli Sanctus Hilarius omnem reponat orandi efficaciam. *Obtinere, in ſolo promiſſo mora eſt.* Quid judicaretis de infirmo, qui primâ medici viſitatione non curatur, an non ampliùs medicam ejus opem implorabit? Attamen tam multi ficagunt Chriſtiani, qui ubi quamprimum deſiderata non impetrant, non tantùm nauſeam concipiunt, verùm etiam iniquas in Deum querelas effutiunt. Obſervate obſecro, quàm inſignem triginta annorum ſpacio exercuerit patientiam languidus ille ad piſcinam Hieroſolymitanam decumbens, quilicèt nunquam toto illo tempore commotam aquam primus intrandi gratiam habuerit, & ſanitatem recuperandi, nihilominus (pergit S. Joannes Chryſoſtomus) nunquam ab hujus ſalutaris lavacri littore diſceſſit, neque animum deſpondit, donec illi Chriſtus in præmium indefeſſæ conſtantiæ ſanitatem reddidit.

XII. Poterit eſſe, fortè veſtrûm aliquem pravæ cujusdam conſuetudinis veterno animâ languentem, ſæpius Dei Sanctiſſimæque Matris pro eâ deferendâ imploràſſe opem. Quid poſtea? ideóne advertens preces ſuas nondum exauditas, jam ab iisdem continuandis animum revocabit? Non ita, Chariſſimi, nolite unquam ab Oratione deſiſtere; ſed quotidie ferventiùs inſtate & clamate, quemadmodum nautæ ſæpius contrariis maris fluctibus à portu repulſi, reſumptis viribus & vocibus navim ad deſidera-

tum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum litus propellunt. *In te ſperaverunt patres noſtri, ſperaverunt & liberaſti eos.* Non ſufficit ſemel tantùm ſperare ſe liberandum, iterum iterumque ſperare oportet. Poſtquam DEUS Iſaaco promiſit prolem, non illam dedit, inquit S. Joannes Chryſoſtomus, niſi poſt continuatam viginti annorum obſecrationem; id eſt, à quadrageſimo usque ad ſexageſimum ætatis annum: & vos vultis DEUM ſupplicationes veſtras vix dum lectas expediri, veſtrisque libellis ſupplicibus ad illum directis, quaſi ad famulum aliquem exaratis, audetis addere, *citò, citò*. Non ad hunc modum cum terræ Principibus agitur: quantò decentiùs cum Rege cœleſti agere oportebit? *Obſerve, in ſola precum mora eſt.* Perſiſtite ergo; vincet, quicunque perſeveraverit. Leopardus omnes beſtias curſus velocitate ſuperat: quia verò eas perſequi facilè & citò deſiſtit, perdendo ſemel veſtigia, illas non aſſequitur. *Oportet ſemper orare & non deficere.*

XIII. Sed ob quem finem, inquies, ſi Deus exaudire vult, gratias ſuas tam diu differt? Myrrha ſpontaneo ab arbore manans ſtillicidio æquè accepta eſt, quàm quæ multo exprimitur labore, *qui cito dat, bis dat*: Qui tardiùs dat, minuit beneficium, oſtendit enim invitum ſe dare. Videmini mihi nimium velle ſapere. Quare conabor vobis ſatisfacere, ut omni affectu orationem non fatigati proſequamini. In quem finem quandoque ſupplicationes noſtras ſuſpendit DEUS? ob duos fines. Primò propter ſeipſum, ſecundò, noſtri gratâ. Quo ad ſe: quare mater aliqua tam ſtrictâ manu tenet bellaria, nec ſtatim dilecto ſuo porrigit filiolo, licet toties & tam amicabiliter petita? Hanc ipſam ob cauſam, quia amat illum. Gaudet nimirum mater mille ſibi modis filiolum blandiri, conatique pugnum innocuis ſuis manibus aperire. Hunc ad modum facit DEUS. Videt vos orando gratiſſimum ſibi fidei præſtare obſequium, pulcherrimos fiduciæ, amoris, humilitatis, obedientiæ, religionis exercere actus. His quia delectatur, diutius pugnum tenet conſtrictum, eundem poſt aliquod temporis intervallum ampliori cum benedictione ſupra vos explicaturus. *Aperis manum tuam & imples omne animal benedictione.* Si Pſ. 144. 16.
cæcus aliquis voce raucâ & inconcinnâ ante fores domûs veſtræ perſtrepat, quàm citiſſimè datâ eleemoſynâ talem amandatis, ne ita continuando vobis cerebrum turbet. Si verò cæcus ſonoram habeat vocem, eamque muſicis modulis inflectat, per aliquod temporis ſpacium aures illi datis, deinde largiori donatum ſtipe dimittitis. Quare ex toto corde coram DEO preces veſtras effundite, nec ulla vobis de ejus bonitate dubitandi anxietas relinquatur. Sic enim divinis ejus promiſſionibus confidentes, debito DEUM honore afficietis. *Invoca me & honorificabis me.* Pſ. 49. 15.
Ipſe verò denique inſtar fluminis, quod quo magis retroagitur, eò abundantiùs ſuperefluit, animos veſtros ſua liberali beneficentiâ inundabit.

XIV. Alterum quod habet Deus motivum, gratiam à ſe petitam differendi, eſt, ut ſpiritum in Oratione noſtra magis inflammet: plus enim, apparente illa negativa dilatione, deſideria noſtra accendit, quàm ullus faber aſperſa per repetitas vices gelidâ carbones cogit accendere. Obſervate quæſo, quomodo fœminæ, ſexus alioquin devotus, ſuas perſolvant preces. Vadit una ad Eccleſiam parvum in brachijs gerens filiolum; hunc nunc tenerrimè amplexatur, nunc vult ſedere, mox ſaltitare, nunc illum facit ridere; mox coronam ſuam tenellis injicit manibus; interea tamen cum alijs præcatorios annumerat globulos, nec meminit, ſe potiùs aliorum turbare preces, quàm comitari. Et talem nihilominus Orationem ſtatim exaudiri velletis? Omnino neceſſe eſt hic executionem ſuſpendere, donec cor in precando tam frigidum priùs inflammetur. Abſque igne thymiama non exhalat odorem, nec ſine fervore grata eſt Deo Oratio. Aſt hæc impetrationis dilatio, ſpiritûs auget ardorem, efficitque, ut, quod conſequens eſt, ampliùs Deo placeat, adeoque abundantiùs optatis potiatur. Quo bellicum tormentum longius eſt, eò vehementiore impetu quatit murum. Sed unde hoc? Quia toti pulveri, pyriæ illi machinæ incluſo, igneſcendi tempus ſufficiens relinquitur. Quare ſi vota veſtra quandoque Deus tardet ſecundare, nolite ampliùs queri, imò ex toto corde veſtro gratias illi agite, hac temporis procraſtinatione vos ad ejus dona dignè recipienda diſponi. Potius hæc dilatio ad ferventiùs orandum vos inſtigare debet, ſuaviter creandas moleſtias, ut ea, quæ priùs amore negavit, vi, ut ita dicam, coactus concedat. *Orationi inſtate.* Experientia docuit corvos aliquos inter domeſticos parietes educatos, cùm e vaſe, ob nimiam ejus profunditatem aquam haurire non poſſent, collectos hinc inde lapillos injeciſſe, donec aqua aſcenderit; adeoque ſic obtento liquore ſuaviùs ſitim ſuam extinxiſſe. Ecce modum, quilibet, oſtenſuſque quaſi à longè in ſinu divinæ Miſericordiæ gratias obtinendi: deſideria veſtra coacervate, tot tantasque preces, ſubmiſſiones, deprecationes in ſinum hujus ſinum comportate, ut deniquè deſiderata conſolationis aqua ſurſum aſcendat. *Servat tibi Deus* (inquit S. Augustinus) *quod non vult citò dare, ut & tu diſcas magna magnè deſiderare.*

XV. O felices nos, ſi tali modo ad Deum recurreremus, ut neque ex parte orantis, neque ex parte Orationis ipſius, neque ex parte methodi orandi ullus poneretur obex! jam pridem totam hujus terræ ſuperficiem liberalitate ſuâ Deus inundaſſet, imò celſiſſimos etiam montes, pluſquam olim aquæ diluvij, ad Mundum ſubmergendum delapſæ, Divinorum donorum imbres ſuperarent. Nos ipſi beneficas cœli catharactas manibus noſtris obſeramus, aut quia plenè non petimus, aut quia vera bona non petimus, aut quia non bene petimus. Quando ſimul omnes in templo ad recitandum Sanctiſſimæ Virginis Mariæ coronam convenitis, quomodò

modo poſſibile eſſet, eâ qua decet devotione unanimiter orantis quasvis à tam piâ Matre gratias non obtinere? Verè dixit Dominus, duos ſolos ejusdem mentis & intentionis, ſufficientes eſſe ad omne è cœlo bonum in terras attrahendum. Tantum unanimis poteſt Oratio. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt.* Et putatis non ſufficere tot, & tantos, quot quovis feſto die hic congregatos video? haud quaquam ſanè. Ibi quidam oſcitat, alius cum altero muſſitat, diſcurritque alius, alius dormitat, alius Altari obvertit tergum, alij, dum breves illas & ordinarias perſolvunt preces, illis, qui in ſtadio pro bravio currunt, velociùs deproperant; & tamen ægrè fertis, Deum precibus veſtris non annuere? Vos ipſi in culpa eſtis, Deus enim ex parte ſua ad dandum promptior eſt, quàm vos ad recipiendum; & ubi gratiam aliquam obtinueritis, non eſt quòd veſtris condeſcendendo ſuſpirijs ad vos accedat Deus; ſed quia ad favores ejus recipiendos diſpoſiti vos ad illum accedatis; ut ſolet versùs littus naviganti accidere, qui, quamvis illud verſus ſe venire exiſtimet, valdè decipitur; non enim illum fluminis ripa, ſed ipſe accedit ad ripam.

XVI. Quare ſemper Dei opem implorate. *Sta in ſorte propoſitionis & orationis Altiſſimi DEI*, inquit Spiritus Sanctus. O qualis illa ſors, Chariſſimi, hîc nobis propoſita! Poſſe creaturas adeò viles, quales nos ſumus, agere cum Deo Altiſſimo, omnique horâ promptiſſimum habere acceſſum? Pro impetrando apud Principem aliquem acceſſu quantæ requiruntur interceſſiones, amici & favores? Quoties absque ullo fructu itur & reditur; obtentâ tandem alloquij gratiâ, quanto tempore in anticamera exſpectare oportet? Deus verò ubique locorum, omniqúe tempore noſtras acceptat ſupplicationes, imò, quod amplius eſt, ille ipſe ad illas ſibi porrigendas adhortatur & inſtigat. *Usque modo non poteſtis quicquam. Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Quare, *ſta in ſorte propoſitionis & Orationis Altiſſimi Dei.* Poteſtne pro anima major inveniri felicitas, quàm vitam hîc in terris illi, quam ſupra in cœlis agunt. Beati, ſimilem inchoare, adeò familiariter cum Deo tractando? Ideoque hanc exercere nunquam intermittite, quantum quidem poteſtis, continuis vota veſtra precibus ingeminantes. Manè de lecto ſurgentes, ad cumqúe de nocte redeuntes, Orationis nolite oblivisci; domo exeuntes, Templumqúe intrantes ſemper comitetur oratio; in medijs etiam laboribus nunquam deſit Oratio: ante omnia verò tempore, quo incruenta Deo litatur hoſtia, quò copioſior Dei deſcendit miſerentis gratia, maxima cum fiducia, invictaqúe perſeverantia, preces & corda veſtra effundite, ut inclinatas Dei ſemper habeatis aures; nec deficite, donec vos exauditos eſſe ſentiatis.

Joan. 16. 14.

XVII. *State in ſorte propoſitionis, & Orationis altiſſimi Dei.* Flammam

excuſſurus è ſilice, non uno ſolo contentus eſt ictu, ſed tamdiu lapide chalybem percutit, donec flamma erumpat. Ita & vos in caſu veſtro facitote. Quod ſi in peſſima illa vitij conſuetudine, ſi in luſu illo, his in uſuris, in qualicunque denique ſcelere obduruiſtis, non unicâ tantum vice ad Deum obſecrationibus veſtris recurrite, ſed tam diu inſtate, donec miſeriâ veſtrâ commotus, ex ipſa veſtra duritie ignem excutiat. Verum quidem eſt, omnem Dæmones moturos lapidem, ut ab hoc recurſu deflectamus, non ignorantes, ut affirmat S. Abbas Agatho, nihil tantopere ſuis obſiſtere conatibus, quàm Orationem. *Scientes quòd nulla re impediantur, niſi per Orationem fuſam ad Deum.* Ideoque cuivis inculcat Eccleſiaſticus, *Sta:* quia hîc ſtrenuum oportet imitari militem, nec ferre, ut immiſſis Diaboli diſtractionibus, tædijs, turbationibusque ſtationem turpiter nos cogant deſerere. *Sta in ſorte propoſitionis, & orationis Altiſſimi Dei.*

*Apud Roſvv. in vit. pat. l. 5. lib. 12.*

XVIII. Interea perſuadete vobis, pauculis hiſce verbis omnia hucusque à me allata bene orandi præcepta comprehendi. Conſiderate, ſi Altiſſimus eſt, cujus gratiam imploratis, indecentiſſimum eſſe, in conſpectu ejus peccatis fœdatos comparere, nec priùs demiſſiſſimam ex intimo corde veniam petijſſe. *Ante Orationem præpara animam tuam.* Atque hæc, ſecundùm omnes, eſt præparatio maximè neceſſaria, ab omni peccati nævo cor expiare. Quod ſi Altiſſimus eſt, non decet abjectas ab eo res petere, hoc eſt, terrena, temporalia & multò minùs tantæ Majeſtatis honori contraria, ſed verè digna Deo poſtulanda ſunt. *Quæ ſurſum ſunt, quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Quod ſi Altiſſimus eſt, viva in eo ſpes & fiducia ponenda eſt, credendumque omnia illum poſſe, omnes illi noſtras patere neceſſitates, omniaque operari illi noſtra bona nota eſſe, neque aliam à tam magnifico Deitatis Throno illi provenire utilitatem, quàm benevolis nos mortales oculis intueri. *Excelſus habitat, & humilia reſpicit.* Quod ſi Altiſſimus eſt, quid convenientius eſt, quàm omni humilitate, patientia, & perſeverantia illum invocare? Si quis ſibi videatur repulſam paſſus, non ideo ægrè ferre oportet, nec enim qui aſperum erga ſe magni Principis & difficilem ſenſit animum, vel minima indignationis edit ſigna, ſed genu flexus miſericordiam implorat. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit; & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat.* Quid ergo ampliùs dubitatis? *Sta in ſorte propoſitionis, & Orationis altiſſimi.* Quas vobis quotidie propoſuiſtis perſolvere preces, ob levem quandoque cauſam non omittatis, ſcientes illas Deo ſummopere placere. Certè magna res eſt, quòd ad divinam nobis opem ſuam præſtandam aliud ipſe nihil deſideret, quàm ut eandem ab ipſo flagitemus. *Clama ad me, & exaudiam te.* Profectò ſui ipſius hoſtis eſſet, qui potiùs æternùm perire vellet, quàm labia ſua ad precandum aperire.

*Eccl. 18. 23.*

# DISCURSUS IV.

## *De Reverentia Eccleſijs debita.*

1. INter alia beneficia à Chriſto huic Mundo collata notatu digniſſimum eſt, magni illius inter Deum & homines commercij, à peccato jam pridem interrupti, reparatio. In quem finem Redemptor noſter Eccleſias elegit, ut locum, in quo tale commercium præcipuè exercendum eſſet, ſtatueret, quas pariter divinâ ſuâ nobilitâvit præſentiâ, ut Paradiſi, ut ita dicam, eſſent emporia; ubi pangendas inter Patrem ſuum cœleſtem, & nos, transactiones omnes & contractus ipſemet confirmaret. Unde facilè colligitur, quantâ injuriâ afficiant Mediatorem noſtrum Jeſum Chriſtum Eccleſiarum profanatores; quantumque toti humano generi inferant damnum; tam ſalutare, tamque neceſſarium terram inter & cœlum commercium de novo è medio tollentes; ſummâque cum temeritate leges ab unâ, & alterâ parte ſancitas in negocio tam gravi infringentes. Loquendum eſt mihi hodiernâ die de violatione adeò iniqua, adeoque, ſi ſpeculum ante oculos veſtros, tantam ejus malitiam monſtroſitatemque ad amuſſim repræſentans, propoſuero, nullus dubito, quin ad proprium ſui ipſiusmet aſpectum tam enorme ſcelus, baſiliſco inter ſerpentes ſimillimum, emortuum cadat; tanta eſt perniciei, quam infert, gravitas.

II. Omne commercium in mutuâ bonorum permutatione conſiſtit. Atque ita commercium, quod eſt inter Deum & hominem, in Reverentiæ tributo Deo exſolvendo, & auxilio, quacunque in neceſſitate homini conferendo, ſitum eſt. *Da & accipe, & juſtifica animam tuam*, inquit Domi- *Eccl. 14. 16.*
nus, initis hujus contractûs pactis ſubſcribens. Hos duos quoque propter fines Salomon declaravit ſe Templum ſuum ædificaſſe: *Ad hoc tantum, ut adoleantur incenſum coram illo*, en pri- *2. Paral. 2. 6.*
mariam divini cultûs cauſam: *ad hoc tantùm ut reſpicias Orationem ſervi tui*, *2. Paral. 6. 19.*
en cauſam ſecundariam, ut favorabili reſponſo ſignentur ſupplicationes noſtræ. Propter ambos hoſce fines noſtræ quoque erectæ ſunt Eccleſiæ. Ordiamur à primo, ut cognoſcamus, quanto Violatores Eccleſiarum ſe ſcelere contaminent.

I.

III. Virtus Religionis, quâ homo Supremæ Dei Majeſtati debitum exhibet cultum, nonſolùm eſt una illarum, quæ humanum exornant animum, præcipua; ſed adeo ipſius eſt, ut propria dici poſſit. Præcipua eſt, quia omnium virtutum moralium prima eſt, eaque ipſa, quâ Deus ab homini-

bus cunctis debitum adorationis, Sacrificij, deprecationis, aliorumque devotionis operum exigit obſequium. Hominis maximè propria eſt, quia in nullo homini ſubjectorum animalium nec ullum quidem ejus reperitur veſtigium. Poteſt homo, licèt terræ Princeps, addiſcere pietatem erga majores ſuos & parentes à Ciconia, fidelitatem à Canibus, caſtitatem à Turture, ab Apibus virginitatem; patientiam à Vermibus, ab ipſis etiam Formicis providentiam, ad quarum ſcholam à DEO ſe mitti cum rubore agnoſcunt

Prov. 6. 6. mortales. *Vade ad formicam, o piger, & diſce ſapientiam.* Sed quod ad virtutem Religionis, in debito Dei cultu conſiſtentem, lectio à nullo alio, quàm à Deo ipſo, homini dictari poteſt. Atque hoc ideo à me dictum ſit, ut cogitationes veſtras ad rerum hic tractandarum ſublimitatis proportionem elevetis, diverſoque Eccleſias ab illo, quo res creatas ſuper terram aſpicitis, impoſterum oculo intueamini. Quoniam quantum illarum, quibus DEO debitus redditur honor, actionum creſcit ſublimitas, tantum, & pari modo locorum pro tali cultu exhibendo ſtabiliter determinatorum excellentiæ augetur æſtimatio.

IV. Dixi determinatorum. Quia licet totus Mundus ingens ſit quoddam Templum, in quo quivis Creatorem ſuum revereri poſſit, neceſſarium nihilominus fuit, particularia conſti-

S. Th. 2. 2. q. 48. ar. 3. tuere loca, in quibus ſupremæ divinæ naturæ excellentiæ majori cum decentia tale ſubmiſſionis tributum exſolveretur. Profectò non defuere Hæretici hallucinantes, cùm Deus ſit in omni loco, non eſſe aliud, erigere Eccleſias, quàm obſequium ubique terrarum illi debitum, ad paucos tantùm orbis angulos reſtringere. Sed inſani iſti non meminerunt, quamvis immenſitate ſua Deus ſit ubique, non tamen æqualiter ubique divinæ ſuæ præſentiæ oſtendere ſigna. Etiam anima noſtra tota eſt in toto corpore; in pedibus, in pectore, in muſculis, verbo, in omnibus partibus; attamen præſertim dicitur eſſe in capite & in corde; quia in his præcipuas & hominis proprias exercet operationes; in capite, velut vitæ intellectualis principio, in corde, tanquam vitæ animalis fonte. Sic igitur, quamvis eodem ubique terrarum modo ſit Deus idem; nihilominus in cœlo, & in templis eſſe magìs propriè dicitur, quia utroque loco clariora actualis ſuæ præſentiæ exhibet ſigna, magisque velut Deus operando gratiam & gloriam, quæ ſunt nobiliores ejus inter creaturas actiones, elargitur. *Dominus in templo ſancto ſuo. Dominus in cœlo ſedes ejus.* Pſ. 10. In cœlo reſidet velut anima in capite, hoc eſt, interiorem vultùs ſui ſplendorem manifeſtiùs diffundendo. Eſt in Eccleſia, ſicut anima in corde, hoc eſt, magis abſconditè, modisque obſcuris vitam tribuendo. Hinc iſtum ob finem ſe elegiſſe templum dixit: *Elegi & ſanctificavi locum iſtum, ut eſſet cor meum ibi.* 2. Par. 7. Quod ſi ergo Dominus in Eccleſijs reſidet, ſicut anima in corde; & ſi ibidem velut in terreſtri cœlo majeſtatis ſuæ erexit thronum, quis non videt, quàm conveniens

ſit,

ſit, plus in ipſis Eccleſijs, quàm ulli-bi divinam ejus honorare præſentiam? *Pavete ad ſanctuarium meum*, inquit ille ipſe, non reverentiâ aliquâ ordi-nariâ contentus, ſed talem, quæ cun-ctos ſacro quodam impleat horrore; obſervantiam deſiderat, obſervantiam dico, ſupremo & illimitato ejus Do-minio dignitatique conformem. *San-ctuarium meum metuite; Ego Domi-nus.*

V. Immenſum hoc Reverentiæ debitum per præſentiam JEſu Chriſti in Sanctiſſimo Sacramento absque menſura in Chriſtianorum angetur Ec-cleſijs. In rigore loquendo, anti-quum illud tam celebre Hieroſolymæ Templum non potuit dici propria Dei Domus, quia, ut loquitur Apo-ſtolus, *non in manufactis Templis habi-tat.* Noſtræ verò Eccleſiæ proprijſſi-mè Domus Dei appellari poſſunt; quia in ipſis perſonaliter ſub ſacris ſpecie-bus reſidet Chriſtus Deus. Id quod, ut quivis agnoſcit, ſingulariſſimam poſcit obſervantiam. Juſtum & æquum eſt, ut in omni quidem loco ab externis liberi ſimus invaſionibus; multò æqui-us tamen eſt, ut in domo propria ſecu-ri ſimus. *Domus ſua unicuique tu-tiſſimum refugium ac receptaculum eſt*, inquit Lex. Quare ſi ſemel tantùm Chriſtus noſtras honorâſſet Eccleſias præſentiâ ſuâ, & poſtea diſceſſiſſet, deceret nihilominus, ſolùm, quia in illis præſens fuit, ſummopere eaſdem revereri; deberemusque hanc ſolam ob cauſam pavimentum illud, pedum Redemptoris noſtri veſtigio ſanctifi-catum, oſculo venerari, ingredientes cum S. Davide dicere: *Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus.* Et de facto, apud quasdam Nationes, ſedes, in qua Rex quievit, licèt vacua, eâdem, quâ perſona Regia, colitur veneratio-ne. Quanto magis, ſi tantùm ſemel Chriſtus noſtras viſitâſſet Eccleſias, omni affectu, obſequio & adoratione Chriſtiani eaſdem colere deberent? Et ad hæc ſufficiens non erit motivum, eſſe illum omni momento inibi præ-ſentem, & usque ad Mundi finem per-manentem, perpetuamque elegiſſe ha-bitationem? Ps. 31. 7.

VI. Adhæc, ſi Chriſtus JEſus illas elegit, in hunc finem omni ſtudio ele-git, ut ibi talem in terris honorem reciperet, quo omnes injuriæ, cùm in carne mortali in terris degeret, amore noſtri toleratæ, abolerentur. Hæc eſt mirabilis illa intentio, quâ motus ſeipſum ſub accidentibus panis in Sanctiſſimo Sacramento velatum re-liquit. *Ut igitur coleremus per myſte-rium*, inquit Euſebius, *quod ſemel obla-tum fuerat in pretium.* Et ut hanc ra-tionem bene intelligatis, conſiderate, Chariſſimi, Corpus JEſu Chriſti, per-ſonâ Verbi Deificatum, longè aliter, quàm meruerat, fuiſſe tractatum. Si-lentio prætereamus, quæ à primo con-ceptionis inſtanti corporibus glorio-ſis propriæ quatuor dotes ipſi debe-bantur, triginta trium annorum ſpa-tio fuiſſe dilatas, cui debito non niſi poſt triumphalem Reſurrectionem fuit ſatisfactum. Nihil dicamus de his; omnes Redemptoris noſtri in vita tam paupere labores; omnia mor-tis ejus tam iniquæ & ignominioſæ op-

pro-

probria, omnes injuriæ, omnia tormenta, omnes calumniæ & irriſiones ſolam Chriſti ſanctiſſimam carnem immediatè feriebant, & ſi animam læſerunt, ſolùm indirectè, & quaſi per Sympathiam læſerunt. Jam verò æquiſſimum fuit, ut ad compenſandos hujusmodi cruciatus Divinum Chriſti corpus ordinarium eſſet adorationis noſtræ objectum, ut templa Calvariæ monti, Altaria Cruci ſuccederent, illaque Caro, quæ Judaicæ crudelitati ſcandalum fuit & ſcopus, ſignum eſſet quotidianum, in quod fidelium, juratiſſimorum perfidiæ Judaicæ oſorum, pietas collimaret. Nullus de hoc dubitandi nobis locus relinquetur, ſi conſiderabimus; quantumvis Redemptor noſter omnes Mundi injurias & deſpectus in Paſſione ſua ſuſtinuerit, voluiſſe nihilominus corpus ſuum jam exſangue ſpectabili funeris honoratum pompâ in ſepulchrum planè novum manibus

*Joan. 19.* non plebeijs inferri; centum odoriferi liquoris condiri libris; denique, pro more Magnatum hujus terræ, Sindoni, ſelectiſſimis imbutæ aromatis, involvi; ita ut perfectè imple-

*Iſai 11.10.* tum ſit, quod Iſaias prædixit: *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Et quare

*S. Th. 3. p. q. 51. art. 2.* hoc, inquit S. Thomas, niſi ut Chriſtus Sanctiſſimo corpore ſuo omnem, qui ineffabili Redemptionis noſtræ exceſſui non præjudicabat, honorem redderet, innocentiſſimæ carni, vix ab animâ derelictæ, ſtatim toleratas absque ullius commiſeratione injurias & tormenta compenſando? Ita ut hoc præcipuum ſit inter alia motivum, cur Chriſtus omni cum Divinitatis ſuæ plenitudine corporaliter in Eccleſijs noſtris habitare velit, ut Chriſtiani, quas in corpore mortali, non niſi ingratiſſimos hominum animos experto, paſſus eſt injurias & contemptus, devotione ſuâ reſtituerent.

VII. At perpendite quæſo, quàm longè plurimi Chriſtianorum à juſtiſſima hac Dei intentione adimplendâ aberrent! Deus, ut cum hominibus ageret, Templa elegit, omnesque ad ſupremum illis honorem deferendum obligat, ut tanquam coram Regia ſuâ ſede, violata per hoſtes ſuos in Paſſione gloria, redintagraretur, Chriſtiani verò cunctas hujus commercij leges violantes, pro debito tantæ Majeſtati obſequio, irreverentias illi, etiam infidelibus inuſitatas, rependunt. O Eccleſiæ! quanto per vos ipſas ſanctiores, tanto magis ab imbecillâ fide noſtrâ profanatæ! Virtus Religionis ante omnia internam & externam proteſtationem noſtram exigit, quâ præſentem in locis ſacris Creatoris magnitudinem, ſupremumque ejus in corpus & animam noſtram Dominium agnoſcamus & revereamur. At ecce, quomodo in vilipendendâ Dei præſentia ibi ſe homo occupat. Linguæ, oculorum, ſinus, humerorum, omniumque membrorum in hujusmodi profanatoribus libertas non videtur intendere aliud, quàm datâ operâ DEUM irritare. Quod ſi civiles etiam leges præcipiunt in Eccleſijs ſine diſtractione, & perturbatione Divina ſacri

debere,

debere, quanto magis Divinæ hoc requirunt? *Dominus in templo ſancto ſuo: ſileat à facie ejus omnis terra.* Ita in perſonâ Dei nos alloquitur Propheta. Verùm quaſi pluſquam univerſalis in legibus omnibus è cœlo latis eſſet diſpenſatio, plurimi non magni ſibi ducunt conſcientiæ loqui & fabulari in Eccleſijs, quàm publicis in plateis, & angulis, & ſi fortè quis brevi illo tempore, quo tremendo Miſſæ aſſiſtit Sacrificio, linguam frenet, debito boni Chriſtiani officio ſibi ſatisfeciſſe videtur. Chariſſimi, Eccleſia ædificata eſt, ut cum ſolo Deo ibi loquamur. *In templo ejus omnes dicent gloriam.* Vos autem nonſolùm non datis hanc Deo gloriam, reſumit S. Baſilius, ſed etiam alios ad eam cum attentione reddendam impeditis, & tamen vos impunes ob hoc futuros putatis: ſed non ideo ceſſabit Deus amplius domum ſuam domum orationis vocare. *Domus mea domus orationis vocabitur.* Hoc noſtro ſeculo talis titulus non videtur Templis convenire. Potiùs vocari deberet Domus confabulationis, domus animi remiſſionis, domus paſcendæ curioſitatis; ad hunc tantum finem nunc adeuntur Eccleſiæ, ut tantiſper fallatur tempus, videantur amici, novi de vicinis audiantur narrenturque rumores. Non ignoro equidem, humanam corrigere garrulitatem, operam etiam ab ipſis Philoſophis difficilem æſtimatam eſſe; nihilominus pro modico illo tempore, quod in Eccleſia conſumitur, non erit difficilis emendatio, ſi ibi ſemper viva de præſentia Dei fide uterentur Chriſtiani, perpenderentque quàm ſtricta aliquando de omnibus verbis, ſine neceſſitate in loco Sacro prolatis, reddenda ſit ratio. Ciconiæ tam garrulæ ſunt, quàm quævis aliæ volucres: nihilominus quando Mons Caucaſus ſuperandus eſt, omnes obmuteſcunt ex ſolo aquilæ illic hoſpitantis timore. O ſi nos quoque agnoſceremus vindictam, quam grandis illa aquila Chriſtus Judex ſumet de loquacitate noſtra! Cauſa foret ſufficiens in conſpectu Dei obmuteſcendi. Interea, inquies, dum mille nos ineptijs, & irreverentijs Eccleſiam Dei profanamus, pro nobis orant Sacerdotes: Sed ad quid illorum nobis prodeſt oratio! *Unus orans & unus maledicens: cujus vocem exaudiet Deus?* Chorus Clericorum pro populo ibi congregato miſericordiam rogat; populus è diverſo pœnam & caſtigationem ſibi depoſcit. Uter illorum exaudietur? id vobis judicandum relinquo.

*Plut. l. de garrul.*

*Eccl. 34. 29.*

VIII. Verùm multò magis temerariâ hac libertate linguam ſuperant oculi. Homo naturaliter ambulare incipit à dextrâ; ſed vix auſim dicere euntes ad Eccleſiam, omnes à dextrâ incipere. Quot ſunt, qui non aliam ob cauſam eò vadunt, quàm ut alios curioſè aſpiciant, & viciſſim reſpiciantur? ſufficiat interrogare fœminas, tanto cum veſtium luxu illuc intrantes. Hæ dicere nobis poterunt, quod res eſt. Nonnemo, neſcio quâ in dignitate conſtitutus, multò ſplendidiore, quàm ſtatum ſuum, etſi nobilem, deceret, comitatu, & pompâ,

aulam Caroli Quinti inviſens, dicebat ſe Imperatoris videndi gratiâ veniſſe: non ita eſt, reſpondit Carolus, hic non propter Imperatorem & aulam videndam, ſed ut ab Imperatore & aulvideretur, huc advenit. O quàm meliori jure, de Chriſtianis modernis utriusque ſexus id ipſum dici poteſt, præcipuè illius, qui alias devoti nomen obtinuit ab Eccleſiâ! Quando aliqua veneratione Populorum celebrior Sanctiſſimæ Virginis monſtratur imago, magna fœminarum frequentia ab omni parte convenit in Templo; & ſi interrogentur, quò vadant, ſe Sanctiſſimam Matrem eo die exhibendam viſuras, liberè reſpondent. Sed non eſt veſtrum; habitus mendacium manifeſtat; non eſt enim veſtitus illarum, quæ Matrem DEI videre prætendunt, ſed quæ à filijs hominum ſpectari deſiderant. Non dico, quaſi feſti dies modeſtum in unoquoque pro gradu ſuo non permittant ſuadeantque ornatum. Sed in adornando tantum perdere temporis, tanto muliebri ſe onerare Mundo, tantâ ſe expolire vanitate, tam faſtuoſè Eccleſiam ingredi, eritne habitus hominis Deo ſupplicantis? Veſtitus ejusmodi è diametro repugnat fini à Deo in Templorum ſtructura intento. Deus Chriſtianos ad loca ſibi dicata convocat; ut ibi ejus recordentur; quia cùm tanta alibi Iocorum à ſe dona continuò accipiant, ſaltem in his locis feriâ animi gratitudine & amore Donatorem agnoſcant, agnitumque eâ, quam tantopere amat, unione ſimul omnes collaudent. Et Ecce, fœminæ iſtæ tam vano comptæ veſtitu ibi volunt deprædicari & dicier, Ecce, Ecce, hæ ſunt, &c. ſolæ ipſæ videri cupiunt, de ſe ſolis ſermones haberi, ab omnibus adorari, ſolarum omnium in ſe ſolas oculos vellent defigi. *Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum.* Quis eſt ille mons adeò ſui æſtimatione inflatus, qui ſe magnum reputat in oculis Reſtauratoris, non unius Templi, ut olim fuit Zorobabel, ſed totius generis humanæ, morti adjudicatæ? & tamen verè ita eſt in re noſtrâ. Fœmina ſuperba in corde ſuo grande quidpiam ſibi imaginatur, nec ſolùm cum domi agit cum familiâ, ſed etiam quando in Templo in maximi Dei præſentiâ ſe ſiſtit; nec tantùm ſe grandem exiſtimat, ſed ab omnibus ut talis reſpici, ſolique Deo, ejusque Sanctiſſimo nomini jure merito debita laudum præconia, nec non reſervatas Sanctis in cœlo adorationes, exornato ſtercoris ſacco attribui deſiderat.

IX. Et verò tolerabile eſſet hoc malum, ſi intra ſimplicis vanitatis terminos ſe contineret; foret enim febris quidem gravis, ſed non adeò maligna. Id quod cor meum affligit, eſt quod de vanitate aditus detur ad impudicitiam. Veniunt enim quædam ad templa tam indecenter tectæ, ut non ad tollenda Mundi peccata, ſed ad provocanda, Eccleſiæ videantur erectæ. S. Antoninus Epiſcopus Florentinus ſæpe fœminas habitu minùs honeſto veſtitas, juveneſque eas ſpectaturum congregatos è Templo expulit. Profectò non minor Zelus hodie neceſ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ceſſarius eſſet, nec poteſtas levior ad tam graves abuſus extirpandos. Et an non indigna res videtur vobis, ubi in Eccleſijs deberet foveri pietas, ibi ne planè perdatur, ab ijsdem abſtinendum? Mons Oliveti propter idola à Salomone in eo collocata, mutato nomine, *Mons offenſionis* vocatus fuit. Mons ſcilicet ſcandali & perditionis, qui ante Mons Olivarum, Mons propitiationis, & pacis dictus erat. Idem noſtris eveniet Eccleſijs, ſi, uti jam cœptum eſt, talis profanatio continuetur. Quæ propter Indulgentias, Sacrificia, Sacramenta & orationes olivarum erant montes, propter petulantiam malè tecta hæc idola adorantium, non exiguâ cum bonorum ruinâ, occaſione tali depravatorum, montes fient offenſionis.

X. Hos inter abuſus modò parvi vobis faciendæ videntur irreverentiæ illorum, qui in Eccleſiâ cachinnantur; qui ibi comparent armis instructi, qui poplitem unum humi, alterum ſublimen gerunt: attamen etiam illa, quæ tepiditas noſtra parvi facit, exiguæ nos, quam de Deo habemus, æſtimationis redarguunt. Ideoq; Sancti acriter in has culpas invehuntur. Theodoſius Junior Imperator in medio Concilio Epheſino profeſſus eſt, ſe non tantùm arma intrando Eccleſiam, ſed ipſam Imperij coronam foris relinquere; cùm his noſtris temporibus Sacerdotes noſtri id à plebeo homine obtinere non poſſint, quod tunc à tantis Monarchis factitabatur.

XI. Interea hoc eſt devotionis noſtræ obſequium, quod externo corporis ſitu Deo exhibetur. Dummodo non etiam, quod eſt intolerabilius, internus cordis affectus deeſſet! non tantùm loquor de illis, qui Templa convertunt in fora, *Domum negotiationis*, ſtanteſq; in conſpectu Dei de rebus domeſticis ſolùm & mercimonijs cogitant. Magis horreo, dum graviſſima illorum peccata conſidero, qui absque ſcrupulo & timore Dei, millenis impuriſſimis deſiderijs aſſenſum præbent. Antiqui Solis Sacerdotes, ut inquit Plutarchus, nonniſi nocturno tempore vinum bibebant, probro ſibi ducentes, inſpectante ſole illud labris admovere, *nefas putantes, vidente ſole vinum bibere.* Et Chriſtiani in Divini hujus Solis præſentia (hoc eſt, ubi accuratiùs videntur) non verentur *l. ſi qua*
imaginariæ, aut quam alteri invideant *inpub. C.*
ſe voluptatis poculo inebriare? Non *de ſpect.*
eſt licitum pro ſolatio populi quan- *& Scen.*
tumvis innocenti, in loco publico, ubi Imperatoris collocata eſt ſtatua, erigere theatrum. At in Eccleſia, in quâ Rex cœli non fictili repræſentatus ſtatuâ, ſed vivus & verus manet; in Eccleſiâ dico, licitum erit Chriſtianis in corde ſuo profanum exſtruere theatrum, in quo Dei oculis tam indigna Sanctitate ejus exhibeant ſpectacula? Vides Redemptorem noſtrum ob falſorum quorundam Chriſtianorum ingratitudinem de novo ad antiquam redactum indigentiam, quâ eo, quod ne ipſis quidem beſtijs deeſt, carere debet, id eſt, non habere, ubi maneat. *Vulpes foveas habent, filius Luc. 9.*
*autem hominis non habet, ubi caput re- 58.*

*clinet.* Feræ in campis inveſtigatæ aſylum & receptum in ſylvis reperiunt. JEſus Chriſtus verò fugatus è campis, imo è compitis, domibus, tabernis & ab omni loco pulſus, ne quidem in ipſis Templis ſecuritatem invenit: in Templis dico, in quibus latro aliquis, adulter, perjurus juxta Altaria quietè ſuâ gaudet libertate! Erant aliquando Eccleſiæ non tantùm Domus Dei, ſed ædes delitiarum, quales ferè cuncti ſolent habere Principes, ubi inter rurales amœnitates principales aliquantiſper curas deponunt. Ita nonnulli ex illo Davidis loco colligunt, in quo dicit: *Ut videam Voluptatem Domini, & viſitem templum ejus.* Sed impoſterum ita non dicemus. Eccleſias vocabimus loca præliorum, ubi plusquam lethalia honori divino infliguntur vulnera, ubi quivis ſceleſtus ſalvus & ſecurus ſit; Deus autem non ſit. Famoſus ille filius prodigus, hucusque adoleſcentibus libertatis magiſter, meliore decoratus titulo, hos velut cæremoniarum magiſter inſtruere poterit. Ille quidem ſpurcâ vitæ licentiâ famæ ſuæ maculam inuſſit: *vivendo luxurioſè*, ſed tandem Patris ſui honorem & venerationem tanti fecit, ut ad contrahendas tot ſcelerum labes longè ab illo abierit: *abijt in regionem longinquam*, ubi Adoleſcentes noſtri ipſiusmet Patris ſui præſentis oculos contriſtare non verentur; nec ſufficit illis, diſtantem à domo ipſius haram eligere, ſed ipſam Patris domum in haram convertunt.

*Pſ. 28.*

*Luc. 15. 13.*

XII. Accedit, malitiam harum in Eccleſijs irreverentiarum è diametro adverſari honori & venerationi, quam Chriſtus in illis Patri ſuo cœleſti exhibet. Mirabilis illa inventio, quâ Redemptor noſter ſub vitâ ſuâ nem in ſacratiſſimo Sacramento manere nobiſcum, decrevit; præter fidelium ſuorum ſolatium & conſolationem, pro principali motivo habet gloriam, in Patrem redundantem. Non enim in mentem vobis venire debet, Chriſtum in Sacroſanctâ hoſtia manere otioſum, nihilque operari, aut quaſi dormire: imò divinæ Majeſtati Chariſſimi Patris ſui omnibus horis per Chriſtianum orbem univerſum, in omnibus, ubi reſidet Eccleſia, immenſum reddit honorem, ita ut ſanctiſſimum Sacramentum perpetuum gloriæ ſanctiſſimæ Trinitatis ſit tributum. Hæc eſt illa gloria, quæ ab Eccleſia *Magna* vocatur, atque ideo ſicut ob modum talem reddendi gloriam, quem in ſancto Miſſæ ſacrificio ab ipſo accepit, obligatam ſe agnoſcit ad gratias agendas: ita tota exultabunda profitetur: *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Gloria illa, quam omnes Angelorum Chori ſanctiſſimæ dant Trinitati inceſſanter exclamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, per ſeipſam verè gloria eſt ſuprema, ſed magnitudini Dei comparata, quid eſt? fumus dici poteſt: quæ ideo non incongruè ab Iſaia fumus dicta eſt: *& Domus Dei repleta eſt fumo.* Quia quam habet fumus cum Divinæ lucis ſplendore proportionem, eandem cum Divinæ magnitudinis excellentiâ cœleſtium hierarchiarum

rum habent præconia. Chriſtus igitur ſolus tantum, quanto digna eſt, honorem in ſanctiſſimo Sacramento Divinitati exhibet, in quo ad eam adorandam Deus ſe humiliat, efficitque, ut ſumma illius altitudo ex profundiſſimâ Chriſti demiſſione elucescat. *Per ipſum, cum ipſo, & in ipſo, omnis honor & gloria*; omnis gloria poſſibilis à Chriſto ſpeciebus Sacramentalibus velato DEO redditur. Quia ſcilicet Perſona honorem exhibens ſublimior eſſe non poteſt, cùm ſit æquè Deus ac Pater, & demiſſio, quâ ad honorem iſtum deferendum deſcendit, depreſſior eſſe non poteſt. Primò, quia in Euchariſtiâ, velut in quodam doloroſæ mortis Chriſti mnemoſyno, omnes injuriæ, opprobria, omnes admirandæ humiliationes, in Paſſione ſuâ toleratæ, quaſi in ſynopſi comprehenſa ſunt; deinde in ineffabili hoc myſterio ſimplicis hominis voci è cœlo ſe vocantis obediendo, novâ Spiritum ſuum ſubjectione ſubmittit; corpus glorioſum ſedens ad dexteram Patris in tantum deprimit, ut ad minimum punctum redeat, nec ſine deſtructione magis poſſit minui. Quare ſi Deus plus ab humilibus, quàm ab ullis alijs, honoratur, vos ipſi judicate, qualis ſit ille honor, qui Patri cœleſti à Filio ſuo exhibetur in tam miro humiliationis ſtatu, ut verè quaſi annihilatus dici poſſit, *exinanivit ſemetipſum*, proteſtando Divinâ excellentiam dignam eſſe, quæ à Deo ſic gloriâ ſuâ ſpoliato & exhauſto, nec ſolùm homine facto, ſed etiam in hominis alimentum converſo, honoretur. O quanta eſt hæc myſteriorum divinorum magnitudo! ô quantum mentium noſtrarum capacitatem ſuperat! Angeli in cœlo revelatâ facie tantam intuentes magnitudinem, in Templis noſtris, ut ex variâ variorum, qui eos viderunt, habetur relatione, in terram ſe proſternunt, adorantque, dum Chriſtiani noſtri erecti ſtant inſtar ſtipitum, *Centena millia aſſiſtebant ei*, inquit Propheta; ad terram usque in Eccleſijs noſtris inclinati ſe projiciunt, quaſi à JEſu Chriſto in honorem Patris ſui tantopere humiliato ſe quoque profundiùs abjicere addidicerint, eodem prorſus modo, quo quando Princeps ab equo in terram deſcendit, nullus eſt Aulicorum, qui non quamprimum Principis ſequens exemplum, ex equo in terram ſe demittat. Jam verò in Eccleſia Deus homo cum totâ curia ſua cœleſti, cunctisque Paradiſi Principibus ſeſe humiliat; ubi tamen eodem tempore viliſſimus vermis recto capite intrat Templum liberè, ibi vagatur, ridet, nugatur, blanditur, indignisque colloquijs, aut ſaltem indigniſſimis deſiderijs & delectationibus loca ſacra profanat, Deique præſentiam, qui thronum ibi ſuum conſtituit, temerarijs auſis contemnit. Quis illum inter honorem, qui à Chriſto Patri ſuo cœleſti exhibetur, & irreverentiam ab iniquis hujusmodi Chriſtianis exerceri ſolitam, ſatis aſſequetur diverſitatem? quis explicabit, quantum hujus temeritatis malitia ipſa hac comparatione creſcat? non videtur humana perverſitas ulterius incrementum capere, tantis ſe contaminando delictis, nec patientia Divina

*Dan. 7. 10.*

ampliùs tolerare poſſe. Neque enim video, quemadmodum Divinum hoc commercium iniquiùs violari poſſit, propter quod, ut initio dixi, exercendum, Eccleſiæ quaſi totidem beata emporia, exſtructæ ſunt.

III.

XIII. Alter finis ob quem exſtructæ ſunt Eccleſiæ, eſt, ut à DEO omnia bona recipiamus. *Da & accipe*, atque adeò totum, cœlum inter & terram ſtabilitum, completur commercium, ut in præmium præſtitorum DEO obſequiorum bonis ab ipſius gratiâ manantibus potiamur. *Da & accipe, & juſtifica animam tuam.* Jam dixi vobis, Deum in Templis velut in terreno verſari Paradiſo; quare ſicut in cœleſti illo ab omnibus beatis Spiritibus debitas recipit adorationes, ita & in ſinum eorum bonorum omnium abundantiam effundit: eodem modo in cœlis his terreſtribus gloriam & honorem expoſcit, ut divitias bonitatis ſuæ ampliſſimè nobis largiatur. *Da & accipe.* Verum eſt DEUM in omnibus locis benignam Miſericordiam ſuam exhibere hominibus, ſed iſta Miſericordiæ multitudo, quaſi beatiſſimus torrens, in locis ſacris abundantiùs effundendus reſervari videtur.
Pſ. 5. 8. *Ego autem in multitudine Miſericordiæ tuæ, introibo in domum tuam*, inquiebat David. Sol in omni loco ſplendet, & in omni loco calefacit, ſed non ubique producit aurum, nec æqualiter homines locupletat. Et quam ob cauſam putatis Eccleſiam à DEO vocari Domum Orationis? *Domus mea Domus orationis eſt.* Ideo inquit [illegible] S.Chryſoſtomus, vocatur ita, primò [illegible] quia communiter alibi non tam bene [illegible] poſſunt orare homines; deinde non [illegible] tantâ cum facilitate alibi preces exaudiuntur. In Eccleſia, ut vult S.Thomas, gratiores ſunt ſupplicationes noſtræ DEO porrectæ ob multorum ſimul ſupplicantium unanimitatem ſecundùm promiſſionem à Chriſto factam: *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Ideo populo Chriſtiano plus utilitatis afferunt Eccleſiæ, quàm olim Arca Iſraelitis, quæ in dubijs de cœlo reddebat oracula, veniam admiſſorum impetrabat peccatorum, denique in cunctis nullo non die occurrentibus protegebat neceſſitatibus. Primò in Eccleſia Divina nobis manifeſtatur voluntas, tum per internas inſpirationes, quibus ad audiendam Dei voluntatem corda diſponuntur, tum per externam miniſtrorum ſuorum vocem, qui vel privatim in confeſſionalibus, vel publicè è Cathedris Divina declarant Oracula. Inſuper in templis peccatorum obtinetur remiſſio, cùm quoad culpam mediante Pœnitentiæ Sacramento, tum quoad pœnam, non ipſo tantùm Sacramento, ſed mediantibus etiam Indulgentijs. Quæ cauſa eſt, cur Templa æquiparentur fontibus ab unicornu medicatis: *ædificavit ſicut unicornium ſanctificium ſuum in terrâ, quam fundavit in ſecula:* quia fontes hi velut antidotum contra omne peccatorum virus nobis proſunt. Denique templa exſtructa ſunt, ut contra quæcunque pericula certiſſima ſint

ſint refugia, juxta illud Dei promiſſum, ſe cor & oculos ſuos ibi fixurum : *Ut permaneant ibi oculi mei & cor meum cunctis diebus.* Oculi, ut vigilent ſuper nos, cor, ut ſummo cum amore nobis ſuccurrat.

XIV. Hæc ſunt illa bona, quæ in ſinus noſtros omni tempore effunderet, ſi leges fortunatiſſimi illius commercij Deum inter & homines ſtabiliti obſervaremus. Irreverentiæ verò, quibus loca ſacra profanantur, nubes ſunt, quibus divini roris deſcenſus tantique vigoris vivificantis inebriatio impeditur. Rem non exaggero, audite. *Quia Domus mea deſerta eſt, inquit Dominus exercituum, propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem.* Si ſola templa ob exiguam Chriſtianorum inibi convenientium frequentiam deſerta motivum Deo eſſent ſufficiens, neceſſariam nobis opem negandi, conſiderate, an non potiorem habiturus ſit cauſam, ſuas nobis obturandi aures, videns has ipſas Eccleſias nonſolùm deſertas, ſed profanatas, ſed minore etiam cultu, quàm vile tugurium, tractatas eſſe. *Prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem.* Non miremini annos eſſe ſteriles; potiùs miremini, adeò ſterile eſſe cor veſtrum, tam parùm utilitatis vobis provenire è Sacramentis, ſemper effici pejores, numerum & malitiam peccatorum augeri, animamque ijs quaſi ſentibus implexam ſilveſcere: Cœli ſunt ærei, nec ut eam emolliant, pluvias ſpargunt; Sanctiſque mandatum eſt, ne pro vobis intercedant. *Tu ergo noli orare pro Populo hoc, & non obſiſtas mihi.* Tantorum malorum cauſa eſt ſacrorum locorum contemptus, ſcandalaque, quibus quotidie contaminantur. *Poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua invocatum eſt nomen meum, ut polluerent eam : ideo ecce dies venient, dicit Dominus, & quieſcere faciam de urbibus Juda, & de plateis Jeruſalem vocem gaudij : in deſolationem enim erit terra.* *Jer. 30. 30.*

XV. Quamquam non foret magnum, ſi tantùm ob profanatas tot noxis Eccleſias bona ibidem à Deo præparata perderemus; magis dolendum eſt, propter eas ſæpius totam gentem omnium malorum procellis inundari : ita ut iratum cœlum nonſolùm beneficum rorem & pluvias cohibeat, ſed flammas & fulgura in perniciem noſtram excoquat. Non abſque myſterio templum Hieroſolimytanum in formâ Leonis fuit ædificatum, unde *Ariel* dictum fuit, quod eſt *Leo Dei*; myſterium autem fuit, ut omnes noſſent, Deum in templo tanquam Leonem reſpiciendum, eumque illi futurum Leonem, à quo debito honore & timore non eſſet colendus. *Villalp. t. 2. ar. mont. de templ. fabr.* Audite, an non digni Leone irâ efferato ſunt rugitus iſti, ſtragesque congruæ: *Pro eo, quod ſanctum meum violâſti in omnibus offenſionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis, ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miſerebor.* *Ezech. 5.* Ita Dominus infelicem alloquitur Jeroſolymam, & paulò poſt, cùm monſtrâſſet eidem Prophetæ puellas plorantes in Templo, & Adoleſcentum ſe depereuntium amore ſuſpirantes, & Juvenes, qui ut ama-

ſijs

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſijs blandè arriderent, formasq́ue contemplarentur, Sanctuario ſuo magno cum deſpectu dorſum obvertebant, has tremendas ſubjungit voces: *Ergo & ego faciam in furore meo:* Quaſi diceret: ego par pari referam, ſicut temerariâ ſuâ audaciâ me deſpexerunt, ita & ego in furore meo illos diſperdam. *Non parcet oculus meus, nec miſerebor.* Miſericordiæ non recordabor, etſi contentiſſimè clamaverint, aures meas obturabo. *Cùm clamaverint ad aures meas voce magnâ, non exaudiam.* Et de facto videbitis hos rugitus effectum ſuum conſecutos eſſe Certum eſt, cùm mortalis in terris ageret, licet inſtar agni eſſet manſuetiſſimus, ut omnibus ſe humilis patientiæ exemplar propoſuerit, *diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde:* Nihilominus cùm quid de puniendis Sacrarium Ædium profanatoribus ſtatuendum eſſet, plus quàm Leonem ſe oſtendit: ille primus vindicatricem applicuit manum, factoque ſuâ manu flagello unà omnes ejecit. Figura hæc fuit illius, quod quotidie contra hos ipſos inſolentes profanatores cœlum intentat, quos, ut inquit S. Thomas, flagello, triplici pœnarum genere contexto, caſtigat, peccati permiſſione, punitione privatâ, & publicâ. Triplex hoc malorum genus in ſe alioſq; derivant locorum Deo dedicatorum contemptores: non enim ob talem contemptum illos ſolùm, ſed etiam propter eoſdem, univerſali calamitate, quæ non diſtinguit inter grana frumenti & Zizania, oppreſſos punit innocentes. De facto clarè id colligitur ex horrendis terræ motibus, quibus ſæpiſſimè Deus injurias Templis illatas vindicat; his etenim concuſſionibus ruinam primo loco paſſæ ſunt Eccleſiæ. Populus in ijs congregatus oppreſſus eſt præ reliquis alibi exiſtentibus. Aliàs in hujusmodi terræ motibus ſolas contingit immotas remanere Eccleſias, omnibus alijs civium ædificijs collabentibus, ut conſtat præ cæteris de Templo S. Gregorij Thaumaturgi Neocæſareæ. Sed noſtris hiſce temporibus faciliùs domus perſiſtunt, quàm Templa: hæc enim impius quàm illæ ſeveriorem merentur vindictam. Fortè aliqui veſtrûm aliquam aliam tentabunt inveſtigare cauſam, ſed vix ullam invenient. Ecce ab ipſiusmet ore Dei nobis causa manifeſtatur. *A ſanctuario meo incipite.* Vindicta primò ſumatur à Sanctuario, à quo culpa incepit; contaminetur ſtrage domus Dei, quæ primò ſcandalis contaminata eſt; cadaveribus imqleatur, in pœnam tot animarum ibi occiſarum. Quapropter Profanatores Eccleſiarum jure merito hoſtes boni publici dicendi ſunt, divinam provocantes Juſtitiam, ut pro præparatâ omnibus à Miſericordiâ bonorum abundantiâ, malorum omnium diluvium ſupra capita noſtra effundat. Et ſicut qui fontes publicos veneno infeciſſet, minus damnum eſſet, quod ſibi ſoli, quàm quod tot alijs intuliſſet; ita tolerabilius eſt malum, quod temerarij iſti, de quibus loquimur, ſibi accerſunt, in comparatione illius, quo omnes alios involvunt. Conſiderate ergo, an non tales in veritate omne in-

Ezech. 8. 18.

Ezech. 9. 6.

ter

ter Deum & homines infringant commercium: dum etiam velut loco innocentium illud rumpunt, qui licèt ipſorum delictis non conſentiant, nihilominus ſæpe pœnæ illorum partem ſubire coguntur.

XVI. Atque hæc cauſa eſt, cur Chriſtus Dominus noſter oſtendere voluerit ſupplicia Eccleſiarum profanatoribus inflicta, divini effectum eſſe Zeli; & ſingulariter illud obſervare voluit diſcipulos ſuos, revocando in memoriam illa verba: *Zelus domûs tuæ comedit me.* Magnum in hac voce *Zelus* continetur myſterium; ſignificat enim juſtiſſimam puniendi cauſam, effectumque pœnæ magnopere tremendum. Omnis Zelus, inquit S. Thomas, ſi bonus eſt, eſt motus animi ab amore benevolentiæ procedens, ideoque perſona, quanto fortiùs amat, tantò fortiùs amati commoda impugnanti reſiſtit, ita ut hoc loquendi modo ira, quæ à Zelo accenditur, ſit quaſi flamma ingenti folle animata, ideoque vehementiùs urat conſumatque: quare in caſu noſtro Zelus ille, quo olim Dominus noſter movebatur, & adhuc ad vindicandas Domûs ſuæ injurias commovetur, ex duplici erga nos, & Patrem amore proficiſcitur. Amor erga Patrem ad commiſſos tanta cum impudentiâ à ſordidis creaturis Divinæ præſentiæ contemptus puniendos illum incitat, illo quidem tempore irrogatos, quo Pater cœleſtis ab ipſo Filio ſuo, totaque Angelorum circumſtantium curiâ, tam profundâ omnium demiſſione honorabatur. Amore erga nos movetur, ut omnia, quæ Templorum profanatores Divinæ objiciunt beneficentiæ, impedimenta auferat, qui illos, ut ita dicam, diſcindunt canales, per quos tantâ ſupra homines abundantiâ ſeſe diffunderet; qui locum, tanto cum emolumento hominibus ad tractandum cum Deo deſtinatum in infernale antrum, forumque Diaboli commutant. A duabus his erga Patrem, & nos fratres ſuos amoris fornacibus voraciſſima iſtius Zeli erupit flamma, quæ penè cor ejus conſumpſit olim, binisque vicibus brachium armavit ad temerarium peſſimorum horum profanatorum ſcelus, propriâ manu caſtigandum. Qui propriâ manu puniendi modus ſatis demonſtrat, vindictam iſtam à Zelo profectam eſſe. Non enim ſolet Dominus caſtigare propriâ manu ſervum in reliquos ſervos delinquentem; plectit ejus operâ, ad quem id ex munere ſpectat; verùm ſi à ſervo conjugem ſuam videt invadi, propriâ manu ſtricto ferro illum aggreditur, proſternitque. Ideo Chriſtus ſolus, propriâque manu à violatoribus reverentiæ locis Sacris debitæ vindictam ſumpſit; quia amoris ad iram provocati vindicta erat. *Zelus domûs tuæ comedit me.*

XVII. Quid ergo nunc dicitis Chariſſimi? Quid videtur vobis de peccato tam exorbitante, tamque temporibus hiſce communi, Deum in templis ſuis offendendi? Originem omnino ſceleris in ſe tam grandis, tamque ſaluti noſtræ nocivi optarem cognoſcere. *Quid eſt, quòd dilectus meus in Domo meâ fecit ſcelera multa?* inquit Dominus. Et vos contenti eritis, ut *Jer. 11. 15.*

hîc ſub finem his ipſis à Deo prolatis interrogem verbis, unde tam exiguus Eccleſijs honor? *quid eſt?* Fortè non docetFides ſupremâ DivinæMajeſtati deberiReverentiam,tantoq; magis,quanta clariora & certiora omnipotentis ſuæ præſentiæ oſtendit ſigna? Fortè in cordibus noſtris non loquitur Fides, vos ſemper præſentiſſimo Dei indigere auxilio,Eccleſiamq; ad id impetrandum, locum eſſe aptiſſimum? Quare ergo datâ operâ cæcutitis, ut in nullo alio loco minorem Deo velitis exhibere honorem, quàm in Domo ſuâ propria? Quomodo vobis ipſis tam inimici facti eſtis & crudeles, ut cùm ſupplici obſequio largam à Deo eleemoſynam petere deberetis,omni quaſi momento impudentibus modis vindictam expoſcatis?

XVIII. *Quid eſt, quòd dilectus meus in Domo meâ fecit ſcelera multa?* Conſiderate obſecro, vos non tantùm à Deo fuiſſe amatos, ſed etiam dilectos, id eſt, amore præcipuo & privilegiato amatos, interque omnes populos ad locum in Chriſti. nitatis corde poſſidendum electos, ut in eo fidei perfectioris, & purioris ſpiritibus frueremini. Et Populus hic adeò dilectus tam ſit ingratus, ut majori, quàm ulla alia Natio, tam ſanctam,cujus tam ſolennem fecit profeſſionem, contemptui habeat Religionem, magisque Deum ſuum deſpiciat? Judæi Religionem dici poſſunt habuiſſe imperfectam, licèt veram. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex*: Nihilominus tanto in honore habuerunt Templum ſuum, ut tenerrimo cum pietatis ſenſu ipſos parietes & pavimentum oſcularentur. *Placuerunt ſervis tuis lapides ejus*: Imo ipſi Gentiles, ut teſtatur S. Juſtinus Martyr, nudis pedibus ſuis ſolebant intrare templa, rigoroſiſſimumque in ijs ſervare ſilentium, quemadmodum hodiedum etiam nudipedes & taciturni in Moſchæis, quas dicunt, ſuis adſunt Turcæ. *Dilectus autem meus in Domo mea facit ſcelera multa.* Et populus Chriſtianus, tantis à Deo affectus favoribus, minori dignabitur reſpectu Domum Dei, quàm ſtramineum ruſtici alicujus tugurium? *Quid eſt? quid eſt?* Quomodo unquam hoc fieri poteſt? An fortè antiqui Chriſtiani tam prava nobis reliquerunt exempla, qui integras noctes vigilantes orando tranſegére in templis; qui ſacra accedentes Altaria tremebant, quaſi eandem, quam Angeli altiſſimo Dei throno exhibent, æmularentur venerationem, terribilem quidem cunctis, potiſſimùm tamen ijs, qui eum circumdant. *Terribilis ſuper omnes, qui in circuitu ejus ſunt.* Nos verò progenitoribus oriundi tam ſanctis, nos eodem Fidei lacte educati, eâdem doctrinâ imbuti, ijsdem nutriti Sacramentis, tantum ab eorum degeneramus moribus, tantoque minori cum reverentia nunc agimus cum Deo, quantò eidem viciniores nos ſiſtimus. *Quid eſt, quid dilectus meus in Domo mea fecit ſcelera multa?*

Heb. 7. 19.

XIX. Advertite bene, peccata in templis commiſſa nonſolùm vocari peccata, ſed *ſcelera*, quia ob ſacri circumſtantiam loci, tum inviſibilem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſibilem Dei, tum corporalem Chriſti Jeſu in Sacramento præſentiam culpæ ordinariæ redduntur enormes, & quaſi ſacrilegij exhalant fœtorem. *Nihil ad DEUM pertinens leve eſt*, dicebat ſanctus Salvianus Epiſcopus, *& quod culpâ exiguum videtur, grande hoc facit Divinitatis injuria.* Quid ergo mali eſt, dicetis mihi, parumper in templo garrire, ridere, blandis alios intueri oculis, amorem conciliare? bene apparet, vos nec loci, in quo eſtis, nec Deitatis ibi præſentis recordari; quomodo enim leve dici poteſt illud, quod ibi Deus omnipotens deſpicitur? Olim non ſolebant Judæi permittere greges paſcere circa montem Horeb, ob reverentiam illam Deo debitam, quòd ibi ſemel Moyſi apparuerit. Et Chriſtiani licitum ſibi putabunt omnes ſenſus ſuos, linguam, oculos, aures millenis paſcere curioſitatibus, & ob illum fin. m intrare templum, ubi non tantùm ſemel Deus ſuam nobis declaravit voluntatem, ſed ſemper præſens ipſe aut peccata ibidem remittit, aut vindicat?

XX. Quid jam dicemus de peccatis, quæ ſolo committuntur corde, aut deſiderijs inordinatis, aut complacentiâ & conſenſu? Quantò magis interiùs erant abominationes Templi, tantò majores, loquens Ezechieli, illas appellat Deus. Ita majores in Eccleſia commiſſæ transgreſſiones, minùs ſenſibiliter aſtantium patent oculis. Ad cognoſcendas illas & inveſtigandas, oportet, inquit S. Hieronymus, facere id, quod jubet Deus, ſcilicet perforare murum, *fode parietem* & per hanc aperturam id, quod eſt abſconditum, intueri, hoc eſt, per blandas illas oculorum nictationes, per riſus, & geſtus adeò indecentes de cordis, laſciviâ occupati, perverſitate judicium ferre. Hæ igitur ſunt abominationes magis execrandæ, aut ſaltem hujusmodi, quæ ſicut facillimè committuntur, ita creſcentes numero pœnam augent. *Scelera multa.* Si non etiam addere velimus, eum, qui domi ſuæ, vel ruri delinquit, unum ſolùm committere peccatum; qui verò in Eccleſia ſcandalizat alios, multorum fieri peccatorum reum: eodem prorſus modo, quo, qui in mediâ plateâ legem transgreditur, unico in legiſlatorem peccato delinquit, qui verò in palatio Regio, in conclavi, & coram Regis throno, in oculis Domini ſui legem infringit, tot legiſlatori dici poteſt inferre injurias, quod ibi circumſtantias contemnit. *Quid eſt, quòd dilectus meus in domo meâ fecit ſcelera multa?*

XXI. Hoc tempore talia non perpenduntur, quia oculi veterno clauſi tenentur. Quamprimum Jacob è notiſſima illa viſione evigilavit, clariſſimè loci, in quo dormiverat, ſanctitatem agnovit, tremensque exclamavit: *Verè Dominus eſt in loco iſto,* *Gen. 28.*
*& ego neſciebam.* Adhuc vos chariſſi- *16.*
mi, ignoratis, ubi jam ſitis, quia ſomno indulgetis: ubi vero vix hâc vitâ functi, apertis oculis coram Divino tribunali comparituri eſtis, heu quantus temeritatis veſtræ ſtupor, pudorque vos invadet? Erant profectò, dicetis tunc, ſanctæ illæ Eccleſiæ, quas nos tam protervè profanavimus: Erat ve-

rè ibi in perſonâ præſens Judex meus: ego verò illi tanto cum opprobrio toties dorſum obverti: Erat ibi verè balneum cunctis apertiſſimum pro peccatis abluendis per Indulgentias, Sacrificia & Sacramenta: ego verò ſtultus & ſalutis meæ inimicus, qui ſalutiferis hiſce undis vulnera mea curare debueram, ibidem ea multiplicavi! Miſerrimum eſt, quòd nec tantum ſolatij aut effugij vobis relinquendum ſit, ut dicere poſſitis: neſciebamus, *& ego neſciebam:* nimis enim clarè loquebantur Concionatores, ipſe locus ſacris adornatus imaginibus, ipſa Altaria & apparatus, ipſi ſoli & nudi lapides debitæ tam tremendæ Dei habitationi Reverentiæ vos admonebant. Non permittam, Chariſſimi, ut in poſterum ſic vos geratis: *Terribilis eſt locus iſte: non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cæli.* Si Eccleſia eſt Domus Dei, volo, ut perpetuum ei honorem & venerationem deferatis; ſi porta eſt, per quam noſtræ aſcendant ſupplicationes in cœlum, & obtentæ deſcendant benedictiones, volo, ut Leges à Chriſto pro venerando hoc commercio ſtabilitas, ſervemus inviolatas, ut ſalute & ſanctitate in hoc Mundo locupletati, acquiſitarum divitiarum fructu æternùm gaudeamus in cœlo.

*Da & accipe, & juſtifica Animam tuam.*

# DISCURSUS V.

## *De Sacramento Baptiſmi.*

I. TRes ſunt pharmacorum ſpecies; alia morbo jam præſenti medentur; alia ab infectione præſervant, alia denique valetudinem reſtaurant, ſpiritus vitales augent & corroborant. Quare Dominus noſter JEſus Chriſtus, ex ſuaviſſimis, quibus amorem ſui cordibus noſtris inſtillare voluit, titulis, omnium etiam Animarum Medicum ſe
Iſ. 61, 1. profeſſus eſt. *Miſit me, ut mederer contritis corde.* Ideo ut muneri huic à ſe ſuſcepto ritè fungeretur, efficaciſſima omnis generis pharmaca ex Sanctiſſimo Sanguine ſuo compoſuit. Hæc ſunt ſeptem Sacramenta; ex quibus Baptiſmus, Pœnitentia & extrema Unctio, peccati originalis & actualis, omnibus communia remedia ſunt: Matrimonium & Confirmatio pharmaca ſunt præſervativa; illud inordinatam carnis refrenat concupiſcentiam, hoc appetitûs iraſcibilis debilitatem confortat. Ordo denique & multò potius Euchariſtia ſanitatem, per alia Sacramenta jam acquiſitam, velut confortativa promovent & perficiunt. Niſi etiam adjungere velimus, ab Euchariſtiâ, ad quam tanquam ad finem, reliqua Chriſtus inſtituit Sacramenta, illorum omnes participati fructus, dum Animas crebrâ ejus ſumptione fruen-

fruentes, uno eodemque tempore curat, præſervat, & validiores reddit. Videtis ergo, quàm nobilis, de his pluribus diſſerendi, ſe nobis offerat occaſio & materia! Cogitate, nos ingredi pharmacopolium Paradiſi, cœleſtibus refertum remedijs. Hanc hodie per Sancti Baptiſmi portam, Sacramentorum omnium januam, intrabimus, privilegiaque, quæ quivis Chriſtianus ex illo acquirit, nec non obligationes, quas contrahit, quibusque reſpondere tenetur, conſiderabimus.

II. Primarias Baptiſmi inter excellentias una eſt, quòd Chriſti Salvatoris in Jordane Baptiſmus ejus quodammodo imago fuerit: ita ut bene affirmari poſſit, excelſum eſſe illud opus, cujus ipſa idea tam Divina eſt. Tria verò in Baptiſmo Chriſti concurrerunt, quando (ut inquit S. Auguſtinus) non ut ipſe ab aquâ, ſed aquâ per ipſum purificaretur, ita ut illa ad nos abluendos idonea redderetur, à S. Joanne baptizari voluit. Primum fuit Pater æternus, qui eum declaravit Filium ſuum dilectum; alterum Spiritus Sanctus, qui ſupra illum in columbæ ſpecie deſcendit; tertium fuit cœlum, quod hucusque clauſum ſe ſe aperuit. Omnes hæ tres circumſtantiæ, propter eosdem effectus in tribus prædictis præfiguratos, cujusvis Chriſtiani Baptiſma reddunt illuſtre. Incipiamus à primo.

III. Quid rei eſt Baptiſmus? Si quæratis ex Sancto Joanne reſpondebit vobis, quòd ſit poteſtas Filium Dei fieri. *Dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri.* Et ne perſuadeatis vobis, hæc dici per metaphoram, advertite parentes ſteriles, ut prolium defectum, aut filiorum mortem reſarciant, inveniſſe remedium, exteros adoptandi in filios, ijsque ac ſi à ſe procreati eſſent, omne hæreditatis jus elargiendi. *Adoptio nuptiarum ſubſidium, fortunæ remedium, ſupplet ſterilitati vel orbitati.* Legum verba ſunt: quod ergo homines propter neceſſitatem, hoc Deus per inexplicabilem amoris exceſſum fecit: quia cùm unicum tantùm, ſed ſempiternum habet Filium, infinitis æquivalentem, tantopere nos amavit, ut omnes Fideles in filios ſuos voluerit adoptare. Ita inquit S. Auguſtinus. *Unicum genuerat & per quem cuncta creaverat, miſit in Mundum, ut non eſſet unus, ſed fratres haberet adoptatos.* Adhæc adoptatio, inter homines merum tantum nomen eſt, nihil novi in perſonâ adoptatâ producens; nec altiori baſi, quàm adoptantis affectui innititur. *Adoptatio nomen inane.* Ubi Pater noſter cœleſtis adoptando nos pro ſuis, non tantùm filiorum nomen, quod per ſe magnum eſt ornamentum, ſed ipſam quoque rem impertitur. *Videte*, inquit S. Joannes, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur, & ſimus.* Elargiendo enim in Baptiſmo ſuam Divinam gratiam, ſuumque Spiritum, fit quodammodo anima noſtræ animæ, & cor cordis noſtri. In veritate homo Chriſtianus non eſt tàm terreni Patris filius, quia ab eo generatus eſt, quàm eſt Filius Dei, ab hoc in Sacroſancto Baptiſmate regeneratus; quid enim à patre terreno præter membrorum ſuorum

*Inſtit. de adopt. §. 1*
*S. Th. p. 3. q. 23. art. 1.*
*tract. 2. in Ioan.*
*Ioan. 3. 1.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum accepit materiam? à Patre verò cœleſtiEſſe novum & totumDeificum accepit. Et hæc eſt ratio, ob quam S. Jacobus de dictâ adoptatione loquendo, vocet eam generationem, indicando nobis, quàm verum ſit, animam baptizatam verè FiliamDei eſſe, & non absque privilegio admirabili, ſuperante vim omnis generationis humanæ, Divinæ naturæ participem.

*Jacob. 1. 18.*

*Voluntariè nos genuit verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.* Voluntariè, inquit Apoſtolus, nos genuit, mediante Filio ſuo Divino; *Verbo veritatis*, ut fiamus caput, hoc eſt, magis illuſtre & beatum opus inter omnia ejus opera: *Ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.* Conſiderate bene hanc vocem, *Voluntariè*, ex merâ voluntate ſuâ nos generavit, quæ mirum in modum hanc adoptionem nobilitat.

*S. Aug. lib. 2. de conſ. Evang. c. 2.*

Quia licèt adoptio humana hâc gaudeat prætogativâ, poſſe ad beneplacitum ſuum eligere tales filios, quod natura facere non poteſt; nihilominus adoptio humana in electo præſupponit merita, non confert; è diverſo Divina adoptio non ex alicujus boni prævisione aut merito talem gratiam largitur.

*S. Th. 3. p. q. 23. ar. 1. in c.*

*Luc. 3. 8.*

*Potens eſt de lapidibus ſuſcitare Filios Abrahæ.*

IV. Poteſtísne, Dilectiſſimi, hanc veritatem audire, & non dignas tali generatione & filiatione Divinâ, quam in ſanctoBaptismo conſecuti eſtis, concipere cogitationes?

*Iſ. 32. 8.*

*Princeps ea, quæ digna ſunt Principe, cogitabit.* Filius Principis non cogitabit ſulcare agros aratro, ſicut cogitaret, ſi natus eſſet patre agricolâ. Quomodo ergo Chriſtianus tam humiles in corde ſuo fovet ſpiritus, qui parùm ab Infideli eum diſtinguunt? non gaudet, niſi proventibus terræ; non niſi terrenam aſpirat ad gloriam, non aliam ſibi imaginatur felicitatem, quàm propriis ſenſibus, caducarum tantùm capacibus voluptatum, ſatisfacere. Recordemini, Chariſſimi, Principes vos eſſe non ſanguinis humani, ſed Sanguinis Chriſti JEſu; cujus omnes, medio Baptismi lavacro, fratres facti eſtis, qui tam excelſum FiliorumDei titulum vobiſcum communem eſſe voluit. Qualis ergo erit ignominia, tantâ eminentis dignitate, continuo cum dedecore vitam ducere adeò ignobilem? non tantùm pudere debet Chriſtianos, malè agere; etiam rubori eſſe debet, tam parum boni operari, ut fieri ſolet, quando divinæ generationis nobilitati tam eorum vita non reſpondet. Demus, ut ita dicam, plumbum ex vilibus eruitum cavernis non erubeſcere humilem ſuam originem. Sed quis ferat, quòd plumbum illud, quod inter auri venas enaſcitur, ſuæ vilitatis non pudeat? Eodem modo concedamus, Infideles rebus caducis & perituris totos immerſos eſſe; ortus eorum ad altiora illos non excitat. Sed Chriſtiani, radijs fœcundati Divini Solis, qui ex precioſis Sanctæ Eccleſiæ fodinis ſuam ducunt originem, poterúntne ſine verecundia affectibus ſuis ignobili aſſimilari plumbo, qui ſolidum charitatis aurum deberent eſſe, ad quemvis lapidem lydium examinandum?

V. Sed quid nunc dicemus de illis, qui nonſolùm auguſtæ Baptizatorum

conditioni vitâ ſuâ non reſpondent, ſed ne quidem illam cognoſcunt; unde nunquam etiam Patri ſuo cæleſti, quod inter tales eos elegerit, dignantur agere gratias? Platonem referunt ſæpius Deo rependiſſe gratias, quòd Græcus, non Barbarus natus eſſet. Quando unquam Patri cœleſti ſufficientes poterit referre grates Chriſtianus, quòd eum conſortio Sanctorum in hac Sacratiſſimæ Fidei dignatus ſit aggregare? *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine.* O quæ felicior ſors poteſt eſſe, quàm iſta! O quanta felicitas! O quantus favor! Tot animabus eâdem die, eâdem illâ horâ, eodemque temporis puncto in Indijs inter Infideles ad corpus, quod erit aliquando Inferni pabulum, organizandum deſtinatis, animam noſtram in Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ ſinum ablegatam eſſe ad corpus informandum, quod ſacris undis ablutum, eidem animæ in paradiſo, æternùm non nimis arduo conatu ſociari, imò cum eâdem omnibus Divinæ filiationis fructibus cum immenſa gaudij ſuperabundantiâ perfrui poteſt! *In partem ſortis Sanctorum in lumine.*

VI. Alterum Baptiſmi noſtri privilegium eſt Spiritus Sanctus, qui ſimiliter ſupra nos deſcendit, ut omnes cœlicolæ nobiliſſimam illam Patris audiant vocem: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Notandum eſt, Spiritum Sanctum, ut docet S. Thomas, id eſſe Eccleſiæ, quod cor corpori, cujus Chriſtus eſt caput, imò ut vult S. Auguſtinus, Animæ loco eſt. *Quod eſt in corpore noſtro anima, id eſt, Spiritus Sanctus in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia.* [S. Aug. Ser. 80. de Temp.] Jam verò, quæ toti Eccleſiæ Spiritus Sanctus confert beneficia, illa eadem cuique Animæ fideli à Spiritu Sancto proportionaliter ſunt collata, ita, ut in Baptiſmate fiat quaſi animæ illius anima, & Spiritus iſtius Spiritûs. *Quoniam eſtis Filij Dei, miſit Deus Spiritum in corda veſtra.* [Gal. 4. 6.] Hæc eſt immenſa Divini Patris noſtri liberalitas, ut non contentus ſit donare nobis donum, ſed ipſum etiam datorem donare voluerit. Ideoque ultra creatum illud Gratiæ donum, regeneratis in Baptiſmo, increatum Spiritûs Sancti donum concedit, qui dum ſupra aquas ſacri fontis deſcendit, novum de membris noſtris ſibi templum exſtruit. *Membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti!* [1. Cor. 6. 3.] O mirabilem deſcenſionem, quâ, quantum vitam dando creaturæ, Creator ſe humiliat, tantum vivendo cum Creatore ipſo creatura exaltatur! juſtiſſimam habemus cauſam, pro vitâ tam Divinâ Altiſſimum inceſſanter laudandi. *Laudabo Dominum in vitâ meâ:* [Pſ. 145. 1.] Experti quotidianas prodigiorum adeò ſtupendorum operationes.

VII. Divinus ille hoſpes è Cœlo in animam baptizatam deſcendens non venit ſolus, ſed more magnorum Regnum numeroſo Aulicorum ſyrmate ſtipatus incedit. Hic verò comitatus in gratiâ Divinâ, ejuſque donis conſiſtens, totus in ejuſdem Animæ utilitatem adornatus eſt, nec unquam illa ab his ſeparata deſcendit. Res iſtas tam grandes explicemus, quæ aliàs, perinde ac aulæa complicata, precium & decorem

ſuum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſuum non poſſunt oſtendere. Dico ergo inprimis, Divinum hunc Spiritum ſecum Animæ adferre Gratiam, quæ(ut jam aliàs intellexiſtis)omnium divitiarum theſaurus eſt, & ſemen Di-
Joan. 3. 19. vinitatis: *Semen Dei in eo manet*: Eodem enim modo, quo ſemen naturam ſuam accipit à fructu; ita ipſa à Divina natura ſuam participat. Et quia effectus cauſarum ſuarum ſunt imagines, ex illis faciliùs Gratiæ Baptiſmalis excellentiam intelligetis.

VIII. Primus ergo effectus iſtius Gratiæ eſt, perditam, Protoplaſti culpâ, per generationem carnalem in quemvis noſtrûm propagatâ, reddere inno-
Pſ. 50. 7. centiam, *in iniquitatibus conceptus ſum.* Supponendum eſt igitur primum hominem peccato ſuo non tantùm ſibi ſoli, ſed nobis etiam, cunctiſque à ſe usque ad finem Mundi deſcenſuris, nocuiſſe. Noverunt quidam artem omnes fructus veneno inficiendi, virus radici inſerendo. Tali arte uſus eſt Diabolus (qui mille nocendi habet technas) quando primum Parentem noſtrum ad transgrediendum DEI mandatum induxit. Tunc enim tam lethale radici immiſit toxicum, ut, ſi in æternum duraturus eſſet Mundus, in æternum quoque homines hoc veneno infecti naſcerentur. Hoc eſt peccatum originale, cum quo naſcimur, eſtque perverſitas naturæ, ab illis diſſolutione harmoniæ oriunda, quâ juſtitia originalis in ſtatu innocentiæ erat
S. Th. 1. 2. q. 82. art. 1. prædita. Hæc nunc Innocentia in Baptiſmo nobis reſtituitur: non ita quidem, ut difficultas ad rectè vivendum, ex rebelli nata concupiſcentiâ, omnino ceſſet, verùm ita, ut hæc difficultas vinci poſſit; majorque gloria ex reportata reſultans victoriâ, & Baptiſmalis gratiæ virtute acquiſita, potiorem illam animi tranquillitatem, quæ in ſtatu vigebat innocentiæ, ſuppleat & reſtauret. Magna illa mutatio, à Gratiâ Baptiſmali in Animam hominis inducta, pro dignitate explicari non poteſt; quâ fit, ut qui erant Dæmonis mancipia, fratres fiant JEſu Chriſti, omnis fœditatis ac ſervitutis expertes, ipſiſque in cœlo Angelis decore pares. Ajunt in quibusdam Britanniæ Majoris partibus acerbos aliquos fructus, in formâ bilarum, in aquas præterfluentes ab arboribus decidere; tandemque ne humectatos in plumatas niveicoloris aves commutari. An non dicere poſſemus Deum hoc naturæ portento adumbrare voluiſſe id, quod in ſanctiſſimo Baptiſmi Sacramento producit Gratia? Anima, quæ per peccatum originale maſſa erat omni malitiâ informis, vix ſacroſanctis his immerſa undis, nonſolùm reviviſcit, ſed ad circumſtantium ſtuporem Angelorum candidis cœleſtis Innocentiæ plumis veſtitur. Ideo Spiritus Sanctus in Mundi principio ſuper aquas ambulâſſe dicitur. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*; Quaſi jam tunc diſponere voluiſſet aquas, ut eſſent præcipuum futuris temporibus inſtrumentum ad animas noſtras reſuſcitandas & ſanctificandas. Hoc in vitæ balneo omnia ſubmerguntur peccata; *Contribulâſti capita Draconum in aquis*: ſive hæc capita ſint noxa originalis, quæ multarum inſtar eſt, tan-

quam origo aliarum omnium, ſive ſint peccata actualia; quando perſona adultæ ætatis baptizatur; unde ſicut, quando videntes Hebræi Ægyptios in mari rubro ſuffocatos, pro ſolenni gratiarum actione decantarunt hymnum, ſic Patrini, infantis jam ſacro fonte tincti, vices ſupplere deberent; pro magno hoc beneficio gratias agentes Deo, qui peccatum illius in hoc ſanctiſſimo balneo, Chriſti Sanguinem, mediante Baptiſmo, nobis repræſentante ſubmerſit. *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt; equum & aſcenſorem projecit in mare.*

IX. Quamobrem ſi oculis veſtris Animæ, paulò ante baptizatæ, pulchritudinem intueri poſſetis, nullam ampliùs in terrâ venuſtatem aſpicere deſideraretis. Pro confirmatione hujus, factum percipite inſigne, à gravibus traditum Auctoribus, præcipuè verò à Sancto Antonino temporum ſacrorum faſtis inſertum. Anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto Caſſanus Tartarorum Rex cum ducentis equitum millibus regno egreſſus, vicinas regiones omnes ſtrage, & diffuſo terrore impleverat. Hoc rerum ſtatu miſit ad Armeniæ Regem, qui filiam ſuam pro ſe conjugem peteret, cujus egregiam corporis formam illuſtriorimorum junctam honeſtati fama ad aures ejus pertulerat: nec abnuere potuit Regius parens, maximè poſtquam per Matrimonij pacta principi filiæ licuit, etſi Infideli juncta eſſet, ritu Chriſtianorum, in quo educata fuerat, pro arbitrio vivere. Nuptijs apparatiſſimè celebratis, & poſt aliquod temporis intervallum primi horâ partûs propinquante, à Regno & Rege filius maſculus, Matri formâ ſimilis exſpectabatur; cùm ecce miſera Regina, ſuperatis pluribus doloribus, infelicem, atrum, deformem & fœtidum omnium cum horrore in lucem partum dedit. Facilè ratiocinando aſſequi licet, quanta fuerit Matris, totius Aulæ, maximè verò Caſſani Regis confuſio. Iſte animi præcipites impetus frenare minimè doctus, furere & affirmare; indicium hoc eſſe clariſſimum; uxorem ſuam adulterio ſe polluiſſe, eâque causâ mox eam ad rogum cum prole condemnat. Nihil gemitus, nihil Juramenta ad conteſtandam illibatam Reginæ Innocentiam profuêre: cumque ſe jam ad ſubeundam mortem duci videret, ſaltem, inquit, hoc mihi in extremis detur ſolatij, ut ſacrâ exomologeſi expiata, acceptoque ſalutari corporis Chriſti Viatico, infelicem filiolum meum mihi amplexari liceat, tum volens lubens moriar. Magnum fuit, vel tantillam gratiam impetrare potuiſſe; impetravit tamen, & mox, ubi monſtrum hoc potiùs, quàm humanam prolem intra ulnas accepit, affusâ aquâ baptizavit. Credetisne? Vix ſacroſanctâ hâc lymphâ partus ille tam deformis tinctus fuerat, formoſus ſtatim, ut Angelus, omnibus viſus eſt, adeò quidem, ut Caſſanus ſupra omnem fidem attonitus, cognitâ, eventu tam ſenſibili, Sacramenti virtute, cum præcipuis Aulæ ſuæ Proceribus baptizatus ſit, cauſaque fuerit, ut in Regione Tartarorum, ejus exemplo perſuasâ, Fides

Chriſtiana non exigua incrementa ceperit. Hæc tam ingens, quæ in corpore iſtius infantis accidit mutatio, ſemper in cujuscunque baptizati Animâ contingit ; idque tanto majori cum utilitate, quanto omnem naturalem deformitatem peccati monſtrum infinities excedit.

X. Hac cum innocentia & gratia, omnis culpæ in anima deſtructrice, omnia Spiritûs Sancti dona & virtutes infuſæ adferuntur, ijsque, quot & quantacunque ſunt, utendi datur poteſtas ; ut Spiritu Sancto nos vivificante, & Cæleſtis Patris nos adoptantis filiatione dignam colamus vitâ. At quàm ſubitò hunc theſaurum dilapidat, quicunque Baptiſmi gratiam perdit ! O jacturam ſanguineis deflendam lacrymis ! Jacturam, ad quam condignè deplorandam ipſum cælum atra obductum nube luctum induere oporteret ! Attamen quot reperiuntur quotidie, abſconditum hunc ſuum theſaurum ob rem nauci prodigentes ? O ſi quis poſſet Animæ prima vice peccato conſentientis adſtare auribus & ingeminare : quid facis miſera, quid facis ? Ignoras profectò, quanti pro te ſit precij Baptiſmi gratia, quam abjicere, immundisque paſſionum tuarum pedibus, velut margaritam ante porcos, calcandam ſubjicere cogitas. O ſi agnoſceres infelix, quo miſeriarum te impellat Diabolus ! O ſi ſcires ! Satis tibi ſit non ignorare, poſt primum peccatum perpetratum, quantumcunque deploretur, nunquam de ſalute æterna te ſecuram eſſe. Verum quidem eſt, ope Pœnitentiæ gratiam perfectè recuperari poſſe ; ſed quanto difficiliùs eſt, amiſſam reperire, quàm illam non perdere ? Ordinum Ductor, qui paucis militibus locum munitum defendere potuit, poſtquam illum hoſti ceſſit, tam parvo militum numero ampliùs non obtinebit : oportebit integrum conſcribere exercitum ; qui tamen fortaſſis loco amiſſo non potietur. Sacramentum Pœnitentiæ etiam Baptiſmus vocatur, quo Anima renaſcitur, ſed eſt Baptiſmus admodum laborioſus, quia pro recuperanda ſtatione, Dæmoni voluntariè traditâ, magnâ prorſus opus eſt vitium contentione, & labore.

XI. Ad hoc ſingulariter parentes attendere deberent, ſuorumque filiorum educationi perpetuâ cum ſollicitudine invigilare, præcipuè verò cum jam uſu rationis præditi ætate creſcunt. Optima S. Ludovici Regis Francorum mater Blanca, Regina tam prudens & ſancta, hac in re omnibus Chriſtianis parentibus deberet eſſe exemplo, cui in educatione filioli ſui nulla res adeò cordi erat, quàm ejuſdem baptiſmalem innocentiam illibatam conſervare ; in quem etiam finem quotidie veſperi hac verè cœleſti eum benedictione muniebat : Fili mi, vellem te potiùs in brachijs meis mortuum, quàm peccato inquinatum aſpicere. Refert ſanè plurimum, Chariſſimi, nunquam incipere malè agere, nec unquam charitatis ignem extinguere, quem intra nos in Baptiſmo Spiritus Sanctus accendit. *Spiritum* … *nolite extinguere*, quia divinus hic ſuus

ignis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ignis bonis operibus ſenſim creſcendo in beatum erumpet incendium. Cæterum ſi quis à puero malè agere incipiat, valdè difficile erit etiam in extrema ſenecta à malo abſtinere. Non eſt tempeſtas, quæ majus vineis inferat damnum, quàm nimbus uvis jam deflorescentibus ſuperveniens. *Peſſimum eſt inter omnia, cùm deflore-ſcentem vitem percuſſit imber.* Teneriori ætati voluptas magis nova videtur, ideoque magis delectat. *Omnia prima nos magis delectant*; quo fit, ut tam altas deim radices prava aſſuetudo agat, ut ſola eas mors valeat evellere.

XII. Sed ut redeamus ad intentum noſtrum, quid videtur vobis de divino illo hoſpite, de tam ſplendido comitatu, quem ſecum in Animam ſacro fonte ablutam introducit? Nec dum tamen dixi omnia. Inter effectus Sacramenti Baptiſmi ſingulariſſimus eſt, Animæ characterem imprimere, ſimile illi ſignum, quod in Sacramento quovis, quod iterari non poteſt, Animæ imprimetur; in Sacramento ſcilicet Confirmationis & Ordinis. Differunt tamen inter ſe quoad finem. Character Sacramenti Ordinis nos Chriſto, velut Miniſtros cum ſummo Sacerdote, conjungit; in Confirmatione Chriſti, ut milites ſub Rege ſuo conſtituit; in Baptiſmo eidem ut filios Patri adoptat. Verbo, character iſte eſt quaſi filiationis noſtræ inſtrumentum, quod non chartæ, ſed Animæ potentijs impreſſum in omnem æternitatem nunquam delebitur; adeò, ut hoc miſerrimi illi æternùm damnandi omnibus Inferni flammis nunquam conſumere, aut extinguere poſſint, ſitque opprobrio & afflictioni ſempiternæ, collatæ in Baptiſmo gratiæ non reſpondiſſe. Sicut è diverſo ei, qui vitâ bene actâ condignos Gratiæ fructus protulit, gaudio erit in cælis, & gloriæ ſempiternæ. Idem evenit, inquit S. Thomas, in charactere militari: qui poſt prælium in omnibus manet prorſus idem, tam in victis, quàm victoribus; ſed ſorte diverſa; his enim cedit ad gloriam, illis in opprobrium ſempiternum. *In his, qui vicerunt ad gloriam, in his, qui victi ſunt ad pœnam.* [*S. Thom. 3.p. q.63. ar. 5. ad 3.*]

XIII. Atque hoc eſt ultimum ſacri Baptiſmi privilegium, id eſt, Cælum apertum. Qui filius eſt, illi debetur hæreditas. *Si Filij, & Hæredes.* [*Rom. 8. 17.*] Qui vitam agit ſecundùm Spiritum, illi vita debetur cæleſtis. *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* [*Rom. 8. 15.*] Ecce igitur, cælum Baptiſmo Chriſti reſeratum, æternum illud ſignificat præmium, quo Chriſtiani, ſecundùm profeſſionem ſuam viventes, poſt mortem gaudebunt in cælo; itemque jus illud, quod in præſenti ad hoc præmium obtinendum acquiſiverunt. Notate pulcherrimam iſtam Apoſtoli conſequentiam: *Si Filij, & Hæredes.* Sicut Pater terrenus filium, qui ſe illi probat, non poteſt privare hæreditate, ita ne quidem poteſt excludere adoptatum. Leges enim non permittunt. Multo minus accidere poterit, ut Pater cæleſtis cunctos nos ut filios ſuos agnoſcens, licet adoptivos, ſed tamen divinæ participes

naturæ, feliciſſimâ, qui eſt Deus ipſe, exuat hæreditate. *Hæreditas quidem Dei*, modò ab ejus obſequio non deficiamus. Cælum igitur, Chariſſimi, in ipſo collati Baptiſmi momento pro nobis aperitur, portæque illæ adamantinæ, nullo perfringibiles malleo, ſua ſponte reſerantur, ut ita apertæ exſpectent animam fidelem, quamdiu illibatam ſervat innocentiam, aut ſaltem pœnitentiâ perditam recuperat. Atque hic omnino oportet, ut modum baptizandi vos doceam, ut quandoque, cùm neceſſitas poſtulat, regnum cælorum tuto Animæ alicui poſſitis aperire, & tanti boni poſſeſſionem miniſterio Sacramenti conferre.

*S. Thom. 3. p. q. 67. ar. 3.* XIV. Sciendum ergo eſt, cùm Sacramentum hoc ſit maximè neceſſarium, voluiſſe Chriſtum Dominum eſſe quoque adminiſtratu faciliimum: hinc quivis ad baptizandum aptus eſt, licet etiam ſit Infidelis. Et quamvis nemo licitè baptizet, quando proprius ad id faciendum Miniſter haberi poteſt, qui eſt Sacerdos, nihilominus unusquisque validè baptizat. *S. Thom. 3. p. q. 66. ar. 3.* Materia hujus Sacramenti eſt aqua communis, quæ, ſicut principium generationis, propriiſſimè regenerationem novæ vitæ nobis repræſentat; per virtutem verò, quam habet, abſtergendi, omnium ſordium ablutionem; per virtutem refrigerandi, fomitis mitigationem, denique per ſplendorem, lumen fidei nobis ſignificat. Forma in his conſiſtit verbis. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Exprimendo hiſce verbis, *ego te baptizo*, actum baptizandi, reliquis verò ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, vocibus quidem iſtis *in nomine* unitatem eſſentiæ, cæteris, Divinarum Trinitatem perſonarum. Quapropter, ut ſpecimen vobis ſacræ hujus adminiſtrationis proponam, ſi vobis infans baptizandus, urgente neceſſitate, offerretur, quid faceretis? Oporteblt accipere aquam, eamque infundere capiti (& caſu quo id fieri non poſſit, principalior pars, quæ proſtat, tingenda foret) exprimendo actum ipſum baptizandi his verbis, *Ego te baptizo*. Et immediatè reliqua verba pronuncianda ſunt, quæ, dum Cruce nos ſignamus, ſolent proferri. *In nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti*. Ita ut uno tractu omnia ſimul enuncientur: neque perturbari vos ſinite, ut ſæpe in caſibus ſubitaneis & inexſpectatis fieri ſolet; atque ob hanc cauſam exiſtimavit S. Thomas, ſi taliter à laico domi baptizatus ſupervixerit, debere à Sacerdote ſub conditione denuo baptizari. *Non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum.* Et quia mentionem feci de termino iſto, *ſub conditione*, non abs re erit etiam hoc ipſum explicare. Sciendum ergo eſt, quòd ſi deprehendi non poſſit, vivane ſit proles an mortua, tunc erit baptizanda, ut ſi viva eſſet, ſalvetur; ſed tamen ſub conditione, ne Sacramentum periculo nullitatis exponatur, ſi mortua foret. Ideoque ſic dicere debetis: *Si vivis, ego te baptizo, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Quòd ſi deinde mor-

mortuam fuiſſe experiamini, nolite turbari, quia in tali caſu pietas veſtra fuit, ne temerè egiſſe cenſeri poſſitis. *Non intervenit temeritas præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.* Cæremoniæ aliàs conſuetæ, ut ſunt impoſitio nominis, exorciſmus, Catechiſmus, Chriſma, Sal benedictum, etſi myſterijs cæleſtibus ſint plenæ, non ideo tamen ad validè baptizandum ſunt neceſſariæ. Hinc eſt, quòd in caſu neceſſitatis urgente, ſine ſcrupulo omittantur, quæ poſtea pro antiqua Eccleſiæ conſuetudine, periculo jam præterito, ſupplentur; his enim ritibus viſibilibus ad effectuum inviſibilium, in Sacramento productorum, cognitionem Fideles inducantur.

XV. Quapropter hîc mihi temperare non poſſum, quin juſtiſſimo Zelo invehar in matres, quæ dum gravidæ ſunt, quaſi nullius pretij aut valoris geſtarent onus, nec animam cæleſtis gloriæ capacem, mille abortiendi periculis ſe exponunt; aut indebitâ & nimiâ corporis agitatione, aut graviore, quàm ferre commodè poſſint, frumenti, faſcium, ſimiliumque onerum geſtatione: an levis vobis videtur jactura Animam Baptiſmi expertem perdere? Tantum eſt hoc damnum, ut ad illud dignè deplorandum tota non ſufficiat æternitas, quâ durante, hæc Anima Deum glorificâſſet, gaviſaque fuiſſet, ſi negligentiâ veſtrâ non, antequam naſceretur, jam obijſſet. Quid verò dicemus, ſi unquam tam enorme patraretur ſcelus, ut ad tegendam criminis infamiam adhuc majori ſcelere proles in utero ſuffocetur? Quis explicabit, ſceleris tam deteſtandi atrocitatem? Cæleſtem animæ auferre hæreditatem? Quomodo infelix mater unquam tanti furti damnum reparabit? Quibus in fodinis æquivalentem reperiet theſaurum? Hanc ſceleris enormitatem inconſolabilibus deplorat lacrimis Eccleſia, quæ velut formoſa illa Rachel Animarum ſibi perditarum, amiſſâ recuperandarum ſpe, ſolario deſtituta ingemiſcit. *Noluit conſolari, quia non ſunt.* *Matth. 2. 18.* Quod ſi Chriſtianus baptizatus occidatur, ſancta Eccleſia, velut mater mortui in hoc exilio filij, jacturam deplorat; ſpes eam nihilominus ſolatur, quod idem net vivat in Patria. Hoc verò ſolatium in occiſa ante Baptiſmum prole habere non poteſt. Hic nec ſpes, nec remedium, nec compenſatio locum inveniunt. *Noluit conſolari, quia non ſunt.* O infelicem ergo Animam, quæ aliam ultimo ſuo fine privavit! Execrabili hoc facinore cunctis Servatoris noſtri finibus ſeſe oppoſuit. Hæc omnia ipſius itinera, ſudores, afflictiones, Paſſionem, mortemque duriſſimam, quæ omnia ſolam illam precioſam vitam, per Baptiſmum acquirendam, pro fine ſuo habebant, irrita fecit. *Ego veni, ut vitam habeant.* *Joannis 10. 10.* Quàm horrendum igitur erit, audaciſſimis hujuſmodi homicidis coram Chriſti Tribunali comparere, & juſtum verumque Animæ ipſi ablatæ pondus in bilance Crucis intueri! Pro unica anima ſalvanda, ſi res poſceret, in terras redirem, omniaque,

quæ pro cunctis in cruce paſſus ſum, ſuſtinerem libentiſſimè; quodam die Chriſtus dicebat S. Brigittæ. Conſiderate jam, quanta pro amoris hujus menſura futura ſit Servatoris noſtri indignatio contra eum, qui ipſi Animam, ipſum verò Animæ, cælumque totum auferre auſus fuerit? Nihil juvabit hìc ad ſe purgandum timor ignominiæ, aut totius familiæ infamia. Idem eſt, ac atramento ſe lavare, & mundatum ſe putare. Quis ille timor, quæ infamia, quod opprobrium, quis ille familiæ ſplendor, ubi de æterna Animæ felicitate agitur? Cùm à principio Deus prohiberet homicidium, etiam ab ipſis beſtijs rationem & vindictam ſe petiturum declaravit: *Sanguinem animarum veſtrarum de manu cunctarum beſtiarum requiram.* Non quòd unquam beſtiæ coram Deo reæ homicidij eſſe poſſint, ſed ut intelligamus, nullam coram tribunali divino excuſationem pro legitima acceptum iri, ubi de voluntario agitur homicidio; cùm ipſæ quoque feræ, quaſi culpabiles arguendæ ſint, quæ tamen iniquitatis ſunt incapaces. Quod ſi ergo qualecunque homicidium punietur absque ulla remiſſione, quanto magis, quod à Patre, aut Matre in prole innocente committitur, vindictæ æternæ caſtigandum remanebit? Certè antiqui Chriſtiani tam enorme & atrox putârunt ſcelus, ut multo tempore conſuetudine receptum fuerit, tanti ſceleris reum, toto vitæ ſuæ ſpacio ab introitu Eccleſiæ prohibere. Ita ſtatuit Concilium Ancyranum canone vigeſimo primo, & Concilium Illiberitanum judicavit, etiam in mortis articulo ſimilibus difficulter ſanctiſſimam Communionem permittendam. *Vix in fine danda eis Communio.* Moguntinum, tantum mitigans rigorem, permiſit, ut in fine decem annorum communicare poſſint, hoc tamen pacto, ut totâ reliquâ vitâ tam atrox ſcelus pœnitentiâ continuâ deplorarent. *Ita tamen, ut omni tempore vitæ ſuæ fletibus & humilitati inſtant.* Hic eſt ſanctæ Eccleſiæ ſenſus in ponderanda, & punienda illorum iniquitate, qui hominem Baptiſmi expertem peremêre. Huic Conciliorum, & Eccleſiæ bilanci neceſſe eſt etiam æſtimationem noſtram reſpondere, quæ toties aliàs minoris quàm ſint, res ponderis judicat. Non exiſtimabo, aliquem eſſe inter vos tam horrendo inquinatum crimine; quod ſi verò quis eſſet, illi non tam ſalubre, quàm neceſſarium do conſilium, ut nullum elabi ſinat diem, quo non amariſſima cordis contritione à Deo veniam expoſcat, tamque diu pœnitentiæ lavacro ſe abluat, quousque in fine vitæ deſideratam animæ munditiem ſe conſecutum eſſe ſperare poſſit. Vipera, inquit S. Joannes Chryſoſtomus, poſtquam morſu venenato hominem infecit, anhelat ad aquas, quaſi ab hoc maleficio ſe purificatura. Quarè ſi ejusmodi venenata hîc eſſet vipera, quæ non alienas, ſed proprias etiam proles duplici, & corporis & animæ morte peremiſſet, ad ſalutiferas pœnitentiæ lymphas properet; nec levi brachio ijsdem ſe la-

vet,

lib. 1. revel. c. 88.

Geneſ. 9. 5.

ret, ſed totam omni ſtudio ſe immergat, ut cunctam tam funeſti ſceleris memoriam eſſe abolitam experiatur. Væ aliàs infelici, ſi coram Tribunali divino repetundarum arguatur! Sanctus Vincentius Ferrerius, audito Sororis ſuæ obitu, ſæpius Sacroſanctam pro ea Deo litavit hoſtiam, ut, in quo ſtatu illius eſſet anima, à Deo intelligeret, opemque, ſi indigeret, adferret. Et ecce, quodam die manè, dum facit ad Aram, videt illam ad ſe venire totam flammis circumdatam, infantem manibus gerentem, quem in fruſta diſcerptum miſera devorabat, nec unquam conſumebat. Siquidem jam devoratus de novo creſcere videbatur, ut ſemper repetere poſſet diram illam lanienam. Hoc verò atrociſſimum tormenti genus fœmina iſta ſubire cogebatur ob abortum, quo vim ſibi ab æthiope mancipio illatam ſtulta cooperire conata fuit. Bonum mihi eſt (ita ſanctum fratrem affabatur) bonum mihi eſt, quòd tam grande ſcelus ardentiſſimâ cordis contritione abluerim: quod ſi non feciſſem, pœna hæc tam horrenda, quam in purgatorijs modò flammis ſuſtineo, in Inferno nunquam finienda mihi ſufferenda fuiſſet. His dictis diſparuit, conſilium ſupra datum commendans, ut nunc ea aſſiduis & amaris deploremus lacrymis, pro quibus ſine illarum effuſione nullum aliud dabitur remedium.

II.

XVI. Sed non volo ampliùs reprehenſionibus, quas non meruiſtis, turbare conſolationem veſtram, ortam ex diſcurſu de Baptiſmi Sacramento. Quid videtur vobis, Chariſſimi, de magno illo Animæ baptizatæ privilegio? Poſſe dicere: Filia Dei ſum magis propriè, quàm homo terreni patris filius: Soror ſum JEſu Chriſti! ſum Templum, Thronus, ſponſa Spiritûs Sancti, ipſe eſt vita mea; Hæres ſum Paradiſi, meum eſt cælorum Regnum, & meum erit in æternum; ſi non voluntariè aliquo peccato eidem renuntio! Neſcio profectò, quomodo intellectis veritatibus, tam mirabilibus & certis, cor è pectore non proſiliat. Aſt omne Feudum ſuum habet Homagium; onus ſequitur honorem. Quæ verò ſunt Chriſtiani obligationes in Baptiſmo contractæ? Mihi videntur ad duas reduci, quas Eccleſia eleganti illa comprehendit oratione, Deoque pro omnibus fidelibus offert: *da cunctis, qui Chriſtianâ* Dom. 3.
*profeſſione cenſentur, & iſta reſpuere,* poſt.
*quæ huic inimica ſunt nomini, & ea, quæ* paſch.
*ſunt apta, ſectari.* Et, ut dicamus quod res eſt, quæ ſunt arboris ſylveſtris obligationes, poſtquam nobiliori inſito ſurculo è ſylva in hortum eſt tranſplantata? Sunt imprimis, non ampliùs acerbos & ſylveſtres, ſed ſuaves deinceps & maturos fructus producere. At nos, Chariſſimi, ſylveſtres illæ ſumus arbores, qui nati in deſerto, ſteriles inter naturæ infectæ arenas, incapaces eramus ullos unquam vitæ fructus proferre; ſi non Baptiſmi ope, Chriſto inſerti, in delicioſum Eccleſiæ hortum mirâ felicitate tranſplantati fuiſſemus. Ita ab Apoſtolo vocati ſunt Chriſtiani: *com-*

*planta-*

Rom. 6. 5. *plantati*, aut ut habetur in græco, *conſititiis*, ut intelligamus, quibus obſtringimur, obligationes, non ampliùs ſecundùm veteris trunci, id eſt, Adami ſed JEſu Chriſti, cui inſiti ſumus, inclinationem fructificandi. *In novitate vitæ ambulemus.* At videte quæſo, quàm comptâ interdum excuſatione utantur aliqui, ut ſenſualitatibus ſuis, & paſſionibus liberiùs indulgeant! dicunt, *carne conſtamus:* hoc prorſus idem eſt, ac ſi oleaſter, quia è ſylva extractus eſt, poſtea, etſi tranſplantatus & nova inſitione excultus prætenderet ingratos, ut anteà, fructus producere. Non ita, Chariſſimi; ideo Chriſtiani ſumus, ut non ampliùs ſimus de carne; non carnem ſequamur, carnis renunciemus operibus, nec impoſterum inſipidos naturæ corruptæ fructus proferamus. *Chriſtianus*, inquit Tertullianus, *eſt homo non hujus, ſed futuri ſeculi:* his omnibus ſolemniſſimum in Baptiſmo dedit repudium, Carni, Mundo & Dæmoni: omnibus horum cupiditatibus mortuus & ſepultus eſt: quod eſt idem, ac ſi quis diceret; abſit, ut aliquando ad ſimilia profeſſioni ſuæ indigna homo baptizatus aſpiret. Hinc eſt, quòd olim infantes baptizandi aquæ immergerentur, ut hoc modo Salvatoris noſtri ſignificaretur ſepultura, cui ſe fideles tali Sacramento ſuſcepto ſibi jam mortui confirmant. *Conſepulti*
Rom. 6. 8. *ſumus cum Chriſto per Baptiſmum in mortem.* At conſiderate obſecro, quanta quotidie inter Chriſtianos ordinis videatur perverſitas? tot mortuos inſeliciter reſuſcitatos extra ſepulchrum vivos deprehenderetis: volo dicere, tot, qui operibus carnis, in ſacro fonte ſubmerſi, renunciaverant, vitam vivere adeò infamem, quæ ipſis etiam infidelibus pudori foret. Seculi hujus deteſtari pompas, plus ſuperbiæ, vanitati & faſtui ludent, quàm ſi ijs ſe dedendi profeſſionem feciſſent. Servitutem Diaboli execrati, plus cunctis ejus obediunt ſuggeſtionibus, quàm unquam alias; nec tantum abſque moleſtia, ſed magnâ cum lætitia! quid ergo foret, ſi de temporibus noſtris diceretur, quod de ſuis dicebat S. Auguſtinus? *omnibus pejùs vivunt mali Chriſtiani, & talibus plena eſt Eccleſia.* Sed timeo, ne verè iſta, atque his plura dici poſſint.

XVII. Non vellem vobis perſuaderetis, Chriſtiani alicujus peccatum faciliùs quàm Infidelis veniam mereri, cum dicto: *Chriſtiani ſumus, ſi cælum non eſt pro Chriſtianis, pro quibus ergo erit?* Cælum Chriſtianorum bono conditum eſt, non nego, ſed hac conditione, ut Chriſtianorum more vivant. Cæterùm tres circumſtantias valde aggravantes in peccatis ipſorum Apoſtolus obſervat. Prima illa eſt, quòd Chriſtiani peccando pactum cum Patre æterno initum, acceptando illum in Patrem, ſeque donando in filios, violent, pactum, non pro more antiquorum victimæ communis, ſed Agni pro ipſis occiſi ſanguine confirmatum. *Sanguinem inſtrumenti pollutum duxit in quo ſanctificatus eſt.* Altera circumſtantia aggravans eſt, quòd Filium Dei, cujus in Baptiſmo facti ſunt fratres, & quidem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

illum veri fratres pedibus conculcent. Frater verò, ut obſervant Scriptores, dictus eſt; *quaſi ferè alter.* Hinc particularem fratres obligationem habent amandi ſe invicem, & frater fratrem velut alterum ſe honorandi. *Ferè alter.* Atque ideo verbis vix exprimi poterit, quanta Chriſto ab illo fiat injuria, quicunque, dum peccat, divinamque hanc cognationem contemnit, Filium Dei tam excelſum conculcat, affligit & blaſphemat: & cur? ut tantùm brutali alicui paſſioni ſuæ ſatisfaciat. Deniq; Peccator Chriſtianus præter injuriam & contemptum, quo Patrem afficit, & Filium, cœleſtem illam adoptionem, tamque ſublimem aſpernando fraternitatem, etiam Spiritum Sanctum deſpicatui habet. *Spiritus gratiæ contumeliam facit.* Et quid eſt baptizare infantem alienum? Eſtne fortè aliud, quàm vivum Spiritui Sancto præparare templum, qui in eo debeat habitare? Quare ſicut gravius eſt, crimen aliquod perpetrare in templo, quàm in alio quovis loco profano, ita deteſtabilius eſt crimen à Chriſtiano, quàm ab Infideli commiſſum, ita ut omnis culpa noſtra ſit, ita loquendo, quaſi ſpecies Sacrilegij. Quod ſi ita eſt, quomodo adhuc dicere audetis, cœlum eorum etiam Chriſtianorum commodo conditum eſſe; qui nolunt vivere, ut Chriſti cultores decet? Imò Sanctus Thomas concludit, quodvis peccatum Fideli & Infideli commune, quodcumque fuerit, ſive furtum, ſive fornicatio, ſive odium, ſi modò paria ſint cætera, ſeveriùs in illo, quàm in hoc punitum iri: idque propter majorem, quam habet, altiſſimorum gratiæ donorum, in Sacramentis acquiſitorum, obligationem. *Peccatum non eſt minus in fideli, quàm in Infideli, ſed multò majus. Nam peccata Fidelium aggravantur propter gratiæ Sacramenta, ſecundùm illud: quando magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui ſanguinem teſtamenti, in quo ſanctificatus eſt, pollutum duxerit &c.* S. Thom. 2. 2. q. 10. ar 3. ad 3. (in 4. d. 89. ar 5.)

XVIII. Sed non ſufficit, Chriſtianum ſolùm à peccatis abſtinere, *illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt nomini,* ſed inſuper bonum operari oportet, *ea quæ ſunt apta ſectari.* Arbores in Chriſti religionem transplantatæ, ipſoque Chriſti Salvatoris Sanguine irrigatæ, nonſolùm non debent germinare fructus mortis, ſed vitæ fructus proferre debent; aliàs licet non ut noxiæ, ſed velut inutiles ad ſecurim condemnabuntur. *Ut quid etiam terram occupat?* Luc. 13. 7. In veritate, quid faciendum certis quibusdam hominibus, qui nec calidi ſunt, nec frigidi, ſed ſolùm tepiditate ſuâ inſolitâ Deo nauſeam provocant? *Quid tu hic, aut quaſi quis hic?* Iſ. 22. 16. Mirabilis eſt hæc interrogatio, quâ unumquemque veſtrûm alloquitur; ſi vobis ſufficit, nec homicidio aliquo, nec invidiâ, nec injuſtitiâ, nec adulterio inquinatos eſſe, ſed ſi de bonis operibus non eſtis ſolliciti, neque crebriùs Confiteri & Communicare, neque explicationi verbi Dei frequenter intereſſe, nec familiam benè educare, neque alijs pietatis & charitatis vacare operibus ſtudetis *quid tu hic?* Quis es tu, quem in album bapti-

zatorum relatum reperio? Esne tu Chriſtianus? Ergo ex plantis illis una es, quam Filius Dei ab æterno in vineam ſuam translocare; ſudore ſuo irrorare; & ſanguine ſuo roborare deſtinavit? At ubi fructus, quos exſpectat Dominus? Præter frondes nihil aliud video: *Quaſi quis hic*: viſitantur Templa, ſed mera ex conſuetudine; auditur Miſſa, ſed quomodo? Videntur quandoque aliqui hoc tremendo Sacrificio durante canibus ſuis inquietiores, impudentioresque; itur ad Veſperas, ad Supplicationes, ad Conciones ſacras, ſed temporis fallendi causâ. Hoc eſt, non verum, ſed larvatum eſſe Chriſtianum; hoc eſt locum occupare, nec fructum tamen ferre; hoc eſt non Fidelem, ſed quaſi Fidelem eſſe. *Quaſi quis hic*. An non probroſum vobis videtur; Glorioſum ſibi contemptoris Mundi, Carnis debellatoris, & imitatoris Chriſti vendicare nomen, vitâ verò perperam actâ, tam ſplendido nomini non reſpondere, non aliter quàm antiquæ illæ pyramides, quæ ab igne nomen mutuabantur, cùm tamen non niſi frigida eſſent ſaxa?

XIX. Evigilate ergo Chariſſimi, neque in animum inducite; ſatis eſſe Chriſtiano, nihil male agere. Seponite pauliſper tot, & tam diverſas negotiorum tricas, laborioſas familiæ curas, tam implicita inter homines comercia; quæ licet quoad ſubſtantiam non ſint illicita, nihilominus numero opprimunt, nec debitæ erga Chriſtum obligationi ſatisfaciendi, aut de eâ cogitandi tempus relinquunt. Verùm eſt, araneas telis ſuis non irretire apes, nec interficere; nihilominus laborantes impediunt, quò minus mel, dulce illud opus ſuum, conficiant, cui gratiâ productæ ſunt. Vos à Deo per Baptiſmum regenerati eſtis, ut tale elaboretis mel, quod menſæ Dei in cœlo inferri mereatur. An non videtis! nimijs illis, quibus crepundia caduca vos obruunt, occupationibus in magno illo ſalutis negotio, ad quod ut Chriſtiani vocati eſtis, vos impediri? Viliſſimæ hæ aranearum telæ, quæ unico mortis afflatu diſſipabuntur, beatiſſimum finem veſtrum bonis operibus attingendum vobis eripiunt. Alium imposterum vivendi modum inchoare oportebit. Olim candida illa veſtis, quâ recens baptizati induebantur Chriſtiani, conſervari ſolebat, ut ſi fortè contingeret, horum aliquem in perſecutione tormentis victum fidem abnegare, in turpiſſimæ exprobrationis ſignum oſtenderetur, & in illâ veſte profeſſionem à ſe Deo factam legeret, ejuratæque illum poſtea Fidei puderet. Non dubito, quin ſimile quid in morte nobis exprobraturus ſit Diabolus; qui coram tribunali Divino compariturus glorioſam Baptiſmi gratiam tam malè uſurpatam objiciet. Ajunt Julianum Apoſtatam victimarum magnâ copiâ Idolis immolatarum ſanguine conatum fuiſſe impio auſu Baptiſmum ſuum delere. Opus id erat factu impoſſibile, charactèrem enim Sacramenta illa, ut dixi, ita animæ potentijs imprimunt, qui adeò

inde-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

indelebilis eſt, ut nullâ vi creatâ eradi queat. Sed ſi unquam conatus hic ſortiretur effectum, dicerem profectò, quibusdam perditæ conſcientiæ Chriſtianis profuturum, ſignum illud ab animâ eradere, quod damnatis alijs eodem notatis incredibili erit confuſioni. Infideles, alijque miſeri reprobi hoc ſigno carentes, ita damnatis exprobrabunt Chriſtianis: Iſti & iſtæ nomina ſua mutavêre, ut ſe mortuos peccatis ſignificarent; attamen multò plura quàm nos perpetravere. Nomen talis Sancti & Sanctæ mutuati ſunt, non ut vitam eorum imitarentur, ſed planè diverſam ab ea viverent. Hic frontem Cruce ſignatus fuit, ut publicus ejusdem eſſet defenſor; ejus tamen usque ad mortem infenſiſſimus hoſtis fuit. Iſtius ori ſal impoſitum fuit ad ſignificandum, quâ prudentiâ & ſinceritate linguam ſuam tegere deberet; ſed quid non illa fecit? Usque in Cœlicolas habenas laxavit, adeò enormiter, ut ne quidem contumelijs in Deum abſtineret. Ille ſacro Chriſmate inunctus fuit, quaſi Sacerdos altiſſimi futurus eſſet cultui Divino conſecratus, in ampliſſimo hujus Mundi templo; illo tamen multo reverentiores fuêre Turcæ, qui templa ſua & cæremonias nunquam tali temeritate, quâ iſte, profanaverunt. Hic Mundo, Carni & Sathanæ renunciavit, ſed quid amplius facere illorum causâ potuit, ſi tria hæc idola ſupplici adoratione palàm colere decreviſſet, qui eadem confracta conculcare debuerat? Hoc modo damnati iſti loquentur, aut, melùs dicam, ipſorum loco propria Chriſtiani reprobi conſcientia exprobrabit, tamque illuſtrem, tantæ perfectionis, & præmij impreſſum characterem quaſi in ſupplicij & pœnæ inſtrumentum convertet. Quare, Dilectiſſimi mei, noſtrâ intereſt tam luctuoſum eventum occupare: dum tempus habemus, renovemus profeſſionem noſtram iterum toto corde, ſicut in Baptiſmo fecimus, Mundo, Carni & Diabolo renunciemus, denuo vitam nomine noſtro dignam inchoemus. Apud pleroſque Religioſos in more poſitum eſt, quotannis ſemel ſolennia ſua vota & profeſſionem reſtaurare. Hos & vos, Chariſſimi, imitamini. Diem vobis, aut Baptiſmi ſuſcepti anniverſarium, aut alium, qui vobis magis placebit, feſtivum ſeligite, quo, pro immenſo ad Chriſti Fidem vocationis beneficio iterum gratias agentes, id, quod in Baptiſmo Deo promiſiſtis, confirmetis, faciliusque ſatisfaciatis obligationi veſtræ, cujus merces erit cœleſtis illa hæreditas, cujus olim in Sacro fonte jus vobis collatum eſt.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# DISCURSUS VI.

## *De Sacramento Confirmationis.*

I. MOris eſt in magnorum inauguratione Regum, non regijs ſolùm illos decorare inſignibus, ſed etiam armis præmunire. Sed ecce Chriſtiani omnes Reges ſunt coronati; *Hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe.* Atque ideò non ſatis eſt tantùm in die inaugurationis (qui eſt dies Baptiſmi illorum,) non ſatis eſt, inquam, tam formosâ eos ſtolâ exornare, quâ Agni Divini Sanguine dealbatâ induantur, ſed neceſſum eſt inſuper, invicta ipſis procurare arma eodé Sanguine præparata; id quod ſubinde in Confirmationis Sacramento peragitur. Jure meritoChriſtianus baptizatus à celebri illoParisienſiEpiſcopo Regis coronati nomine appellatusfuit. *Rex in conſecratione coronatus.* Imò Chriſtianus Sacramento Confirmationis munitusRexprobè armatus eſt habitus. *Rex ad prælium galeatus.* Hodie ergo tanti momenti veritatem viſuri, duo conſiderabimus. Primò horrenda illa prælia, quibus ne cœleſti Regno potirentur, tentati fuere Fideles. Secundò, illuſtres, quas à talibus inſultibusFideles reportârunt, victorias.

*Jacob. 2. 5.*

*Guilielm. Pariſ. de Sacr. Conf. c. unic.*

II. Quamvis Mundus Diabolo aſſociatus mille habeat nocendi artes, omnes nihilominus commodiſſimè ad duo reducuntur capita: ad vim apertam & ad fraudem. Aliquando fidem manifeſtis impugnavit perſecutionibus, ſanguinem profundendo; aliàs perſecutione tectâ, ſed magis noxia, ludibrijs illam exponendo. Hunc modum à ſtygio ſuo magiſtro didicit; qui, ut bene monet S. Auguſtinus, modò Leo, modò Serpens nominatur, quia dextrè utriusque imitatur naturam. Leo eſt, *propter apertam iram*, Serpens verò eſt, *propter occultas inſidias.* Quodcunque tamen fidem ſuperat: Et vis & fraus in fumum abiére: generoſi enim Chriſti milites grandi animo in Confirmatione ſua roborati, utroque pugnæ genere hoſtem feliciter profligare, nec timorem in pectore, nec pudorem in vultu admittentes. Agimus de primo, pugnamque apertam priùs inſpiciamus.

### I.

III. Tria ſunt, quæ pugnam reddunt formidabilem. Hoſtis ad confligendum accincti ferocia; arma, quibus concurritur; tempus, quo durat prælium. Jam verò quod ad hoſtes, fuerunt illi potentiſſimi: inter quos (præter plurimos alios magnos Principes) omnes ferè Romani Imperatores usque ad Conſtantini tempora, numerati ſunt: & poſt hos magna quoque Imperatorum Orientalium pars veritati Rebellium. Sed intra decem illas, quas Imperium Romanum Fidei adhuc novellæ movit, perſecutiones, ſiſta-

ſiſtamus, attentiusque aliquantiſper eis conſideremus. Sanctus Joannes in Apocalypſi ſuâ ſub monſtri ſchemate, decem habentis cornua, & ſupra quodvis cornu decem coronas, fortitudinem ejus deſcribit. Monſtrum hoc ut dixi, antiquum Imperium Romanum eſt, quod decem cornibus, id eſt, decem Cæſaribus, & coronis decem in quovis cornu, id eſt, pluribus ſub cujusvis Imperatoris gubernatione Regionibus, furiâ plusquam diabolicâ fideles impugnare cœpit. Neque miremini, me furiâ plusquam diabolicâ dixiſſe; quia ultra nativam eorundem crudelitatem ſuam inſuper Diabolus illis infundebat; quibus ſceleratis, cùm tanquam Ducibus ſuis uteretur, continuis furorem illorum facibus promovit, adeò, ut infernalis iſta rabies Chriſtianorum magis accenderetur ſanguine, quàm ſopiretur. Inſuper illi ipſi potiùs Tyranni quàm Imperatores, ſpecioſæ pietatis prætextu, à Majoribus quaſi hæreditario jure ſibi relictæ, infeſtis Chriſtianos armis impetebant, ut ſuperſtitioſam Religionem ſuam conſervarent. Maximè verò prætextus ille, quem Rationem ſtatus vocant, rabiem illorum inflammabat; quâ deluſa illa monſtra putabant, Fidem noſtram ſtabiliri non poſſe, nec fundari, niſi ſupra Imperij ſui ruinam, idolorum Romanis auferendo protectionem, quorum ope ad tantam nominis gloriam ſe perveniſſe falsò ſibi perſuadebant. Hi ergo, qui millenis & domeſticis, & externis ſeſe implicantes bellis, ut thronum imperialem conſcenderent, divinas & humanas violaverunt leges, quid ſceleris tentare non fuerint auſi, ut, poſtquam conſcenderant, eundem firmarent & conſervarent? Adhæc ſupremorum Capitum ſtulta iſta perſuaſio in reliqua membra, hoc eſt, omnes Mundi Nationes transfundebatur: quæ partim Dominis ſuis adulandi, partim imitandi gratiâ (ut ijsdem excœcata erroribus) ubique terrarum contra Chriſtianos accuſatos, velut rebelles, ſeditioſos, & veneficos, velut contra Gentem mortalium generi noxiam, & inimicam cœlo, certatim inſurgebant.

IV. Tales fuerint aggreſſores: arma quoque illorum nunc conſideremus. Hæc omnis generis cruciatus fuêre: Homines comburere vivos, vivos in arenâ ſepelire, feris objicere dilaniandos, caudis equorum alligatos trahere, medios ſecare, in pice coquere, affigere cruci, cataſtis membra ſuo loco movere, uncis usque ad viſcera diſcerpere, mortuos vivis jungere, præter millenas alias inventiones, quas, quicunque rectè intuitus fuerit, citra omne dubium agnoſcet eſſe opera, quorum ideas Orcus adinvenerit.

V. Aſſultus tamen iſte, tam qualitate & inimicorum multitudine, quàm varietate & armorum ſævitie formidabilis, trecentorum ferè annorum ſpacio continua ſerie in Regionibus tunc cognitis duravit: poſt Conſtantinum verò Imperarores Orientis plurimi hæreſi infecti, plusquam ſexaginta annis prolongârunt. Nihil dicam de his ipſis noſtris temporibus, quibus Idolo-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dololatræ in Indijs, & Hæretici non longè ab oculis noſtris æquali contra nos furore ſævire pergunt. Perpendite igitur, quàm terribilis fuerit hæc pugna, cui nulla unquam in hiſtorijs celebrata poterit comparari. Nihilominus in pugna tam longa, tam implacabili, tamque obſtinata, tam validis inſtructa armis, ab hoſtibus tanti nominis & ſocietatis protracta, Chriſtiani generoſis, & plusquam humanis decertantes animis, virtuteque Sacramenti Confirmationis roborati, victores extitêre. Et quis hoc non miraretur? Unum quod inter alia præliantibus obicem ponit Victoriæ, non eſt minimum loci, & ſitûs incommoditas. Quando ſcilicet à loco eminentiore ab aggreſſoribus in planitie diſpoſita agmina duplicatis quaſi vicibus invaduntur, inſtar aquarum horribili ſtrepitu ab alpibus deorſum properantium. Et hæc erat Chriſtianorum conditio: nonſolùm erant ſubditi, ſed ſemper depreſſi, omnibus facultatibus, officijs, & dignitatibus privati. Fidei verò hoſtes ſemper erant omnium potentiſſimi, ſæpius etiam ſupremi illorum Principes. Nihilominus in hac mirabili conditionum inæqualitate Chriſtiani perſecutorum ſuorum enervârunt vires, & denique fugitivos campo cedere coëgerunt. *Steterunt torti torquentibus fortiores,* inquit S. Cyprianus de SS. Martyribus, *& pulſantes ac laniantes ungulas, pulſata, ac laniata membra vicerunt.* Neque hoc per auxeſin ab ipſo dictum fuit. Plurimæ enim perſecutiones invictâ profectò Chriſtianorum conſtantiâ ſuperatæ furere defierunt. Is Antoninus, cùm eſſet in Aſia, vidit ingentem. Fidelium numerum morti deſtinatorum, mutatâ ſententiâ mandavit, ut Euſebij refert hiſtoria, ut tandem crudelitati hucusque exercitæ finis imponeretur. Ob parem invictorum animorum conſtantiam proſcriptiones ſuas revocavit Adrianus Imperator, uti & Trajanus à Plinio Bithiniæ Proconſule certior factus de ingenti ardore, quo noſtri quaſi Triumphabundi turmatim morti obviam procedebant. Et quod plus eſt, Maximinus Tyrannus omnium crudeliſſimus, animadvertens Chriſtianos ſemper magis eſſe inſuperabiles, edictum evulgavit, ſe Chriſtianis, quamvis poſt tot Cæſarum edicta & ſupplicia in ſententiâ ſuâ perdurarent, generalem impertiri veniam, ſuâque eos impoſterum clementiâ protecturum.

lib. 2. ep. 2.

VI. Deſideratisne teſtimonia magis authentica gratiæ, quæ in Sacramento Confirmationis confertur? At quibus, inquietis, argumentis inductus aſſeris; antiquos Martyres tantam animi conſtantiam potiùs ex hoc, quàm alijs hauſiſſe Sacramentis? Disertè id probatur ex fine, ob quem à Chriſto fuit inſtitutum, ex formâ & materiâ. Si ſpectetis materiam, ea ex balſamo & oleo mixta eſt, quâ ſecundùm ſanctum Auguſtinum ſignificatur, tali unctione Chriſtum ad luctam cum Dæmone ineundam nos velle diſponere: *Ideo Deus nos unxit, quia luctatores contra Diabolum fecit.* Oleum gratiam Spiritûs Sancti indicat, cujus virtute vincimus: balſamum

verò

verò boni exempli fragrantiam, quod in alios redundat. Bini hi liquores in unam commiſcentur, quòd effectus illorum jam explicati nunquam disjungi poſſint. Si formam conſideretis, tota in verbis ab Epiſcopo prolatis conſiſtit. *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.* Hæc vox, *Signo te ſigno Crucis*, Chriſtiano quaſi militi tironi teſſeram bellicam aſſignat, ut noverit, quo Duce militet; ſcilicet Chriſto JEſu. Illa voce, *Confirmo te Chriſmate ſalutis*, robur ſpirituale ad viriliter pro ſalute animæ pugnandum infunditur: & quod additur, *in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti*, demonſtrat in hoc Sacramento non ordinariam aliquam ſed fortitudinis plenitudinem conferri, *plenitudo roboris ſpiritualis.* Ideoque in nomine totius Sanctiſſimæ Trinitatis conceditur, quaſi cauſæ immediatæ, à qua infunditur. Si denique finem intueamini, clariſſimè id, quod dico, cognoſcetis. Nullum eſt dubium, velle Deum Regno cœlorum nos beare, ſed non tanquam dono: vult, ut illo tanquam generoſi milites ſtricto gladio potiamur. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.* Deus agit nobiſcum quemadmodum amantiſſimus aliquis Dominus, qui nihil unquam præcipit, quin eo ipſo tempore vires ad exequendum neceſſarias communicet: quare cùm velit, ut vincamus cum ipſo, neceſſe fuit, ut ſuum quoque ſecum vincendi Spiritum tribueret. Quod in Sacramento Confirmationis, de quo nunc agimus, contingit.
*In hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur ſpirituale.* Verba ſunt S. Thomæ. S. Th. 3. p. q. 72. ar. 2. in c.

VII. Quid ergo in unoquoque noſtrûm fieri putatis, quando hoc Sacramento roboramur? Id ipſum nobis contingit, quod Apoſtolis in cœnaculo congregatis, quando tanta cum abundantiâ ſupra illos Spiritus Sanctus deſcendit. Ita tamen ut hæc gratiæ plenitudo immediatè à Chriſto collata ſit Apoſtolis, abſolutâ, quâ pollet, poteſtate, eam per ſe abſque Sacramento impertiendi: nobis verò mediante Sacramento confertur. Atque ita credite diem Confirmationis uniuscujusque noſtrûm eſſe feliciſſimum diem Pentecoſtes, diemque, quo virtute invincibili muniti ſimus, quam per nos ipſos conſequi non poſſemus, ſi non tanquam indumentum ex ſupremo Regis noſtri veſtiario nobis donata fuiſſet. *Vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Luc. 24. 49.

VIII. Atque ideo hîc quaſi per tranſennam, quæ ſit inter Baptiſmi & Confirmationis Sacramenta differentia, advertite. In Baptiſmo à peccato originali liberati ſumus; in Confirmatione debilitas à dicto peccato naturæ relicta roboratur. In Baptiſmo ad vitam ſpiritualem renaſcimur velut infantes, Innocentes quidem, ſed debiles: in Confirmatione ad adultorum robur pervenimus. In Baptiſmo in album Chriſti militum relati ſumus; in Confirmatione ad pugnam armati ſumus. Si denique dici poſſit, nos in Baptiſmo gladium vaginæ reconditum accipe- S. Th. 3. p. q. 72. ar. 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Eph. 6.* accipere, *gladium Spiritus*; in Confirmatione, poteſtas & auxilium evaginandi conceditur. Themiſtocles Athenienſium Dux dicere ſolebat, ſe Teutidem Cretenſium Ducem non timere; licèt enim ille appenſum lateri oſtentaret enſem, non ideo tamen generoſo pugnandi animo præditum. Idipſum de Chriſtiano, ſacro Confirmationis chriſmate non inuncto, dici poterit. Arma quidem oſtendet, ſed animus & utendi dexteritas deeſt. Fidem habebit, ſed coram inimicis illam profiteri non audebit. Propterea in fine Mundi omni, quâ poterit, arte Antichriſtus impediet, ne hoc ſe Sacramento muniant Chriſtiani, talemque illius aſtutia habebit ſucceſſum, ut (quemadmodum affirmat ſanctus *Serm. 2. Dom. 3. Quad.* Vincentius Ferrerius) tantùm baptizati fidem abnegaturi ſint, ubi è diverſo chriſmate ſacro roborati, magno illam animo ſunt defenſuri. Et de facto recenſet Euſebius Novatum Hæreſiarcham, quòd cum indignatione hoc Sacramentum recuſârit, nonſolùm à Dæmonio obſeſſum, ſed etiam eo fuiſſe correptum timore, ut abjectiſſimâ puſillanimitate Sacerdotem ſe eſſe negârit. Et hæc cauſa erat, quare veteres Chriſtiani tam ſollicitè hoc ſe Sacramento munierint: experientiâ enim docti erant, mirum quantum augeri vires ad fidem Chriſti tuendam, maximumque Diaboli timorem incuti. Sanctus Prudentius Martyr teſtis oculatus ſcribit, quòd dum Julianus ſacrilegis operam dabat Sacrificijs, ad futuros belli & pacis eventus cognoſcendos, Sacerdotem, cujus erat pro Gentilium more occiſarum & exſecratarum victimarum exta rimari, cùm hoc actu certi quid enunciare non poſſet, in terram proſtratum exclamâſſe: Imperator, profectò eſt inter nos Chriſtianus aliquis balſamo inunctus, qui nos perturbat, & tamdiu perturbaturus eſt, donec hinc ejiciatur. Quare Julianus, depoſito Diademate, mox in medium ſe contulit, gravi iráque voce: Prodeat, inquit, temerarius ille, qui etiam dijs noſtris bellum indicere auſus eſt. Et ecce adeſt quamprimùm unus ex prætorianis, reſpondetque magno animo: Miles Chriſti ſum, cujus nomen omnes Tartari phalanges reformidant. Audiens hoc Imperator è templo ſe proripuit, rabieque & pudore plenus ad Palatium rediit. Idem ſcribit Lactantius ſæpius Gentilium ſacrificulis eveniſſe. Unde colligitur ſanctiſſimum Chriſma tam quoad finem inſtitutionis, quàm quoad effectus inde provenientes, fortiſſimam eſſe temperaturam, quâ Fideles chalybe duriores redduntur, qui in baptiſmo tantum ferrei effecti fuerunt. In hunc ſenſum refert S. Clemens à Sancto Petro ſe audiviſſe: Chriſtianum nunquam perfectum eſſe, donec ſancto Chriſmate roberetur. Ideoque ſanctus Thomas docet; hoc Sacramentum in antiquâ lege nullam habuiſſe figuram, quâ repræſentaretur, ut reliqua habuêre Sacramenta. Quia Confirmatio eſt *Sacramentum plenitudinis gratiæ*: conſequenter nec ullum opus habere potuit, quod ei reſponderet, ubi nullum erat perfectum. *Non potuit habere aliquid reſpondens in* veteri

*veteri Teſtamento, quia nihil ad perfectum adduxit Lex.*

IX. Non ignoro, quòd mihi reſponſuri ſitis; vos quidem etiam hoc Sacramento inauguratos eſſe, nec tamen ideo tam validos ſenſiſſe effectus. Credo equidem, ſed quâ de causâ? an non ideo, quia his temporibus absque præparatione debitâ hoc Sacramentum accipitur? Unde ſicut omnes cauſæ potius ſecundùm diſpoſitiones ſubjecti operantur, quàm ſecundùm innatam virtutem, ita & hoc Sacramentum in plurimis mirabiles ſuas operationes non oſtendit, quia diſpoſitos non invenit. Quidam in tam tenerâ ætate confirmantur, ut non ſint capaces, nec quid faciant, intelligant; alij in provectâ jam ætate accedunt, ſed utinam non in peccato mortali, Soli divinæ Gratiæ impenetrabilem culpæ nubem interponendo. Unde non eſt mirum, tali eclipſi naturam jam pridem languidam non tantùm non confortari, ſed debilitari, culpasq; præcedentes ſacrilegio inſuper augeri. Saltem plerique ſine debitâ præparatione, devotione aut etiam inſtructione accedunt, non ſatis intelligentes, nec valorem, nec finem, nec altiſſimos Divinæ hujus unctionis effectus, ad quos participandos diſponendi fuiſſent. Catechiſmus Romanus non vult Fideles tam citò Sacro Chriſmate inungi, ut propter ætatem parùm capaces ſint: nec tam tardè, ut negligentiâ illud parvi feciſſe videantur. *Neque præpoſterâ feſtinatione, neque diſſolutâ negligentiâ, & cunctatione utendum eſſe.* Inſuper præcipit, ut Paſtores Animarum populum ad jejunia, aliaque pietatis opera præmittenda adhortentur, uti olim fieri conſueverat. *Paſtorum exhortatione ad jejunia & alia pietatis opera ſuſcipienda incitentur.* Oſtendite mihi, qui ad ſpiritualia hæc arma induenda tali ratione ſe præparent, & ego reportatas quoque Victorias facilè oſtendero.

X. Hoc eſt primum, quod ad objectionem veſtram reddo reſponſum. Secundum eſto, illam Spiritus plenitudinem à Chriſtiano in Confirmatione velut in radice perceptam eſſe; quare effectus illius, qui ſunt quaſi fructus, tunc non videntur; ingruente verò tentationis tempore apparebunt. An fortè ſemper mirabile illud robur, quod inditum erat Samſonis brachijs, advertebatur? Tunc ſolùm agnoſcebatur, quando occurrentes in via ſternendi Leones, aut quando alio quocunque modo pugnandum illi erat, cum terrore, aut ſtrage Philiſtæorum. Idem accidit in caſu noſtro. *Suar. in*
Datâ occaſione Chriſtianorum Chriſ- *3. p. diſp.*
mate inunctorum fortitudo probatur *34. ſect.*
certò, modò peccatis ſuis non ponant *2. in fine.*
obſtaculum; quia ſicut in ipſa Sacramenti receptione poſito obice nulla confertur Gratia, ita ſimiliter peccati obſtaculum, Sacramenti exercitationem concomitans, omnem Gratiæ conferendæ effectum retardabit. Removete peccatorum obices, videbitisque, quos hæc planta fructus ſit productura.

XI. Optarem ſaltem, ut ex hucusque dictis majorem parentes conciperent Zelum, ne impoſterum ipſorum



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

filij tanto deſtituantur beneficio. Si non eſſet aliud, an parùm vobis videtur periculo illos exponere, ne aliquando abſque hoc Sacramento diem ſuum obeant? [lib. 2. de ſacr. p. 7. c. 3.] *omnino periculoſum eſſet, ſi ab hac vitâ ſine Confirmatione migrare contingeret.* Inquit Hugo de S. Victore? non quidem, quòd ob hanc carentiam non Confirmati ſint damnandi (niſi ex contemptu neglexerint) ſed quia Confirmati, & non Confirmati in cœlis ita à ſe invicem [S. Th. 3. p. q. 72. ar. 8. ad 8.] different, quemadmodum hîc in terris adulti ab infantibus; & propter hanc cauſam vult S. Thomas, etiam morti vicinos, ſi fieri poteſt, hoc Sacramento muniri, ut perfecti reſurgant Chriſtiani; [ibidem.] *Ideo etiam morituris hoc Sacramentum dandum eſt, ut in reſurrectione perfecti appareant.* Atque ita: etſi Sacramentum Confirmationis non ſit ſimpliciter neceſſarium ad animæ ſalutem, ad perfectionem tamen talis ſalutis neceſſarium erit: *ad perfectionem* [S. Th. 3. p. q. 72. ar. 1. ad 3.] *ſalutis.* Etſi non requiratur, ut quis ſit Chriſtianus, requiritur tamen, ut Chriſtianus Chriſto conformis efficiatur, qui non tantùm Gratiam, ſed etiam ejus plenitudinem accepit: *plenum gratiæ.* Chriſtus à primo conceptionis inſtanti hanc habuit plenitudinem, Chriſtiani in ipſo Confirmationis actu illâ locupletantur. Et hæc eſt cauſa, cur ſolus Epiſcopus hoc Sacramentum, non verò ſimplex Sacerdos conferre poſſit, cujus muneris eſt alioquin Baptiſmum tanti momenti [S. Th. 3. p. q. 72. ar. 11. in 2.] Sacramentum adminiſtrare. Ratio eſt illa, quia operis perfectio ſoli ſupremo reſervatur artifici. Quantumvis in Baptiſmo homo Spiritui Sancto, quaſi templum conſecretur. *Per Baptiſmum ædificatur homo in domum ſpiritualem*: per Sacramentum tamen Confirmationis, quaſi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus Sancti. Quare ſicut ædificare templum materiale, qualecunque illud ſit, expolire, adornare, ad inferiores pertinet miniſtros; dedicare verò ſoli reſervatur Epiſcopo, ita & in Templo ſpirituali contingit. Quòd ſi ita eſt, attendite obſecro an non multum referat, ne filij veſtri negligentiâ veſtrâ unquam tam præclaris prærogativis deſtituantur. Tantæ vobis curæ eſt, ut illi perfectum corporis nanciſcantur robur, animæ verò perfectionem negligitis. Ah quanta illius adhuc his temporibus eſt neceſſitas! & quòd ita ſit.

II.

XII. Veniamus nunc ad ſecundam pugnam Eccleſiæ illatam, ſecundamque medio hoc Sacramento reportatam Victoriam. Advertens Diabolus perſecutiones atrociſſimas velut pondera horologijs ſervire Chriſtianis, non ut ea ſiſtantur, ſed quaſi animentur; modum pugnæ mutavit, depoſitoque ferro, irriſionibus uſus eſt, ut ſuffocaret opprobrijs, qui pœnarum acerbitate ſemper magis multiplicabantur, germinabantque. Itaque Dæmon Juliano Apoſtatæ inſpiravit, ut omiſſis cædibus, tanto numero eò usque perpetratis, alijs Chriſtianos armis oppugnaret, contemptibiles redderet, literis interdiceret, intolerabilibus opes illorum enervando ve-

P. SEGN
Homo Cris…

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctigalibus, tam publicis reipublicæ muneribus, quàm bellicis dignitatibus faceret inhabiles, ne ob externum divitiarum ſplendorem ullius apud quemcunque forent exiſtimationis. Hæc igitur ars pugnandi, quanto magis tacita, tanto periculoſior, illa ipſa eſt, quæ hodiedum durat; quia licet Tyranni deſiderint, non tamen deſunt Deriſores, perfidi illi, qui non aliud agunt, quàm Fideles bene facientes riſui exponere. Non miremini, tales irriſiones à me perſecutiones appellari, hoc enim nomine jam pridem illas inſignivit Apoſtolus, ſcribens, quomodo Iſmael perſecutus fuerit Iſaacum. *Is qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum Spiritum.* Sed quomodo perſequebatur, cùm Iſaac eſſet Domini, Iſmael verò ſervus? Perſequebatur illum, ut quidam exiſtimant, partim opera pietatis, quæ in eo videbat, irridendo, partim alijs riſui exponendo: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*, de his temporibus poteſt dicere Eccleſia, videns pace à tormentorum cruciatu conceſsâ, contemptu & irriſione ſe oppugnari. Cogitate Dæmonem eâ pugnandi arte uſum, quâ ſemper magni militiæ Duces uti ſolent; locum ſcilicet in finibus Provinciæ ſitum bene muniendo, quo probè cuſtodito, Regnum ſubinde totum ab omni hoſtium incurſione defendatur. Ita quoque fecit Diabolus. Locum ſibi elegit ſupra Chriſtianorum quorundam, non ſolùm iniquorum, ſed impudentium & ſuperborum frontes, qui tantum abeſt ut virtuti ſtudeant, ut etiam illam à ſe ludibrio haberi profiteantur. Et Arx hæc adeò paulatim inexpugnabilis reddita eſt, ut nec prædicatorum quatientium timeat impetus, nec divinos vereatur impulſus & inſpirationes, neque aliquo alio graviore inſultu expugnetur. Utinam, quæ hic dico, vera non eſſent! ſed non mentior. Meliùs cognoſcetis ex cauſis ordinis perturbari, quas poſſum adducere; quam perturbationem, Dæmon quidem excitat, ſed non niſi Deo ſpeciali ex fine ita permittente.

XIII. *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala*, inquit Chriſtus. Neceſſe eſt in *Matth. 18. 7.*
via virtutis quandoque impingere. Primam verò hujus neceſſitatis cauſam aſſignat Apoſtolus, eſſe probationem bonorum: *oportet hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* *1. Cor. 11. 19.* Omnes gemmæ, licet ſpuriæ, claro die ſplendent; in tenebris non micant, niſi quæ nativo & proprio prædita ſunt ſplendore. Quare ſicut gemmarij ad explorandam gemmarum virtutem quærunt tenebras, ita Deus in tenebris deriſionis & contemptûs ſervos ſuos probat, ut ſplendoris illius fons, qui in corde latet, clariùs effulgeat. Duas adhuc alias hujus neceſſitatis cauſas agnovit Origenes; una eſt malitia Dæmonis, altera hominis miſeria; *apud Hug. in c. 18. Matth.* ſed binæ hæ cauſæ unâ videntur contineri, quia Diabolus virtutem efficaciter aggreſſurus, hominem induit. *Inimicus homo hoc fecit:* *Matth. 13. 28.* perverſis utens linguis ad pios convitijs laceſſendos: atque ita aliter fieri non poteſt, quin peſſimi homines vel dia-

bolico agitati ſpiritu, vel domeſticis paſſionum ſuarum incitati furijs, bona aliorum opera impediant, irrideant, deſpiciant, publicoque aliorum contemptui exponant. *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala.* Quidam ignorantiâ excæcati, rerum divinarum Myſteria non intelligentes, ea deſpiciunt, quemadmodum illi, qui reſuſcitandam à
*Math. 9.* Chriſto Archiſynagogi filiam cavillabantur, quam ille, cum mortuam non ignoraret, dormientem ſibi videri præferebat, *& deridebat eum.* Ad hæc ipſa morum diſſimilitudo, quæ bonos inter & malos apparet, cauſa eſt, ut hi laudabilium operum pretium & æſtimationem cavillis ſuis diminuant, quibus bonos abundare, ſe verò
*Prov. 14. 2.* planè carere nôrunt. *Timens Deum deſpicitur ab eo, qui infami graditur viâ:* Quapropter tam perverſo his temporibus Mundus utitur judicio, ut peccatum exiſtimet ſibi eſſe honori, verum autem honorem erubeſcat. Veſtrum erit nunc argumentari, quàm communis ſit hæc inter Chriſtianos perſecutio. Ego certè tam latè propagatam exiſtimo, ut totum ferè Mundum ex hujuſmodi oppugnantibus, & oppugnatis compoſitum mihi imaginer.

XIV. Quis verò tam facilè iniquiſſimas, quas Juſti ab Impijs ſuſtinent, oppreſſiones explicare poterit? Refert Joſephus Judæus in obſidione Jeroſolomytanâ Romanos validiſſimâ quâdam Machinâ muros conquaſsâſſe, quam obſeſſi Nicon appellabant, id eſt Victorioſam, adeò cuncta diruebat obſtacula. Talem machinam dicere poſſumus eſſe Irriſionem, quæ à timidis & imbellibus velut monſtrum ipſa formidatur, imò quam generoſi animi morte pejus fugiunt. Certè obſervari poteſt, Salvatorem noſtrum, qui ratò in Scripturis de ſuis queſtus eſt afflictionibus, de injurijs ſibi illatis, & opprobrijs ſæpius triſtatum fuiſſe; & qui in Cruce pœnas adhuc ſitiebat & dolores, irriſionibus ſatiatum mortuum eſſe. *Saturabitur opprobrijs.* Quare omnino neceſſarium fuit, ut Dominus noſter, velut Dux militiæ, non minus expertus, quàm ipſius Inimicus, limitaneæ Dæmonis arci validiorem, ad bellum illi movendum, arcem opponeret; quia etiam non ignorabit, quanta parte alterâ eſſet cordis noſtri in ſuperandis ignominijs debilitas, propugnaculis fortiſſimis ad eaſdem debellandas & contemnendas ipſum munivit, & in eum finem, ut inquit S Thomas, Confirmationis Sacramentum inſtituit. *Contra infirmitatem oppoſitam rubori.* Contra debilitatem ſcilicet, quam ſentit homo ad nobilitatem Crucis audacter protendam, dicatque cum Apoſtolo: *abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri JEſu Chriſti:* in quem finem ab Epiſcopo videtis ſupra frontem Sancto Chriſmate formari crucem, ut appareat, quantum abſit à Chriſtiano, erubeſcere Crucem, qui eam portare in fronte, ſibi gloriæ ducat.

XV. Inter corporis humani partes, frons omnium maximè patet, ideoque hoc illi militiæ noſtræ ſignum imprimitur. Et licèt amore crucis in corde oriri debeat, *corde creditur ad juſti-*

*juſtitiam*: nihilominus in Confirmatione non in corde, ſed in fronte tantum fortitudinis ſignum ab Epiſcopo efformatur, ut omnes intelligant; non ſufficere Chriſtiano, quam habet in animo, crucis æſtimationem, ſed eandem etiam exteriùs animosè & audacter profitendam eſſe. Hinc etiam Epiſcopus non ori crucem imprimit, quo tamen Fidei fit profeſſio: *ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Frontem ſignat, ut Chriſtianus, ne quidem interrogatus, quam teneat fidem, declaret. Eadem ratio eſt alapæ (quam publicè ſubinde infringit Epiſcopus. Putatisne hanc temerè infligi? Maximo id fit cum myſterio. Ut ſcilicet Chriſmate inunctus recordetur, non eſſe deriſionem, aut contemptum tam horribilem, quem non pro Chriſto tolerare debeat. *Ut meminerit ſe qui deinceps pro nomine JEſu contumeliam libenter paſſurum.* Nec tantùm idcircò, ut olim meminerit, ſed ut ab hoc momento apertè demonſtret, illam ſe patienter tolerare: non eſt enim major inter hujus ſeculi viros ignominia, quàm impacta alapa, & quidem publica. Verum eſt, ad has veritates bene capiendas ſpeciale requiri lumen, & extraordinarium, quod de cælo deſcendat; ob talem igitur effectum Epiſcopus manus ſuas capiti noſtro imponit; ut Spiritus Sanctus errorum à Mundo derivatorum caliginem à nobis depellat, & contraria illis dogmata à Chriſto de cœlo allata nos doceat. *Caro manus impoſitione adumbratur*, inquit Tertullianus, *ut anima Spiritu Sancto illuminetur.*

Et verò ipſi nos Apoſtoli factis docent, quid poſſint Confirmatio: antequam recepiſſent Spiritum Sanctum, metuebant improperium Crucis amplecti, ſic ut Chriſtum aut derelinquerent, aut unquam ſibi cognitum pejerarent. Poſt Pentecoſten verò tanta eorum animos obfirmavit conſtantia, ut illis Beatitatis inſtar anticipatæ eſſet, pro Chriſto opprobrijs divexari. *Ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JEſu contumeliam pati.* Act. 5. 41. Jam verò hoc gratiæ augmentum, quod in ſolenni Spiritûs Sancti adventu collatum fuit diſcipulis, idem proportione quadam Chriſtianis donatur in Confirmatione, ſiquidem ritè parati eam ſuſcipiant. Nullus ergo dubitandi locus relinquitur, dummodò poſtmodum hâc gratiâ uti ſciremus, nullum fore obſtaculum, quod ab amplectendo quocunque pro Chriſto opprobrio nos deterrere poſſit. Noli timere, dixit Deus Ezechieli Prophetæ, licèt peccatores tuas deſpiciant admonitiones, frontem tibi dedi ad ſpernendas eorum irriſiones duriorem, quàm illi habeant ad monita tua admittenda. *Ecce dedi frontem tuam, duriorem frontibus eorum.* Ezech. 3. 8. Hoc ipſum illi contingit; qui plenitudinis gratiæ particeps fit in Confirmatione. Eam vultûs, & voluntatis acquirit libertatem, ut eos rideat, qui ipſum irrident, aut potiùs ijs ex intimo ſenſu compatitur.

XVI. Finiam: priùs tamen, quoniam aſſerui, & perſecutoribus virtutis, & ob virtutem perſecutionem

paſſis, propè totum Chriſtianum conſtare Mundum, utriſque opportuna quædam monita relinquam. Adeſte ergo animis, Chariſſimi, ſi fortè quiſpiam hic foret tam excæcatus, qui alios ob pietatis opera ſummo dignos honore, contumelijs afficeret; ne quæſo, vos alloquor cum Apoſtolo, ne quæſo Spiritum Sanctum contriſtetis, à quo tam memorabile in fronte portatis ſignum, *nolite contriſtare Spiritum Sanctum, in quo ſignati eſtis.* (Eph. 4. 30.) Integram, quâ die Confirmationis charactere inſigniti ſumus, Spiritus Sanctus animæ noſtræ cepit poſſeſſionem: venit enim ſupra nos, ut dixi, *cum omni plenitudine ſanctitatis & ſcientiæ & virtutis.* Virtutis quidem, ut datâ occaſione eam oſtendamus. Jam verò cùm non ſufficiat vobis tam magnum hoſpitem è cordibus veſtris ejicere, vultiſne illum etiam ſummâ cum injuriâ è proximorum veſtrorum cordibus exulare? Neſcitis quanti ponderis in divina Juſtitiæ bilance futurum ſit peccatum veſtrum. A Sancto Thoma ergo addiſcite. *Graviſſimum eſt irridere Deum,* inquit, *& ea quæ ſunt Dei.* Deinde ſciatis, non unum tantùm, ſed multa hujuſmodi deriſoribus præparata eſſe judicia: *parata ſunt deriſoribus judicia.* (Prov. 19. 19.) Toties enim judicabuntur, quot ſunt animæ, quas ſuis calumnijs, & irriſionibus perſecuti ſunt. Verum eſt, tam rigoroſi examinis diem nondum abveniſſe; ideo tam parum videntur illi extimeſcere ſententiam tum ferendam: ſed quid hoc ſolatij? Cauſa jam dicta eſt, teſtes etiam auditi, nil reſtat aliud, quàm ut mors (cujus est maleſanos citare) coram judice comparere cogat. *Parata ſunt deriſoribus judicia.* Attamen adhuc non timent pluribus indies ſe vinculis onerare, quibus ad tam tremendum tribunal protrahendi ſunt, quæ ſunt propria ipſorum peccata, quæ faciunt; & opera pietatis, quæ impediunt. O miſerabiles (ſiqui veſtrum ſunt ex illis) ô miſerabiles, inquam, qui neſcitis, aut videmini neſcire, in quas calamitatum anguſtias vos conjiciatis, tanto oppreſſi pondere iniquitatum! Audite dum adhuc tempus vacat, quod dicit Iſaias: *Nolite illudere, ne forte conſtringantur vincula veſtra*, aliàs ad tantam gratiæ penuriam deducemini aliorum pietatis opera impediendo, ut ne tantillum quidem, cùm res poſtulabit, pro vobis boni præſtare poſſitis. Unde vobis tanquam arboribus omni fructu deſtitutis nihil aliud, quàm æternus gehennæ ignis remanebit. Michol Davidis uxor, quia ſanctum maritum ſuum publico ſaltu coram Arca exultantem irriſit, ſemper infæcunda & ſterilis manſit. *Michol filiæ Saul, non eſt natus filius usque in diem mortis ſuæ.* Alium non ſcirem, quàm ſimilem præſagire ijs finem, qui aliorum bona opera deriſui habent, nimirum ſine filijs morituros, hoc eſt, quin aliquid ſibi profuturum boni præſtiterint; & inter flammas ſuam agnituros ſtultitiam, eamque ſemper deteſtaturos, ſed fructu nullo. *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam.* Et adhuc non veremini tali modo animam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mam veſtram perdere? ſi non aliud, magna illa, quâ tali jacturâ Spiritum Sanctum afficitis, triſtitia vos commoveat, ne eam ſubire allubeſcat. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum, in quo ſignati eſtis.*

XVII. Hoc ipſum reſpondebo Chriſtianis perſecutionem paſſis, aut adhuc patientibus; quandocunque tam turpiter, præſtiti ſub auguſtiſſimæ Crucis vexillo juramenti obliti, timent poſtea cum Domino ſuo contemni & irrideri, ita, ut hanc ſolam ob cauſam Chriſto fideliter militare deſinant. Nolite quæſo, & vos Chariſſimi, timiditate veſtra Spiritum Sanctum contriſtare, omnium cordium conſolatorem. Non, quòd compaſſione digni non ſitis. Scio graviſſimum eſſe ab illis videre ſe contemni, à quibus potiùs æſtimari quis deberet; irridere inquam à Chriſtianis. *Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris; ſubſannationem & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro.* Sic David etiam querebatur; ab Infidelibus enim virtutis gratiâ contemptui haberi tolerabiliùs eſſet; verùm à Chriſtianis & Patriâ, & Religionis cultu nobis conjunctis contumelijs affici, afflictionem fateor immensùm auget. Sed quid faciendum? Oportet omnino conſtanter ſuam defendere ſtationem, & animo non territo inſolenti Mundo oſtendere frontem, in faciem oggerendo: *Non erubeſco Evangelium.* Aliàs ſi Chriſtum Salvatorem erubuerimus, ille quoque in extremo die nos erubeſcet. *Qui me erubuerit & meos ſermones: hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſua.* Et quæ hæc foret ſtultitia? Plus timere hominum dicteria, quàm Dei æſtimare facta? Nobilis Eques lanceâ ſuâ armatus ſtadium ingreſſus, parvi æſtimat ſpectantis gregarij alicujus militis laudem, aut vituperium; ſed hoc agit, intenditque, ut pugnandi dexteritate à Principe ſuo encomium, & bravium reportare mereatur. Oculos igitur in cælum attollite. Deumque veſtrum intueamini, qui nonſolùm in medio glorioſorum, & infinitorum Spirituum numero ſanctis veſtris applaudit actionibus, ſed etiam immarceſſibilem & immortalem vobis coronam præparatam ſervat. Vos nihilominus tam abjecto ſitis animo, ut propter ſtulti cujusdam hominis vocem tantæ gloriæ jacturam facere velitis? Quis major poteſt eſſe honor, quàm actionum ſuarum Chriſtum ipſum Filium Dei habere Encomiaſten? Quod ſi & hoc vos non moveat, Timore Timorem expellite; oculos veſtros in orci barathrum dejicite, & conſiderate: quanto pudore & ignominiâ ſuffundendi ſitis, ſemper ſub Luciferi pedibus in Inferno frementes, qui ne levem quidem coram hominibus ſibi ſimilibus confuſionem ſupportare volebatis? *Confundentur vehementer*, inquit Propheta, *quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod nunquam delebitur.* *Jer. 20. 11.* O quàm terribilis hæc erit Chriſtiano ignominia, ſempiternum illud opprobrium fide credidiſſe, nec tamen fugiſſe? Huic aut illi perditæ vitæ homini adhæſiſſe, nec ſatis animi ad commercium cum

illo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

illorumpendum habuiſſe! infami aſſueviſſe muliérculæ, & fidei de illa alenda violatæ metu, in malam rem eam abire non juſſiſſe! Usque ad finem vitæ ſanguinariam foviſſe inimicitiam, ne pax fortè inita non ab amore Dei, ſed ab animi abjectione profecta eſſe videretur! O Pudor maledicte! optimè animarum Tyrañus appellari potes, dum illos in perpetuos inferorum carceres præcipitas ob vani timoris formidinem, non ſecus ac ſtolidi cervi, ut Venatorum fugiant clamores, timore excæcati laqueris ſe inextricabilibus involvunt.

XVIII. Nolite quæſo chariſſimi, tantam animabus veſtris inferre injuriam, Divinoque illi Spiritui tantopere felicitatem veſtram deſideranti. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum, in quo ſignati eſtis.* Portatis jam indelebilem characteris ſignaturam in Sacramento Confirmationis vobis impreſſam. Velletisne ſignum hoſtis Diaboli ludibrium, quod nunc eſt illis teſſera terroris? Abſit, abſit. Sed, ut monet Apoſtolus, viris hiſce conſiderationibus reſuſcitate nunc gratiam olim in Confirmatione acceptam; ſtatuite impoſterum contra viſibiles & inviſibiles Crucis inimicos viriliter pugnare, ut tandem æternâ illâ gloriâ, quam ipſe Salvator noſter illis opprobrijs ad mortem usque tolerans promeruit, gaudere poſſitis. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum.*

# DISCURSUS VII.

## *De Amore Chriſti in Inſtitutione Euchariſtiæ.*

I. INter omnes res nulla magis igni reſiſtit quàm Cinis. Vegetativa videmus conſumi, metalla liquefieri, lapides in calcem redigi, ſolus cinis, licet ab igne natus, quaſi filius ingratus illi non cedit, & cùm amore paterno ab eodem illuminari aut inflammari deberet, ſplendorem illius ſuffocat, caloremque extinguit, ita, ut tandem ignis invincibilis, omnium mixtorum domitor, propriæ proli ſuæ palmam cedere cogatur, adeoque ſubactus aliquantiſper ſub ingrato pondere langueſcat primùm, mox penitus emoriatur. Quod ſymbolum ad ingratum Chriſtiani cor depingendum aptiùs, quàm hîc cinis? *Cinis eſt cor ejus, quoniam ignoravit, qui ſe finxit.* E cinere conflatum eſt cor hominis, quia obſtinatiſſimâ ſuâ ingratitudine ſummo benefactori ſuo non vult ſe permittere. An non videtis, quali ratione hîc divinus amor, quaſi omnipotens, activitate ſuâ ineffabili vincat invincibilia, ita, ut propter felicitatem noſtram è cælis deſcenderit in terram, in ea peregrinatur

tus, defatigatus, contriſtatus & deniq; mortuus fuerit? Hic ipſiſſimus amor, licet poſtea in Evchariſtia, quaſi in puncto, omnes mirabiles ardores ſuos conjunxerit, nihilominus vilem cinerum pugnum, quod eſt cor humanum, non valet devincere: poſtquam aliquo tempore ferventiſſimæ charitatis ſuæ ſigna oſtendit, languere illum & non ne tantillum quidem inflammatis, ne dicam conſumptis, ab Altari diſcedere. Hæc igitur tam deplorandæ frigiditatis enormitas nequaquam tolerandaest: unde non illubenter perſuaſionis divinam in Chriſto amoris flammam me hodie vobis demonſtraturum in Sacroſancta Evchariſtia radiorum reflexione accenſam, ut tandem cujuſcunque ingratiſſimi etiam cordis cineres ſit accenſura.

II. Omnem ignem ars pictoria haud facilè coloribus exprimit; ſed eum maximè, qui ſphæram ſuam attigit. Hic omnino, ut eſt remotus à noſtris ſenſibus, & quaſi cœleſtis, terrenis hiſce noſtris coloribus, ne quidem ex parte adumbrari poteſt. Ita in veritate comperio. Quare ad difficultatem ſuperandam, quæ de flammâ adeò pura, adeoque perfecta in corde Chriſti tanquam in ſphæra propria ardente, diſcurrendi occurrit; aptiorem rationem non invenio, quam eandem ex operationibus ſuis per fidem nobis manifeſtatis cognoſcere. Tres igitur ſunt effectus, quibus velut indiciis hujus ignis divini virtus declaratur; Dona, quæ impertitur: Abjectiones, quas fert, ut hic nos donis exornare poſſit; & Conjunctio, quam iſta nobis largiendo ſpectat. Incipiamus à primo effectu, hoc eſt, donorum largitione.

I.

III. Proprium eſt multum amantis, multa quoque donare: ſive quia, cùm, quod eſt potiſſimum, cor ſuum jam dedit, dona ſua ampliùs, tanquam minora, retinere non poſſit; facilè enim liberalis eſt in dandis fructibus, qui arborem jam ipſam dedit. Sive quia, qui multum amat, vehementer deſiderat amorem ſuum manifeſtare, ut viciſſim ametur. Id quod præſertim donis obtinetur, quæ non minus authentica benevolentiæ ejus, qui ea largitur, ſunt teſtimonia, quàm reciproci amoris illius, qui eadem recipit, rigoroſi exactores. Qualiſcunque demum cauſa ſit, negari non poteſt, omnia hæc motiva impuliſſe Jonathã, contractâ priùs tam fidâ cum Davide ſuo amicitiâ, propriis ſe veſtibus armiſque exuere, iiſque amicum induere & munire. Immenſæ tamen liberalitatis, quam Chriſtus animæ in Sanctiſſimo exhibet Sacramento, illa nonniſi umbra eſt. In hoc Sacramento, inquit Concilium Tridentinum, Chriſtus omnes amoris ſui divitias profundere voluit: *Divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit*; ita ut nihil illi amplius, quod dare poſſet, remanſerit, *in finem dilexit eos*. Videte, an verum dicam.

Seſſ. 13. c. 7.

Joan. 13. 1.

IV. Omnes Chriſti divitiæ in triplici bonorum ſpecie conſiſtunt, ſúntque illa, quæ velut homo; quæ



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ut Deus, & quæ ut Deus ſimul & homo poſſidet. Omnia hæc liberaliſſimè in ſinum illius effundit, à quo dignè in ſanctiſſima Evchariſtia recipitur. Primò totum corpus ſuum & ſanguinem illi donat; quia non ſufficit illi dare per alios (ſicut in aliis Sacramentis fieri voluit) ſed ille ipſemet, mediante ſanctiſſimo corpore ſuo, & ſanguine, gratiam largiri voluit; & licet minima immaculatæ carnis ſuæ particula, minimáque innocentiſſimi ſanguinis gutta ſuffeciſſet, tantillo contentus eſſe non voluit; ſatis quidem illud erat ad effectum ab illo intentum, ſed non ſatis erat ad effectum illum ferventiſſimi amoris, qui omnia donare voluit. *In finem dilexit eos.* Eodem modo haudquaquam parcè divinitatem quoq; ſuam impertitur: utitur enim Omnipotentiâ in efficienda admirabili illa panis in Carnem, & vini in Sanguinem converſione, ut fiat cibus noſter; utitur Sapientiâ ad excogitandas in hunc finem inventiones omnibus inauditas; utitur Bonitate, ut dictis hiſce inventionibus modo arcaniſſimo, qui viatorum ſtatui conformis eſſe poſſit, totum ſe nobis u-
S. Tho. 3.p. niat. Denique omnia ſua bona, quæ tanquam Deus ſimul & homo poſſidet, diſtribuit; hoc eſt, omnia ſua merita, omnes ſatisfactiones & virtutes, tantam animis noſtris infundendo ſanctitatem, quantam pro illo ſuſcipiendo adferimus diſpoſitionem, *in finem dilexit eos*, amplius quod det, non habet, *divitias ſui amoris effudit.*

V. Plurima Deus hucuſque homini dona contulerat, ſed nullum ejus amorem adæquavit. In creatione dedit illi exiſtentiam, quam in conſervatione omni momento iterando donat; in Baptiſmo donavit illi gratiam, quam quotidie reddit, vel auget in Pœnitentia. Sed quid hoc? Omnia hæc dona finita ſunt, nec cum origine, unde emanant, conferri queunt. Ipſa quoque Incarnatio, licet donum eſſet infinitum, adhuc tamen huic Divino amori æquiparari non potuit; non enim in illa eâ cum plenitudine Chriſtus nobis datus eſt, ut cum maiori dari non poſſit. *Tale donum*, inquit S. Thomas, *adhuc eſt in aliqua ſeparatione ab eo, cui datur.* Quando enim Verbum æternum carnem de [illegible] ſumpſit, uni tantum naturæ particulari, id eſt, ſanctiſſimæ Humanitati ſuæ immediatè, naturæ verò humanæ, id eſt, omnibus nobis mediatè donatum fuit. In Communione verò cuicunque Chriſtiano ſe præbet, & in eadem non tantùm ſanctiſſimi ſanguinis ſui fructibus, ſed ipſo, quem eidem producit, ſanguine nos locupletat. Obſervatiſne, quod in catena magnete contacta evenire ſolet? Primus annulus immediatè adhæret magneti, reliqui mediante primo ſibi omnes invicem annectuntur, atque ita magnes primo vires ſuas communicat immediatè, aliis verò mediatè. Sic ergo Divinitas in Incarnatione totam ſe beatiſſimæ ſuæ Humanitati, quam aſſumpſit, impertivit; hac autem mediante, omnibus ſe deinceps hominibus, collatis gratiis ſuis & favoribus, donavit. Verum aliter contigit in

hâc

Evchariſtia; in hac quicunque Chriſtianus ipſemet divinitatis fit particeps, imò totâ illâ fruitur, quaſi illi ſoli fuiſſet donata.

VI. Et quòd hic verum ſit donum, clariſſimè ex modo, quo porrigitur, apparet. Advertite, nullam rem magis dici poſſe eſſe noſtram, quàm quæ in alimentum noſtrum convertitur. Quod ſi enim ſpectes Dominium, cibus eadem nobiſcum res efficitur, unde quod in nos ipſos habemus Dominium, idipſum habemus in nutrimentum, quod juris noſtri factum eſt. Si verò etiam uſus attendatur, poſtquam cibus per omnia membra diſtributus eſt, adeò noſter eſt, ut nullo modo ampliùs ſeparari poſſit. Unde nec ipſa anatomia tot tantiſque inciſionibus & diviſionibus alimentum in corpore humano à ſubſtantia avellere unquam poteſt, quod jam venarum beneficio per totum hominem diſperſum eſt. *Et qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Verum eſt de divino hoc cibo non poſſe dici, quòd ſicut alij cibi communes in ſubſtantiam noſtram à nobis convertatur; cum ipſe nos in ſuam ſubſtantiam, Spiritum, ſenſus & mores tranſmutet. *Nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Dixit quondam die Chriſtus S. Auguſtino; eodem modo velut gemmæ contritæ, margaritæ in pulverem redactæ, aurúmque potabile infirmo porrecta, in illum ſicut alij cibi digeſti non convertuntur, ſed ille, virtutis eorum efficaciâ & vigore à capite uſque ad pedes diſperſo in ea ipſa, ut ita dicam, tranſmutatur. Omnia hæc veriſſima ſunt; hæc tamen non impediunt, quo minùs dum Chriſtus per modum cibi nobis donatur, id manifeſtiſſimum indicium ſit, quod omni meliore modo noſter eſſe velit, perfectiúsque, quàm in ullo alio divino myſterio à nobis poſſideri. *Caro mea verè eſt cibus.* Joan. 6. 55. Sanctus Thomas Aquinas adhuc infans in ulnis nutricis chartam, in qua ſcriptum erat Ave Maria, manu tenebat; quæ cum jocando ipſi ablata fuiſſet, tam diu ploravit amariſſimè, donec ei reſtituta fuerit; quid tunc Sanctus hic infans fecit? Ut ſe de hujus chartæ poſſeſſione ſecurum redderet, quamprimùm ori admotam omnium cum adſtantium admiratione deglutivit. Hoc eodem certam ſui poſſeſſionem tenendi modo uti nos voluit in ſanctiſſimo Sacramento, quo confortati omnes inimicos noſtros audacter provocare poſſimus & dicere: *quis me ſeparabit à charitate Chriſti?* Rom. 8. 31.

VII. Neque hic eſt Profuſionum amoris divini in Evchariſtia finis. Neque enim ſatis fuit Chriſto Domino in ea ſe totum nobis tradidiſſe, ut ſit omni modo totus noſter, ſed inſuper porrigendo donum adeò pretioſum verbis uſus eſt tantum amorem ſpirantibus, ut ſi ea, ut decet, apprehenderemus, ſufficeret, præ confuſione, animi pati deliquium. *Accipite*, inquit, *& comedite, hoc eſt corpus meum.* Matth. 26. 26. Qui ad demonſtrandam liberalitatem ſuam munificus eſt, dona ſua quando impertit, verbis deprædicat & extollit; qui verò ex ſolo

amore liberalis eſt, munera ſua potiùs extenuat, quàm extollit. Ad hunc modum ſponſus pretioſo Adamante aureo incluſo annulo ſponſam donans, accipe, inquit, hunc annulum in ſignum amoris mei; nullam tum gemmæ, à qua parum illud auri valorem habet & æſtimationem, facit mentionem; ita Dominus noſter agit cum dilecta ſibi Anima.

Accipe corpus meum, inquit, quod eſt aurum, nec unitæ eidem animæ, multo minus Divinitatis meminit, quæ gemma eſt, & gemma ejuſmodi, cui nulla alia comparari poſſit. Præcipuum hoc amoris ſignum obſervavit Salomon in Sacris Canticis hiſce verbis ſenſu plenis: *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domûs ſuæ pro dilectione*, aut ut alij legunt, *pro dilectâ*, *quaſi nihil deſpiciet eam.* Prorſus eodem modo facit Salvator noſter. Non ſolùm dat habitationem, quod eſt Sanctiſſimum Corpus ſuum; non ſolùm omnes diſtribuit reditus, qui ſunt ſanctiſſima ipſius merita; non ſolùm incolam & domus dominum, quod eſt Anima & Divinitas, ſed omnia illa verbis inſuper adeò officioſis elargitur,
Jac. 1. quaſi oſtenderet ſe non plus, quàm
7. buccellam panis donare: *Quaſi nihil deſpiciet eam. Dat omnibus affluenter & non improperat.*

VIII. Quis jam negare poterit talem donorum magnificentiam tam amabili donandi modo conjunctam, manifeſtiſſimũ eſſe infinitæ charitatis ſignum? optimam cauſam Dominus noſter habuit rogatus in nuptiis Canæ Galilææ, ut aquam in vinum converteret, optimam, inquam reſpondendi cauſam habuit, nondum venit tempus ſuum. *Nondum venit hora mea*; exiſtimabat enim, nimis exiguum eſſe pro convivis hoc, quod à ſe donum petebatur. Hora illius venit, quando in ultima cœna non aquam in vinum (mutatione ſcilicet ipſi etiam naturæ non ignotâ) ſed mutatione omnibus creatis intellectibus hucuſque abſconditâ, vinum in ſanguinem, & quidem proprium convertit. *Sciens Jeſus quia venit hora ejus, cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Hæc erat illa hora, quam à principio tantopere deſiderabat, ut in ſinum noſtrum omnes cum dilectiſſima carne ſua, à Patre ſibi traditas divitias deponeret, ut omnino, quantus eſſet in corde illius amoris exceſſus, omnibus conſtaret. Quid enim amplius illi reſtat, quod dare poſſit? *Quid eſt bonum ejus*, inquit Propheta, *& quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Poſtquam in Eucharistia ſe nobis dedit, omne bonum & pulchrum, quod eſt in cœlo, nobis donavit. Ita ut ſi anima aliqua nimis avara in hac mortali vita amplius quid exigeret, Dominus noſter verbis illis, quibus Patriarcha Iſaacus filium ſuum Eſau pacavit, videretur reſpondere poſſe (qui lacrymando benedictionem aliquam petiit à diſtinctam ab ea quam frater ejus Jacob [illegible] bus obtinuerat) *Frumento & vino ſtabilivi eum; tibi verò fili mi ultra quid faciam?* Ego poſſet Chriſtus dicere, dedi Corpus meum ſub ſpecie panis, & Sanguinem meum ſub ſpecie vini, quid ergo

P. SEGN
Homo Crist

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ergo ampliùs tibi dare poſſum; *Tibi ultra quid faciam;* Non eſt majus donum in inexhauſto munificentiæ meæ eratio, potentia mea hac profuſione quaſi eſt exhauſta, in terra non habet, quod pretioſius largiri queat.

II.

IX. Alterum magni amoris indicium eſt tolerantia. *Fortis ut mors dilectio.* Et hæc tolerantia charitati tam propria eſt, ut Apoſtolus in ea nobis commendanda non videatur ſibi poſſe ſatisfacere. *Charitas patiens eſt, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.* Amor ſufferendo ferventiorem ſe exhibet, quàm donando. Licet enim donando, communicatione propriorum bonorum à ſe exeat, patiendo non ſolùm à ſe recedit, ſed tam longè à ſeipſo abit, ut omnino propriorum malorum ſuorum obliviſcatur. Atque ita, ſi, ut loquitur Sanctus Dionyſius, Amor eſt quædam Extaſis, quâ amans extra ſe ponitur, nihilominus non videtur hic titulus melius quadrare, quàm quando amor non ſolùm eſt liberalis, ſed patiens. Inter homines etiam amicitia verior habetur illa, quæ, ſicut aurum, igne magis probata eſt; quia quæ aſſlictiones non ſuſtinet, aurum eſt ante effectum, non verum & reale. Quod ſi ita eſt, conſiderate nunc, an non amor à Chriſto in Eucharistia exhibitus, ſit verè ſincerus, cùm ſeipſum eo quidem tempore donavit, quo homo furore & crudelitate ſua maximè eum irritavit. *In qua nocte tradebatur, accepit panem,* inquit Apoſtolus, ut hac notabili temporis circumſtantiâ divini Amoris magnitudinem, & generoſitatem nobis indicaret. Nunquam magis vivida apparet flamma, quàm quando impetu venti illius augetur, quo extingui deberet. *Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem.* Mater ſincerè diligens, ſi poſt partum ſuum moriatur, dolorum, qui ipſi mortem acciverunt, oblita, tantùm ſolicita eſt, ut filiolo ſuo ſuperſtiti de lacte bene proſpectum ſit. Eodem modo Dominus noſter imminentis immemor mortis, nihil aliud tantopere curavit, quàm ut beato iſto de lacte nobis proſpiceret.

X. Verùm dolores illi non duravere longo tempore, ipſo enim glorioſæ Reſurrectionis die finitæ ſunt. Quare multo vivaciùs Chriſti amorem illi demonſtrant, quos adhuc patitur, & uſque ad finem Mundi paſſurus eſt. Horum duæ ſunt ſpecies. Prioris generis ipſe ſuâ voluntate ſibi ferundos impoſuit; alios vel invitus à nobis ingratis ferre cogitur. Priores quidem prodigioſa amoris ejus inventio ſunt, quâ voluit ineffabile hoc Sacramentum eſſe renovationem eorum omnium, quæ ipſe Chriſtus JEſus pro nobis paſſus eſt; imo potiùs augmentum, quia hîc magis, quàm unquam alibi Majeſtatem ſuam abjicit. Profundiſſima iſta humilitas ab Apoſtolo voce Exinanitionis diſertè explicata, *Semetipſum exinanivit,* in quo Phil. 2. 7.
conſiſtit? In hoc conſiſtit (ſi quorundam inſignium Doctorum interpretationi acquieſcere volumus) quòd cùm Filius Dei in Incarnatione eſſe æquale Patri quoad naturam Cajet. ibid.
divinam retinuerit, nihilominus quo-

ad humanam de novo acceptârit, ut etiam minor dici poſſet. *Pater major me eſt.* Quod ſi ergo propter tantam Verbi æterni humiliationem in Incarnatione dicere potuit, ego minor ſum patre, quanta non erit demiſſio, poſſe dicere, ſecundùm apparentiam, minor ſum homine, imò quacunque re animata, ubi me ſub cibi inanimati ſpecie ſpectandum præbeo, qui tamen ſum vita ipſa; Hoc non ſolùm eſt profundiſſimas Incarnationis animi demiſſiones repetere, ſed incredibili mirabiliſſimi amoris exceſſu ſuperare. Quæ tamen omnia in hoc Saramento evenire videmus. *In cruce latebat ſola Deitas, at hic latet & humanitas.*

*Joan. 14.28*

*S. Tho.*

VI. Aliam notate Deitatis in Euchariſtia humiliationem, quam non facilè aliàs advertiſtis, & eſt iſta. Scire oportet, quòd licet in Euchariſtia ſimul cum Corpore & Sanguine Redemptoris ſit quoque anima & Divinitas, nihilominus vi verborum quæ in conſecratione pronunciantur, *ex vi Sacramenti* Corpus eſt in hoſtia ſub ſpecie panis, & Sanguis in calice ſub ſpecie vini; anima verò & Deitas ſunt etiam quidem ibi, ſed non ſunt vi verborum ſupradictorum, ſed ſunt per *naturalem concomitantiam*, id eſt; ibi ſunt, quia Corpori & ſanguini Salvatoris unitæ ſunt. Quare, id quod, ut ita dicam, primum in Sacramento locum tenet, & primò ſpectatur, eſt Corpus JEſu Chriſti, non autem *Divinitas*; id quod aptiſſimâ explicatur ſimilitudine. Imaginamini vobis Aulicum magni Principis alicujus præ cæteris dilectum uxorem ducere, Principémque ad honorandas ejus nuptias ſolemnibus in templo cærmonjis velle aſſiſtere in perſona propria. Hoc in caſu licèt Princeps ipſe primas gerat, nihilominus in ordine ad benedictum non ipſe primus eſt, ſed ſponſum primum ſibi locum vendicare permittit. Ita quoque licet Divinitas Chriſti, infinities precioſiſſima carne ſuâ ſuperior ſit, nihilominis in hac deſponſatione, quæ in ſanctiſſima Communione inter animam Chriſtianam & virginale Redemptoris corpus celebratur, primum locum ſponſus, id eſt, corpus occupat; divinitas quidem aſſiſtit, ſed per concomitantiam, unctionem hanc majori dignam reddit honore. An non ergo tanta Deitatis demiſſio admirandus divini amoris & ſupremus videtur effectus? *Delinavi ad eum, ut veſceretur*, inquit Dominus, ut ſupremam nobis ſignificaret humiliationem ad quam ſubeundam charitas illum coëgit. Ita Mater amantiſſima capite totóque corpore ſupra cunas filioli ſui ſe inclinat, ut dulce lac in pectore elaboratum in os ejus inſtillet. *Delinavi ad eum, ut veſceretur.* Comparate parumper faſtidioſum, gravem, ſuperbum, plenúmque Majeſtatis magnorum Principum cum ſubditis ſuis agendi modum cum infinita Verbi Divini in hoc Sacramento ſublimiſſimo, benignitate & munificentia, quis non ſaxi inſtar attonitus hærebit; Antiqui Parthorum Reges, ſi quandoque nobilem aulicum ſingulari gratiâ ad menſam invitabant, humi cum ſedere jubebant, ipſi vero in

lecto

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lecto elevato, tanquam in throno recubantes, modò has, modò alias ciborum reliquias nobili huic invitato, tanquam cani projiciebant. Si Deus hoc modo nobiſcum ageret, eſſet adhuc immenſæ benevolentiæ indicium. Quantus & qualis hic ergo eſt amoris exceſſus, quòd ut nos paſcat & lautiſſimè quidem, tantopere ſeipſum humiliet? *Filios enutrivi, & exaltavi.* Gladius, quò faciliùs in utramque partem flectitur; eo certiùs materiæ, ex qua conflatus eſt, perfectionem oſtendit. O Amor divine, quantum ad benefaciendum nobis te demittis? Si aliunde de eo non conſtaret, quis ex ſolo hoc indicio infinitum non pronunciaret?

XII. Sed audite plura: non ſolùm dando ſe nobis in cibum ſe humiliat, ſed ad mortem uſque ſe humiliat. *Humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem.* Hæc verba Chriſto etiam in præſenti Myſterio aptari queunt; in eo enim myſticè, moraliter, & realiter moritur. Moritur imprimis myſticè, quia cùm hoc Sacramentum ſit memoriale Paſſionis, in eo quotidie ſupra Altaria noſtra eandem, quam pro nobis in monte Calvariæ ſuſtinuit mortem, Chriſtus repræſentat, oſtenditque gaudium, quod habet, vitam ſuam amore noſtri profudiſſe. Moritur quoque moraliter, & non per ſolam repræſentationem. Quia cum ſanctiſſimum corpus ſit in Hoſtia per modum Spiritûs, *quodam ſpirituali modo*, hoc eſt, totum in tota hoſtia, & totum in quavis ſpecierum ſacramentalium parte, ſequitur omnia hujus ſanctiſſimi corporis membra, cùm non occupent locum ad exercendas operationes ſuas neceſſarium, eo eſſe in ſtatu, in quo movere ſe non poſſint (ſaltem motu proprio) ſed tantum per accidens, quando movetur hoſtia; atque ideo motua dici poſſunt in ſe, ſi vita in operando poſita eſt. Denique etiam realiter moritur. Sed ut bene hoc tam mirabile Amoris divini arcanum intelligatis, præſupponere oportet; verba Sacerdotis in conſecratione talem à Chriſto in reproducendo ſanctiſſimo Corpore ſuo accepiſſe efficaciam, ut licet illud ipſum corpus non extaret in Mundo, ab his tamen verbis produceretur: tantum poteſt horum vis verborum. Hanc ergo novam vitam Sacramentalem ſupradictis conſecrationis verbis acquiſitam Chriſtus amittit, quando ſacræ ſpecies, quibus ſe abſcondit, in ſtomacho digeruntur, caloréque naturali deſtruuntur. Atque tali actu dici poteſt morte quidem myſticâ, ſed ſimul reali mori, vitam hoc modo perdendo Sacramentalem, ita ut ſi non haberet aliam, omnino moreretur. *Hæc eſt exinanitio Dei, facta ad uſum noſtrum;* Hic cum S. Dionyſio Alexandrino dicere poſſumus. Hoc eſt verè annihilari, & Chriſtum pro nobis mori, ut animæ noſtræ, & corpora noſtra ad vitam immortalem conſequendam nutriantur. Magna ſunt iſta, negari non poteſt, communémque hominum captum excedentia; ſed eò clariùs divinum illud, à quo procedunt, principium manifeſtant. Fuit ſcilicet invincibilis Dei charitas, quæ ut ſuaviſ-

*S. Tho. 3. p. q. 76. a. 6.*

*Leſſ. de perf. div. l. 12. c. 16. n. 121.*

*Epiſt. in Paul. Samoſat.*

ſimam

ſimam nobis præpararet medicinam, omne amarum pro ſe reſervavit, ſemel pro nobis ipſo facto moriendo, deinde millies millieſque myſticè mortem ſubeundo, ut miſeræ creaturæ ſuæ vitam haberent. *Semel immolatus eſt JEſus Chriſtus in ſemetipſo*, inquit S. Auguſtinus, *& tamen quotidie immolatur in Sacramento.* Plerumque ſumenti amara eſt medicina, non præparanti. In re noſtra planè contrarium videtur. Chriſtus, qui eam compoſuit, omne inſipidum ſibi; nobis verò quidquid eſt delectabile, ſelegit, non aliter ac nutrix illa, quæ ut languentis parvuli ſui reſtauret vires, ipſa ingratum haurit pharmacum, nec aliter, quàm in ſuave lac tranſmutatum, porrigit.

*de conſec. d. 2. cap. ſemel immolatus.*

XIII. Attamen omnia hæc perpeſſu aſpera à Chriſto pro ſignificatione & exercitio amoris ſui ergà nos electa, non tantopere ejus magnitudinem palàm faciunt, quantum injuriæ, à nobis quotidie contra voluntatem ejus ingratiſſimâ ruſticitate noſtrâ illatæ. A triplici hominum genere in Sacramento Evchariſtiæ patitur Chriſtus, à Tepidis, Infidelibus, & conſceleratis Chriſtianis. Tepidi abſque dubio magnam illi præbent patientiæ materiam, qui ſine amore, & præparatione accedunt Sacram Communionem, refectique divino hoc epulo abſque ullo gratitudinis ſigno quamprimum recedunt, quaſi cibum ex horto allatum manducâſſent; non illam ipſam eſcam, quæ palàm ſpectata omnes Beatos in cœlis æternùm eſt ſatiatura. Quis dubitabit, talem ingratitudinem magnum patientiæ exercitium, magnúmque amoris indicium exhibere? Si amor non eſſet, quomodo Mater Filiorum ſuorum adhuc in tenera ætate ingratitudinem ferre poſſet, qui maternos affectus, nec amoris blanditias agnoſcunt, ſed perpetuâ lacrymarum importunitate labores à primis cunis toleratos compenſant? Nulli tamen illa parcit labori, amorisque ſui conſtantiam ſemper magis demonſtrat, non ſecùs ac columna, quæ ponderi impoſito non cedit, ſed magis ſolidatur. *Hoſpitabitur, & paſcet, & potabit ingratos*; bene de divina Chriſti charitate dici poteſt, *& ad hæc amara audiet.* Qui nunquam ob quamcunque ingratitudinem noſtram viviſica ſua carne nos deſinit cibare.

*Eccl. 29.*

XIV. Sed quid futurum eſſet, ſi non ſolùm protervi illi filij millenis acerbis dicteriis Matrem affligerent, ſed etiam in furias acti, pectus ejus & ubera dilacerarent? & verò ſæpiſſime multo deteriùs in Sacramento cum Chriſto egerunt Infideles, quin tamen idem ipſe Servator unquam ab exercenda indefeſſa patientia ceſſaret. Quoties publicis irriſionibus & calumniis illum in Euchariſtia deſpexerunt? Quoties equorum ungulis protriverunt? Nihilominus prævidentem omnes has injurias non tædet optimum JESVM pro utilitate Dilectorum ſuorum uſque ad finem Mundi in ſacra Hoſtia permanere. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.*

*Matth. 28.*

XV. De-

XV. Denique magnopere amoris ſui magnitudinem in Auguſtiſſimo Sacramento demonſtrat patientia, quâ indigniſſimè ab illis ipſis ſe in cibum ſumi permittit, à quibus Deus creditur & adoratur, attamen quaſi medium ad horrendiſſimas exercendas ſcelerum ſuorum enormitates uſurpatur. Quod ab illis, qui panem, & nihil præterea eſſe exiſtimant, deſpiciatur, mirum non eſt; idem eſt, ac Principem incognitum à rudi plebecula malè tractari, ſed deſpectus à perverſis Chriſtianis Chriſto in Eucharistia illatus, eſt nefarium facinus contra divinam ſuam perſonam, ut talem ab ipſis cognitam, licet ſub ſpecierum velamine occultatam, attentatum, ideóque ob hanc enormitatem abſque comparatione intolerabilior eſt. Et quis exprimere poteſt, quàm commune ſit hoc in Mundo ſcelus? Quoties benigniſſimus JESus in Altari adulteriis, inceſtibus, quin etiam beſtialibus impudicitiis inquinatis tractatur manibus? Imò quoties ab ipſis adeò veneficis, pro primaria magicarū compoſitionum parte uſurpatur? Tanta tamen tam horrendorum ſcelerum illuvies amorem ejus non potuit extinguere. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Referam vobis tragicum quid, quod, ut verum fatear, præſtaret ignorari, ſed quia, quamvis enorme ſit, admirabilem Chriſti JEſu amorem & patientiā plus in Sacramento, quàm in morte humiliati demonſtrat, non judico ſilentio prætereundum.

XVI. Contigit id hoc noſtro ſeculo. Sacerdos quidam Ludovicus Goffredi Marſilienſis inter patrui vitâ functi libros, unum qui de re magicâ erat, repertum curioſiùs primùm lectitare, dein etiam certâ formulâ dæmonem evocare auſus erat. Nil moratus infernalis prædo, in Angelum lucis, ne ille terreretur, transfiguratus coràm adeſt, jactátque ſe ſuper aëra, terrámque, maria omnia, & tartara præpoſitum eſſe ſumma cum poteſtate Principem; ſi quid vellet, præſto eſſe, ut poſtulata faceret, ſi modò beneficium, ſervum ſe ejus profitendo, agnoſceret. Sacerdos Inferni metum prætendere, eo ſublato futurus in ejus obſequiis. Dæmon contra pellere timorem, neque ſe ad Inferos damnatum perſuadere, neque illum poſt mortem, ſi obediret, damnandum, ſed dominaturum ſecum. Miſer Ludovicus, etſi fraudem agnoſceret, nihilominus promiſſis excæcatus diei unius moram poſtulat ad deliberandum; hoc elapſo velut arx munita, quæ jam cum hoſte paciſci cœpit, certis conditionibus ſe hoſti permiſit: & erant iſtæ potiſſimum: primò, ut Ludovicus ab omnibus honoraretur, ſecundò, ut in tali honore vegetam & conſtantem valetudinē triginta quatuor años produceret; tertiò, ut quidquid uſpiam eſt impurarum libidinum, illo frui pro arbitrio liceret toto hoc annorum ſpatio. Hæc ſi daret, ab eo viciſſim tria, animam, corpus, actionésque omnes pleno jure Orcus haberet. Annuit ad omnia Dæmon, pactum ſancitur, datur Sacerdotis ſanguine ſignatum firmatumque chirographum, in quo ſtatim veteratoriam ſuam artē exercuit fraudulentus

*Franc. Roſet. in hiſt. trag. noſt. temp.*

nundinator, dum hoc agit, ut ille neſcio qua oculorum, an mentis caligine, pro triginta quatuor annis, de quibus convenerat, quatuordecim tantùm poneret. His igitur peractis miſerandus hic, non Dei, ſed Luciferi Sacerdos, per totam Europam omnium Magorum factus eſt Anteſignanus & Princeps: & ut hoc tanto gradu dignior eſſet, non ſolùm teneris infantium carnibus veſci, ſed laxatis habenis in adulteria, ſtupra, ſacrilegia ferri audaciſſimè, fanda infandaque audere, nocturnis lymphatarum inauſpicatisque conventiculis adeſſe, & præeſſe: hirco infernali ſæpius litare Sacroſanctum Chriſti Salvatoris noſtri Corpus, mox conculcatam pedibus ſacram Hoſtiam canibus ſuis devorandam objicere, Sanguine verò malè ominatam ejuſdem farinæ Veneficorum turbam, clamantem: *Sanguis ejus ſuper nos, Sanguis ejus ſuper nos*, aſpergere. His immanibus tandem de ſceleribus propriâ confeſſione convictus, Aquis in Provincia vivus in rogum injectus obſtinato in malum animo ex igne temporali ad æternum ſceleſtus migravit Anno 1611. prid. Cal. Maij.

XVII. Siſtite nunc hic parumper, Chariſſimi, & ſi auditâ tam horrendâ hiſtoriâ adhuc aliquis remanſit ſenſus, illum, mecum diſcurrendo, totum applicate, hoc maximè modo. *Si* Chriſtus JEſus, antequam Euchariſtiam inſtitueret, alias non prævidiſſet injurias in Sacrâ Hoſtiâ tolerandas, quàm has ſolas à Diabolico hoc Sacerdote inferendas, an non videtur vobis amor ejus, morte, imò ipſo inferno fortior fuiſſe, dum iiſdem ſe ſubjecit. Quanta ergo erit amoris illius vis, qui non has tantùm irriſiones & contemptus, ſed multo plures, à tot & tantis perferendas prævidit; nec tamen ab illo, quod nobis dedit, donando abſtineri potuit? *Quæ te vicit clementia, ut noſtra ferres crimina?* Sic quandocunq; comunicamus, dicere poſſumus, pro ineffabili illo amore gratias agendo, quo ut nos cibaremur, nullâ alterius rei ratione habitâ, ſeipſum humiliare voluit. Quanta non eſt hæc divini amoris de ſe ipſo victoria, toties manere in corde peccati conſcio tam pacificum? cùm tamen ipſi nihil magis adverſetur, quàm peccatum? Si calor & frigus in nubis cujuſdam ſinu ſe invicem collidunt, ille moram pati non poteſt, ſed perruptâ nube fulgurat, tonat, horrendaque fulmina protrudit. Cur non idem huic divini Amoris calori accidere deberet, quando rebellis ſibi peccatoris frigori conjungitur? an non tonare, fulminare & fulgurare, & furioſo cum impetu erumpere deberet? videtur ſanè indignum, hujus nubis ſinum, qui licet ſordidiſſimis repletus vaporibus, non eſt veritus illum intra ſe recipere, non in mille fruſta diſcindi. Cùm verò è diverſo tantas Redemptor noſter toleret injurias, clariſſimè apparet, quanta ſit ejus charitatis dulcedo, quæ velut ſuaviſona Inſtrumenti muſici chorda, quo fortiùs tenditur, & pulſatur, eò ſuaviorem clarioremque reddit harmoniam.

XVIII.

III.

XVIII. Denique Divinum JESV amorem plus quàm dona, & plus quàm contemptus illi, nobis demonſtrat unio iſta, quâ ſibi nos in hoc Sacramento vult devincire. Donare & ferre poteſt, qui non amat, ſed deſiderare unam eandémque rem fieri cum amato, quomodo ſine amore fieri poteſt? Omnis amor, inquit Sanctus Dionyſius, vis eſt ad unitatem tendens, quæque ex duobus facere vult unum. *Quilibet amor eſt virtus unitiva.* Et Sanctus Auguſtinus (qui utriuſque amoris ſacri & profani, ſi quis alius, in ſeipſo probavit effectus) ipſe fatetur: *Amor eſt junctura quædam duo aliqua copulans, aut copulare appetens. Copulans*, unione ſcilicet affectivâ, quæ nunquam inter amantes ſe invicem deeſſe poteſt, & *copulare appetens* unione effectivâ, quæ quidem ſæpius deſideratur, ſed non obtinetur. Quæ unde, & quo indicio Amor Divinus in hoc Sacramento meliùs agnoſci poteſt, quàm à perfectiſſimâ illâ unione, quam ſe inter, & Fideles ſuos efficere intendit? Hic Chriſtus non modò vult ſe per gratiam unire Animæ noſtræ, ſed etiam cum ſanctiſſima carne ſuâ corpori noſtro. De hac unione Sancti Patres admiranda pronuntiant, vocando illam naturalem, ſubſtantialem & realem cum corpore Salvatoris unionem. Ita loquitur Sanctus Cyrillus, S. Irenæus, S. Hilarius, S. Joannes Chryſoſtomus, aliique plures. Nec quiſquam inducere in animum debet, modum hunc loquendi eſſe hyperbolicum, & improprium: altiſſimam ſiquidem comprehendit veritatem. Quapropter meritò dici poteſt, duobus modis ſanctiſſimam Chriſti carnem corpori Fidelium dignè id recipientium uniri: primò, quamdiu perſonaliter cum ipſis perſeverat: quia tunc realiter hæret in eorum amplexibus, eos ad amorem ſui excitando, velut aliquis, quem corpore præſentem viderent. Deinde poſtquam Chriſtus recedit, certum quoddam inter corpus ſuum & illorum manet vinculum, propter quod ſpecialem non tantùm animæ, ſed & corporis, illorum qui eum corporaliter receperunt, gerit curam, ut eos ſanctificet, illiuſque gaudij, gloriæ & felicitatis reddat participes, quæ ab Anima ſancta in corpus redundant. Ita ut Sanctus Irenæus ab Evchariſtiæ participatione corporibus noſtris immortalitatem deberi aſſerat, contra antiquos Hæreticos illam negantes. Hinc eſt, quòd Sancti Doctores teneant, licèt non extaret generale illud futuræ Reſurrectionis in ultimo die decretum, ſaltem illos, qui dignè communicârunt, ob reverentiam Divinæ Carnis illo in actu ipſis unitæ, fore reſuſcitandos. Quia ſicut fructus melle conditi ejuſdem propriam acquirunt incorruptibilitatem, ita quoque conveniens eſt, corpus Salvatoris nobis unitum, certam immortalitatis ſementem, quam ipſe meritus eſt, & ſpeciale ſemper vivendi jus nobis tribuere. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

*S. Tho. 3. p. q. 74. a. 6. in c. & q. 79. a. 16. ad 3.*

*l. 4. adverſ. hæreſ. c. 34.*

*Joan. 6, 59.*

XIX. Et in hac veritate fundatur magna illa ſcelerũ, quæ à Chriſtianis com-

N 2 mit-

mittuntur, enormitas & malitia, longè Infidelium perverſitatem excedens, ob maximam videlicet hanc unionem in Sacra Communione cum Divinâ Redemptoris Carne contractam. Hoc perpendens Sanctus Paulus exhorre-
1. *Cor.* ſcit: *neſcitis*, inquit, *quoniam corpora*
6. 15. *veſtra membra ſunt Chriſti?* Etiamnū tam malè inſtituti eſtis in fide, ut neſciatis in ſanctiſſimâ Communione, Corpus Redemptoris manducando vos cum ipſo ſic deſponſatos eſſe, ut membra veſtra nunc ejuſdem Divini corporis ſint membra? Id autem ſi nôſtis, quomodo poſſibile eſt, ut audeatis membra Divino iſti juncta Corpori, membra facere corporis adeò infamis? *Tollens ergo membra Chriſti,*
1. *Cor.* *faciam membra meretricis? abſit.* Ima-
6. 15. ginamini vobis filiam alicujus ruſtici maximâ favente fortunâ Regi deſponſatam fuiſſe, quæ ſi regio orbata ſponſo, ruſtico alicui ſubinde nuberet, an non vilitate tali non ſolùm propriam dignitatem regiam, ſed regalem quoque ſanguinem macularet, cujus ſplendorem & gloriam matrimoniali vinculo acquiſiverat? *Abſit!* nulla ejuſmodi nuptiarum mentio inferatur. Ubi ergo ſunt nunc iſti, qui non verentur dicere, *volo facere de corpore meo, quod mihi lubitum eſt, ego illius Dominus ſum?* falſum eſt, imò falſiſſimum, ne quidem Infideles ſunt domini corporum ſuorum; ut tanquam equos emiſſarios ad omnem ſpurcitiem elocare poſſint. Quamvis autem Infideles eſſent domini, & pluſquam domini corporum ſuorum, nunquam verum erit, tales eſſe & Chriſtianos, qui cum Chriſto uniti ſint, corpora ſua puriſſimæ carnis attactu in Communione eidem conſecrârunt, dedicâruntque. *Omnis qui tetigerit illa, ſanctificabitur.* Hinc impuritate illa quâ ſenſuali illa profanare non immeritò pro ſpecie ſacrilegij ipſis imputabitur.

XX. Sed ut ad intentum noſtrum redeamus: quid ſentitis, Dilectiſſimi, de Divino hoc Amore, quem nobis exhibet, manifeſtatque Chriſtus in Sacramento Eucharistico? Sancta Catharina Senenſis communicans ſæpe videbat in manibus Sacerdotis quaſi fornacem accenſam, per quam aptiſſimè amoris illius exceſſus explicatur, quo, præparando hunc vitæ cibum, verè totum amoris opus noſter Dominus demonſtrat. Dixi, opus Amoris: quia licèt ad illud exhibendum infinita Dei Sapientia concurrerit, utpote cujus erat, tam amabilem creaturis ſe comunicandi invenire modum, modum ſcilicet vires reſtaurandi, & reficiendi magis uſitatum; licèt etiam infinita ſua ad id opus efficiendum concurrerit potentia, cujus eſt omnia, quæ in hac communicatione objiciuntur, tollere obſtacula, efficiendo, ut accidentia in Sacrâ Hoſtia conſerventur ſine ſubſtantiâ: nihilominus totius operis denominatio debetur Amori, qui non ſolùm illud ſuggeſſit, ſed etiam ſuis impenſis perfecit. Eodem prorſus modo, quo antiquum Hieroſolomytanum Templum à Salomone, qui illud juſſit ædificari, non ab operariis, & Architectis ejuſdem nomen accepit. Quare ſicut Sacramen-

mentum Baptiſmi reſpondet Fidei ob jus, quod tribuit, ad Deum tanquam finem ultimum accedendi. Confirmatio reſpondet Spei, quâ nobis ad omnia, in viâ ad Deum occurrentia, obſtacula ſuperanda robur confertur; ſic Eucharistia reſpondet Charitati. *Eucharistia dicitur Sacramentum Charitatis*, ob unionem perfectam inter Deum & nos, poſtquam illum poſſidemus, *Teneam eum, nec dimittam.* Ideo Sancta Maria Magdalena de Pazzis optimè diem Communionis ſolebat appellare diem Amoris, quia in veritate nullus ei titulus meliùs quadrat. Et, quòd ita ſit, apparet ex reſponſo, S. Brigittæ, à Chriſto interroganti dato, quâ formâ animam Sacramentaliter communicantis intraret? *Ingredior ut ſponſus*, inquit, id eſt, totus munificus, totus ad gratificandum paratus, totus cordialis, & affabilis.

Quis ergo non obſtupeſcet, Deum poſt tam admirabiles Amoris ſui erga homines demonſtrandi inventiones adhuc ab iiſdem non redamari? *Amor non amatur, Amor non amatur!* exclamabat illa ipſa Sancta Maria Magdalena Monaſterij ſui exedras obeundo. Oporteret itaque eodem modo obire publica compita, & in omnibus angulis, & platearum capitibus exclamare velut extaticum: *Amor non amatur, amor non amatur.* Cùm re vera ſatis iterari hæc verba non poſſint. Eſtne poſſibile, Deum dare tale nobis donum, quo non poſſit majus conferre; nos verò, qui etiam viliſſimo ruſtico obtenuiſſimum munuſculum, in tugurio hoc nobis exhibitum, grati videri volumus! pro tanto munere, quod eſt ipſe Deus; tam ingratos nos demonſtrare. Si Deus aliquis mortalis cibo ſuſtentandus eſſet, an precioſior illi dare poſſet, quàm quo nos alimur? Et hoc ſatis non eſt, ut in nobis grati, generoſique erga Chriſtum animi ſenſus excitetur, quo dona donis, & amorem amori reddere decernamus; Eſtne poſſibile, ut invincibilis illa Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ Patientia, Patientia charitati ſuæ æqualis, non poſſit tandè aliquando cor noſtrum lucrari, movereque, ut ſaltem modicum illud, quod ad ſanctiſſima ejus mandata perficienda neceſſarium eſt, tolerare velit? Eſt ne denique poſſibile, ut admirabilis illa inventio, omnes Divini Solis radios in parvâ hoſtiâ colligendi, non ſufficiat ad cordis noſtri duritiem emolliendam? Quantumvis obſervemus, à diſperſis Solis radiis nec faculam quidem poſſe accendi, in ſpeculo verò adunato planè ignem ipſum eſſe? Si omnia hæc non ſufficiunt, nec infinitæ charitatis exceſſus, ex infinitis ipſis donis, ex infinitis tolerantiis, innitâque, quam intendit, unione demonſtratus nos commovent, quis non obſtupeſcet cordis humani contumaciam, quod ſicut iniquus cinis, tanto incendio obluctatur? Avertat Deus, ne tam inhumana inter nos Dei donis, nobis hucuſque collatis & adhuc conferendis inveniatur reſiſtentia, ſed tandem ejus amore victi, qui nos tantopere amavit, eundem redamemus. *Si amare, pigebat ſaltem redamare non pigeat.* *Auguſt. de Catech. Rud. c. 4.*

# DISCURSUS VIII.

## *De Præparatione Sanctiſſimæ Communioni præmittenda.*

I. LIcèt admiratio ſit filia ignorantiæ, ſit tamen deinde Mater ſcientiæ. *Propter admirari, cæperunt homines philoſophari.* (*Ariſtot.*) Quare optarem, vos hodie mecum effectum quendam rariſſimum admirari, ut clariſſimam de eodem cognitionem nanciſcamini. Et en, effectus tam prodigioſus hic eſt, Totus Chriſtus per Eucharistiam corpori & animæ Chriſtiani intimè ſe unit, & tamen per talem unionem Chriſtianus non fit totus divinus! non defuêre, qui exiſtimarent; Solem motu ſuo indies magis & magis appropinquare adeo, ut tandem terram noſtram attingere poſſit. (*Campanella apud Pandulphũ de fine Mund.*) Si hæc opinio veritatis niteretur fundamento, an non vobis maximum videretur prodigium, Solem in mundum noſtrum ſublunarem deſcendiſſe, & hunc non è veſtigio igne & flammis correptum fuiſſe; Simile tamen prodigium in mundo Chriſtiano ſemper oculis noſtris obverſatur. Sol Juſtitiæ è cœlo in nos in ſanctiſſimo Miſſæ Sacrificio deſcendit, nobiſcum in Altari habitat, in Communione ad nos ipſos ingreditur, & nihilominus adhuc frigore rigemus? Quare poſtquam eventum hunc animadverſione digniſſimum, omni, quo poſſumus, ſtupore admirati fuerimus, ſpero, fore ut practicam harum duarum veritatum ſcientiam addiſcamus: quàm neceſſaria, & quæ tandem ſit digna ad divinas has Epulas ſumendas præparatio?

II. Promiſit olim Diabolus primis Parentibus noſtris in Paradiſo terreſtri, ſi comederint de fructu, tam cum ſeveritate à Deo ipſis prohibito, eos ſicut Deos futuros, *eritis ſicut Dij.* Hanc verò promiſſionem adeò mendacem, aliò vitæ cibo in veram Redemptor noſter commutare voluit, ſanctiſſimo, inquam, Corpore ſuo; quare, qui manducat, inquit ille, meam carnem, & bibit meum Sanguinem, *in me manet & ego in eo*, volendo, ut obſervat Rupertus, Proditoris illuſionem in ſeriæ donationis effectum deducere. *Illuſionem nequiſſimi, qui dixit, comedite, & eritis ſicut Dij: ſeriò loquens in verum effectum convertit.* Proprius enim hujus cibi vitæ effectus eſt, eos, qui illo veſcuntur, paulatim divinos efficere. Ne verò hæc per auxeſim dicta videantur, minutim omnia enucleemus. Sacramenta ſunt ſimul gratiæ ſigna & cauſæ, ſpiritualiter in nobis id operando, quod ſenſibiliter nobis demonſtrant: hinc eſt, quòd ſanctiſſima Eucharistia ſub ſpecie panis nobis impertia-

[...]peritur. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro Mundi vita.* Significando eoſdem illam in anima noſtra, quos cibus materialis in corpore noſtro, effectus operari, qui ſunt hi quatuor à S. Thoma enumerati, *Suſtentare, augere, reparare, & delectare.*

III. Inprimis ergo hic ſanctiſſimus Panis ſuſtentat animam noſtram, vitam gratiæ, quam in ea invenit, conſervando, ſicut vitam corporis panis materialis conſervat; hac tamen cum differentia, quòd quantocunque etiam pane veſcatur corpus, tandem dilectiſſimâ ſibi vitam amittat, anima verò, ſi ſuo hoc pane dignè utatur, nunquam ei deſtituatur. *Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut, ſiquis ex ipſo manducaverit, non moriatur!* Quod, ut notat S. Thomas, cùm de morte corporali intelligi non poſſit, de morte Spirituali, quæ eſt amiſſio gratiæ, locutum eſſe Chriſtum, credere oportet.

IV. Secundus panis effectus, quem præſtat corpori, eſt non ſolùm vitam ei ſervare ſuperſtitem, ſed etiam vegetare, augere, & ad debitam ei ſtaturam perducere, ad quam, ſi parcè nutriretur, non perveniret. Idem præſtat animæ Panis hic ſuperſubſtantialis, niſi quòd corpus determinatam ſuam habeat ſtaturam, ultra quam (ubi virilem attigerit ætatem) non creſcit ampliùs, quantumcunque ei alimentum ſuppeditetur. Anima verò nullum talem habeat terminum, qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. Atque ita panis hic ſuperſubſtantialis quoties dignè ſumitur, toties ſanctitatem auget gratiam, quæ eſt illa ipſa gratia, quâ datâ anima perficitur, ob quam cauſam dictus eſt *Cibus grandium*, quia non ſolùm incipientes, nec ſolùm proficientes, ſed etiam perfectiores in vita ſpirituali eum ſemper convenientiſſimum ſibi cibum experiuntur. *Cibus ſum grandium; creſce, & manducabis me*: Ita Chriſtus dicebat S. Auguſtino; invitans, ut cibo hoc dignè ſumpto creſceret. *Conf. l. 7. c. 10.*

V. Alius Panis effectus eſt confirmare; *Panis cor hominis confirmat.* Præter conſervationē enim & augmentationem corporis, vires illius debilitatas reſtaurat. Parem effectum confert panis hic cæleſtis, ita, ut Sanctus Thomas velit; ſolum hunc ad omnes animæ infirmitates curandas ſufficere, à quacunque etiam causâ proficiſcentes. *Vales contra omnes Spirituales defectus.* Quod panis vulgaris in corpore nunquam efficere poteſt. Atque hinc nata eſt inter antiquos Chriſtianos perſecutionis tempore tanta de incomparabili hoc Sacramento æſtimatio. S. Cyprianus non putavit idoneum ad martyrium perferendum, qui illo non munitus in arenam deſcenderet. *Idoneus non poteſt eſſe ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium.* Et quia hæc præliandi occaſio ſingulis horis poterat offerri, ideo temporibus illis Euchariſtiam domi ſuæ aſſervare Fidelibus permittebatur, ut in neceſſitate improviſa ejus ſumptione contra omnia intentata ipſis tormenta ſe obfirmarent; id quod etiam uno ab hinc ſeculo Romanus Pontifex conceſſit Reginæ Mariæ Stuartæ deſideranti, ut ad mor-

*Pſ. 103.* *in 4. diſt. 2. q. 1. ar. 2.* *Epiſt. l. 1. ep. 2.* *Flor. Rem. de ort. Hæreſ.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mortem uſque hoc ſacro epulo eſt c-munita, quam poſtea tanta cum veræ Religionis Catholicæ gloria, & heterodoxæ opprobrio, ſuſtinuit. Hæc fortitudo intra nos ipſos variis efficitur modis. Primò rebellem moderando concupiſcentiam & quaſi frigido cæli rore ardores ejus reſtinguendo.
Lib. in Joan. c. 45. *Sedat, dum manet in nobis Chriſtus, ſævientium membrorum noſtrorum legem*, dicebat S. Cyrillus, quia licet
3. p. q. 79. art. 6. ad 3. (ſecundùm S. Thomæ doctrinam) hoc Sacramentum non ſit directè ad fomitis diminutionem inſtitutum, ut eſt Baptiſmus, indirectè tamen, augendo ſcilicet charitatem, ut ſupra dixi, conſequenter concupiſcentiam enervat.
S. Aug. l. 83. qq. 16. *Augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis.* Inſuper duplicis generis alia intrinſeca, alia extrinſeca à Deo hîc conferuntur auxilia; intrinſeca, ſunt actualis gratiæ præſidia, quibus intellectus vivaciſſimis illuſtratus luminibus verum agnoſcit bonum, illúdque validis excitata impulſibus, voluntas amplectitur.
S. Aug in l. 83. q. 16. Suarez tom. 3. in 3. p. diſt. 74 ſect. 1. Extrinſeca ſunt protectiones extra ordinem per ſanctiſſimæ Communionis gratiam collatæ: illâ enim permotus Deus, benigniſſimâ providentiâ ſuâ cunctas occaſiones, quæ ad facilè peccandum nos allicere poſſent, removet; vires, furorémque inimici, ne nocere præſumat, reprimit.
S. Tho. 3. p. q. 79. ar. 6. in c. *Ut leones flammam ſpirantes, ſic ab illa menſa diſcedimus, terribiles effecti Diabolo*, inquit Sanct. Joannes Chryſoſtomus. Paucis his verbis, quidquid à me uberiùs dictum eſt, complexus.

VI. Ultimus denique divini hujus cibi effectus eſt, delectare. Eæ quidem conſolationes, quas quævis anima ſancta ex illo haurit, tam inſignes, ut cor ejus inebrient, & quaſi extra ſeipſum dimoveant. *Comedite amici, & inebriamini chariſſimi.* Cant. 5. Videtur Chriſtus Servator in hoc Sacramento hiſce cum animabus non poſſe omnino occultus latere, & ſicut olim Jacobus manus, & nuda colli, veſtes mutando, non autem vocem obtegere potuit; ita ſub ſpeciebus panis Chriſtus magnificentiam ſuam & majeſtatem celare videtur, ſed non amabiliſſimam illam vocem, quâ extemplo omne cor poteſt liquefacere. Quod ſi, qui ſacra Synaxi reficitur, non ſit Deo chariſſimus, ſed ſolùm ejus amicus, id eſt, in charitate actuali nondum perfectus, per charitatem tamen habitualem, quæ in eo inhabitat, ritè diſpoſitus; eo caſu, licet ſenſibilis hujus conſolationis exceſſu non inebrietur; nihilominus manducando ſaltem hanc experitur delectationem, quam ſecum bona affert conſcientia, convivium ſcilicet, ut loquitur Sapiens, quod in hoc Mundo parari poteſt, ſuaviſſimum & longiſſimum. *Secura mens, quaſi juge convivium.* Prov. 15.

VII. Sed hic iterum naſcitur admiratio, quæ ſæpe hactenus. Ubi nunc ſunt iſti effectus, inquam, in plerisque Fidelibus, quid illi delitiarum ſentiunt? Aliqui panem huculque deprædicatum adeò nauſeant, ut ſi ipſis liberum eſſet, integris etiam annis ab illo abſtinerent. *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo.* Num. 21.

Hic

Hic cibus totum eorum ſtomachum turbat; hinc cùm aliter facere non poſſunt, aliquot diebus, ipſum Paſchatis feſtum præcedentibus, communicant, ne Paſchalem lætitiam, ipſo manè hoc ſacro fruerentur epulo, interturbent; gratiſſimum quidem, & ipſis etiam exſpectatiſſimum, ſed longè diverſo voluptatum genere tranſigendum diem. Quid inde virium ac roboris capiunt? Hectici nunquâ ardentiorem ſentiunt febrim, quàm poſt ſumptum cibum. Idem pluribus evenire videtur Chriſtianis, præcipuè fœminis, quæ nunquam domi furioſiùs debacchantur, nec plures evomunt imprecationes, maledictionésque, quàm quando ab hac ſacratiſſima menſa jam refectæ receſſerant; os illud, per quod paulò ante velut portam ingreſſus erat Rex gloriæ, magiſque, quàm antiquum, ut inquit S. Chryſoſtomus, propitiatorium honorandum, temerè profanantes. Quam augmentationem, quem profectum in virtutibus? Sancta Maria Magdalena de Pazzis ſolebat dicere, unicâ ſolâ communione benè peractâ hominem ſanctum fieri poſſe. Videmus autem plurimos poſt annos hujus ſacratiſſimæ menſæ convivas ſemper manere eoſdem, nec unum quidem paſſum in iis, quas Deo debent, ſubjectionis, exiſtimationis & amoris virtutibus progredi. Sed quà unde hæc omnia? Aiunt Medici ad certò cognoſcendam hominis complexionem, ſatis eſſe, victûs, quo alitur, obſervare qualitatem; tales enim nos eſſe, quale eſt alimentum. Quare ſi interrogaveritis, quâ de cauſa Crocodilus ſub undis victitans fœtida habeat viſcera, alius verò vivens ſupra terram, fragrantia, ſolvetur quæſtio, reſpondendo: Crocodilum aquaticum putridâ veſci algâ, terreſtrem verò odoratiſſimis paſci floribus. An & in caſu noſtro hac utemur regulâ? Avertat DEus. Valde enim cibi hujus, de quo loquimur, minueret exiſtimationem: non enim reſpectu quorundam hominum videretur talis, qualis eſt, totus cæleſtis; ſed totus terrenus; tam abjectæ ſunt cordium illorum cogitationes, & viles affectus. Videmus enim ſæpius, quoſdam frequentiſſimè huic accumbentes menſæ nunquam dignos illâ ſpiritus concipere.

VIII. Quid, dico, nunquam dignos concipere ſpiritus? Quidam hoc cum vitali alimento magnam, non dico confortandi ſe, aut proficiendi, ſed etiam brevi temporis ſpatio vitam tuendi difficultatem ſentiunt: etenim ſi eo ipſo die, quo communicârunt, vana quædam mulier fiat obvia, tantâ repentè aduruntur flammâ, ut citiùs, quàm cæcutiens papilio, in cineres reſolvantur. Quod ſi invitentur ad comœdiam (quamvis verſibus contextam nimium ſolutis) aut luſum vocentur illicitum, aut ad lucrum alliciantur injuſtum, tentationi cedere non dubitabunt, adeóque vitam animæ, illo ipſo die, quo ſtudioſiùs illam ſanam conſervare deberent, amittunt. An non eſt hoc infinitam tam digno ferculo inferre injuriam? *Sacramenta ſuſcipientes*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hom. 66. ad pop. *minùs dignè, & illa & Chriſtum traducimus, & quantum in nobis eſt, famâ & honore privamus*, inquit S. Joannes Chryſoſt. Profectò plurimorum vita veritati ineffabilis hujus Sacramenti eſt injurioſiſſima; ipſorum enim culpâ fit, ut ægrè credatur; cibum, qualis eſt iſte, ſi tantæ virtutis eſt, tam parùm efficere in animis noſtris, ut Chriſtus Dominus noſter toties domum corporis noſtri intrando, nec ullum pedum ſuorum relinquat veſtigium, qui, quocunque ibant, varios ſalutis fructus naſci faciebant; *Pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes* Actor. 10, 38. *oppreſſos à Diabolo.* Quæ ergo eſt, Chariſſimi, tanti mali cauſa? Oportebit attentè nos illam inveſtigare, ut, ſic loquendo, ſuam Sacramento famam & honorem reddamus.

IX. Sed ne diutius vos detineam; ratio eſt hæc manifeſtiſſima. Sacramenta non operantur ut cauſæ liberæ & voluntariæ, ſed ut cauſæ phyſicæ & naturales; atque ideo etiam non niſi ſecundùm diſpoſitionem noſtram (S. Tho. 3. p. q. 79. a. 6. ad 1.) ſuos producunt effectus. An ignem culpabitis, quòd in palea vi majore non polleat? Duriorem, denſiorémque illi præbete materiam, videbitis, ſatis omnino in igne eſſe virium ad fortiùs urendum. Omnis in nobis defectus eſt, quòd ſacræ huic menſæ accumbentes adferamus ineptas ad cibum hunc ſalutarem reddendum diſpoſitiones: atque ita, licèt Dominus noſter ignis ſit ad res omnes comburendas aptiſſimus; *DEus noſter ignis conſumens eſt* (Heb. 12. 29.), nihilominus ſpiritus noſtri vanitate, quaſi ignis eſſet ex palea, ad leviter urendum illum cogimus. Ut clariùs loquar, copia mali non à cibo, ſed à ſtomacho derivatur. Primò Panis hic Divinus non teritur dentibus, ſed integer devoratur. Ideo lupi ſemper ſunt macilenti, quia cibum non præmanſum, ſed integrum deglutiunt. Idem plurimi faciunt Chriſtianorum, Communionem abſque ulla actuali conſideratione accedunt, unde meritò illis objici poſſet, quod Chriſtus dixit Samaritanæ: *Vos adoratis, quod neſcitis.* Dominum adorant, antequam recipiant, pectus tundunt, oculos demittunt, os aperiunt, ſed omnia hæc ex mera conſuetudine: de reliquo tam exiguâ hæc peragunt cognitione, ut ferè nunquam, neque actionis magnitudinem, neque Dei, quem intra ſe recipiunt, majeſtatem intelligant; ita, ut communem ſpectando ignorantiam, quaſi unicuique Altarium noſtrorum verba illa, in quadam Ara ab Apoſtolo Athenis lecta, inſculpi poſſint: *Ignoto Deo.* Neque etiam ſatis eſt, cibum, antequam deglutiatur, eſſe præmanſum; ſed inſuper deglutitum concoqui oportet. At hoc quomodo in ſtomacho malè diſpoſito fieri poteſt? talis verò eſt plurimorum, qui plus terrenarum ſunt appetentes deliciarum, quàm cœleſtium. Accumbat menſæ cum Patre Regii Filius, qui, ſi ſumptis ibi ferculis delicatiſſimis, inde ſurgens inſolitè ... abeat ad replendum calce, aut ... nibus ventrem, quis mirabitur, ſi regia menſa ei non conducat? Hoc idem & nos facitamus: vix enim hoc ſacro

ſe-

refecti ſumus epulo, quamprimùm ad conſueta redimus negotia, & cùm dies ille ſanctis eſſet tranſigendus operibus; negotijs vulgaribus, ad quæ ſæculi Spiritus invitat, impendimus. Profectò hoc non eſt cibum concoquere. Quod ſi ergo Communionem nobis fructuoſam eſſe volumus, de digna diſpoſitione cogitandum erit; quæ quanto major erit, tanto copioſiorem gratiæ menſuram referemus. Hanc Deus legem ſtatuit, tantum nobis per Sacramenta conferendi gratiæ, quantæ nos capaces reddidimus: eodem prorſus modo, quo cum fratribus ſuis olim egit Ioſephus, qui licèt plus frumenti, cujus magnam in Ægypto habebat copiam, largiri voluiſſet, plus dare non potuit, quàm illorum ſacci caperent, cordis ſui amplitudinem ad parvam menſuram à fratribus allatam reſtringendo, *Imple ſaccos eorum frumento, quantum poſſunt capere.* Nos igitur ſumus iſti fratres, qui liberalitati Domini noſtri terminos præfigimus, imò; ut ita dicam, etiam ipſius Omnipotentiæ; quamvis non ſit, cur timeam ita loqui. An non ita ipſe Evangeliſta locutus eſt de Nazareth, Dominum in populo ſuo tanta non potuiſſe facere miracula, quanta alibi fecerat; *Non poterat ibi virtutem ullam facere.* Sed quare facere non poterat; An non erat idem in cunctis locis Dominus, ut, quod ſibi placeret, facere poſſet; Ita ſanè. Quia verò infinitâ ſuâ ſapientiâ legem tulerat, ſecundùm quam gratiæ ſuæ in mortalium animos deſcenderent, hoc ſuppoſito, non potuit illas his, qui ſe indignos propriâ ſuâ indiſpoſitione Matth. reddebant, impertire. *Non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem* 13. 58. *eorum.*

II.

X. Manifeſta eſt ergo ad dignè communicandum bonæ diſpoſitionis neceſſitas. Nunc ad modum ejus tradendum procedamus. Olim (ut teſtatur S. Gregorius) Chriſtianis communicare volentibus altâ voce hæc verba Diaconus ingeminebat; *accedite cum fide, tremore & dilectione.* Inſinuando tribus hiſce virtutibus optimam ad recipiendum tam ſublimem hoſpitem in cordibus noſtris continerí præparationem. Quare, *accedite cum fide.* Fides primus Animæ ad Deum motus eſt, ideóque maximè in omnibus divinis myſterijs eſt neceſſaria; magis tamen, quàm unquam alibi, in iſto, quod per excellentiam ſuam, *myſterium fidei* nuncupatur. Siquidem in nullo alio Deus adeò eſt abſconditus. In hoc Mundo ſe celat ſenſibus noſtris, qui non niſi ſolam rerum ſuperficiem penetrant: ſed oculis rationis ſe revelat, quæ Deum in creaturis, velut ſolem in ſpeculo, contemplatur. Non ita in Euchariſtia. Hic non tantùm ſenſibus, ſed ipſi rationi naturali abſconditur, quæ Divinitatem Salvatoris humanitate tectam ſola penetrare non poteſt, nec humanitatem ſpeciebus panis deſtructi obvelatam. Parte alterâ hæc ipſa Fides principaliſſimus Euchariſtiam inſtituendi finis fuit. Quod fuit primum Parentum noſtrorum delictum? Infidelitas,

S. Tho. 3. p. q. 75. a. 6. in c.

quâ Deo fidem adhibere noluerunt, ſub ſpecioſo pomi prohibiti cortice mortem latere, ſed potiùs ſerpenti crediderunt id neganti, mendacibus allecti promiſſis. Rectè proinde, dicit Dominus; prima hæc infidelitas, quæ pro objecto infelicem mortis fructum habuit, vivâ fide ergo fortunatiſſimum vitæ fructum à Fidelibus meis

In Cant. c. 1. corrigatur. *Ut expietur reatus malæ credulitatis, exigitur* à vobis, *ut credatis, quod non videtis:* ingenioſè inquit Rupertus Abbas. Profectò prima hæc cicatrix ab homine contracta plus Diabolo, quàm Deo credendo, non poterat meliùs obduci & emendari, quàm victoriâ illâ ab Eccleſia per diviniſſimum hoc Sacramentum obtentâ. Quoniam ſi alibi in rebus ſenſibus noſtris ſuperioribus credendis intellectum ſubjicimus, hîc etiam in rebus ſenſibus ipſis contrariis ipſum captivamus, à ſententia circa objecta ab eiſdem latâ appellando (quaſi ad ſenſus non ſpectaret de omni apparentia judicare) tantâ, inquam, cum animi firmitate appellando, ut inter omnia difficillima Eccleſiæ dogmata, nullum unquam minùs fuerit oppugnatum, quàm iſtud; ita quidem, ut primis decem Eccleſiæ ſeculis nullus inventus fuerit hæreſiarcha, qui realem Chriſti JEſu in hoc Sacramento præſentiam auſus fuerit negare; donec ſeculo demum undecimo novus adeò error à Berengario propoſitus,

Anno 1050. ipſo adhuc vivente à quinque illuſtribus Conciliis fuerit condemnatus, ipſe verò ad ſaniorem reductus mentem, hæreſique ſuâ tribus vicibus abjuratâ, magna cum pœnitentia in ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ gremio vitam finiſſe ſit viſus. Conſiderate ergo, quid ſentiendum ſit de hodiernis Hæreticis contra dogma tanto tempore in Eccleſia indubitanter aſſertum obgannientibus. *De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus,* ſcripſit S. Hilarius, de hoc loquens dogmate. Et hi perfrictæ frontis homines non ſolùm de eo dubitare, ſed etiam negare audent? ajunt, quendam aliquando ſomniantem, tres ſibi eſſe oculos, paulò poſt excæcatum fuiſſe. Idem accidit ſuperbis hiſce, qui acutiùs, quàm omnes ſanctos Doctores, videre putantes, veram perdendo Fidem penitus excæcantur.

XI. Sed ad nos ipſos redeamus: cum Fidei hujus plenitudine Chriſtum in hoc Sacramento ſuſcipere oporteat, *Accedamus in plenitudine fidei.* Fide, quæ non in ſola ſiſtat ſpeculatione, ſed ad praxin deſcendat, operibus magnitudinem Domini ſui, quem intellectu præſentem credit, honorando. Profectò ad Lydium hunc probata lapidem multorum Chriſtianorum fides non eſt fides perfecta. Ubi in Regiæ aulæ veſtibulo auditur: *Ecce Rex!* omnes quamprimùm aſſurgunt, ludere, diſcurrere & ridere ceſſant, & ſi Aulicorum aliquis non aliud ageret, quàm ut è ſede non aſſurgeret, rectè affirmari poſſet; hic non credit adeſſe Regem. Cogitate jam, ſi Chriſtiani veræ fidei poſſiderent plenitudinem, an tam exigua, in omnibus ferè templis eo ipſo tempore, quo ad ſacram menſam accumbitur, cerneretur devotio!

Quare,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quare, chariſſimi, conamini antequam accedatis, conamini, inquã longè maximam de Majeſtate Dei in pectoribus veſtris ſuſcipiendi concipere æſtimationem, vivàmque veriſſimæ Divinæ præſentiæ apprehenſionem; ita enim optimè ad percipiendos ſanctiſſimæ Communionis fructus vos diſponetis, quæ, ut loquitur S. Thomas, *eſt ſecretum ſacratiſſimum, ſoli Fidei manifeſtũ*. Ad hæc Fides illa eſt maximum, quod homo Deo præſtare poteſt, obſequium, ſacrificando illi primogenitum ſuum, id eſt, intellectum, trium animæ potentiarum primariam, dignúmque tam divino hoſpite thronum ſupra proprij ſpiritus demiſſionem erigendo, *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris.*

VII. Hæc prima diſpoſitio maximi eſt momenti, non ſolùm ipſa per ſe, ſed etiam quia omnes alias ſecum trahit, *Sponſabo te mihi in fide, & ſcies quia ego Dominus.* Quia Fidem profundiſſimum divinæ Majeſtati debitum ſequitur obſequium, quod ſecundo loco requiritur. *Accedite cum fide & tremore.* Ruſtica gẽns, quando cum Principe agendum eſt, ignorans titulos illi debitos, Aulicorum cum tali Principe agendi & loquendi morem attendit, addiſcitque. Ruſtici ſumus nos urbanitatis legum ignari; ut neſciamus debito Regem cœlorum cultu & honore afficere: addiſcamus ergo à ſanctis Angelis, utpote ipſius Aulicis, qui ſæpius non erecti in pedes, ſed in terram proſtrati ſummâ honoris teſtificatione, extremæ Chriſti demiſſioni, quâ in Euchariſtiam deſcendit, ſe conformare conſpecti ſunt. Hic cultus inprimis ad magnam conſcientiæ puritatem, tali vitæ alimento convenientem procurandam incitabit. Moyſi dictum fuit, antequam rubum, in quo erat Deus, accederet, calceis ſe exueret, ut indicaretur, quali debeat nitere munditiâ, qui cum Deo precibus agere cogitat. Sed Apoſtolis non ſatis erat calceos exuere, neceſſe erat etiam pedes abluere, imò ut ab ipſis beatiſſimis Salvatoris manibus ablui ſinerent; ut ſignificaretur, ad dignè communicandum non vulgarem ſufficere affectuum puritatem, ſed ſummam afferri oportere. Sic antequam manna deplueret, copioſiſſimo de cœlo rore terra irrigabatur, ut quaſi ad cibum hunc Angelorum manibus præparatum ſuſcipiendum digna efficeretur. Sic quoque panes propoſitionis ex candidiſſima debebant componi farina, ſupra puriſſimam deponi menſam, fulgidiſſimo adoleri incenſo, ut magna hæc mundities eſſet figura ſanctiſſimi hujus Sacramenti, exquiſitámque conſcientiæ puritatem nos doceret, quâ ad illud recipiendum nos præparare oporteat.

*Greg. l. 4. dial. c. 58.*
*Chryſoſt. l. de Sacerdot.*
*V. Cornel. à Lap.*

XIII. Hinc enormem peccatorum illorum temeritatem colligere poteſtis, qui poſtquam longo tempore in ſcelerum ſuorum ſordibus ſe volutârunt, illo ipſo mane quo confitentur, ore ſuo, ut ita dicam, venenoſum adhuc ſpirante halitum, mox properant ad Chriſtum ſumendum. Quis credat hanc populi fæcem intelligere, quid ſit communicare; Sanctus Joannes Chryſoſtomus olim capere non



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poterat, quomodo aliqui Chriſtiani Quadrageſimam tempus ſufficiens exiſtimarent, pro expiandis peccatis per totum annum commiſſis, nec aliter tempore Paſchali ad recipiendum in hoc Sacramento Chriſtum ſe præpararent. *Quadraginta diebus animæ ſanitatem aſſignas, & Deum habere propitium exſpectas? ludisne quaſo?* Quid jam diceret inſignis hic Eccleſiæ Doctor, ſi hac noſtra ætate tot & tantos videret, qui non ſolùm quadraginta dierum pœnitentiam non præmittunt ad Evchariſtiam ſumendam, ſed unico quaſi paſſu à ſacro tribunali feſtinant ad Altare, ut, niſi fallor, altero breviore ad proſtibulum regrediantur. Et quid dicent alij ejuſdem cum Chryſoſtomo ſanctitatis & Doctrinæ viri? Sanctus Auguſtinus, e. g. qui vult priùs jejuniis, eleemoſynis & orationibus habitationem pro Regum maximo recipiendo præparari? *Priùs orationibus, jejuniis, eleemoſynis ſtudeas mundare conſcientiam tuam, & ſic Evchariſtiam præſumas accipere.* Sanctus item Ambroſius, qui admonet, ſtatim poſt abſolutionem anhelare ad Evchariſtiam, non eſſe tam propriam velle liberare, quàm Sacerdotis conſcientiam illaqueare. *Qui ita poſcunt pœnitentiam, ut ſtatim ſibi Communionem dari velint, hi non tam ſe ſolvere cupiunt quàm ligare Sacerdotem.* Quid ergo mirum eſt, ex Communione tam idonea ad eum conferendum nullum hauriri fructum? Agricola ſemen mandans terræ culturâ non ſubactæ, nec pluviis emollitæ, exiguam colliget meſſem, licèt ſemen fuerit ſelectiſſimum. Sic licèt Evchariſtia ſit ſemen immortalitatis, nihilominus cordibus omni devotionis humore deſtitutis illata, quem fructum poterit producere? *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum.* Quod ſi verò quibuſdam ſtatim poſt exomologeſin peractam ſacram adire Menſam conceditur, qui peccati mortalis vivunt immunes, non tamen iis, qui longo tempore ſceleribus ſuis inimicitiam contra Deum aluêre, permittendum eſſet; ſed inducendi eſſent, ut aliquot dierum ſpacio plurimis pietatis operibus vacantes, illâque ſapienter mentes gratiâ, quam à peccatis expiatæ ceperunt, promiſſiones in ea factas & propoſita ſtabiliant, confirméntque. Plutarchus ſcribit: apud Sibaritas in more poſitum fuiſſe, fœminas integro anno præcedente ad nobilium convivia invitari, ut tempus haberent mundum muliebrem parandi, séque ornandi. Videte ergo, an nimium ſit, aut ſuperfluum illud otium, quod paucis diebus ad Regis cœlorum menſam adeundam impenditur.

Hom. 61. ad pop.

Serm. 252. de temp.

le pœ- it.d c. vul.

XIV. Quid autem dicemus de his, qui non ſolùm vix factâ peccatorum ſuorum exomologeſi hujus Sacræ Menſæ fiunt participes, ſed etiam in ipſa Comunione affectum ad peccata, paulò ante confeſſione expiata, retinent, uno eodemque in altari Idola & Arcam collocantes? Inter hos ſunt illi, qui antequam animi rancorem contra proximum, à quo offenſi ſunt, deponant, aut priùs alloquantur, ignem nihilominus odij in ſinu ſuo foventes Sacramentum pacis recipiunt, à Chri-

ſto

inſtitutum, ut vinculum eſſet, quo ſimul Deo, nobiſque invicem ipſis uniremur. *O ſacramentum pietatis! ô ſignum unitatis! ô vinculum charitatis!* exclamat ſanctus Auguſtinus. Sanctus Joannes Damaſcenus docet, Communionem ideo vocari Communionem, ſive Synaxin, *quia communicamus, & unimur ad invicem per ipſam.* Conſiderate ergo, quàm malè ſint diſpoſiti, qui ab invicem adeo ſunt diviſi! olim Eucharistia in vaſe aureo, aut argenteo figuram columbæ referente aſſervabatur, ut indicarent, non eſſe dignum intra ſe Chriſtum ſuſcipere, qui ſine ſeſe vivere non velit.

XV. Hæc ipſa Reverentia, ut timor dici poſſit, *accedite cum tremore*, oportet, ut ab intrinſeco cordis ad exteriora corporis derivetur, ita ut ex modeſta corporis compoſitione & habitu appareat, vos aut communicâſſe, aut adhuc communicandi intentionem habere. Et quis fæminarum illarum poterit tolerare ſuperbiam, quæ illo ipſo manè, quo ſacræ menſæ accubituræ ſunt, vaniore, imò immodeſtiore quàm unquam aliàs incedunt habitu, nec verentur adeò ſuperbientes tantæ ſe Majeſtatis offerre conſpectui, quæ propter amorem illarum uſque eò in Sacramento ſe humiliavit, ut non tantùm non homo, ſed ignobilis cibus videri velit; Quàm juſtis de cauſis Sanctus Carolus olim ſtatuit, ne talibus fœminis in Eccleſiis Sacra Communio porrigeretur! Non certè, non merentur, quia illam adeuntes tam exiguum Chriſto exhibent honorem, nec dubitant, modò putidum illarum adoretur corpus, Auguſtiſſimum ipſius Corpus parvi facere; nec horrent cunctis Chriſtianæ modeſtiæ legibus contemptis flammas illas ſcandalis ſuis reaccendere, ad quas extinguendas aliquando omnem ſuum Sanguinem Chriſtus effudit.

XVI. Denique præcipua ad hoc amoris Sacramentum diſpoſitio, eſt Dilectio. *Accedite cum fide, tremore & dilectione.* Quod ante omnia amando nos Chriſtus deſiderat, inquit S. Thomas, ut à nobis redametur. Ideóque quia in Eucharistia ultimos infiniti amoris terminos nobis demonſtravit, *in finem dilexit eos*: ſimilem profectò in nobis amorem volet excitari, quo ſupremo modo ad illum pro cibo noſtro recipiendum diſponamur. Hic amor, ut juſtum aſſequatur modum, ſimul appretiativus debet eſſe, & affectivus, qui altiſſimam de divina majeſtate concipiat æſtimationem, tenerrimóque affectu incomparabili ipſius amori reſpondeat. Ex nullo autem alio ſigno cognoſci poteſt, an in nobis talis reperiatur amor, quàm ex deſiderio divinæ huic menſæ accumbendi. *Panis iſte,* inquit S. Auguſtinus, *interioris hominis quærit eſuriem.* Olim *Tract. 26. in Joann.* Imperatores à bellicis expeditionibus reduces tantâ honorum ſignificatione & pompâ à Populo excipiebantur, ut publica lege ſtatutum fuerit, ut hujuſmodi impenſis modus ſtatueretur. An non igitur ſummæ erit ignominiæ Chriſtianis, Deum ſuum tam exiguo apparatu excipere? Sed quis erit ille non lege humanâ prohibitus, at Dei conſilio propoſitus nobis apparatus?

Quæ

Quæ erunt iſtæ impenſæ? Nihil aliud quàm deſiderium. Ecce quàm parvo Deus ſit contentus. Quamdiu Filij Dei Incarnatio fuit deſiderata? exſpectatio Gentium appellata; *ipſe erit exſpectatio Gentium, deſiderium collium æternorum deſideratus cunctis Gentibus?*

*Gen. 49.*

*Gen. 49. 26.*

Jam verò cùm Eucharistia à Sanctis extenſio Incarnationis vocetur, æquum eſt, ut deſideriis invitatus Chriſtus in corda noſtra deſcendat, ſicut olim iiſdem provocatus in terras deſcendit. Verbis explicari non poteſt, quàm grata ſit Deo talis diſpoſitio. Quare potiùs in caſu hic referendo eam perpendite.

*Paulus Barry Philag.*

XVII. Erat Bononiæ in Monaſterio quodam Religioſarum Virginum Ordinis Sancti Dominici puella annis tenera, quæ verè Innocentiæ filia & devotionis adoptiva videbatur. Præcipuè verò cultui Sanctiſſimi Sacramenti apprimè deditam eſſe ſe monſtrabat; nec contenta quos poſſet ei deferre honores, deſiderabat etiam ſicut aliæ Virgines ejuſdem particeps fieri: ſed ob ætatem nimis teneram Moniales ejus deſideriis non aſſentiebantur. Hinc ipſa, quò propiorem ſe videbat fonti, tantò magis intus affligebatur, quòd inde ſuam ſedare ſitim non poſſet. Interea quodam mane, dum aliæ pro conſuetudine, omnes ſacram Menſam accedebant, Imelda (hoc ei nomen erat) ſola in loco ſuo relicta adeò ferventibus Chriſtum Dominum exoravit deſideriis, adeóque intenſis, dignaretur ad ſe venire; ut benigniſſimus JEſus amore victus, è manibus Sacerdotis abiens, pérque luminoſam avolans ſemitam, in fortunatiſſimæ hujus puellæ capite ſubſiſteret. Ad quod prodigium attonitis & attonitis hærentibus Monialibus, reíque eventum exſpectantibus, inhorruit primò ipſe quoque Sacerdos; dein judicando æquum eſſe, animam illam tam luculento è cœlo approbatam ſigno Communione non privari, Imeldæ hoſtiam ſanctiſſimam porrexit. Illa tam inexſpectato [illegible] favore, tantis æſtuare cœpit flammis, cordiſque augere incendium, ut ex puro amore & gaudio animam exhalârit, & repentè abierit ſponſum ſuum in cœlo ad nuptias cum eo ſé conſummandas aliarum in numero Virginum jam Beatarum, quia ad cœnam eandem, ſed æternam, ab Agno vocatarum. Similem ergo famem omnibus vobis exopto, aut aliquam ſaltem partem; quia non ſolùm ad fructum ex ſanctiſſima Communione hauriendum vos diſponet, ſed etiam ſignum erit manifeſtum, vos eundem jam percepiſſe. Indicium hoc erat olim virium inter celebres illos Athletas, nunquam cibis ſatiari poſſe. Hoc quoque maximæ perfectionis, ad quam animæ ſanctæ pervenerunt, eſt indicium: è quibus ſancta Catharina Genuenſis, dum etiamnum Sacerdos Hoſtiam manibus teneret, tantâ languebat fame, ut intra ſe diceret: feſtinate, feſtinate, date mihi cibum deſideratum; nec parvam illam aſpectui, & ſumptioni interpoſitam moram tolerare potuit.

XVIII. Hæc eſt vera diſpoſitionis norma, ad quam aſpirare deberetis, ut

copio;

P. SEGNERI Homo Christi[anus]

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

copioſum ex Communione fructum referatis. *Accedite cum fide, tremore, & dilectione.* Idq; proportione quadam non tantùm ante Communionem pro præparatione, ſed etiam poſt eandem pro debita gratiarum actione obſervari debet, ut abuſus ille nimium inter Chriſtianos communis emendetur, qui, vix acceptâ ſacratiſſimâ dape, altari terga vertentes è templo ſe proripiunt, ſolitis occupationibus vacaturi. S. Theresa adeò à Deo illuminata fuit, ut doctrina ejus ab Eccleſia cæleſtis appelletur. Hæc igitur in libris ſuis tradit, præcipuam, ob quam Chriſtiani tam parvum ex frequenti Communione fructũ colligunt, cauſam eſſe, quòd cum tam magnifico in domos ſuas recepto hoſpite, non agant, aut converſentur, quamdiu cum ipſis moratur. *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Tempus hoc tam pretioſum eſt, ut nec atomus ex illo perdi debeat; cùm Chriſtus magis intimè, quàm unquã alias, animæ loquendo, unico tunc illam verbo ſalvare poſſit. *Cum manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.* Quidã velut impatientes quamprimùm recedunt, cum dicto, neſcire ſe, quid ibi agere debeant. An neſciretis, quid faciendũ eſſet, ſi vobis pro magno theſauro clavis oblata fuiſſet? Profectò non credo vos illã otioſã cingulo appenſuros, ſed extemplo arcam monſtratam aperturos, incluſisq; vos divitiis oneraturos. An non ergo videtis, Chriſtum dando vobis Corpus ſuum clavem pro ſublimibus theſauris ſuis recludendis porrigere, ut poſſeſſionem illorum capiatis, & quid facere debeatis, neſcitis? Renovate fidem, exercete ſubmiſſionem, ſpem excitate, amorem accendite, gratiasque divinas eo animi ardore efflagitate, ut abſque benedictione vobis impertitâ Chriſtus à domo veſtra non diſcedat. Hic eſt utiliſſimus communicandi modus, non ille, quo tot mortales exiguo adeò cum honore divinæ huic menſæ accumbunt, quæ à Malachia vocatur, *menſa deſpecta*, hoc eſt, non aliter ab hominibus pleriſque habita, quàm ſi eſſet menſa cauponaria. Malach. 1. 7. Hæc & ſimilia, Chariſſimi, benè conſideranda ſunt, antequam hoc ſacratiſſimum ſumatur Edulium. *Quando ſederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam.* Salutare documentum! quando tibi deferetur honor, Regis Regum menſæ aſſidendi, nec ſolùm cum eo veſcendi, ſed illo ipſo fruendi, attentè conſidera, cujus conditionis ſit cibus ille, qui tibi offertur. Non ſufficit perfunctoria aliqua, ſed attentiſſima requiritur cognitio, ita ut divini hujus alimenti dignitatem ac pretium ſingillatim cogitationibus tuis diſcutias: Illam Carnem adeò ſanctam, quæ attactu ſuo etiamnum mortalis medebatur corporibus infirmis, jam tam pulchram, tam amabilem, tamque admirabilem, ut in eam ſublimiſſimi cœlorum Spiritus deſiderent proſpicere; Illam animam adeò perfectam, quæ cùm ſit infinitâ repleta gratiâ, aliud deſiderare non poteſt, quàm ut eadem gratia cunctis

exoptantibus conferatur: Illam Divinitatem, quæ tanquam ardens amoris infiniti fornax nos exſpectat, ut vi activitatis ſuæ totos in ſe transformet. *Diligenter conſidera, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam.* Iſta conſiderare, & divinum iſtum cibum prǽmandere, priuſquam ſumatur: his autem conſiderationibus addere voluntatis affectus iis reſpondentes, eſt eundem cibum jam ſumptum digerere. Nec ignoratis, duas haſce operationes, ut dixi, neceſſarias eſſe, ut alimentum ſumenti proficiat. Ceterùm, quod tempus eſt magis opportunum de Deo gaudendi, quàm hoc, quo nos invitat, imò ſeipſo nutrit? Nullum aliud tempus tantum divinæ Majeſtati dat campum nos ſanctificandi. Ratio eſt, quia aliis quidem occaſionibus gratiam Deus infundit animis noſtris copioſam; illa tamen ſecundùm cujuſvis indigentiam ordinata eſt, & dari ſolet, vel ut à ſervitute Diaboli nos liberet, gravi aliquo peccato innodatos, vel ut contra ejuſdem tentationes, cùm in gratia ſumus, nos confortet; hoc verò tempore, ſi S. Thomæ credimus, gratiam, quam confert, eò potiſſimum refert, ut nos omnes perfecto ſecum amore conjungat. *Ad hoc quòd homo in ſeipſo perfectus exiſtat per conjunctionem ad Deum.* Quare animi, quæſo, hac opportunitate, eſque deſiderio ſeipſum in cibum vobis dandi reſpondete, nec ſolùm ipſum recipere, ſed actu ipſo Communionis in ipſum tranſmutari efflagitate. *Accedite ergo cum fide, tremore & dilectione*, ad menſam adeò dignam; hoc enim erit ad illam ritè decenterque paratum accedere.

# DISCURSUS IX.

## *De Frequenti Communione.*

PErverſa ſané ſunt hominum ſtudia ac propenſiones, dum ex ipſo præcepto ſæpius illud ipſum transgrediendi anſam arripiunt! Audite & ſtupete, Præcipit Deus Adamo propoſitâ mortis pœnâ ne de fructu in Paradiſo terreſtri ſibi monſtrato manducet: *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*; (Gen. 2. 17.) & tamen ad hunc ipſum fructum quamprimùm audacem Adamus extendit manum. Parte altera Deus præcipit Chriſtianis, ut ſi vitâ gratiæ vivere velint, ſæpiſſime ſanctiſſimo corpore ſuo in Euchariſtia, cujus ipſis, quoties libuerit, copia ſit veſcantur: *Accipite & comedite: Qui manducat me & ipſe vivet propter me.* Nihilominus Chriſtiani contumaciter ab hac ſacra Menſa abſtinent; ab eadem ſe excuſant; licèt fame (ut Propheta ajebat) exhauſti & ſqualidi cadant in plateis; attamen in tam pernicioſo ſuo jejunio obſtinati perſeverant. Quid hoc rei

et

eſt? Si Chriſtus in tam magno Cælitum convivio comparere nobis prohibuiſſet, abſque intermiſſione, ut ad illud nos admittere dignaretur, ſupplicare deberemus; Chriſtus verò nos invitat, urget & ad accedendum inſtigat. *Compelle intrare.* At homo frivolas ob cauſas ſe ſubtrahit. Exiſtimârunt Sapientes aliqui; Amicitiam nullam fore ſinceriorem, neque conſtantiorem, quàm quæ Abundantiam inter & Paupertatem contraheretur. Quanto enim largiùs ad dandum Abundantia manum aperiret, tanto magis ad recipiendum Paupertas ſinum ſuum eſſet explicatura; adeòque benefactricis ſuæ nunquam coactam liberalitatem recipiendo indefeſſi animi gratitudine adæquaret. Modò mortales à ſe ipſis diverſi effecti ſunt, ut ſupremæ Bonitati illudant. Deus ad largiendum paratiſſimus eſt; homo verò non vult acceptare; Abundantia vult ſe diffundere, nec tamen Paupertas vult recipere. Quouſque tam injurioſa amori Divino durabit contentio, tamque commodis noſtris invida; Chariſſimi, proſequantur alij quantum ipſis libet tam probroſam cum Deo litem; nos illi finem imponemus. Ego verò, tam validiſſima, quibus nos Deus allicit ad frequentandam Communionem, incitamenta adduco, ſperò, vos ſat tutos fore, ne illa reſpuatis, ſi vel [illegible]tamini.

II. Amor Chriſti, amando ſe, totus quietus eſt: in ſe ipſo enim poſſidet quidquid amabile unquam deſiderari poteſt; ideòq; in tali actu ſimilis eſt auro inflammato, quod quantumvis ardeat, nequaquam tamen ſtridet aut ſpumat. Amando verò hominem Amor Chriſti pleniſſimus eſt deſideriis; quare hic potiùs argento vivo, quod non quieſcit, comparari poteſt. Unde continua in illo ſe nobis donandi nata ſunt deſideria, quæ per omnem deinceps ætatem animum ejus exedebant, adeò ut à primo conceptionis ſuæ inſtanti uſque ad extremum halitum, non aliud fuiſſe vita ipſius dici poſſit quàm continuum ſeipſo nos paſcendi deſiderium. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* Luc. 22. 15. Nec id mihi mirum videtur; quia cùm quidquid bonum & pulchrum gratiæ ſuæ continent, in ſanctiſſimâ Euchariſtiâ comprehendere voluerit, ( ſicut alio loco dixi ) in eâque tanquam in terſiſſima Cryſtallo diſperſos aliàs amoris ſui radios unire; itaque in hunc finem omnia ſuſpiriorum ſuorum direxit jacula, cùm moræ impatientiâ nunquam ventura propè illi videretur hora, quâ tam immenſum elargitur theſaurum. Quare illâ jam præſente, promptiſſimè eundem diſtribuit. Sed quid nobis prodeſt, ſi non æſtimemus? Idcirco cùm deſideria Chriſti tandem quieſcere videri deberent, dato ſcilicet dono illo, quo majus in terris optari non poſſet, nihilominus habet quod deſideret, vultque ut frequentiſſimè ad ſe manducandum accedamus. Hinc eſt, quòd ſemper ipſe per ſe maneat in Altari, ut eo nutriamur confortemùrque, atque derelicto quodammodo miſero no-

ſtro eſſe in aliam ipſi conformem ſubſtantiam transformemur. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis, relinquite infantiam & vivite.* Prov. 9.5. Dubitabitis forſan, an non nimium dicam, affirmando, Redemptorem noſtrum talem frequentiam à fidelibus ſuis vehementer deſiderare? Vt id vobis perſuadeam, duo velim perpendatis, Materiam hujus Sacramenti, quod frequentandum eſt, & finem inſtitutionis ejuſdem.

III. Poterat Dominus noſter pro materiâ, ex quâ Evchariſtia componeretur, puriſſimum eligere aurum, pyropos, gemmas, adamantes, quis hoc ignorat? eamque ſub forma nobiliſſimi vitæ pharmaci porrigere. Nec ſolum poterat, ſed etiam debuiſſe videtur; quia olim ad exornandam Arcam tantæ impenſæ fuerunt divitiæ, ideo tantùm, quia figuram, aut potiùs Divini hujus Sacramenti umbram, id eſt, manna incluſum continebat. Imò ſi Chriſtus JEſus ad honorandum corpus ſuum & ſanguinem in aula magnificè exornatâ ſacrificavit, (*Cœnaculum grande ſtratum*) Matth. 14.15. & in calice precioſo, ex electro elaborato, qui etiamnum venerationi eſt in Hiſpania: quare ad majus decus non etiam tantum bonū ſub illuſtris alicujus ſubſtantiæ confortatricis accidentibus nobis porrigere elegit? Non eſt dubium, potuiſſe hæc omnia facere; at ſi feciſſet, minùs Fidelibus ſuis communicabilis fuiſſet. Pauperes ob inopiā eò pervenire non potuiſſent; divites ob avaritiā non voluiſſent; omnes ſaltem ob merces adeò precioſas accedere tenuiſſent. Quapropter Chriſtus ſe dare nobis voluit ſub alimenti adeò cōmunis ſpeciebus, quod non ſolum faciliùs haberi poteſt, ſed etiam uſitatius eſt; omnium enim guſtui pariter accommodatur, omni tempore uſurpatur, omni hominum conditioni ſervit, cunctiſq; ciborum generibus miſcetur, ut exceſſivâ hac facilitate animati omnes audeant vivificam hanc accedere menſam abſque ulla impenſis & labore, & abſque alio ſplendido apparatu, ornati ſolâ conſcientiæ puritate, *Venite, & emite abſque argento.* Nihilominus adhuc ampliùs fecit. Eligendo enim tanto Sacramento materiam adeò communem, honeſtati conveniens videbatur, quantitatem ſaltem materiæ determinare, quæ quovis die à Sacerdote validè conſecrari poſſet. Sed ne quidem in hoc Chriſtus terminum poſuit, ſed abſque timore ullius irreverentiæ, quæ ab aliquo ex merâ perverſitate animi, in publicâ plateâ corbem panibus plenum venum expoſitum, aut integrum vini dolium conſecrante inferri poſſet, voluit, quemadmodum nullo certo limite finitus eſt Fidelium numerus, pro quorum ſalute Evchariſtiam inſtituit, ita, dico, nullam certam menſuram voluit eſſe ſubſtantiæ illius, quæ tam facilis conſecrationis virtute è veſtigio in tam amabilem cibum converti poſſit.

IV. Hoc ipſum deſiderium, quo à nobis ſæpius hanc ſacratiſſimam menſam frequentari efflagitat, manifeſtiſſimè ex fine, ob quem Evchariſtia inſti-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

inſtituta fuit, apparet. Imaginemini vobis ? magnum aliquem Monarcham, qui maximæ ſibi gloriæ ducit beneficiis cumulare ſubditos, ad hunc finem relictâ regali Sede exire & viſitare Regnum ſuum, ubique inſignia liberalitatis ſuæ relinquere monimenta, ſublevare plebem, nobilitare cives, novis dignitatum titulis nobilitatem exornare. Talis Rex Chriſti Jeſu figura eſſet, qui in veſtimento & femore ſuo ſcriptum gerit: *Rex Regum, & Dominus Dominantium*: qui cum ob naturam Divinam, per femur ſignificatam, tum ob humanam per veſtimentum expreſſam, omnium creaturarum eſt Dominus. Potiſſima verò hujus Regni pars ſunt Fideles Chriſtiani. *Feciſti nos Deo noſtro regnum.* Quæ aptiſſimè in unoquoque in tres ordines, quaſi Vaſallorum, dividi poteſt. In Plebem ſenſuum externorum; in Cives facultatum inferiorum, in Nobiles facultatum noſtrarum ſuperiorum. Quare Redemptor noſter in Euchariſtiâ nos viſitans plenitudinem gratiarum ſuarum quaquaverſum diſpergit; *pertranſit benefaciendo.* Præſentiâ ſuâ beatificâ illuſtrat & ditat ſenſus exteriores, carnemque noſtram, quæ eſt quaſi inſtar plebis, cœleſtem in ijs immortalitatis ſpargendo ſementem, ob quam illi nunc fideliter animæ ſerviant, ſubinde reſurgant cum eâdem, perpetuâ gaviſuri felicitate, & nunquam ampliùs morituri. Illuſtrat & ditat partem hominis appetitivam ( quæ eſt quaſi inferior civium ordo ) impetus iraſcibiles refrenando, ardoréſque appetitûs concupiſcibilis mitigando. Et quemadmodum olim cum Manna ſuaviſſimus ad irrigandum totam terram ros decidebat, ſic nunc quoque alius delabitur ros gratiæ multo melior; habitualis ſcilicet gratia, quæ in ipſa Communione ad majorem animæ ſanctificationem augetur; & actualis, quæ loco majoris ſubſidii ſuperadditur. Illuſtrat denique & ditat ſupremum nobiliorum potentiarum ordinem, intellectui nova conferendo divina lumina, voluntatem novis affectibus accendendo. Quid ampliùs? *Ego veni* inquit Chriſtus, *ego veni,* Joan.
*ut vitam habeant*: id quod per Incar- 10.10.
nationem nobis dedit, *& abundantiùs habeant*: quod quotidie ampliùs dat in ſanctâ Communione. Iſti ergo ſunt fines Salvatoris noſtri, propter quos ſub ſpecie cibi ad nos accedere placuit. Cur igitur non totus flagraret deſiderio, has tam ſublimes ſuas intentiones exequendi tam ad ſalutis noſtræ, quàm gloriæ ſuæ incrementũ? Si non arderet, tam ferventer certè, ut ſcimus, nos non invitaret, multò minùs ingratam, quam à pigerrimis mortalibus paſſurus eſt, repulſam ſe graviter vindicaturum minaretur; audite obſecro, quemadmodum loquatur. *Dico vobis, quòd nemo Virorum* Luc.
*illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnã* 14.14.
*meam.* Quibus verbis demonſtrat, maximam pœnam, quæ Chriſtianis, Divinam menſam ſuam aſpernantibus, infligi poſſit, eſſe, quam ſibi ipſis illam nauſeantes imponunt? ne illâ fruantur.

 V. In-

V. Interim non ſcirem, quo actu magis expreſſivo incomparabilem Redemptoris noſtri charitatem explicarem, quàm ſi illam matri compararem, quæ ubera ſua ſemper lacte plena & prompta, quibus eum lactet, tenerrimo affectu, ſuo monſtrat filiolo. Sed priùs audite, quid olim acciderit. Puerulus quidam, ex ulnis matris ſuæ, dum illa cum familiaribus ſuis confabulatur, importunè ſe proripit, tantúmque manibus pedibúſque nititur, ut ad vicinum præcipitium deveniat; Mater fortè reflectens oculos videt obſtupefacta, in quanto periculo chariſſimus ſuus verſaretur filiolus. At quid faceret, ut illum ſubtraheret? Vocarétne? at voci non obediebat. Terreretne? Sic potius ad præcipitandum impelleret. Audite ergo, quàm ingenioſus ſit amor. Afflictiſſima Mater hiſce preſſa anguſtiis ſecum deliberans, hunc modum, qui feliciſſimè ceſſit, ſervandi prolem ſuam invenit. Aperto ſinu ubera lacte turgentia parvulo ſuo oſtendit, quibus ille conſpectis allectus, ſenſim eandem viam, quâ ad præcipitium aſcenderat, relegens, lætus in matris gremium jam quaſi ſemimortuæ ſe recepit. Prorſus ſimilis huic Chriſti in Sacramento amoris operatio mihi videtur. Sed prô dolor! ſimilis in multis Chriſtianis, niſi fallor, effectus, non apparet! Videt Chriſtus Fidelem quendam quaſi Puſionem rationis uſu deſtitutum, ex amabilibus providentiæ ſuæ brachiis abeuntem, ſtare in ſummo præcipitio, manifeſtiſſimóque perdendi ſe pereundíque periculo: altùm clamare non juvat, obſtinatus enim vocem non vult audire, nec minæ proficiunt, hæ enim ut effugiat, majori jam deſperatus ſe committit diſcrimini. Unde in tantis in periculis Chriſtus Dominus (velut tenera mater cum ipſo more ſuo deliberans) ſinum aperit, Divináſque illas exhibet mammillas, quibus ipſi Paradiſi Principes ſaturari ſolent (*mammillâ Regum lactaberis*) ut tali eſcâ allectus infelix, in ſinum Domini ſui ſe recipiat. Et hoc non ſufficiet, ut tanquam infantes diſcamus, quomodo ſervare nos oporteat? amabimus adhuc miſeri ſamem noſtram, pergemúſque in conſpectu Chriſti adhuc in proximis ruendi periculis nugari, nec propriam pœnitentiam, nec amorem ipſius æſtimare! *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis, relinquite infantiam, & vivite.*

VI. Verùm amicus ille, qui non in ſpeciem nos invitat ad cœnam, ſatis non habet, per ſe ad menſam ſuam nos invitâſſe, nuncios etiam ad domum noſtram ablegat, qui nos ſollicitent. Ita & Chriſtus nobiſcum agit. Non ſolùm ipſe omnes Fideles ad frequentem invitat Communionem, ſed ab Eccleſia ſua hanc invitationem crebrò vult repeti: *Miſit ſervos ſuos vocare invitatos.* Verum quidem eſt, ab Eccleſia nos non obligari ſub præcepto ſæpius, quàm ſemel communicare per annum, ſed quid hoc importat? facit illa ſicut mater, quæ filio ſuo, omnem cibum ſalubriorem propter morbum nauſeanti, blandi-

tus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

…rat & dicit : fili mi, ſaltem hanc buccellam amore mei manduca ; de cætero vellet, illum ſanum eſſe, ita ut abſque nauſea ad ſaturitatem uſque & ipſe ſe reficere poſſet. Eodem modo ſancta Mater Eccleſia videns maximam Chriſtianorum partem ob concupiſcentiæ febrim hunc divinum nauſeare panem, etiam illa ipſis dicit : fili mi, ſaltem ſemel quotannis ob amorem Patris tui Cœleſtis, & amorem mei, quæ pluſquam mater tuam deſidero ſalutem, huic Menſæ accumbito. Sed licet ita dicat, quis non videt, inſuper optare illam, ut omnes ſæpius accumbant, ita vivendo, ut quotidie communicare poſſint? Nec dubitare licet : quod enim Teſtimonium magis authenticum ad explicandam Eccleſiæ mentem, quàm famoſum illud Concilium Tridenti celebratum? affirmat illud; optare Patres ibi congregatos unquam illum primorum Chriſtianorum renovari fervorem, qui quotidie pane hoc Euchariſtico veſcebantur. Et quia ob temporum noſtrorum frigiditatem, morúmque corruptelam, tantum ſperari non poteſt; prudenter omnes adhortatur, rogat, & adjurat per divinæ miſericordiæ viſcera, ut ſaltem frequentiùs hoc cœleſti cibo ſe reficiant. Similia ſemper fuere Sanctorum Doctorum deſideria, qui nobis Eccleſiæ voluntatem declarant, quemadmodum etiam Eccleſia Dei voluntatem nobis, quaſi ejuſdem interpres, manifeſtat. Sed ut non diutiùs vos detineam in adducendis authoritatibus SS. Auguſtini, Ambroſij, aliorúmque à Sancto Thoma citatorum, ſufficiant verba in Concilio Baſileenſi annotata; quod aſſeverat, omnes Catholicos Doctores laudâſſe, admonuiſſe, & continuò ſcriptis ſuis ſanctiſſimam Euchariſtiam recipiendi uſum inculcâſſe, velut rem non ſolùm utiliſſimam, ſed ad vivendum ex virtute ſummè neceſſariam. *Quòd ſæpe accedere dignè & devotè ſit valde proficuum, imo ſummè neceſſarium, omnes Doctores Catholicè laudant, hortantur, admonent inceſſanter fidelem populum.*

VII. Et quia alius perſuadendi modus, præter exhortationem, eſt exemplum, non prætermittit Eccleſia etiam illud nobis proponere, repræſentando primos nobis Chriſtianos tantò hujus Divini panis appetentiores, quantò lautiùs, & frequentiùs quotidie illo veſcebantur. *Erant perſeverantes in communicatione fractionis panis* (Act. 2. 42.) Atque ita loquendo (adultæ jam Eccleſiæ ſucceſſus conſiderando) videor mihi celeberrimam illam à dormiente Babyloniæ Monarcha conſpectam videre ſtatuam, ad propoſitum noſtrum iterum comparentem. Caput ejus erat ex auro, pectus ex argento, femora ex ære, tibiæ partim ex ferro, partim ex creta. Idem videre eſt in re noſtra. In primitivâ Eccleſiâ ſub graviſſimis pœnis tenebantur Chriſtiani quotidie communicare, ut Sanctus Thomas ex horrendis illis Sancti Anacleti Papæ verbis in Sacris Canonibus allegatis colligit (S. Tho. 3 p. q. 80. ar. 10. ad 5.): *Peractâ conſecratione, omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere* (De Conſec. d. 2. c. peractâ.)

limi-

liminibus: *ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia.* Et hæc conſuetudo ſat diu duravit, ita ut Sanctus Hieronymus teſtetur, ad ſua uſque tempora in Eccleſiis Hiſpaniæ perſeveraſſe. An non ergo pulcherrimum vobis hoc ex auro caput videtur? Sed ecce, ſucceſſit pectus ex argento. Paulatim vivax ille devotionis Spiritus cæpit intepeſcere; unde Sanctus Baſilius refert: ſuâ jam ætate non ampliùs quotidie ſolitos fuiſſe, Chriſtianos communicare, ſed tantùm quatuor vicibus per hebdomadam; Die Dominicâ, feriâ quartâ, ſextâ & Sabatho. Pectori argenteo venter ſucceſſit ex ære, quia, ut ſcribit S. Auguſtinus, quidam ſolùm die Dominicâ huic cœleſti menſæ accubuerunt. Noſtris verò temporibus ignobilis illa, ferri & terræ pars obtigit: ferme enim valde devotus exiſtimatur ille, qui quovis menſe ſemel communicat; adeò plurimi Fidelium à primis Chriſtianis turpiùs, quàm vilis terra ab auro degenerârunt, ut nonniſi una vice quot annis communicent. Tanta eſt nunc Chriſtianorum nauſea.

*Epiſt. ad Luc.*

*Epiſt. ad Caeſ. apud Caniſ. q. 9. de Eucha.*

*Epiſt. 18. ad Januar.*

VIII. Quamobrem morum, quam in animabus multorum aſpicitis, diverſitatem, non eſt, cur admiremini; diverſum enim eſt illorum nutrimentum. Cibus conſtanter ſumptus magnam habet vim hominis complexionem mutandi; ita ut Medici exiſtiment, eum qui anno integro lacte veſceretur, totam ſanguinis ſui maſſam renovaturum. Quare ſi antiqui illi Chriſtiani continuò illo vitæ lacte paſcebantur, quis mirabitur, eos quoque tantum à perverſis moribus noſtris fuiſſe alienos? Tertullianus ſcribit; majus æſtimatum fuiſſe ſupplicium, homini laſcivo, quàm furibundo Leoni in prædam datum eſſe, unde pudicitiam etiam coactum & ſine conſenſu, aut culpâ ſuâ perdere, atrociſſima inter illos pœna habebatur, imò ipſâ morte truculentior. *[illegible] pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœnâ, damnando ad Lenonem potiùs, quàm ad Leonem confeſſi eſtis.* Ita dicebat generoſus ille orator, vim nefariam Chriſtianis illatam perſecutoribus exprobrando, hiſce verò diebus noſtri amaras oportet eſſe fundere lacrymas, quando, ut nihil dicam de fornicatione, ipſum etiam adulterium, tot & tantis condemnatum legibus, à tot præceptum locis, imò ab ipſis etiam barbaris capitali vindicatum pœnâ, nobis Chriſtianorum per domos velut triumphantium ritu invehitur. Tantæ notabilis diverſitatis cauſa eſt, quam aſſignavi, id eſt, alimenti diverſitas. Tot impudicitiæ, tot ſcandala, tanta morum diſſolutio, quæ Sanctam Eccleſiam inconſolabilibus cogunt plorare lacrymis, citò tollerentur, ſi devota illa primorum temporum frequentatio Sacramentorum inter Fideles introduceretur. Et ut quædam aves in India Orientali, licèt mortuæ, non corrumpuntur, quia viventes fructibus & floribus aromaticis paſcebantur; ita morum perverſorum noſtrorum putredo facilè ſanaretur, ſi hoc puriſſimo cibo viſcera noſtra frequenter condiremus. Ut ergo in vitam re-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

videamus, intueamur Progenitorum noſtrorum exempla, qui ad ſequenda veſtigia ſua, ut non aberremus, nos invitant. *Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in eâ.*

IX. Quòd ſi invitationes iſtæ, & exempla à multis retrò actis ſeculis petita, impoſterum corda veſtra permovere non valeant, poteritiſne excuſare vos, ut ne ſaltem animæ veſtræ, adeò vobis intimæ, non audiatis impulſus? Nonne vos ipſi toties fragilitatem veſtram deploratis, experientiâ docti, viam mandatorum Dei pluribus lapſibus quàm, ut ita dicam, paſſibus à vobis ſignati? Quare ergo, ſi ita eſt, firmare illam negligitis? Conſiderate ergo, ut tandem aliquando perſuadeamini, conſiderate, inquam, tribus præſertim animam veſtram indigere ſubſidiis: Cibo ad nutritionem, medicina ad ſanitatis reparationem, & armis ad defenſionem. Omnes iſtæ tres neceſſitates & indigentiæ, ſi modò vultis, pià & frequenti communione ſupplentur. Primò indiget illa cibo? Siquidem vita ſupernaturalis gratiæ in tertis vitæ naturalis defectus participat (utraque enim amiſſioni ſubjecta eſt) hoc tamen diſcrimine, quòd vita corporis adeò mortalis ſit, ut mortem denique effugere non poſſit: vita verò Animæ illam evitare poteſt. Quare ſicut cibus reſtaurando id, quod calor naturalis conſumpſit, vires corporis noſtri reparat novo vigore, ita ut vitam prolonget, ſic panis Euchariſtia, quod à concupiſcentia deperditum eſt, non ſolùm reſtaurat, ſed tam novos animæ ſuperaddit ſpiritus, ut non ſolùm vitam prolonget, ſed æternam reddat. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternũ.* Jo. 6. 52. Ita tamen, ut in utroque caſu, cibum, ſi effectus ſequi debeat, frequenter ſumi oporteat. Quodſi generosè animum ad experimentum capiendum applicueritis, me verum dixiſſe ſentietis. Animalia, quæ ſanguine carent, vitæ ſunt breviſſimæ; apes tamen multis animalibus ſanguine præditis longiorem producunt vitam, non aliam ob cauſam, quàm quòd continuò ſalutari illo cibo, quale eſt mel, humidi & calidi, quo egent, defectum ſuppleant. Idem quoque vobis eveniret; ſentiretis enim vos, fragilitatis veſtræ vitio non obſtante, adeò roboratos, ut non ſolùm facile vobis foret, vitam gratiæ in multos annos conſervare & vivere, ſed etiam nunquam mori, eâdémque vitâ uſque ad ultimum ſpiritum gaudere. Et certè ſi diligenter defectuum noſtrorum origo inquiratur, exiſtimo, fermè omnes ab exiguâ ad Communionem præparatione, aut à rarâ ejuſdem frequentatione proficiſci. *Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Pſ. 101. Et ſi hoc Sancti ipſi de ſe affirmant, vos judicate, quid peccatoribus eventurum ſit. Ipſe S. Tho. Adamus inter terreſtris paradiſi delicias 1. p. q. nunquam vitam conſervâſſet, ita 97. a. 4. ut nunquam eam perdidiſſet, ſi ex arbore vitæ ad immortalitatem conſervandam à Deo productâ rarò tantùm comediſſet.

X. Adhæc non ſufficit, ut Exercitui alicui bene proſpectum eſſe dici poſſit, eum multos numerare annonarios, ad annonam ſeu commeatum militibus ſuppeditandam, ſed inſuper plures habeat Chirurgos neceſſe eſt, qui vulneratis medeantur. Sic prorſus ſe res habet cum Eccleſia, cui non ſolùm Chriſtus Corpus ſuum, ut alimentum, ſed etiam ut pharmacum reliquit, ut quævis vulnera militibus ſuis prælìantibus inflicta ſanari poſſint. *Medicamentum purgans vitia, & omnia mala expellens*, ita à Sancto Ignatio Martyre Sancta Eucharistia appellata fuit: Medicamentum ſcilicet, quod virtutem habet omnes habituales infirmitates ſanandi, & ab actualibus præſervandi, paſſiones, dico, inordinatas componendi, ſanctiores ingerendi cogitationes, animámque ad meliorem valetudinem, quàm quâ ante læſionem gaudebat, reducendi. Sed omnia hæc paulatim operatur: noſtræ enim diſpoſitioni, quæ ordinariè valde imperfecta eſt, ſe conformat: id quod præſertim vitiis addicti obſervare debent, quibus hoc fulcrum ad non relabendum magìs, quàm virtuti deditis, eſt neceſſarium; ita, ut quando innocens aliquis jam firmiter perſeverat in gratia, licèt rariùs ſacrâ hac fruatur menſâ, id tamen pœnitenti non perinde ſuccedet. Quando fructus arboris ſani ſunt, ad eos ſic conſervandos, ſufficit parùm ſtraminis: aſt quando jam corrupti ſunt, pluſquam ordinariâ opus eſt diligentiâ, bullienti enim ſaccharo immergendi & condiendi ſunt, aliàs putreſcent.

*Ep. 14. ad Eph.*

XI. Denique Servator noſter, ut fieret nobis omne bonum, non ſolùm corpus ſuum in alimentum, & immortalitatis antidotum nobis dedit, ſed etiam perfectiſſimam ad vincendos Adverſarios noſtros Panopliam illud ipſum conſtituit. Hic eſt, ille panis Gedeonis, qui tanti Dei ſui cœleſtis gloriâ in gladium converſus cunctas Infernalium Madianitarum vires omnino infringit, eorumque caſtra ſurſum deorſum vertit. *Paráſti in conſpectu meo menſam adversùs eos, qui tribulant me.* Ecce integrum omnis generis contra Dæmonem offenſivorum & defenſivorum armorum, in ſacroſancta Eucharistia armamentarium. Quare quoties promptè armis vos munire allubeſcit, certè mirabiles ſtatim ſentietis effectus, præcipuè quando pluſquam aliàs, aut ab interna alicujus paſſionis violentia, aut ab externo Adverſariorum inſultu impetemini. Quod ſi diſtinctiùs ſcire deſideratis, quomodo hujus Sacramenti virtute tantæ victoriæ obtineri poſſint, paucis expediam. Duobus modis obtineri poſſunt: tam per hoc, quod in ſe continet Sacramentum, quàm per illud quod ſignificat; in ſe authorem gratiæ continet, qui eſt Chriſtus, cujus aſpectus ſolus ſi hoſtes in fugam conjicere poteſt, quid faciet, ubi præliaturus comparebit? Secundò cùm ipſiuſmet Chriſti paſſionem ſignificet, an non eſt hoc totum

reta

ſtiæ Infernum, perditionem ejus & triumphos per Crucem de eo relatos commemorare? Nos verò illi ipſi ſumus, qui cœleſtibus his armis, parvi ea faciendo, ſuam auferimus efficaciam, noſtráque iiſdem utendi negligentiâ, ne formident, quotidie Diabolos reddimus fortiores. Hæc, quæ dixi, hiſtoriâ fide dignâ confirmabo. Adoleſcens quidam inſano fœminæ matrimonio junctæ ardebat amore, quam nullâ arte (tam illa honeſtatis tenax erat) in ſua perfida deſideria pellicere poterat. Hinc amore in odium verſo, Magum adiit: qui rogatus, diabolicis ſuis incantationibus effecit, ut mulier illa omnibus in equam mutata videretur. Cogitate, quis mariti in hoc ſpectaculo fuerit luctus! miſeram alloquebatur, amplexabatur, blandiebatur; ſed ſemper fruſtra, non enim aliud accipiebat reſponſum, quàm recalcitrationes. Unde poſt tres dies abſque ullius cibi fruitione exactos valido alligatam funi magno cum labore ad Sancti Macarij Cellam deduxit; qui Spiritu illuminatus, id quod erat, cognovit; acceptâ proin aquâ luſtrali fœminam aſpergens, lectíſque ſupra eam quibuſdam precibus, priſtinæ formæ reſtituit. Deinde allato eandem cibo refecit. Sed ſcitiſne, quàm ſalutaria illi monita dederit? Ut ſcilicet, quàm poſſet, ſæpiſſimè communicaret, docendo illam, ideo tantum poteſtatis in eandem habuiſſe Diabolum, eò quòd plusquam integro menſe à Sacratiſſima Chriſti menſa abſtinuiſſet. *Hæc tibi evenerunt, quòd jam quinque hebdomadis non acceſſiſti ad intemerata noſtri Servatoris Sacramenta.* Quòd ſi ergo ob quinque hebdomadas, quibus hoc Sacramentum à nobis non recipitur, tantum damni inferre poteſt Diabolus, quid fiet, ubi tot & tot menſibus, ut plurium mos eſt, ſacratiſſimæ menſæ non accubuerint?

XII. Quàm beatos parte alterâ effectus in nobis produci videremus, ſi propriam vincendo tepiditatem, ipſum omnis gratiæ fontem in nobis reciperemus? Id, quod clariſſimè apparet in tot & tantis, ſedulò ſacro hoc ſe cibo reficientibus, qui plurimos annos, quin omnem quandoque vitam, gravis noxæ expertem ducunt. Ipſamet ratio hoc confirmat, quandoquidem, qui ſæpius communicat, ſæpius etiam Confeſſione Sacramentali conſcientiam eluit, ſæpius malum à ſe commiſſum deteſtatur, renovandóque dolorem optimis propoſitis peccato reſiſtendi, animum obfirmat. Adhæc aut condignis pœnitentiis, aut indulgentiis pro peccatis admiſſis Deo ſatisfacere procurat. Similiter Communicans præcipuarum virtutū actus exercet, Fidei, veritatem divini Sacramenti credendo; Spei, exſpectando deſideratos effectus; Charitatis, amando Dominum ſuum tam liberalem, eíque placere conando; Religionis, illum adorando; Recognitionis, illum admirando; Humilitatis, in conſpectu ſuo ſe proſternendo, alioſq; ſimiles virtutum actus, qui toties iterati, quis verbis exprimere poterit, quantos fructus, quantúmque robur animæ adferant? His tamen omnibus

ſe privat, quicunque hoſtis ſuiipſius aut non æſtimat aut non amat hanc frequentiam, quam tantopere veſtro commodo vobis hucuſque perſuadere conatus fui.

II.

XIII. Invitat ergo vos, Chariſſimi, Chriſtus, invitat vos Eccleſia, invitat vos anima veſtra, ut frequenter hoc ſacratiſſimo Altaris epulo vos reficiatis; ſimul omnes optarent, ut eſſetis quaſi arbores fixæ & firmæ circa
Pſ. 127. 9. menſam divinam: *ſicut novella olivarum in circuitu menſæ Domini.* Quid vos autem ad invitationes tot, totieſque repetitas reſpondetis? Saltem dicite mihi, quid veſtro nomine reſponſi dare poſſim? Quamquam ne quidem opus eſt, ut veſtras mihi excuſationes confidatis, optimè enim cunctas novi; ſi tamen excuſationes ſunt, & non potiùs inhumaniſſimæ repulſæ. Atque hæ ſunt tres illæ nominatiſſimæ repulſæ in tribus hominum generibus in Evangelio ſignificatæ, ſuperbis ſcilicet, avaris & ſen-
Luc. 14. 20. ſualibus, cœnam illam magnam, Sacramenti figuram, accedere detrectantibus.

XIV. Primi ergo, qui hanc cœleſtem menſam non curant ſunt ſuperbi, eo prætextu, ne, ſi nimis frequenter illam accedant, aut contemnantur, aut etiam, quod peius mih videturi, ne ipſi Chriſtum Dominum contemnant. Quòd ſi quempiam talem ad frequentiorem exhortemini Communionem, quam primùm reſpondebit: quòd ſi frequentiùs accederet, quemvis ſibi objecturum: Ecce hominem ſpiritualem; quàm libenter hic vellet videri Sanctus? quàm torto incedit collo! Et hoc ſufficit, ut ad cœnam à Chriſto invitati reſpondeant, *non poſſum venire.* Satis apparet, hoſce tales ſuperbiæ ſuæ fumo excæcatos eſſe, ut non videant, quantum pro re nauci bonum amittant, Sanctiſſimam Communionem intermittitis! quam ob cauſam? Ob aliorum quorundam dicteria; hæccine vobis moram injiciunt, quò minùs ad Deum accedatis? Quis Piſcator ad littus maris Indici ineſtimabilis alicujus gemmæ piſcationem intermittit ob aquæ frigidæ formidinem! O ſi & vos intelligeretis, qualis ſit hæc paradiſi gemma, quam vobis in ſacra Hoſtia Sacerdos porrigit! non ſolùm frigus linguæ ſpecie tenus Chriſtianæ non timeretis, ſed integrum opprobriorum oceanum huic tam præclaræ acquiſitioni oppoſitum contemneretis.

XV. Intolerabilior nihilominus eſt prætextus, quem adferunt, dicentes: ſe ob reverentiam à Communione abſtinere: quaſi contrarium facere ſit, præter decorum, nimiùm ſe Deo familiarem reddere. Hæ tamen perſonæ, quæ nihil aliud gerunt in capite, quàm ambitionem, ſui exiſtimationem & vanam gloriam; perſonæ, quæ ob vile honoris punctum millenis ſe implicant tricis, exiſtimantque, ad leve dicterium nō aliter quàm colapho reſponderi debere; perſonæ, quæ in converſatione, veſtitu, & omni vita non niſi ſuperbiam referunt; hæ dico ſunt poſtea illæ ipſæ, quæ exi-

ri

à ſpiritûs humilitate Chriſto cum S. Petro reſpondent: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Præclarè faceret Sacerdos, ſi quandoque, aut quia de eorum diſpoſitione dubitat, aut ad puniendam eorum diſſolutionem, ſolemniori aliquo die feſto, quo populus frequentiſſimus ſacræ Menſæ accumbit, talibus Communionem interdiceret; tunc videretis, quis ſit ille humilitatis ſpiritus, qui illos ab hac menſa frequentanda retardat. Inſurgent contra Sacerdotem illum, quaſi injuſtum & intolerabilem; minabuntur, ad Judicem magis peritum ſe appellaturos; proteſtabuntúrque, ſe tale non toleraturos opprobrium, ut ſoli in tanta communicantium multitudine à divina Menſa arceantur. Ecce pulchram illam erga Chriſtum reverentiam; Ecce pulchrum illum nimiæ cum eodem contrahendæ familiaritatis timorem! Quæſo larvam tandem aliquando deponite, aliúmque vultum induite. Nolite dicere, majoris reſpectûs causâ erga Deum vos ab hac ſacra abſtinere Menſâ; ſed fateamini, ob majorem libertatem, quâ gaudere ipſi vultis, vos ſacram horrere Communionem, & quia plenas interim habenas paſſionibus veſtris laxare cupitis, ſempérque magis indignos & divinæ hujus Menſæ incapaces vos reddere, à qua ob frigus cordis veſtri modò vos ſubducitis. Cæterùm quis ignorat, veram erga Deum reverentiam ab amore erga eundem proficiſci; quapropter, ſi vos ab illo abſtrahit reverentia, quare non potiùs vos impellit amor, ad quem multò magis adhortatur Scriptura, quàm ad timorem? Quare cùm dixiſſet Chriſto S. Petrus, *exi à me Domine, quia homo peccator ſum*, ſtatim Chriſtus ſubjunxit, *noli timere*,
quia, ut benè notat S. Thomas, ad *S. Tho.*
uniendum ſe Chriſto amor prævalere *3. p. q.*
debet timori. An fortè pro Com- *80. a.*
munione Paſchali digna vobis vide- *16. ad 3.*
tur diſpoſitio annum integrum quovis iniquitatum, & ſcelerum colluvie tranſactum præmiſiſſe? Atq; hæc ipſa eſt Chriſtianæ Reipublicæ clades, ut exclamat S. Joannes Chryſoſtomus.
*Hoc eſt, quod univerſa perturbat*; Exi- *Hom.*
ſtimare bonam ad Communionem *5. in 1.*
eſſe præparationem, *non munditiem* *ad Ti-*
*animi, ſed intervalla temporis longioris,* *moth.*
*meritum putas. Semper eſt Paſcha, cùm adeſt cordis munditia.* Ah quam verè illi omnis dies, eſt feſtus, & omnis feſtus dies, eſt Paſcha, qui ſincerâ peccatorum confeſſione animam purificando, vero tot, & tantorum lapſuum dolore Deo appropinquat, viréſque reſurgendi ſtabiles deſiderat; Imò audeo dicere, raram Communionem non ſolùm non eſſe ex natura ſua ad dignè communicandum diſpoſitionem, ſed potiùs novum minùs dignè communicandi, quàm unquam eſſe periculum. Peccatum enim propter hanc dilationem magnopere in cordibus noſtris inveteraſcit, malorum habituum tyrannis invaleſcit, rebelliū appetituum augetur tumultus, magiſq; ſemper anima hoſtium ſuorū ſervituti ſubjicitur, & ad excutiendum illorum jugum, Deoque ſerviendum inhabilis efficitur. Quapropter ab



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

hac reverentia, quam tantopere oſtentatis, cavete vobis: non enim ad capiendas animas Diabolus aptiores habet pedicas, quàm pietatem malè fundatam. *Caveamus*, inquit ad intentum noſtrum S. Cyrillus, *caveamus, ne loco laquei, damnoſam religionem Diabolus nobis prætendat.*

*S. Cyrill. Alex. l. 1. 4. in Ioann. c. 17.*

XVI. Nec minor eſt numerus illorum, qui plurimorum prætextu negotiorum hanc invitationem non acceptant, proprijs utilitatibus ſuis ſtudentes. Oportet illos adeſſe in officina, adire forum & nundinas, rei familiari, neceſſitatem patienti, attendere; in ſumma, tempus non habent. Hi non fumo ſuberbiæ, ſed terrenæ cupiditatis pulvere à Dæmone excæcati ſunt; unde etiam illorum cæcitas diutius illâ alterâ perſeverat. providendum eſt familiæ; concedo, ſed an non etiam habetis animam? Cur ergo non etiam illius geritis curam? Eſtne poſſibile, ut integram menſem rebus familiaribus impendentes, non duas ſaltem horas quovis menſe vobis tribuatis, quibus ſemel confitendo & communicando ſalutem veſtram vobis certam faciatis? quis Pater tam iniquus eſſet, qui cùm duos habeat filios; & panem unicum, ſaltem mediam cuivis partem non largiretur? Vos animam habetis & corpus; & licèt animæ, tanquam cæleſtis & altioris originis, quaſi natu majori, melior portio conveniat, quare ſaltem non æqualem illi portionem vultis concedere? An non ſumma erit injuſtitia, miſeræ nec reliquum aliquid temporis indulgere, ſed præ mera debilitate humi proſtratam relinquere? Quæ ſunt illa negotia? Quæ perturbationes & tricæ? An ideo in mundum veniſtis, ut terram, & cum terra tractetis, aut cum ipſa terra cælum muretis? Quomodo igitur primarium creationis veſtræ finem deſeretis, ut boni illius umbram, ſtatim dico tenuis, ſequamini, quod tantum vos curis & moleſtijs implicat? Lupum ajunt, ob nimiam famem terram devorare; quod ſi deinde ſapidiorem inveniat cibum, terram revomere, illóque veſci. Et par non ſit, vos idipſum facere? Jure merito terram adeò vilem curare non deberetis, utpote, quæ animam ſatiare non poſſit, nec ullam adferre quietem. An non ergo ferculo tam electo, tam ſalutari, quod eſt panis ille, qui de cælo deſcendit, illam poſtponetis? Pro una ſola Communione, deberetis omnibus terræ bonis poſthabitis, totius anni dies impendere, & ne medium quidem ſolenniorem diem adhibeatis, quem tamen integrum ex alio capite, Deo dare tenemini? Quod ſi ita agere pergetis, bene dixero, hominem non ampliùs eſſe, ut communi fertur proverbio, homini lupum; *homo homini lupus*, dicam ſibi ipſi plus quàm lupum eſſe.

XVII. Sed deterius his eſt, quòd quidam non ſolùm rariùs divino hoc epulo reficiuntur, ſed etiam alios ab eo ſumendo abſterrent. Unde ſi uxor, ſi mater aut ſoror, propter Communionem ſolito diutiùs morentur in templo, ecce omnia ſurſum deorſum vertuntur, redeuntes calum-

niatum & acerbiſſimorum dicterio- rum tempeſtate obruuntur, ita ut miſeræ fœminæ pavonem fœmellam in exiguo illo, quod faciunt, bono imitari cogantur, quæ, ut pullos ſuos excludere poſſit, nidum pavoni abſcondit, ne ab illo inventa importunè ab incubando impediatur.

XVIII. Verum eſt, omnium, qui ſanctam Eucharistiam recuſant, impudentiſſimos eſſe homines ſenſuales, ob tædiſſimas, quibus eorum oculi obducuntur, ſordes mirum in modum excæcatos. Iſti ne quidem foliorum tegmine ignominiam ſuam abſcondunt, ſed libertimè Chriſto & Eccleſiæ reſpondent: *Non poſſum venire.* Sed qua de cauſa? Quia turpiſſimas voluptates ſuas nolunt relinquere: quia inveteratas nolunt abrumpere conſuetudines: quia nequidem brevi temporis intervallo carnalia animo pellere volunt deſideria, nec à fœditatibus, quas tam arctè amplexantur, ſeſe avellere. *Amplexati ſunt ſtercora.* Non ideo tamen decet illos, à Confeſſario ad frequentiorem Communionem admonitos, ob reverentiam, quam prætendunt, indignos ſe cognoſcentes, tam diu ab hac puritatis menſa abſtinere. Sat ſcimus, ſat ſcimus non eſſe propriæ cognitionem miſeriæ, ſed propriæ amorem miſeriæ, qui eos ab hac ſacra Menſa avertit. Hæc vita illis adeò delitiis referta videtur, ut dolori ipſis ſit de eadem mutanda cogitare. *Et eſſe ſub ſentibus delitias putant.* Non ideo ſcarabæi à roſis invadendis abſtinent, quòd ſe illis indignos æſtiment, ſed quia ſtercore innutriti illud amant, amplexantur, pleniſque buccis vorant. Quamobrem quia duo carnalium hujuſmodi hominum ſunt genera, unum eorum, qui ſub catenarum ſuarum onere ingemiſcunt, & ſe liberare anhelant, illorũ alterum, qui non tantùm non gravantur, ſed quaſi torquibus aureis gloriantur; his ita pronuncio: Tales hominũ quisquiliæ, qui peccata ſua adhuc amant, nec animum inducere volunt, ut proximam labendi occaſionem evitent, tales inquam, ab hac cæleſti menſâ longè removeantur, nec notiſſimæ illi Apoſtoli prohibitioni adverſentur, quâ cavet, ne quiſquam uno eodemque tempore immaculatæ Chriſti, & abominandæ Diaboli menſæ accumbere audeat. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum.* 1. Cor. 10. 21. Alterum verò genus hominum, quod malo ſuo quærit remedium, ſufficientique cum dolore & propoſito ad recipiendum in Eucharistia Chriſtum ſe diſponit, omnino ingenti cum humilitate & fiducia Medicum ſuum accedat amabiliſſimum, propriâ manu hoc cæleſte ipſi remedium porrigentem, dum dicit: *Accipite, & comedite.* Imò quò ardentioribus & importunioribus concupiſcentiæ ſtimulis nos impeti ſentimus, eò frequentiùs ad eoſdem retundendos ſacræ huic Menſæ accumbere deberemus; in ea enim Vinum illud, quod germinat Virgines, proponitur. S. Th. 3. p. q. 79. a. 6. & opuſc. 48. c. 1. *Vinum germinans Virgines*; fomitem concupiſcentiæ diminuens, paulatimque ardorem refrigerans. Modum autem, & menſuram talis fre-

quen-

quentationis hanc debere eſſe judico, ut antequam in priſtinum quis relabatur peccatum, accedat. Sic enim una Communio multarum inſtar eſſet. Medici volunt, antidota abſque comparatione plus prodeſſe ſumenti ante venenum, quaſi præſervativa, quàm veneno jam hauſto curativa, ita ut ad tollendum illud non ſufficiat illa ipſa doſis, quæ præſervâſſet, ſed quintuplum augeri debeat. Ita Sanctum docet Concilium Tridentinum; Chriſtum hoc divinum inſtituiſſe Sacramentum pro graviorum culparum antidoto, & leviorum curativo. *Sumi voluit hoc Sacramentum tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur.* Atque ideo, ut, ſicut æquum eſt, illo utamur, conveniens eſſet, tam ſæpe eodem frui, quaſi priore Communione acquiſitam perdidiſſemus gratiam. Adeóque paulatim mali debilitabuntur habitus, optimus in cordibus generabitur puritatis affectus, immaculatáque Redemptoris noſtri caro corpus noſtrum balſamo condiet immortalitatis. Experimur hoc quotidie, videmúsque tot homines hoc electo crebriùs utentes medicamento, ejuſdem virtute planè ſpiritualem in corpore vitam ducere. Cervus non eſt ſubjectus febri; hinc referunt, fæminas quaſdam Principes Romanas quotidie ejuſdem carnibus veſci ſolitas, abſque ulla infirmitate extremam attigiſſe ſenectam. *Quaſdam nos principes fæminas ſcimus, omnibus diebus matutinis carnem cervi deguſtare ſolitas, longo ævo caruiſſe febribus.* Fides ſit penes authorem. Scio Dominum JEſum, qui ſe in ſacris Canticis cervo comparat, velut à boni impuritatis umbrâ alienum, animabus crebrò devotè communicantibus talem addere vigorem, qui non ſolùm infrenatarum paſſionum febrem planè extinguat, ſed etiam vitam longam, imò perpetuam conferat. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

*Galen. l. de eucb.* — *Seſſ. 13. c. 2.* — *Plin l. 8. c. 32.*

XIX. Sed quæ veſtra tandem, Chariſſimi, eſt ſententia? Veſtræ vos excuſationes non magis quam leporem fugientem agri poſt meſſem protegere poſſunt. Quod reſpondeam, iterum repeto, ad tot Chriſti, Eccleſiæ, veſtrarumq; propriarum animarum invitationes reponere poteſtis? Si Chriſtus vos vult locupletare, cur ſinum veſtrum non expanditis? Si Eccleſia vocat, cur, qui ejus filij eſſe gloriamini, non illam auditis? Aut cur ſaltem animarum veſtrarum non miſeremini, quæ quaſi omni boni fame pereunt? quas tamen ſaltem ſemel in menſe ſacrâ Communione conſervaretis. Quantum putatis, doluiſſe Adamum, quando terreſtri ejectus Paradiſo ſuam agnovit ſtultitiam, quòd cùm veſcendo de arbore vitæ immortalitatem adeptus fuiſſet, ex prohibita ſibi comederit arbore, quæ mortem illi attulit? Etiam vos ad extrema deducti dignam reprehenſione veſtram execrabimini negligentiam, quæ animam veſtram ab arbore vitæ paſcendâ impedivit, & fortè ſolùm ob illum finem, quò liberiùs voluptatibus à Deo prohibitis frui poſſetis,

Et

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Et quis ſcit, an hæc ipſa negligentia non futura ſit cauſa, ut non à terreſtri, ſed cœleſti Paradiſo excludamini? Profectò omnis nauſea mala eſt; pejor tamen eſt illa, quâ panis nauſeatur. *Omnis nauſeatio mala, panis autem peſſima.* Valde etiam timeo, ne hæc averſio, quam oſtenditis, in guſtando pane Angelico, magnum ſit reprobationis veſtræ, mortisque æternæ imminentis indicium. Audio Prophetam admirabundum ſic exclamare: *Ecce, qui elongant ſe à te, peribunt* Ecce, inquit Propheta (quaſi prodigio attonitus) *Ecce*, ſunt, qui ſe à te, Deo meo, avertunt, cùm eos tu non fugias, ſed quæras. An non hoc eſt ſtupendum, quòd paupertas fugiat divitias, quòd infirmitas nauſeat ſalutem, quòd creatura renuat conjungi Creatori? Quamprimùm inventus fuit panis, homines dereliquerunt glandes: jam verò poſtquam pro nutrimento illorum panis è cœlo deſcendit, eaſdem repetunt. Quid pejus facere poſſemus, ſi noſtri ipſi eſſemus Tyranni, & ad mortem uſque nos ipſos odiſſemus? Anti-Chriſtus paratiſſimus totius humani generis inimicus, velut primarius Sathanæ Regni ſui adminiſter, nõ poterit pejus Eccleſiæ inferre damnum, quàm divino hoc Sacramento privare homines. Sed jam nunc multorum animæ hanc videntur experiri rabiem, dum ſeipſos tanto tempore tam immenſo deſtituunt bono, quamvis nondum infelix ille, qui hoc eos privet, comparuerit.

XX. *Elongant ſe à te.* Elongant ſe à te, O Domine, qui illorum es nutri-



mentum, idcóque quid aliud exſpectare poſſunt, quàm mortem? *peribunt.* Miſeri! ita *peribunt.* Non eſt dubium. Certi quidam populi Abyſſinis vicini, exſpectant, donec poſt rigidiſſimam Quadrageſimam, ab his obſervari ſolitam, debilitati ſint, viréſque amiſerint; quos tunc ex improviſo aggrediuntur, & ſtragem edunt. Eodem modo cum Chriſtianis in maleſano hoc jejunio obſtinatis procedit Diabolus, quos ubi debilitatos, faméque conſumptos videt, adoritur, & non valentes repugnare profligat.

XXI. *Qui elongant ſe à te, peribunt.* Si Dominus noſter in Eucharistia eſt medicina noſtra, *Pharmacum immortalitatis*, ut eam vocat S. Ignatius Martyr, quicunque illud ſæpiùs accipere recuſat, perire neceſſe eſt. *Non habebit vitam æternam in ſemetipſo manentem.* Nec ſatis erit, ali- 1. Jo.
quot vicibus per annum ſumpſiſſe, 3. 15.
quemadmodum, ut dixi, non ſatis fuiſſet in terreſtri Paradiſo aliquoties tantùm ex arbore vitæ pro immortalitate conſequenda comediſſe.

XXII. *Qui elongant ſe à te, peribunt.* Si Chriſtus ſeipſum armorum vice dedit, quis mirabitur vulneratum occumbere, qui non vult illis uti, aut cum triſtitia & tædio hiſce ſe munit? Quid de milite illo ſperari poteſt, cui ipſe etiam gladius eſt oneri? Abſit, Chariſſimi, impoſterum, abſit, ut ab hoc pane vitæ nos elongemus, rogemus Dominum, ut majori cum fructu nos illo veſci

Joan. 6. 34. concedat. *Domine, ſemper da nobis panem hunc*, ut dignam tam perfectâ refectione degendo vitam per infinita ſecula mereamur illâ perfrui in cœlo, non ampliùs per manus Fidei, ſed per claram viſionem beatificam nobis porrigendâ, cujus interim cùm ſit cauta, pignus eſt omnium Fidelium Chriſtianorum ſecuriſſimum.

* * *

# DISCURSUS X.

*Deteſtatur horribile illorum Sacrilegium, qui cum gravi noxæ conſcientia communicant.*

Diodor. Sic. rer. antiq. l. 3. c. 2. Solin. c. 39. DUas olim injurias graviſſimas Soli inferebant Barbari Africæ populi. Prima erat illorum, qui in odium radiorum nimis ardentium ejus aſpectum fugiebant, ita ut ne illius cogerentur ſufferre lucem, in paluſtribus ſe vallibus abſconderent. Altera erat illorum, qui atrociori inſultu nunc ſaxa, nunc ſagittas in ejus deſpectum per aëra ejaculabantur. Utramque hanc injuriam contra veriſſimum juſtitiæ Solem à populo Chriſtiano renovatam deplorare cogor, eo ipſo tempore, quo ſpeciebus Sacramentalibus obvelatus, ſed non repreſſus, millenos charitatis radios in nos diffundit. Quidam ipſi terga obvertunt, ut vidimus, mille afferendo excuſationes, ne frequentiore ejus refectione ſuo calore accendantur. Alij denique efferatiori audaciâ illum adoriuntur, indignéque communicantes vulnera illa renovant, quæ olim in carne mortali pro nobis ſuſtinuit. Quare cùm utrumque hunc indigniſſimum abuſum tolerare non poſſim, primùmque præcedenti Diſcurſu pluribus deteſtatus fuerim, alterum, utpote deteſtabiliorem, nunc aggrediar; ut ſi fortè jam animos veſtros invaſit, eundem expellam, aut ne unquam accedat, aditum præcludam.

II. Non eſt monſtrum magis ſtupendum, quàm quod ex partibus adverſantibus componitur. Quas verò partes magis diverſas, conjunctas ſpectare poteſtis, quàm in uno eodémque corde peccatum & Chriſtum? Si Lucifer Diabolorum Princeps cum Sancto Michaele omnium Angelorum præcipuo conjungeretur, exigua eſſet monſtroſitatis illius adumbratio, quam quotidie toti cœleſti curiæ nostri Sacrilegi exhibent, primarii hujus Sacramenti finis obliviſcentes, qui eſt Chriſtum cum homine conjungere; *Sacramentum, quod ipſum Chriſtum conjungit homini.* Ita definit S. Thomas. Quia verò ſemper res duæ ponderandæ in quovis monſtro conſiderari poſſunt, deformitas ſcilicet, quam in ſe continet, & damnum, quod minatur; utramque perpendamus

peſſi-

peſſimam conditionem, incipiendo à prima, culpæ inquam Chriſtum impie in Sacramento recipientium incredibili fœditate, ut tantò celeriùs nos hinc expediamus.

I.

III. Non eſt dubium, omnem Legis tranſgreſſionem offendere Legislatorem. *Qui offendit legem, offendit Regem.* Nihilominus quando delictum immediatè perſonam Principis offendit, gravior tunc eſt tranſgreſſio abſque ulla comparatione, & ut talis ſeveriùs, quàm alia punitur, ipſoque nomine magnam horroris partem præfefert; quia crimen læſæ Majeſtatis appellatur. Omnia hæc majorem nobis lucem afferunt ad monſtroſita[illegible]me reprehendendæ enormitatem dignoſcendam. Quis ignorat, quovis peccato Deum contemni? *Per prævaricationem legis Deum inhonoras*, inquit Apoſtolus. Nihilominus quicunque indignè communicat, non ſimpliciter aut in ſua Juriſdictione, hoc eſt, in ſubditis ſuis aut præceptis Deum contemnit, ſed in perſona propria vilipendit; ita ut crimen læſæ divinæ Majeſtatis dici poſſit, tantopere inter reliquam peccatorum multitudinem enorme, ſicut inter piſcium marinorum turbam, undarum horror eminet balæna. Ita ſentit Beatus Petrus Damianus. *In reliquis*, inquit, *Deum offendimus in rebus ſuis, hic autem in perſona ſua.*

IV. Non parùm creſcit hæc injuria, dum directè ſe opponit fini, quem Chriſtus intendit, volendo corpus ſuum in ſanctiſſima Eucharistia glorificari. Sciendum enim eſt, præcipuum inſtitutionis ejuſdem finem fuiſſe innocentiſſimæ carni ſuæ compenſare rigorem illum, quo eam triginta tribus annis ſeverè admodum habuerat, haberíque permiſerat, & illam ei reſtituere gloriam, quam tanto tempore pro ſalute noſtra diſtulerat. *Pro eo, quòd fuiſti derelicta & odio habita, ponam te in ſuperbiam ſæculorum.* Iſ. 60, 15.
Jure merito quidem, quia ſi homines tanti faciunt carnem ſuam, tantúmque blandiuntur ei, quæ tamen caro eſt rebellis & recalcitrans: *Nemo unquam carnem ſuã odio habuit, ſed nutrit & fovet eam*, quanto convenientius erat, ſuam Eph. 5.
honorari carnem à Chriſto, præſertim poſtquam illa conſecrata divinæ Juſtitiæ victima novam acquiſivit ſanctificationem, atque ita novum meritum, novúmque motivum, ut ſummo in honore haberetur? In hunc ergo finem corpus ſuum reliquit in Sacramento, ut illud ipſum corpus ab Eccleſia, & à ſe, cujus ille caput eſt, impoſterum, quantum olim opprobriis, tantum omni deinceps bonorum ſignificatione exciperetur.

V. Quod verò honorem attinet, quem Sanctiſſimo Servatoris noſtri corpori exhibet Eccleſia, is tantæ eſt excellentiæ, ut Theologus quidam, celeberrimæ ſcholæ anteſignanus, exiſtimet potiſſimum eſſe ſignum, ad Scot. in
quod omnis ſanctæ Eccleſiæ devotio 4. d. 8.
collimet. *Quaſi omnis devotio in Eccleſia eſt in ordine ad hoc Sacramentum.* q. 1.
Templa, altaria, functiones, feſta, ipſaque adeò reliqua omnia Sacramenta, mirabili quâdam harmoniâ, quaſi Pla-

netæ minores, in ordine ad hunc Solem ſunt inſtituta. Neque in hoc à Scoto multum diſcrepat S. Thomas, qui docet, quòd *ferè omnia Sacramenta in Eucharistia conſummantur.*

*S. Tho. 3. p. q. 65. a. 1. & in ſuppl. q. 37. art. 2.*

VI. Quòd ad honorem, quem Chriſtus Corpori ſuo exhibet in ſacroſancta Eucharistia, eſt is ſingulariſſimus. Primò quamvis Corpus Domini in hoc Sacramento in profundiſſimæ humiliationis ſtatu contineatur, ut aliàs dixi, nihilominus aliunde in ſummo ſtatu gloriæ apparet. Eodem enim tempore in millenis & millenis per Mundum locis præſens ſe exhibet, adeóque certo quodam modo aliquam immenſitatis ſpeciem participat, quam nulla alia creatura, ne quidem ſpiritualis, unquam obtinuit. Corpus Domini, inquit Albertus Magnus, non eſt in omnibus locis, ſicut eſt Divinitas; ſed neque etiam eſt in unico loco, ſicut ſunt aliæ ſubſtantiæ; modo tamen quodam medio in cunctis, per totum terrarum orbem Eccleſiis per replicationem, quam dicimus, præſens eſt.

*In Compend. l. 6. c. 14.*

VII. Et quod plus eſt, in omnibus his ipſis locis virginea Salvatoris noſtri Caro (ut in præcedentibus indicavi diſcurſibus) hanc ſingularem obtinet prærogativam, ut in Altaribus primâ quaſi honoris potiatur eminentiâ, in comparatione ſanctiſſimæ Salvatoris noſtri animæ, quæ etſi & ipſa ſit in Sacramento, non eſt tamen niſi per concomitantiam: quemadmodum dicere poſſumus honoratum fuiſſe Saulem reſpectu Davidis, quando Paſtoritium hunc juvenem fundâ armatum ad ferum illum Giganteum proſternendum comitatus eſt in Vallem Terebinthi; permittebat, regi[illegible] cèt ipſe conſpicuus dignitate, ut in fronte exercitûs præcedens in tanta hominum multitudine præ omnibus conſpicuus eſſet, & obſervatus. Nec eſt mirum. Corpus Chriſti, in hoc Sacramento eſt illud ipſum, quod ad expugnandum corpus peccati, debellandúmque deſtinatum eſt, operandum in nobis ſanctificationem noſtram, quam virtute Verbi ad nos vivificandum accepit. *Vivificativum Dei Verbum uniens ſeipſum propriæ carni fecit ipſam vivificativam.* Ita loquitur S. Cyrillus.

VIII. Nec hic eſt finis honorum ſancto Corpori attributi. Quando quidem Chriſtum in nocte Paſſionis, quando hoc divinum Sacramentum inſtituit, exiſtimant aliqui Sanctorum Patrum, propriâ illud manu accepiſſe, ſeque primum in illa cœna cibaſſe, *Ipſe & conviva & convivium.* At quam ob cauſam putatis, Chriſtum ſeipſum quoque communicare voluiſſe? Aliunde enim ob unionem hypoſtaticam erat perfectiſſimus, ita ut nec corroborari, nec in gratia creſcere poterat, quod eſt proprium cœleſtis hujus Cibi emolumentum. Dicetis fortè, ob delectationem, quam, etſi utilitatis ratio non habeatur, adfert hic cibus, hoc illum feciſſe. Præclarè ſentitis, hæc enim eſt etiam ſancti Thomæ opinio. Sed ego procedo ulteriùs, & adjungo: ex quo præcipuè motivo talis in Chriſto delectatio oriri potuit? Scire vultis unde? Inde, quòd ſanctiſſimum Corpus ſuum tandem tanto aſficien-

ſiendum honore viderit, quantum illud merebatur. Atque hæc eſt cauſa, propter quam ille ipſe communicavit, ut Corpus ſuum ſaltem ſemel tã digno reciperetur hoſpitio, in divino collocaretur pectore, ore ipſius Dei vivi & veri manducaretur. Id quod abunde omnes irreverentias, ab hominibus in adminiſtratione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ tolerandas, compenſare poterat.

IX. Sed quid interim vobis videtur de hac gloria, quam Chriſtus puriſſimæ carni ſuæ in Sacramento attribuit? An non eſt illa maxima? Jam verò juxta illam ipſam gloriam injurias, quas quotidie ab indignè communicantibus patitur, ponite, & videbitis, quàm illæ monſtroſæ appareant; quia, ut inquit ſanctus Thomas. *Quicunque hoc Sacramentum ſumit, ex hoc ipſo ſignificat ſe eſſe Chriſto unitum, & membris ejus incorporatum.* Quæ ergo conjunctio magis inaudita ab humano poteſt excogitari ingenio, quàm illa corporis Chriſti, & peccatoris eodem corpore cibati? *Unus ex vobis Diabolus eſt*; inquiebat Chriſtus de Juda, qui primus auſu ſacrilego communicavit: ita ut fateri oportet, Chriſtum tali ſacrilegio coactum Diabolo ſe unire. Saltem certum eſt, Chriſtum domum Diaboli intrare, quotiescunque cor peccatoris ſacrilegè communicantis ſubire cogitur; in hac domo dominatur Diabolus, ejus claves habet Diabolus, verbo, totam illam poſſidet; Chriſtus autem ibi habetur ut extraneus, nec ſolùm incognitus, ſed etiam deſpectus. Quibusdam hic perverſus ordo non tantùm incomprehenſibilis, ſed etiam impoſſibilis videtur. Unde (ut refert ſanctus Thomas) quidam docere auſi ſunt, quòd priuſquam ſacra Hoſtia labra peccatoris attingat, CorpusChriſti ſub ſenſibilibus illis ſpeciebus eſſe deſiſtat, evaneſcàtque, ne pectus tam ſacrilegum ſubire cogatur. Quod licèt errorem contra fidem contineat, veritati Sanctiſſimi hujus Sacramenti contrarium, nihilominus oſtendit, quanta ſit monſtroſitas in uno eodèmque pectore Chriſtum & peccatum collocare.

X. Conſiderate quæſo, ſi poteſtis, quanto horrore puriſſimum illud Divinum cor repleatur, quamdiu, antequam calore naturali ſacræ ſpecies abſumantur, in infortunato illo hoſpitio morari debet. Quis unquam vel oculum claudere poſſet; qui ad dormiendum in uno eodemque lecto cum leproſo condemnatus eſſet? Solus faſciarum ejus attractus, imò aſpectus nauſeam moveret; cogitate jam, quid futurum eſſet, ſi etiam centonibus ejusdem induere ſe deberet? Antiochus Rex tam potens, à divina juſtitia verminoſo percuſſus ulcere, ob fœtorem nimium toti exercitui, etſi longè diſtanti, intolerabilis factus eſt. *Ita ut exercitus gravaretur*: quid jam putatis ſenſiſſe eos, qui decumbenti inſervire cogebantur? Nihilominus hujus ſuperbi Regis vermes, & purulenta omnium totius Mundi ulcerum materia ſuaveolentia ſunt odoramenta, ſi peccatricis animæ fœtori comparentur, in cujus pectore toto il- *2. Mach. 9. 9.*

lo tempore, ut dixi, Chriſtus permanere cogitur. Hinc eſt, quod ad explicandam deteſtabilem hanc enormitatem Deus ſtupendo loquendi utatur modo, exclamando per Prophetam. *Coinquinabar in medio eorum.* Ego

*Ezech. 22. 26.*

qui ſum ipſamet puritas, intima cordis penetrando, inquinabar, maculabar, ijsdem quibus ipſi ſordibus me deturpatum videbam, id quod ne quidem Sol de ſe diceret in omnium ſtercorum colluvie exiſtens. *Coinquinabar in medio eorum.* A Malachia verò Panis hic cœleſtis, panis pollutus vocatur; ſed quam ob cauſam? quia ab immundo ore accipitur. Ita ex-

*In c. 1. Malach.*

plicat ſanctus Hieronymus: *Polluimus panem,* inquit, *id eſt corpus Chriſti, quando indignè accedimus ad Altare, & ſordidi mundum Sanguinem bibimus.* Proh rem horrendam! Alij peccatores transgrediendo legem ſeipſos inquinant; ſacrilegi iſti, omnes malitiæ

*Pauſan. in Beot.*

terminos excedentes, non ſolùm ſeipſos maculant, ſed etiam ipſum Salvatorem fœdare videntur. Viperæ in Arabia, etiamſi veſcantur balſamo, non ideo ceſſant veraciter eſſe viperæ, ſed virus ſuum tantummodo mitigant. Quàm maledictæ igitur viperæ ſunt in Mundo, perverſi iſti, qui quò frequentiùs ſacroſancto Euchariſtiæ fruuntur balſamo, tanto magis ſuum augent venenum, & reddunt nocentius, non ſolùm peccando creaturis abutentes, ut alij ſolent facere ſcelerati, ſed ipſomet etiam Creatore. Non miror Chriſtum malle in ſordida manere colluvie, quàm in illorum pectore. Audite, an non vera loquar.

XI. In quadam Inſularum Philippinarum civitate, Dulaca dicta, Adoleſcens quidam, ſumptâ ſanctiſſimâ Communione cum gravioris noxæ conſcientiâ, tanto omnium viſcerum dolore correptus eſt, ut cùm diutiùs perferre non poſſet, exiens è Templo ſacroſanctam Hoſtiam in ſordidum ejusdem plateæ angulum evomuerit. Quo facto quamprimùm dolor, quo affligebatur, ceſſavit; unde apparet Chriſtum oſtendere voluiſſe, tolerabilius ſibi eſſe in publicæ plateæ delitescere ſordibus, quàm in peccatricis animæ pectore demorari. Porrum adhuc dixi, minùs invitum in luto manere Chriſtum, audeo dicere, lubentiùs futurum vel in Inferno. *A Pal. peior plane locus Deo eſſet Infernum, ſi illi culpa non eſſent, quàm domus peccatoris.* Certum eſt, in Inferno fore tanquam Dominum, vindicem ſcelerum, eò velut in exilium miſſorum; in peccatoris veró pectore velut Dominus traditus ad patiendum detinetur. *Filius hominis tradetur in manus peccatorum.*

XII. Quomodo ergo ibi manet? (Quis enim id mihi unquam edisſeret?) Quid ibi agit? Quomodo in eodem habitaculo duo hoſtes capitaliſſimi, Chriſtus & peccatum, pacificè poſſunt conſiſtere? Metallum in purgationis fornace ignitum ne quidem humidi ab extra aſperſi attactum tolerare poteſt: ſtridet, ſpumat, & licèt ponderoſum ſit, in aëra tollitur. Ita videtur omnino Chriſtum facere debere, frigidiſſimo peccatoris pectori incluſum. *O generatio incredula,*

quam-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*quamdiu apud vos ero? Quamdiu vos patiar?* O gentem infidelem! Quæ non agnoſcis, quo cultu corpus meum excipere debeas, quamdiu intra vos habitabo, quamdiu ferã tam inhumano modo tractari? Atq; hæc minitans, videtur Chriſtus, quaſi ignis cuniculo incluſus, debere ſcelerata, ſe indignè ſuſcipientium, corda in mille fruſta diſtringere, ut ſe ex tam injurioſo carcere eripiat. At non ita ſe res habet. Tam patiens eſt Redemptoris noſtri charitas, ut has injurias, perinde ac non ſibi illatas ſuſtineat. Idem Dominus, qui ne quidem per momentum peccatum in cœlo empyreo toleravit, ſed quamprimũ in Averni abyſsũ præcipitavit; plurium etiam annorum ſpatio patitur, ut in hoſpitio eodem cũ peccato, peſſimâque conſcientiâ Corpus ſuum ſanctiſſimum permaneat. Ibi ab omni parte funeſtam intuetur rerum faciem: intellectum invincibilibus excæcatum tenebris, voluntatem in malo inveteratam, phantaſiam immundis & impudicis repletam imaginibus, omnes paſſiones indomitis beſtiis ſimillimas, ſenſus omnes in iniquitatis inſtrumenta converſos. Tacet ille tamen, tolerat, nec vindicat, quamvis ſuo tempore in judicio horrendos inſtar Leonis editurus ſit rugitus.

XIII. Quare non miror, ſanctos Patres enorme adeò ſacrilegium crucifigentium Chriſtum Tyrannidi comparare? aſſerunt enim, indignè communicantes Paſſionem Salvatoris renovare, quemadmodum Chriſtus ſuam renovat patientiam, novam hanc ab ipſis crucem tolerando. Certum ſaltem eſt, Apoſtolum non differentibus, ſed iiſdem verbis loqui. *Reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Hoc eſt, ſubjungit Gloſſa, *ac ſi Chriſtum occiderit, punietur.* Quia licèt omnes peccatores mortis Domini ſui rei ſint, quando ejus cauſam, quæ erat peccatum, renovant; nihilominus majori cum ratione aſſeritur, ſacrilegos hoſce malefactores reos eſſe; quia his temporibus inter alios ſceleratos ſoli illi certâ quadam violentiæ, & iniquitatis ſpecie Redemptoris membra affligunt, perſonam ejus inviſibilem, ſed præſentem aſpernando, *Reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Hoc ſenſu verba illa intellexère ſancti Doctores Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Cyprianus, aliique plures, quibus Gloſſa innititur. Imò iidem paulò profundiùs inveſtigando, in ſacrilegio indignè communicantis circumſtantias aliquas magis aggravantes invenerunt, quàm erant illæ, quæ in verâ Redemptoris noſtri crucifixione intervenère. Præcipua verò eſt, quia carnifices Chriſto adhuc viventi & mortali in terris necem intulerunt; cùm hi maledicti peccatores jam regnantem & glorioſum in cælis aggrediantur. Quis ergo non videt, quantò enormius ſit delictũ, Principem Regio inſidentem throno injuriis afficere, quàm incognitum per ſylvas ambulantem contumeliis afficere? *Contemptor ſedentis in cœlo magis peccat, quam qui crucifixerunt ambulantem in terra.* Adhæc humanitas Chriſti Reſurrectione ſuâ

*1. Cor. 11.*

*Corn. à Lap. in hunc locum. Recup. de ſign. Prædeſt. cap. 18.*

*Gloſſa in illud. de lerunt in eſcam meam fel.*

non

non ſolùm novam acquiſivit gloriam, ſed etiam Paſſione ſuâ novâ hanc promeruit ſanctificationem, ut jam memini, quia divinæ juſtitiæ oblata fuit ut victima ad injurias ab homine, Deo illatas reſarciendas; quamobrem iſti ſcelerati majori ſe inquinant ſcelere Corpus Redemptoris hoc tempore peſſimè tractando, quàm olim ſuâ culpâ antiqui crucifixores, licèt perfidiſſimi; à quibus etiam non ita perfectè, ſicut hoc tempore à ſuis Fidelibus, agnoſcebatur. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Sed quidquid ſit de conſiderationibus hiſce, aliàs magni faciendis, certum eſt, non poſſe à Salvatore noſtro ſuavem illam vocari crucem, quam illi tam temerarii præparant peccatores; ſicut ſuavem illam ſibi à carnificibus præparatam nominavit. In iſtâ enim voluntatem Patris ſui cœleſtis, Mundi ſalutem, mortis interitum, ſubjugationem Inferni agnovit, quæ tantæ crudelitatis amaritudinem dulcem effecerunt; in tam horribili autem ſe iniquè recipientis ſacrilegio non aliud, quàm abominationem, atrocitatem, & ingrati cordis malitiam intueri cogitur. Eſtne res tanta, illi actui, quo major in terris à Chriſtiano exerceri non poteſt, ſacræ nimirum Communionis, ſi non aliud, ſaltem exactam præmittere confeſſionem? Non reperietur homo in Mundo, qui, ſi præcipuum aliquem hoſpitem domum ſuam invitet, non antea ſordes, ſi quæ uſpiam ſunt, evertat,

1. Cor. c. 3.

XIV. Nec quiſquam ſibi perſuadeat; ſe abunde purgare peccatum aut ſaltem imminuere, ſi dicat, quòd ſi non confiteatur, ſe actum contritionis elicere. Ego, ſi dicendum eſt, quod ſentio, dubito, an contritio illa ad quidquam valeat, quàm ad eum, qui ſic eâ abutitur, majoris ſceleris argumentum. Non ignoro, dari aliquando caſum, quo liceat Chriſtiano, abſque prævia confeſſione Sacram Synaxin ſumere, modò contritionis actum præmiſerit. Sed hoc intelligi debet (ſi Sacri Concilij decreto ſtamus) cum duabus hiſce conditionibus, quæ bene perpendendæ ſunt; Prima, ut urgens ſit communicandi neceſſitas; altera, ut in hac neceſſitate verè Confeſſarij copia non habeatur, ad quem recurrere liceat. Si omittendo Communionem aliquatenus notabilem incurreres infamiam, & ſi ad habendum Confeſſarium plurimas leucas proficiſci deberes, ſola tunc contritione præmiſsâ, ſine culpâ Sacræ Menſæ accumbere poſſes, non nego; Sed hoc ipſum ob levis alicujus momenti cauſam cave præſumas; qualis eſſet, ne vulnera tua Sacerdoti nimis noto detegas, aut ne minus devotus videaris, aut diebus ſolennibus minùs aliis diſpoſitus. Nec tamen deſunt, qui ob timores leviores modo enarratos non verentur Chriſtum in ſtabulum introducere. Prohibent Sacri Canones, ne Laicorum defunctorum cadavera intra ſacra ſepta ſepeliantur, ne hujuſmodi mortuos honorando, Altaria contaminentur. Quomodo

igi-

igitur, non jam pannis ſuis (quod vel ipſum plusquàm ſatis foret) ſed etiam perſonâ ſuâ profana iſta, non tantùm inanimata, ſed putrida cogetur Chriſti obtegere corpora? ita ut quandoque inveniatur concubinarius, qui ne Sacerdoti ſcelerati ſui & furtivi commercii ſuſpicionem moveat, aut ne bonæ exiſtimationis ſuæ aliquam faciat jacturam, communicare præſumat, antequam confeſſione noxam eluerit, contritionis præmiſſæ prætextu? Hoc eſt velle, corpus Chriſti non prodeſſe, quod eſt ejus proprium, ad vitam mortuis conferendam, ſed eos tegere, ut eò faciliùs in fœtido ſuo ſepulchro in vermes redigantur. Ad hunc modum Peccatores nonſolùm ſe non meritos, ſed temerarios & impios exiſtimare deberent, quibus plus vel ſerpentes ſapiant, qui, ut tradit Sanctus Ambroſius, priùs ore venenum evomant, antequam ad levandam ſitim, fontem accedant.

II.

XV. Verùm monſtra nonſolùm ob illam, quam in ſe continent deformitatem, horrenda ſunt, ſed ex hoc etiam capite, quia plerumque ruinas & ſtrages præſagiunt. Vix ejusmodi monſtrum in oculos ſe ingerit, ſtatim ſibi in illo unus quisque, quaſi in occultis [illegible] notis, imminentem quamdam inevitabilem calamitatem legere videtur. Verum eſt, Sanctum Auguſtinum in libro de Civitate Dei non velle nos tam facilè ex monſtroſo aliquo eventu funeſta quælibet conjecturâ præcipere; quæ ſæpius fallere poſſunt. Nihilominus in re noſtrâ ſine errandi metu talia præſagire licet; adeò plerumque ſunt infallibilia. Ipſemet Apoſtolus tale quid ore ſuo denunciat. *Qui manducat & bibit indignè*, inquit ille, *Judicium ſibi manducat & bibit.* Hoc eſt, ſuam damnationem, ut S. Joannes Chryſoſtomus interpretatur. *Judicium ſibi manducat, id eſt, damnationem.* Quid vult ſibi tam mirabilis loquendi modus, quo utitur Apoſtolus? quis unquam audivit reum aliquem latam contra ſe devorare ſententiam? aut à judice illi, dum damnatur, ſterni menſam; Creditote, Chariſſimi, verba allata magnum in ſe continere myſterium. Dicere vult Apoſtolus, eum, qui in peccato mortali communicat, ſuam manducare damnationem; quia ſicut cibus ſumptus paulatim per omnes ſe corporis partes diſtribuit, in easque qualitates ſuas, ſive bonas, ſive malas, derivat, quæ vix ullâ ratione aut vi ab ipſis ſeparari poſſunt, ſic illa ſententia, quam per modum nutrimenti ſacrilegi iſti devoratores degluttiunt, per omnes ſenſus diſtribuitur, omnésque animæ potentias attactu ſuo & peſtilenti contagione inficit, ita ut ſemper magis & magis talem per infectionem Divinæ Juſtitiæ vindicandi reſerventur. Videamus, an hoc veritati ſit conſentaneum, paucis de utroque mali genere diſcurrendo, de malo culpæ & malo pœnæ. *Judicium ſibi manducat & bibit.*

*1. Cor. 11.*

*Chryſoſt. in hunc locum & S. Th. 3. p. q. 80. ar. 4. in lit.*

XVI. Quod antecedentis culpæ malitiam attinet, quæ tunc animam fœdat: aio, grande hoc ſacrilegium, ſuper-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſuperveniens veneno ſuo, eam paſce-
re & ultra menſuram augere. Suffi-
ciat meminiſſe Judæ, qui licèt priùs
eſſet fur (ut refert Evangelium) licèt
nequam & murmurator, licèt aliis mo-
dis locum in corde ſuo dediſſet Diabo-
lo: nihilominus non adeò plenè &
pacificè ab ipſo Diabolo poſſeſſus fuit,
quàm cùm immundo ore communi-
*Joan.* 13. care auſus fuit. *Poſt buccellam introi-*
17. *vit in eum Sathanas.* Tunc enim cor-
pus & animam infeliciſſimi hujus ho-
minis pleno & ſtabili jure poſſedit,
ob ſcelus ſuum poteſtati tenebrarum
*in Pſal.* derelictum. *Datus eſt panis Judæ,* in-
108. quit Sanctus Auguſtinus, *per quem man-*
*cipatus eſt Diabolo.* Neque vobis per-
ſuadeatis velim, judicium ab iſtis de-
voratum, qui cum Juda in ſcelere S.
Euchariſtiam percipiunt, poſt mortem
eorum duntaxat incipere. Non, non,
reſpondet Sanctus Bonaventura; quam
primum, in ipſo inſtanti, quo illa ve-
ſcuntur, incipit. *Judicium ſibi man-*
*ducant & bibunt.* Equidem ſcelerati
iſti, à quibus tantâ corpus Domini in-
juriâ afficitur, in pœnam graviſſimæ
ſuæ temeritatis validiſſimis gratiæ au-
xiliis privantur, quare de peccato in
peccatum ſe præcipitantes, denique
*Serm.* 3. quotidie pejores fiunt. *Mutet vitam,*
*de temp.* *qui vult accipere vitam,* repetit Sanctus
Auguſtinus, *nam ſi non mutet vitam, ad*
*judicium ſumit vitam, & magis ex ipſâ*
*corrumpitur*: Et infauſto omine ex
fonte vitæ mortem haurit: poſt
medicinam ſumptam tali in ſtatu ma-
gis erit morbidus, quàm erat, an-
tequam Medicum accederet. *Magis*
*ex ipſâ corrumpitur.* Balſamum cor-
pora etiamnum incorrupta ſervandi
virtutem habet: at ſi cadaveri jam
putreſcenti adhibetur, idemmet ad-
huc magis ultimam ejus corruptionem
accelerat. Idem evenit in caſu no-
ſtro. Sanctiſſima Communio validiſ-
ſima eſt ad immortalitatem conſervan-
dam, quæ ideo à Doctoribus pharma-
*cum immortalitatis* appellatur; nihilo-
minus indignè recepta ob tale ſacrile-
gium ultimam peccatori infert ſtra-
gem, omnéſque vitæ reliquias perdat.
*Magis ex ipſâ corrumpitur.* Extre-
mam ecce monſtri à me deſcripti pe-
ſtem, adeò ſcilicet divinæ ſe opponit
Bonitati, ut ubi hæc ex veneno præpa-
rat antidotum, illa etiam ipſa antido-
in venenum convertat. *Hæc omnia*
*Sanctis in bona: ſic & impiis & Peccato-*
*ribus in mala convertentur.*

XVII. Verùm malum culpæ par-
vi faciunt peccatores, dum illud enim
conſectantur. Videamus parumper,
an ſaltem pœnæ, quas devorant, eos
abſterrere valeant. *Judicium ſibi*
*manducat & bibit.* Henricus Septi-
mus Imperator in feſto Aſſumptionis
hoſtiâ venenatâ interfectus fuit. O
quantò magis lethiferum virus in hac
ſacrâ particulâ, quam malè conſulti
iſti accipiunt, abſcondit Diabolus! ea
ratione ſummam per fraudem finem
pridem intentum, & à Propheta his
verbis prædictum aſſecutus: *Venite*
*mittamus lignum in panem ejus, id eſt*
*in Euchariſtiam* (ut hic explicat Glo-
ſa) *& eradamus eum de terra viventi-*
*um.* Interea nihilominus miſeri illi
ſapere nolunt, & quia venenum hoc
illis tempus relinquit, nec ſtatim fini-

lis condemnationis mortem adſciſcit, ideo absque timore plurimis annis menſam Dominicam accedunt, quaſi nunquam illud temporis punctum ſit adventurum, quo promeritas ſint daturi pœnas. Væ talibus, inquit Dominus, per os Sanctæ Brigittæ, *Væ talibus, quod unquam nati fuerint; ipſi enim profundius cadunt in Infernum, quam aliquis alius.* Quod licèt de Sacerdotibus indignè celebrantibus propriè Christus dixerit, quis credat non poſſe idem de Christianis indignè communicantibus verificari? cùm enim quâdam proportione ejusdem ſacrilegii Rei ſint, cur non etiam eâdem menſurâ iisdem involverentur pœnis? Ex rore putrefacto talis naſcitur rubigo, ut non nobilioribus tantùm & delicatis plantis, ſed vulgaribus etiam & crudis plurimum noceat. *Judicium ſibi manducat & bibit.* Terreamini ergo, Chariſſimi, bono veſtro (ſi fortè hîc aliquis veſtrûm tam monſtroſi ſibi delicti conſcius eſſet) & conſiderate, quòd ſi tribunalis hujus terræ vel ſolùm in criminibus læſæ Majeſtatis puniant affectum: *Punitur affectus, etiam non ſecuto effectu*; quàm rigoroſum non futurum ſit in tali ſcelere tribunal Divinum, quod nonſolùm affectu, ſed opere ipſo tantam propriæ ſupremi Regis perſonæ adfert læſionem? *Vis Domini corpori infertur*, inquit S. Cyprianus. Nolite fidere, quòd nullamodò divinæ iræ effectus ſentiatis; nondum enim vindicandi tempus advenit. Quare bene perpendatis velim quòd ſicut monſtrum in utero conceptum vix ullum, maximos verò partûs tempore dolores affert: eodem modo præſenti tempore enormia hæc ſacrilegia multis videntur tolerabilia, quia in pectore abſcondita geruntur; at quàm hortendum erit, quando tempus aderit, ut in lucem prodeant coram illo tribunali formidabili, quod ea tantopere execratur? Tunc profectò peccatores iſti experientur, quantos dolores ſimiles partus adferant! Audite & ſtupete.

XVIII. Sub annum nongenteſimum quadrageſimum Magdeburgi in Saxoniâ Epiſcopus erat, qui licèt lupum Paſtoris habitu tegeret, non tamen ita ſcelera abſcondere potuit, quin pravo exemplo eſſet ovibus; eò perverſitatis jam devenerat. Udo illi nomen erat, & licèt adhuc puer à Beatiſſimâ Virgine, cujus opem imploràrat, tantam ingenii præſtantiam impetrâſſet, ut cùm condiſcipulorum ſuorum antea eſſet poſtremus, omnes ſubinde alios antecelleret, nihilominus tam ingratum erga benefactricem ſuam ſe exhibuit, ut ingenio ſuo ad nihil aliud uſus fuerit, quàm ad ſanctiſſimum ejus filium offendendum. Interea cùm malitia ejus menſuram ſuam abunde jam adimplêſſet, accidit, ut quidam ſanctioris vitæ Canonicus, Fridericus appellatus, pernoctans in Eccleſiâ Cathedrali Sancti Mauritii, ardentiſſimis precibus Deum rogaret, ut tandem enormia ab hac Eccleſiâ ſcandala removeret. Cùm ecce repentè vehementioris venti afflatu omnia, quæ in templo erant, lumina extingui vidit. Nec multò pòſt duos Juvenes venire, duo

candelabra accenſis cereis ferentes, & Chriſtum cum Beatiſſimâ matre ſuâ, atque Apoſtolis, pluribúſque Sanctis, qui ordine bini & bini accedebant, ſubſequi, geminis tandem Chriſtum & Parentem ejus, medium illud pulcherrimum agmen tranſeuntes, inſidere thronis. A quibus cùm vocati eſſent Sancti, quorum corpora in templo illo quieſcebant, viſus eſt inter eos Sanctus Mauritius venire, qui longâ atque gravi oratione Udonem Epiſcopum accuſavit, velut Eccleſiæ profanatorem, virúmque totius populi ſcandalum; hunc proinde Chriſtus Judex ad dicendam cauſam evocari juſſit. Nec mora; quamprimum, duo Angeli avolantes Epiſcopum è lecto, in quo altum ſtertebat, ſublatum, momento ad Thronum illum Majeſtatis plenum adducunt. Cogitate, quàm miſer ille ad hoc ſpectaculum inhorruerit, & tantò magis, quando clarâ voce totius nefandæ vitæ ſuæ ſeriem legi audivit. Unde obmuteſcens ibi ſaxo rigidior & immobilior ſtabat. Jubet proin Chriſtus, ut miſer pœnâ, jam ſatis diu dilatâ, afficeretur, quo dicto ſtatim, Angelus ad amputandum illi caput enſi manum admovet; ſed à ſociis duobus vicinis inhibitus admonetur, priùs ſacram Hoſtiam ex ſcelerati hominis pectore tollendam, quam die præcedenti in miſſæ Sacrificio ſumpſerat, quæ ad majorem ejus pernitiem etiamnum integra ibidem perſiſtebat. Simul ergo Altare accedentes ſummâ cum reverentiâ Sacram pixidem auferunt, in quam ab uno Angelorum pugno graviter in renibus ictus miſer panem Angelorum evomuit; denique quaſi reus ſolenni ritu gradu motus, ſecuti percuſſus fuit. Atque hæc ſcena pro infeliciſſimo illo nimis vera, dein videri deſiit. Quâ re vehementer territus Fridericus, cùm ad Altare acceſſiſſet, calicem in eo eſſe cum hoſtiâ inſpexit, cujus pridianâ ſuſceptione miſerrimus ſcelerum ſuorum menſuram impleverat; Epiſcopus verò, cùm diluxiſſet, ſuo in ſtrato mortuus repertus eſt. Quid ad hæc dicitis Chariſſimi? Videte, quantum dolorem illud ſacrilegii monſtrum miſero huic attulerit, quod in conceptione quotidie tam purum ipſi nauſeæ pepererat! quis Chriſtianorum huic in culpâ vellet eſſe ſocius; pœnam tamen à ſe evitandam ſperet? *Revelatur ira Dei de Cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum, qui veritatem Dei in injuſtitiâ detinent.* O quanta impietas, ô quanta injuſtitia, tam indignè Chriſtum Jeſum, veritatem & Sapientiam Patris tractare, & quaſi captivum in Inferni barathro detinere! ſed quid fiet tandem? Ira Dei, quæ nunc eſt abſcondita, ſuo tempore manifeſtabitur. *Revelatur ira Dei.* At ô quanto pœnarum pondere illos opprimet, quicunque tot & tantis Deum injuriis affecêre!

XIX. Ecce igitur Summam ſententiæ contra hoſce proferendæ à Prophetâ expreſſam. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum.* Hæc verba, inquit S. Auguſtinus, non ſunt imprecantis mala, ſed pronuncian-

tis.

tis. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum.* Quàm mirabilis iſte loquendi modus? Attamen aptiſſimus eſt ad enorme indignè communicantium ſcelus exprimendum. Quia tales nonſolùm labuntur, ut alijs peccantibus contingere ſolet, ſed labuntur, & labendo laqueo implicantur; rarò enim ſolent reſurgere, ſed in peccatis ſuis derelicti divinæ Juſtitiæ vindicandi reſervantur. Phyſici obſervant, ab animalibus perfectis communiter non gigni monſtra, gigni duntaxat ab imperfectis. Ita in re noſtrâ, non poteſt eſſe, niſi anima viliſſima, omni vituperio plena, Chriſtianoque nomine indigniſſima, quæ tam monſtroſum producit abortum. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum.* Progrediamur ulteriùs: *Et in retributionem.* Hic Propheta advertit pænam delicto tam horrendo reſpondentem, quæ duplex eſt, una in hoc Mundo, altera in futuro.

XX. In hoc Mundo oportet, ut vitam agant inquietiſſimam: anguſtiantur enim à cibo illo debili ſtomacho ſuſcepto, ut quaqua verſum illorum agitetur conſcientia. Quis neſcit impio non eſſe pacem? *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Sed profectò multò minùs hi miſeri gaudere poſſunt, quaſi, qui plusquam alij apertum ante oculos ſuos Infernum coguntur intueri. Clariſſimum prædeſtinationis ſignum (omnium ſententiâ) eſt, poſſe ex malis elicere bonum, etiam ipſa peccata in majorem animæ utilitatem convertendo, quemadmodum apes amarum in dulce transmutant. *Scimus quoniam di-* Rom. 8.
*ligentibus Deum, omnia coopeantur in* 28.
*bonum, ijs, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti.* A contrario igitur, clariſſimum Reprobationis ſignum eſt, ex bono elicere malum, cum araneis dulce convertendo in amarum. Sed ita faciunt conſcelerati iſti. Sugunt nonſolùm malum ex bono, ſed ex ſummo bono, ab omnis boni largitore, à Salvatore illo, quem in ſacrâ Communione domum ſuam introducunt. Ideóque ſi alijs Reprobis propheticâ imprecatione dici poteſt,
*oratio ejus fiat in peccatum*, cuivis Pſ. 108.
horum etiam occini poteſt: *Salvator* 6.
*ejus.* Cùm iſthoc autem tam horrendo reprobationis ſigno, quale eſt hoc, exiſtimabitis illos unquam aliquâ pace gaudere poſſe? Non eſt poſſibile. Judas pactâ jam in ruinam Magiſtri ſui traditione, auſus eſt adhuc manum in lancem extendere, imò adhuc quærere, quaſi jocando, aut ſpernendo, an ipſe traditor eſſet, de quo in afflictiſſimo illo cœtu agebatur. *Reſpondens autem Judas, qui*
*tradidit eum*, dixit, *nunquid ego ſum* Matth.
*Rabi.* At poſtquam in peccato auſus 26. 25.
eſt communicare, quieſcere porro non potuit. Coactus eſt inſtar fulguris ex omnium oculis ſe proripere. Tanta fuit perturbatio, quàm in ſeipſo, cùm ſe jam perditum videret, expertus eſt. *Cùm ergo accepiſſet ille*
*buccellam, continuò exivit.* Idipſum Ioan. 13.
evenire neceſſe eſt illis, qui Judam 30.
imitantes ſolo hoc fine communicant, ut peccata ſua abſcondant, non autem emendent. Neceſſe eſt ob

certitudinem damnationis ſuæ jam jam imminentis, quietos vivere non poſſe. *Si enim corripitur*, inquit S. Auguſtinus, *qui non dijudicat, id eſt, non diſcernit, corpus Domini à cæteris cibis*, ut faciunt, qui exiguâ cum præparatione communicant, *quomodo non damnabitur, qui ad ejus menſam, fingens ſe amicum, accedit inimicus?* Ut faciunt, qui noxæ gravis ſibi conſcij ad hanc menſam accedunt.

XXI. In altero Mundo verò, quæ pœna poterit eſſe condigna ad ſceleratorum iſtorum temeritatem puniendam? Apud Tribunalia hujus Mundi plerumque delicta cum reis morientibus moriuntur. Si verò ſint læſæ
*3. poſt. divi Marci C. ad leg. Jul. Majeſt.* Majeſtatis crimina, alius omnino pœnæ modus & ordo ſervatur. Tunc enim Juſtitia humana Juriſdictionem ſuam ultra limites à morte & tumbâ fixos conatur extendere, & vel ipſos defunctos ad ſupplicium vocat, aperit ſepulchra, oſſa comburit, & perduellium cineres, ventorum turbinibus diſſipandos relinquit, ut omnis tam enormium reorum memoria extinguatur. Judicate jam, quid ju-
*It. il. Clar. l. 5. ſen. tent.* ſtitia divina ſit factura, quomodo poſt mortem hujusmodi violatorum corpora ſit tractatura. Anima quædam ſancta non ita pridem aſſiſtens Sacro, à Sacerdote in peccato mortali facto, vidit tam dira contra Jesum exerceri, ut credi vix poſſent, ita ut tanquam innocentem Agnellum, ſummâ cum Angelorum ibidem præſentium mœſtitiâ, quòd eum juvare non poſſent, ingenti verò Diabolorum tripudio, ad lanienam raptari viderit: proin inflammata Zelo, Deum alloquens exclamavit: quomodo eſt poſſibile, quomodo eſt poſſibile, mi Deus, ut tantas injurias abſque ullo vindictæ, aut indignationis ſigno perferas? Cui Deus reſpondit: filia mea, non mireris, peccatum illius, qui indignè me recipit, eſt tantæ enormitatis, ut ordinariè in hac vitâ non puniam; quia ſupplicium in hac vitâ illi condignum infligi non poteſt; futuræ caſtigandum ſervo.

XXII. *Fiat ergo, fiat menſa eorum in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum.* Scandalum in eo eſt, quòd tam ſuperbo & temerario in perſonam Chriſti auſu omnes cæli incolæ contriſtentur: mœrent enim Angeli, videntes panem illum, qui ipſorum proprius eſt, canibus objici, cujus ſingulari omnino favore particeps factus eſt homo. *Panem Angelorum manducavit homo.* Contriſtatur Sanctiſſima Virgo, cui in hunc ipſum Panem vitæ particulare jus competit, unde jure merito panem ſuum appellat: *Venite, comedite Panem meum.* Quia ſicut Chriſtus Redempturus hominem, id præcipuè ſpectavit, ut præ omnibus aliis Matrem ſuam redimeret, & ejus bono omnes ſudores ſuos, merita & mortem ſuam applicaret; ita etiam dicere poſſumus inſtituendo Euchariſtiam maximè id habuiſſe propoſitum, ut munere aliquo Matrem donaret, quod ſola præ quam cuncti alij, illud ſciret pro merito æſtimare. *Venite, comedite panem meum.* Et tamen ipſa panem hunc enormi ſceleratorum

rum iſtorum culpâ in venenum mutatum intueri cogitur. Contriſtatur Spiritus Sanctus, qui corpus hoc Deificum tam ſtupendo miraculo in utero Virginis à ſe efformatum, nunc toties in lupanaria portari conſpicit. Contriſtatur Pater æternus, qui cum Filium ſuum eo fine manere voluerit in Mundo, ut eundem probè à ſe cognitum, Chriſtiani venerarentur, *verebuntur filium meum*; videt injurias contra illum atrociores à Chriſtianis ipſimet reperi, quàm quas moriturus à Judæis ſuſtinuit. *Rurſus crucifigentes Filium Dei.* Præ omnibus verò contriſtatur Filius Dei ipſemet, cujus perſona, quæ immediatè ſanctiſſimam illam ſuſtentat humanitatem, ſe ſpecialiter omnibus hiſce injuriis, nullâ rationе ſui habitâ, illatis, onerari patitur. Ad quid tandem fiet? Eriget nimirum ille paulò pòſt ſuum Tribunal, omnibusque hujus Sacrilegij reis ad illud evocatis, vultu irato exprobrabit: *quomodo huc intrâſti, non habens veſtem nuptialem?* Quomodo auſus es, ô ſcelerate, adeò indignè menſam meam accedere? Sordida illa vitæ tuæ nefariæ veſtimenta etiam in Eccleſiam intrandi animum tibi auferre debuerant; tu verò hac non contentus temeritate, ut filius, menſæ meæ accumbere non erubuiſti, cùm eſſes filius perduellis. Vel oculos in me conijcere, nullâ ſuffuſum verecundiâ audax facinus videri poterat malè ſibi conſcio. Quomodo ergo tantâ majore impudentiâ in cor tuum me recipere non dubitâſti, eodem cum Diabolo, quem mihi ipſi præpoſuiſti, cubili reponendum; *Quomodo huc intrâſti?* Atque his auditis, nullâ morâ, nec hiſcere, nec reſpondere quidquam auſi, ob flagitij, cujus Rei peracti ſunt, enormitatem, ligatis manibus & pedibus, hoc eſt, quin poſſint imposterum quidquam boni operari, aut deſiderare, Sacrilegi iſti ad æternas tenebras condemnabuntur.

XXIII. *Evigila peccator*, opportunè hic admonet Sanctus Pacianus, *time in viſceribus tuis præſens judicium.* Evigila peccator è tam periculoſo lethargo, & ſi huc uſque ſententiam Judicis, quam diu differendam putabas, non timuiſti, ſaltem jam expaveſce, cogitáque, eam te in vitâ & viſceribus gerere, quam iniquè Pane cæleſti veſcendo, jam dudum devorâſti. *Time in viſceribus tuis præſens judicium.* Atque ita timor hic tam ſalutaris efficiet, ut quamprimùm venenum illud evomas, quod jamjam cor tuum corripit, ad certam necem inferendam, ſi vel tantillam in malo curando moram traxeris.

*De Pœnit. Bibl. PP.*

D I-

P. SEGNERI
Homo Cristi.

# DISCURSUS XI.

## *De Beneficio Sanctæ Confeſſionis.*

I. Quamvis Servator noſter Chriſtus Jeſus univerſim pro beneficiis, in Judæorum Gentem collatis ingratiſſimam illam ſit expertus, nihilominus non reperio unquam illum de ingrato aliquo tantum doluiſſe, quantum de decem illis leproſis, qui mundati non
Luc. 27. 17. rediverunt, ut gratias agerent. *Nonne decem mundati ſunt, & novem ubi ſunt? Non eſt inventus, qui rediret & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.* Putatiſne exprobrationem iſtam carere myſterio? haud ſanè. Myſterium eſt, quod ſicut lepra erat figura peccati, ſic ſanitas leproſo reddita erat figura Confeſſionis, cujus virtute anima noſtra mundatur; ſi modò dolenter peccata ſua Sacerdoti aperiat: quod tunc Servator ſignificare voluit, quando leproſis remedij loco præcepit, non ut tantùm accederent Sacerdotes, *ite ad Sacerdotes*, ſed quod ampliùs eſt, ut Sacerdotibus ſe oſtenderent. *Ite oſtendite vos Sacerdotibus.* Cùm ergo ille vehementer etiam atque etiam deſideraret, ut inæſtimabile Confeſſionis adeò ſalutaris Beneficium intimè agnoſceremus, eidémque debitas ageremus gratias, ideo tantopere à novem iſtis viris recens mundatis grati animi ſignificationem efflagitavit; támque indignè ruſticam illorum oblivionem tulit. Nollem equidem potiori jure modò etiam contra nos Chriſtum querendi habere anſam, metuo tamen; quis enim eſt, qui, quantum par eſt, hoc ſalutis æſtimet balneum, ab ipſo Salvatore, ſuo ipſiusmet Sanguine præparatum, quotiescunque à Sacerdote abſolvitur; Quamobrem neceſſe erit, uſ[que] adeò pluribus diebus diligenter admodum de hac materiâ ego diſſeram, vos verò, ut attentas mihi aures præbeatis.

II. Non credo, in ullo alio à Deo nobis præſtito Beneficio adeò divinas elucere prærogativas, quàm in Confeſſione Sacramentali. [Quia ve]rò nimis longum foret, de omnibus ſermocinari, ſingillatim de ſolis duobus diſſeram, Omnipotentiâ ſcilicet, & Bonitate. Non ita pridem Princeps quidam Italusin æciam prodituros, argutum hoc dictum expanſis vexillis inſcribi curaverat: *Nec manus deeſt, nec animus.* Unde, ſi bona ejus veniâ licet, ad ſcopum noſtrum ſimilem ejus cogitationi efformare effigiem, deſidero, ut Pœnitentia, ſimili hodie vexillo expanſo, ſinat me agere interpretem ejus Lemmatis; vobiſque palàm facere, quomodo in beneficio Pœnitentiæ ſingulari ratione Manus Dei concurrat, id eſt Omnipotentia; & Animus, ſeu Cor, ejuſdem inquam Dei Bonitas.

III.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

I.

III. Primò quidem operam ſuam confert Omnipotentia: quandoquidem illa magis, quam unquam hìc peccatum quærit deſtruere. Conſiderate, quomodo fermè res quævis facilius corrumpatur, quàm producatur. Atque ut hinc longè non abeamus, Templum hoc, in quo ſummus, intueamini; quod putatis dies ad tantam molem educendam fuiſſe neceſſarios; Proh! qui ſumptus, quot contractus, qui labores; Nihilominus exiguus [illegible] terræ motus ſufficeret ad id totum in lapidum congeriem reducendum. Aliter ſe res habet cum peccato. Summâ ſemper cum facilitate id committitur: unus enim aſpectus, unicum verbulum, unica cogitatio ſufficit ad illud complendum; quando verò commiſſum eſt, ah quàm ex naturâ ſuâ difficile eſt illud reducere ad priſtinum non eſſe! Tam difficile eſt, ut ex omnibus creaturis poſſibilibus nullam vim habeat illud abolendi. Si te integer mons obrueret, verum eſt, tibi non ſuppetere vires, ut ſolus eum à te excutias, tèque ab incumbente mole liberes. Quòd ſi verò omnes mortales conſpirarent ad operam tibi ferendam, facilè per illum viam tibi aperirent; multòque magis ex Angelorum numero aliquis licèt ſolus, id præſtare poſſet, vix ullo conatu adhibito. Sed non ſic ſe habet peccatum. Poſito, quòd omnes ſimul Patriarchæ, omnes Prophetæ, omnes Apoſtoli, omnes Martyres; omnes Confeſſores, omnes Virgines, omnes Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Cherubini, Seraphini, verbo, tota Militans Eccleſia & Triumphans, quanta quanta eſt, ſimul omnes vires ſuas conjungerent; omnis, inquàm, hic conatus, & quidquid præterea roboris & virtutis creatæ excogitare poteſtis, minus ſufficiens eſſet ad unicum peccatum deſtruendum, quàm formicæ alicujus impulſus ad Alpes commovendas. Nullum ſupereſt remedium. Qui in peccatum lapſus eſt, æternùm ſub illo hæreret, ſi manum ſuam non applicaret Deus; ad pondus illud immenſum ab eo removendum. Hinc Davidi per Prophetam Nathan dictum fuit. *Tranſtulit Dominus peccatum tuum à te*, ut pœnitens hic Rex agnoſceret, vim ab Omnipotentiâ adhibitam, auferendo immobilem ab humeris ejus contractæ noxæ molem, nullâ illâ, quàm virtute divinâ dimovendam. Ad eijciendos Cœlo prævaricatores Angelos, canebat Beatiſſima Virgo, uſum eſſe Deum brachio ſuo: *Fecit potentiam in brachio ſuo.* Ibi verò, ſi quod res eſt, advertere volu- *Luc. 2. 51.*
mus, uſus eſt Deus brachio ſuo Metaphorico, id eſt, Sancto Michaële Archangelo, primo ſuo miniſtro, qui cum Angelis, quorum adhuc fides integra, ſub ſua ſigna collectis, nervòque & numero rebellium exercitu ſuperioribus, Luciferum cum omnibus ſuis ſequacibus debellavit. *Diſperſit ſuperbos mende cordis ſui.* Aliud eſt, quando de impugnando agitur peccato, ſicut peccatum ipſum, non verò ſolus ille, qui peccavit, diſpe-

reat. Tum enim Metaphoricum Dei
brachium non ſufficit: Naturali opus
eſt, ad quod olim alluſit Iſaias, quando
Iſ. 51. 9. dixit, *Conſurge, conſurge, induere forti-
tudinem brachium Domini.* Hic enim
omnium poſſibilium creatorum cona-
tus & ſtudia ſimul conjuncta actum
agerent: ipſa Omnipotentia Deo pro-
Iſ. 43. pria requiritur. *Ego ſum, qui deleo ini-
25. quitates tuas propter me.*

IV. Pauci interim ſunt, qui ſeriò
cum Davide magnam illam, quam
Deus in peccato per Pœnitentiam de-
lendo exercet, potentiam perpen-
Pſ. 70. dant: *Introibo in potentias Domini.* plu-
16. rimi tantùm obiter rem iſtam conſi-
derant: & quia tam facili negotia â
Deo, & Sacerdotis quidem operâ,
qui tandem & ipſe homo eſt, de-
letur, parvi æſtimatur. Sed quantum
hæc æſtimatio à vero aberrat? Quod
enim facilitatem attinet, hæc potiùs
evidenter non exiguam, â Deo contra
peccatum in Confeſſione exertitam
virtutem demonſtrat, ſed ſummam
omnino. Quandò velociùs pondus
aliquo amovendum eſt, tantò vali-
dior debet eſſe machina, à qua dimo-
vetur. Cùm verò peccatum ſit pon-
Pſ. 37. 5. dus immenſum, *onus grave*, fateri
oportet, infinitam eſſe brachij iſtius
virtutem, quod in inſtanti illud amo-
vet. Mundus magni facit Alexan-
drum; quia is decem annorum ſpacio
plurimas excidit urbes, plurima ſolo
æquavit munimenta, vaſtavit Provin-
cias, potentiſſimos internecione de-
levit exercitus, complures ſibi ſubje-
1. Mach. cit Nationes. *Accepit ſpolia multitu-
1. 3. dinis gentium.* Quanto tamen potiori
jure, titulus Magni, illi conveniret,
ſi omnia hæc ſolo labiorum motu ef-
ficere potuiſſet? Id verò, & infinitis
amplius, Deus operatur in Confeſ-
ſione. Solo paucarum vocum ſono
à Sacerdote prolatarum rem facit
majorem, quàm ſi alium Mundum,
iſto multò grandiorem, & venuſtio-
rem conderet. Ratio eſt, quia ju-
ſtificando peccatorem non ſolùm
Mundum aliquem, multò ſublimio-
ribus & ſplendidoribus perfectioni-
bus præditum efficit, quæ cuivis uni
cum gratiâ conferuntur, ſed format
illum, ex magis terrâ & tenebroſo
abyſſo, quale eſt terribiliſſimum cul-
pæ nihilum, extrahendo.

V. Nec quia tam magnam homi-
nibus communicavit poteſtatem, illa
deſinit eſſe diviniſſima; quia à Chri-
ſto deſcendit, quam immediatè à Pa-
tre accepit. *Pater omne judicium de-* Jo.
*dit Filio.* Et immediatè etiam com-
municat Sacerdotibus, dicendo illis,
quidquid ſolveritis ſuper terram, ſo-
lutum etiam erit in cælis. Quamli-
cèt homo ſit, qui abſolvit à peccatis,
illâque abſolutione plusquam infer-
nalia deſtruit monſtra, nihilominus
quia tanquam Dei locum tenens ab-
ſolvit, ideo poteſtas ejus omnino di-
vina æſtimari debet. Verum eſt, aquas
thermarum variis mederi morbis; ſed
quia hanc virtutem hauriunt à ſubter-
rancis metallorum venis, quas per-
meant, ideo hæc earum virtus & ef-
ficacia tanti fit, quanti ipſa virtus me-
tallorum propria, à qua derivatur. O
quanta ergo res eſt Confeſſio! Si
Deus vobis oculos aperiret ad ſtupen-

dum hanc efficaciam intelligendam, dum cernitis Sacerdotem elatâ ſupra vos manu verba hæc auctoritatis pleniſſima pronunciantem, *Ego te abſolvo*, ſtupore attoniti in terram caderetis, nec ampliùs in cordibus veſtris remaneret ſpiritus, quo aliquid aliud in terris mirari poſſetis. Noſtra verò in peccati malitiâ pernoſcendi hebetudo impedit, quò minùs magni hujus Sacramenti potentiam, ut decet, admiremur, quod tantâ cum facilitate venenum alioquin immedicabile tollit & diſperdit.

VI. Interim dum noxas enumeraturi acceditis Sacerdotem, & initio, ut laudabilis mos obtinuit, dicitis, *Confiteor Deo Omnipotenti*, memineritis Matrem Eccleſiam, hæc ori veſtro verba ingerere, ut intelligatis; divinæ opus eſſe Omnipotentiæ, culpis veſtris vos exonerare; ideóque quantò gratiores pro hac gratiâ eſſe debetis, tantò quoque cautiores eſſe oportet, ne in futurum redeuntes ad vomitum tali favore indignos vos reddatis. Et quòd hoc ita ſit, rem auditu judicio veſtro fortè incredibilem, ſed certiſſimam. Omnipotentia divina peccatori ignoſcendo, cúmque juſtificando majorem exerit potentiam, quàm cùm omnes Diabolos, omnéſque, quotquot demum ſunt, damnatorum animas in gehennam præcipitavit; quemadmodum absque ullâ comparatione multò majus foret prodigium, ſolum aliquod flumen versùs ſcaturiginem ſuam retrogere, quàm omnibus Mundi fluviis in mare ſe effundendi curſum relinquere, Unde ſi ſupra Inferorum portas ſapienter hæc incideretur epigraphe, quam olim Pharao nolens volens protulit: *Digitus Dei hic eſt*; ſeu: *Hic ad rebellem caſtigandum populum dextrâ ſuâ digito Deus utitur*: è diverſo in ſacrorum Tribunalium apice hic Davidis verſus rectiſſimè exararetur: *Dextera Domini fecit virtutem.* Non enim magna eſt illa potentia, quam Deus contra peccatores demonſtrat, quandò in perditionem illos ſinit præcipitari (eſt enim hæc à naturâ ipsâ peccato decreta) at verò immenſa & infinita eſt illa, quam exhibet, quando eorum aliquem ab exitio revocat, & pro eo, quòd illum in nihilum redigat (quemadmodum omni momento mereretur) peccatum potiùs ab eo admiſſum penitus abolet & extinguit. Certum eſt, Eccleſiam verbis hiſce diſertiſſimis laudare Deum. *Deus, qui Omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas*, non puniendo, ſed parcendo; non mactando, ſed miſerendo, quia major quoad nos divini brachij exeritur vis, ubi illud majus in operando obſtaculum ſuperat.

II.

VII. Quòd ſi in beneficio Pœnitentiæ adeſt Dei manus, non minùs etiam ibi cor Dei apparet: æqualis enim eſt Potentiæ immenſa illa Bonitas, quæ hic manifeſtatur. Magnus fuit certè amor ille, quo in hominem Deus ferebatur, quando à Principio Mundi poſt infauſtum culpæ naufragium hanc illi pœnitentiæ tabulam

porrexit, quâ ad littus appellere poſſet, damnúmque reſarcire. Major nihilominus fuit absque comparatione illa Bonitas, quâ hanc ipſam tabulam, tanquam grandiorem aliquam navem, ipſi variâ placuit, ut ſic loquar, inſtruere ſupellectili; ſimplicem pœnitentiæ virtutem ad Sacramenti dignitatem evehendo, cujus virtute ipſemet Chriſtus ſpeciali modo in dies nobis fit Sapientia, Juſtitia, Sanctificatio & Redemptio, juxta illud 1. Cor. 30. Apoſtoli: *Chriſtus factus eſt nobis Sapientia à Deo, & Juſtitia, & Sanctificatio, & Redemptio.* Fit nobis Sapientia, dum culpas noſtras ſcrutamur; mali enim commiſſi gravitatem nos docet agnoſcere. Fit Juſtitia, dum noſmet accuſamus; infundit enim dolorem, & propoſitum ad Sanctificationem ſufficientia. Fit nobis Sanctificatio, dum liberi pronuntiamur; cùm gratiam tum reſtituat ſanctificantem. Fit Redemptio, dum præſcripto à Sacerdote pœnali opere ſatisfacimus: quia de ſuo ſupplet, quidquid præter id, quod agimus, ad ſatisfaciendum cæteroquin requireretur. Profectò ſi ad tolerandum vel tantillo temporis ſpatio peccatorem immenſa Dei requiritur Miſericordia, quâ tandem Miſericordiâ opus erit ad veniam illi dandam? In Magnatibus non eſt rarior virtus, quàm tolerantia, præcipuè verò injuriarum. Quòd pauper aliquis homo eas ferat, mirandum non eſt; quis enim neſcit, aquas omnes deſcendere in valles, nec ideo valles conqueri? Sed quòd Princeps aliquis easdem patienter toleret, qui celſiſſimi inſtar montis communem excedit hominum conditionem, prodigio eſt ſimillimum. Quapropter illa Philippi Secundi Regis Hiſpaniarum patientia magni fuit æſtimata, quando, prolixis ad Pontificem Maximum propriâ manu ſcriptis literis, cùm Ephebum juſſiſſet injicere pulverem arenarium, ille verò incuriâ atramentum affudiſſet, nihil aliud repoſuit, quàm: *alia ergo exaranda eſt Epiſtola.* Error tamen hic non ſtudioſâ negligentiâ, ſed à dormituriente, & in ſeram noctem vigili adoleſcente admiſſus eſt. Cæterùm quis eſt ille Regum, qui à ſubditorum aliquo injuriam ſtudio & datâ operâ ſibi illatam, æquo ferat animo? Leges infamem pronuntiant, quicunque pro læſæ Majeſtatis reo intercedere præſumit: imò non ita pridem in Galliis præcipuæ nobilitatis Vir viginti annorum carcerem, & quidem ſtrictiſſimum perferre debuit, ſolùm quia in quorundam nobilium coronâ non ſatis advertens, quid diceret, hæc verba protulit: Hac nocte ſomniavi à me Regem interfici. Tanti etiam magni Principes injurias ſibi illatas faciunt, ut etiam de iisdem ſomniare crimini ducant; indignum etiam ſit & infame, intercedendo illas remiſſione & gratiâ dignas judicare. Qualis ergo erit illa ac quanta Bonitas, quâ Majeſtas infinita nonſolùm Proditores ſuos in terris tolerare dignatur, ſed etiam denuo in gratiam recipit, conſtanti & ex animo datâ per Confeſſionem veniâ, omnia eorum peccata quaſi lapidem ponderoſiſſimum in maris abyſſum projiciendo,

unde

unde nunquam exiſtere queant. *Projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.*

VIII. An fortè ob talem veniam ingentem aliquam ſatisfactionem & dolorem exigit? certè & ſatisfactionem, & dolorem requirit; non enim juſtum eſſet, ſi hæc non deſideraret; utrumque tamen menſurâ valde moderatâ. Ad ſatisfactionem quod ſpectat, tam leves ſunt pœnitentiæ à Confeſſariis, plusquam deberent nonnunquam debilitati pœnitentium compatientibus, ante abſolutionem injungi ſolitæ, ut vix pœnitentiæ nomen mereantur. Quod ad dolorem, olim ex neceſſitate perfectus contritionis dolor requirebatur, nunc verò in Lege novâ etiam dolore imperfecto, qui Attritio vocatur, Deus contentus eſt; ita ut etiam prodigos in amicitiam ſuam recipiat filios, qui non ex amore, ſed utilitatis propriæ ſtudio ad ipſum revertuntur. Ruſtico cuidam in pratis dormienti vipera per os in ipſum ſtomachum penetraverat: ad quod evigilans miſer ex convulſionibus, quos patiebatur, advertit, quàm noxium hoſpitem intra viſcera ſua recepiſſet. Sed qua tandem arte illam ejiceret, quæ in rabiem acta unico ſolùm morſu mortem in ſinum evomere poſſet? Quare induſtriâ experti cujusdam Medici factum eſt, ut miſer hic è pedibus ſuſpenderetur, catino lacte pleno prope ejus os appoſito. Statimque deſideratus ſecutus eſt effectus. Siquidem Vipera odore lactis attracta, ſponte faucibus egrediens in appoſitum ibi vaſculum inſiliit. O ſuavem Induſtriam, quæ medicinâ adeò delectabili malo aliàs non medicabili remedium attulit! At talis Medicus ſuam non præſumat cum amabiliſſimâ Dei inventione in comparationem adducere, quâ abſque damno maledictam peccati mortalis viperam non caſu, ſed datâ operâ, non per os, ſed ipſam mentem immiſſam, non ima ſtomachi, ſed cor ipſum penetrantem, ab animâ citra omnem noxam expellit. Deus enim arte ſummæ charitatis pleniſſimâ peccatum extrahit, quemadmodum obſtetrix aliqua commiſerans horrendum Draconem, in ſinu conceptum, ex parturientis feminæ viſceribus eriperet. Ita ipſemet Deus per os Jobi loquitur. *Obſtetricante manu ejus, eductus eſt coluber tortuoſus.* *Iob.* 25. 11. Totum verò hoc præſtat ope balnei, quod verè lacteum dici poteſt, cùm tam facilè ſit, támque dulce, támque ſpirituali plenum conſolatione, ut præ illo omne lac deſipiat.

IX. Omnino bilem mihi movent illi Chriſtiani, qui Confeſſionem onus eſſe graviſſimum conqueruntur. Quàm grave eſt, inquiunt, homini abdita proprii cordis manifeſtare, ita ut ne quidem ſecretiſſimas cogitationes celare liceat! Et hoc durum vobis videtur, in malo adeò deſperato, quale eſt cujusvis peccatoris, tam promptum reperire remedium? Non crediderim, Mulierem, quæ dum filium gignere deberet, ſerpentem generavit, contra obſtetricem ſuam, quaſi minùs humanam, lamentaturam, quòd parvâ quâdam cum violentiâ, ex utero,

in quo cum evidenti mortis matris adeò infelicis periculo latuerat, venenatam beſtiam evulſerit. An cogitando aſſequimini, quid agatur, quando de remittendo peccato ſermo eſt? Revocate in memoriam, quæ priùs dicta ſunt, pudebitque vos in illorum adhuc eſſe numero, qui, ut Propheta loquitur, laborem quærunt in præcepto, & non inveniunt. Cogitate, quanto labore Chriſto conſtiterit Sacramenti hujus inſtitutio: quod nobis, ut dixi, eſt balneum lactis, hoc totum ipſi fuit balneum Sanguinis. An ignoratis, quanto Chriſtus pretio tria ſola hæc verba comparârit, quæ in fine Confeſſionis veſtræ pronuntiat Sacerdos, *Ego te abſolvo*? injuriis, alapis, ſputis, verberibus, calcibus conſtiterunt innumeris: ſpinis conſtitêre ſeptuaginta, quæ intima ejus tempora penetrârunt, ſexies mille, & quod excedis verberibus, quæ abſque miſeratione totum corpus dilacerârunt; tribus conſtiterunt clavis, à quibus trihorio in cruce ſuſpenſus incredibili dolorum, irriſionum & injuriarum abyſſo merſus vivere deſiit. Hoc eſt illud trium verborum pretium? Et vos tam parvi facitis Pœnitentiam, tantúmque putaris onus tam precioſis, quàm ipſius Dei vita eſt, vos aquis immergere? Nimium non eſſet pro abſolutione obtinendâ, ſi coram numeroſiſſimo cœtu altâ voce & apertâ facie graviſſima quæque veſtra delicta revelare deberetis: cogitate, obſecro, an nimium ſit peccata ſua in ſecreto confidere Sacerdoti, cui ſæpe confitens ſit ignotus? aut licèt noſcant invicem; qui non poſſit non compati, ſuorummet ſibi ipſiuum conſcius? Aut ſi non compatiatur, Saltem ſummo cum rigore obſtrictus eſt ad arcani fidem ſervandam, etſi ex eo ſilentio totius humani generis excidium conſequeretur.

X. An neſcitis, quomodo reos ſuos tractent noſtra tribunalia? agatur aliquis perpetrati homicidii reus: hunc è veſtigio Judex, licèt indiciis non nimiſſimis fultus, per apparitores, etiam in loco publico, prehendi jubet, vinctúmque ſtrictiſſimè, claro die, per publica compita, inſpectante omni populo in tetrum carcerem conjicit. Quid inquam, carcerem? in ſepulchrum potiùs dixiſſe debebam, adeò tenebroſus eſt, profundus, fœtore & horrore plenus; ibi miſer ſolus, ſine conſilio & ſolatio, per multos ſæpe menſes relinquitur, ut interim certius aliquid de ejus delicto reſciatur. Tandem ſqualore mediâ jam ſui parte putrefactus; infami antro extrahitur, examiníque ſiſtitur, nonnunquam multa cum fraude inſtituto, ut, quemadmodum bombyx ore proprio ſua ſibi funes texit, morti ſeipſum involvat. Quod ſi, de quo accuſatur, delictum protervè negat, ab interrogationibus ad tormenta proceditur. Iis injectis in brachia vinculis, ſublimè oportet pendere è ligno, tanto dolore, ut Rei plurimi, potiùs ſummâ cum ignominiâ, malint è furcâ eſſe penduli, quâm vitam tot pœnis & doloribus redimere. Hoc in ſtatu miſerationis loco miſer ille impetitur objurgationibus: alius neſcio quæ illi exprobrat,

alius

alios terret; alius, niſi veritatem fateatur, ut ipſo in equuleo vitam finiat, ſe permiſſurum minatur. Jam verò, ſi veritatem manifeſtat, à Cataſtâ quidem ille liberabitur, non tamen aliud ei ſuper eſt ſolatium, quàm retrudi in carcerem, prioribus denuo vinciri compedibus, intraque paucos dies pro confeſſionis ſuæ præmio patibulum expectare. En quàm ſeverè juſtitia humana animadvertat in reos. Comparate nunc hunc cum illo, quo Divinæ Juſtitiæ ſatisfit, agendi modo, & quæſo, ſi tantum animi ſuppetit, repetite; Confeſſionem Sacramentalem, onus eſſe intolerabile. Doleréne forte latro ille; qui cùm à Judice publicè poſſet plebis exponi ignominiæ, compingi in carcerem, trahi ad tribunalia, torqueri, & ad mortem ſubeundam condemnari, doleréne, inquam, ſi in ſecreto, Viro alioquin honeſto ſcelus ſuum patefacere, & ab eodem ore diem Sabbati ſalutari jejunio tranſigere juberetur? Quomodo igitur conqueri poſſunt Chriſtiani, cum illis plus pro pœnitentiâ non imponatur, poſtquam tamen honorem Deo auferre, contra Majeſtatem ejus conjurare, & cum Dæmonibus, Diadema illius è capite tollere conati ſunt? Sedulò quæſo, veritatem hanc perpendite, videbitisque tandem Confeſſionem levius eſſe onus, quàm aquilæ ſuæ ſint pennæ.

XI. Accedit, hoc qualecunque onus divino conſilio, ſummoque amore ad majorem utilitatem noſtram à Chriſto electum eſſe, ut non tantùm à malo liberemur præterito, ſed etiam à futuro præſervemur. Si natura in floribus, & fructibus ſuaviſſimis morbis noſtris paràſſet remedia, quis intemperans ampliùs timeret morbo tentari? quia verò omnia pharmaca ſtomacho ingrata ſunt, & nauſeam movent, hæc ipſa præviſa moleſtia, in ſanitate; nimio cibo potúve lædenda, cautos nos reddit, & circumſpectos. *Ita hoc quoque, quod odimus, hominùm cauſâ excogitatum eſt.* [Plin. l. 42. c. 6.] Ita & in re noſtrâ argumentari licet. Sicut natura ipſorum pharmacorum noſtro bono horrorem nobis indidit, eodem modo nobiſcum egit gratia, Confeſſioni aliquam aſpergendo amaritiem, ut illa ipſa innatas refrenet ad relabendum propenſiones. Et re ipsâ, teſtantibus ipſiſmet Hæreticis, in quibus urbibus Confeſſionem aboleverant, tanta eſt ſecuta morum perverſitas, ut Norimberga, teſte Soto, ſolemni legatione Carolum Quintum Imperatorem rogârit; [in 4. Sent. d. 18. q. 1. ar. 1.] dignaretur auctoritate ſuâ ejus uſum denuo inducere; parati ſcilicet ab hommine accipere jugum, quod à Deo impoſitum, ut intolerabile, antea recuſârant. Ecce igitur quam ob cauſam voluerit Chriſtus tantillum hoc pudoris miſcere Sacramento Pœnitentiæ, quod vos cruciat. Oſtenſum proinde eſt, eum potiùs humaniſſimè & benigniſſimè cum animabus noſtris egiſſe. Sicut Chirurgus ille nunquam luculentiùs miſerationem ſuam patefacit, quàm cùm plagæ virulentæ cruorem non confeſtim ſiſtit, ſed quantum poteſt, ambabus manibus exprimit, gaudetque illum copioſè promanare, non neſcius, ubi ſanguis ſtillare deſierit

con-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

contagioſam etiam humorem è vulnere facilè exprimendum. Quare ſi me auditis impoſterum onus Confeſſionis vocibus, tam alieno ſenſu intellectis, ne quæſo exaggerate; ſed potiùs immenſam Dei bonitatem admiramini, debitàſque ob eandem gratias agite.

XII. Maximè, cùm omni ex parte Bonitatis tantæ finem nullum circumſpicere poſſitis; Quia ſi pauperculus aliquis injuriis affectus omne viro Nobili pacis, cum adverſario ineundæ arbitrium ægrè permittit: quis unquam credidiſſet, Deum infinitum & immenſum ad reſtaurandam nobiſcum, viliſſimis terræ vermibus pacem, omne jus ſuum, & offenſæ compenſationem arbitrio & voluntati hominis alicujus permiſſurum? Quin ſaltem ad certum peccatorum numerum, quo completo ſolvi porrò à noxis homo non poſſet, aut ad quandam peccatorum ſpeciem, abſolvendo jus reſtrinxit? Ecquid non, ut ſemel duntaxat in vitâ, aut unico Mundi loco, Romæ e. g. in Primariâ Religionis ſede, aut ab uno ſolo homine, Vicario, verbi causâ, Chriſti Romano Pontifice, conſtituit? Non hos patitur Chriſti amor limites, in omni loco, omni tempore omnibus peccatoribus, ab omnibus Sacerdotibus approbatis, injurias ſoli Deo reſervatas, remitti voluit. (*Quis*
Luc. 5. 22. *poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?*) Miſericordiâ tam ſtupendâ, ne dicam prodigiâ, ut ſancta Eccleſia, Redemptoris noſtri Sponſa, tam amplæ Sacerdotum auctoritati aliquos ponendos limites judicârit, uſum ejusdem quibusdam, in certis caſibus relinquendo, aliis eandem reſtringendo: ne facilitas illa, quemadmodum non ratò evenire ſolet, ſit occaſio peccandi. Quæ igitur, ſi hæc non vincit, vincet juſtitiam Miſericordia, tantopere in *SS.* Literis commendata?

XIII. Audite. Hoc, in quo degimus, ſæculo Salamancæ in Hiſpaniis fuit mercator, opibus quondam nulli populo ſuæ conditionis inferior. Perverſâ tamen ludendi aſſuetudine tandem ad incitas reductus, ſpem omnem abjecit. Quare ſepoſito omni Dei timore, imò pluſquam diabolico contra ipſummet Deum odio concepto, ſtatuit quanta unquam poſſet, admittendum Deum, peccata admittere; omnes, quæcunque in mentem venirent, evomere blaſphemias, omnibus poſſibilibus eum injuriis ludibrio habere, ut hac ratione quoquo modo vindicaret illatam ſibi, ut putabat, injuriam in infauſtis ludi provocationibus. Et quia ne ſic quidem belluinus hujus deſperati hominis furor ſedabatur, Summam *Doctoris* Navarri comparavit, ut ejus libri lectione omnes caſus illos addiſceret, quibus homo Deum graviùs offendere opere, aut ſaltem deſideriis unquam poteſt. Denique majores quotidie in avernali hac temeritate progreſſus faciendo, eò impietatis & malitiæ devenit, ut ſua unius peccata numero & enormitate cæterorum omnium mortalium peccata vincere percuperet; utque magis Deo inſultaret, horrendis illum ad ſe caſtigandum modis laceſſebat, quaſi ad vindicandum ſe impotentem deridebat, ſpernebàtque, quòd nondum ultrices

[...]s manus ad eam diem expertus eſſet. In hoc tam miſerabili ſtatu miſer ille nunquam animum Confeſſione expiavit; cùm in mentem illi venit, ſe numerum & enormitatem peccatorum ſuorum augere poſſe, ſi ſacrilegè confiteretur; tali enim Sacrilegio majori cum protervià ſe Sanguinem Chriſti calcaturum: quare non diu moratus, Confeſſarium adit, eo quidem animo, ut eidem imponeret mentiendo, & in ipſo S. Spiritui fucum faceret. Quia verò cor ejus inſtar maris turbulenti agitabatur, tam ſecretè diſſimulare non potuit, ut non inſolitum animi turbationem ſolers Confeſſarius adverteret: quare ſuſpicatus, pudore forſan pœnitentem præpediri, quo minùs atrocius aliquod flagitium enarraret, Dei bonitatem & Sacramenti efficaciam exaggerare cœpit, idque tanto cum fervore, ut Mercator ille ſuſpirare cœperit & dicere: O ſi verum eſſet, omnes maculas meas Confeſſione poſſe elui! & quidni? reſpondit Confeſſarius. Etſi omnia Salamancæ, imò totius Mundi peccata ad hoc adduxeris tribunal, dummodo ex toto corde de ijsdem doleas, momento ab omnibus te poſſum abſolvere, efficeréque, ut te quamprimum Deus in ſuam gratiam recipiat. Opportunis itaque argumentis, magis verò blandâ & prudenti familiaritate hominem induxit, ut perditiſſimæ conſcientiæ ſuæ ſtatum integrè patefaceret, promitteretque, per aliquot dies ſe accuratiùs conſcientiæ intima excuſſurum, quo integritati Confeſſionis ad amuſſim conſuleret. Rediit ſubinde ad Judicem, ut promiſerat, ab eóque abſolutus, in delictorum ſuorum pœnam habitum religioſum induit: elapſis eo in ſtatu tribus annis moritur, ad extremum uſque divinam prædicans Miſericordiam, luculentis paſſim impetratæ peccatorum veniæ ſignis relictis. Quis veſter de hoc eventu ſenſus, Chariſſimi? An non hic ſolus ad fidem hactenus à me dictis faciendam ſufficeret? Sed adhuc majora reſtant: non enim tantùm ſuam in peccatis omnibus condonandis Deus monſtrat benignitatem, ſed etiam eandem, omnia, quibus peccando voluntariè exciderat, bona peccatori reſtituendo, manifeſtat.

XVI. Olim Romæ apud Gentiles in more poſitum erat, Virginem Veſtalem in crimine deprehenſam, cum omnibus veſtibus ſuis, gemmis & ornamentis vivam ſepelire; quantò magis hoc modo anima peccatrix, quæ Chriſto Sponſo ſuo fidem fefellit, tractari mereretur? Nihilominus hic Sponſus tantopere offenſus incomprehenſibili amoris exceſſu animam adulteram priſtinæ dignatur reſtituere dignitati, eique omnia amiſſa reddere ſpolia, id eſt, omnes habitus bonos, omnes virtutum gemmas, omniaque ſanctorum operum ornamenta, quæ peccando amiſerat. Conſiderate igitur, peccato tria bonorum genera ab animâ auferri; vitam, honorem & divitias. Vitam ipſi aufert, quia Deum aufert, qui plus eſt animæ vita, ut inquit Sanctus Auguſtinus, quàm anima ſit vita corporis. *Ipſe eſt vita tua.* Deut. 30. 20.

*rua.* Honorem aufert, quia peccator, qui, antequam gratiam perderet, divinæ per gratiam conſors erat naturæ, ut loquitur Sanctus Petrus,
Pſ. 84. 13. ipſis beſtiis ſe viliorem reddit: *Cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Denique omnes aufert divitias, præterita bona opera omnia ad inſtar peſtis perimendo, quæ ne quidem ipſis infecti veſtimentis parcit. Hæc verò omnia mala, ſummâ cum ſuavitate & abundantiâ reparat Confeſſio. Vitam reddit, quia de quolibet pœnitente dici poteſt, quod de redeunte filio prodigo dictum fuit.
Luc. 15. *Mortuus erat & revixit.* Honorem reddit, quia tanquam lilio vitorem
Iſ. 35. 1. reſtituit. *Florebit quaſi lilium.* Non ignoratis, lilium eſſe pulcherrimum Virginitatis Symbolum. At anima reſipiſcens non erit verè lilium, ut inquit Iſaias, *ſed quaſi lilium.* Quia
S. Th. 3. p. q. 89. a. 5. exigua erit differentia inter candorem, quem adfert Innocentia, & illum, quem reddit Pœnitentia. Si tamen non nimis parùm dixi, pœnitentes innocentibus comparando, quos his anteponere debebam: Fides enim me docet; virtute Confeſſionis & Pœnitentiæ illi junctæ (quemadmodum Chriſtus promiſit) in Regno cœlorum multas meretrices præ multis Virginibus, quæ nunquam peccaverunt, multò ſublimiorem locum obtenturas. Denique Confeſſio perditas etiam reddit divitias, ideóque aſſerit Pro-
Thren. 5. pheta, *Innovabis dies noſtros ſicut à principio*, omnes erudiendo, quòd in hoc Sacramento nonſolùm reparemur, ut dictum eſt, dum vita nobis & honor redditur, ſed etiam dies noſtros reſtitui, ita ut quaſi revertantur, & de novo fluere incipiant, nobisque opera meritoria peccati lue ablata referant.

XV. Non apparet, quid de Bonitate Dei in ſanctâ Confeſſione exhibitâ ampliùs dici poſſit; nihilominùs adhuc aliquid ampliùs reſtat: quia non ſolùm per illam perdita acquiruntur, ſed etiam tantum novæ obtinentur gratiæ, ut anima, multò quàm erat antè, ditior evadat: unde ſicut Hebræi fugientes ex Ægypto, plures ſecum facultates tulerunt, quàm cùm in … intrantes intulerant: *Eduxit eos cum argento & auro*, ita peccatum Confeſſione expiatum plus adfert gratiæ peccatori, quàm ante lapſum poſſidebatur. Etſi priùs etiamnum innocens currebat ut homo, poſtea in Confeſſione roboratus, jam Pœnitens currit quaſi cervus, ut loquitur Iſaias Propheta: *Tunc ſaltet ſicut cervus claudus.* Et quòd hoc ita ſit, conſiderate, quomodo Sanctus Petrus poſt impetratam ſibi veniam plus animi habuerit, quàm antequam peccavit. Etenim antequam Chriſtum negaret, non audebat eum, niſi per Joannem, diſcipulum præ alijs Chriſto chariſſimum, interrogare. Poſt negationem verò ipſemet, vel de ipſo Joanne, quâ morte vitam finiturus eſſet, interrogare non timuit. *Hic autem quid?*

XVI. Ecce igitur, an non in Confeſſione nonſolùm eſt Manus Dei, id eſt, Omnipotentia ad deſtruendum maximum illud peccati malum, ſed etiam

con

tor ejus amabiliſſimum, id eſt, Miſericordia & Bonitas ejus infinita ad malum culpæ bono æquali vincendum. Profectò qui profundè hanc penetrat veritatem, non poteſt facere, quin exclamet: *Multus eſt Deus ad ignoſcendum!* quandoquidem ubi de peccatore in gratiam recipiendo agitur, ut ſit ille in Confeſſione, certo quodam modo plusquam unus videtur eſſe Deus, ita ut non ſit idem Deus, qui eſt offenſus, & qui ignoſcit: ita enim ignoſcit, quaſi nunquam ullâ fuiſſet injuriâ laceſſitus: *Multus eſt ad ignoſcendum.* Tot nihilominus Chriſtiani, Chimicorum more è lacte extrahentes venenum, tam facili, tamque felici Confeſſionis remedio abutuntur, ut majori cum libertate peccent, conſcientiæque remorſibus reſpondeant pulcherrimis his, ſi Deo placet, verbis: *Quid refert, ſi peccavero? iterum confitebor.* Contra hos ſuo tempore integro Diſcurſu pugnabo. Nunc aliud Chriſtianorum genus errorem dedocebo, qui levem ob cauſam prævaricantur, ita ſe purgare ſoliti: *fragiles ſumus:* nec quantas iteratâ Confeſſione ſibi vires acquirere poſſint, conſiderant. Advertite bene, quod dico: ſi Turcæ, Gentiles, aut Judæi eſſetis, forte hæc excuſatio aliquo modo vobis prodeſſet, ſed quia Chriſtiani eſtis, talis excuſatio culpas veſtras non attenuat, ſed auget. An non videtis idem hoc eſſe, ac putare ſe atramento lavari poſſe? at quare? quia de hac ipſâ fragilitate rationem reddere oportebit. Infideles ideo quod peccaverint, rationem reddent: Chriſtiani verò tantis abundantes remediis (quorum præcipuum eſt tam validum tamque uſurpatu facile, de quo dixi, Confeſſionis beneficium.) quod etiam peccare potuerint, reſpondere debebunt. *Et feciſti mala, & potuiſti.* Ier. 3. 5. Cecidiſti, poſtquam toties de terrâ te ſublevavi; debilis fuiſti, poſtquam tantâ te gratiâ roboravi. Chariſſimi, nihil eſt in Religione noſtrâ ſanctiſſimâ, quod magis me terreat, quàm quòd poſt tot Confeſſiones, tot lapſus ſit videre. Unum ex duobus his verum eſſe neceſſe eſt, aut hoſce toties recidivos non ritè confiteri; ideóque gratiam corroborantem non recipere, qui eſt proprius hujus Sacramenti, de quo agimus, effectus; aut ſi recipiunt, illâ adeò abuti, ut propter negligentiam, gravioris culpæ reos ſe faciant. Nolite vos ita agere, Chariſſimi, ſed modo debito hac medicinâ à Chriſto Jeſu, tantâ virtute, & amore vobis præparatâ, utimini, ut hoc ſervati remedio etiam vos cum grato illo leproſo, divino Liberatori veſtro poſſitis dignas reddere gratias, qui vos mundavit; non verò cum novem illis ingratis illum ad iracundiam provocetis.

# DISCURSUS XII.

## *Quàm grave ſit ſcelus, in Confeſſione peccatum ſtudioſè reticere.*

I. MIſeri illi muti, qui inde à primâ ætate uſu loquendi deſtituti ſunt, ferme non ſolùm linguæ, ſed etiam auditûs facultate carent. Muti ſunt, quia ſurdi
Ariſt. l. ſunt: *Surdi à nativitate ſunt etiam mu-*
4. hiſt. c. *ti; & licet poſſint vocem emittere, non*
9. *poſſunt loqui.* Unde talem infelicem Chriſtus curaturus, ſurditati incepit mederi, cauſæque & origini mali remedium applicans, priùs radicem,
Matth. quàm ramos, aggreſſus eſt. *Miſit di-*
7. 33. *gitos ſuos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus.* Video inter Chriſtianos, ejuſmodi mutos non deſiderari, quos cùm peccatores videri pudeat, Sacerdotibus in Confeſſione peccata ſua non aperiunt. Quare ex animâ deſidero, ut, meæ hujus Diſſertationis ope, Deus illis loquendi facultetem reſtituat. Sed quid interim mihi faciendum erit? Remedium directè auditui applicare debebo, & quia ideo muti ſunt, quia ſurdi, priùs illorum aures mihi aperiendæ ſunt; facili deinde negocio linguæ quoque vinculum ſolvetur. Hoc itaque agam, malitiámque muti hujus in Confeſſione ſilentij, ſimul & ejusdem tollendi remedium monſtrabo; tam validis autem clamabo rationibus, ut miſeri tales recuperato auditu ad loquendum ſe præparent, ita ut hodie Chriſto Domino noſtro ſumma illa laus denuo tribuatur, quâ fideles olim turbæ illi acclamabant; *Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.*

I.

II. Geminum in hoc funeſto pœnitentis ſilentio obſervo malitiæ genus: prius eſt ſpecialis injuria, quæ Dei gloriæ infertur: alterum, ſpeciale damnum, quo anima peccatoris afficitur. Ordiamur à primo. Humilis peccati Confeſſio tantæ eſt Deo gloriæ, ut in Scripturis idem ſit confiteri, ac dare Deo gloriam. *Da gloriam Deo*, dicebant Phariſæi cæco à Chriſto illuminato; id eſt, fatere veritatem, quis eſt, qui te ſanavit? *Date Domino Deo veſtro gloriam, antequam contenebreſcat*, inquit Propheta Jeremias; id eſt, confitemini priùs peccata veſtra, antequam moriamini. Clariùs Joſue exhortans Achan: *Da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere.* In quo autem tanta conſiſtit gloria, quæ in Deum ex peccatorum Confeſſione redundet? Conſiſtit partim in honore illo, quem ipſe Deus ſibi exhibet, peccatum quantumcunque enorme condonando; partim in illo, quo Peccator

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cator Deum afficit, verum peccati au-
thorem manifeſtando, cujus veniam
Deus indulſit. *Confeſſio peccantis ad laudem pertinet innocentis, & ad gloriam peccatum dimittentis.* Utramque ejuſce honoris partem clariùs explicabo. Imprimis peccatum ſuum detegere ad laudem innocentis pertinet, hoc modo. Si nobiliſſimus aliquis Principis filius tanquam Patris proditor injuſtè fuiſſet accuſatus, imò etiam afflictæ illi proditionis pœnas dediſſet, propterea quòd illi ob infelicem prælij eventum urbium in manus hoſtiles deditio, patriæque excidium imputatum fuerit: aptiſſima huic innocenti tam fœdè diffamato honorem reddendi ratio foret iſta: ut verus proditor Principis Patris ſe offerens conſpectui in genua provolutus diceret: Ego ſum, ô Princeps, tanti hujus ſceleris auctor, nec eſt ullus alius: Ego fui ille perfidus, ego texui fraudes, ego arcana hoſtibus revelare ſum ſolitus: atque his dictis ex intimo corde veniam, quamvis non promeritam, rogaret. Sic ſe res noſtra habet. Chriſtus Jesus Dei Filius, incognitus in hoc Mundo vivens, quaſi Paterni honoris proditor clarâ in luce, immensâ inſpectante multitudine, in Calvariæ montis jugo, licèt ipſamet eſſet innocentia, condemnatus fuit. *Cum ſceleratis reputatus eſt.* Quare ſi peccator, qui eſt verus proditor, Sacerdotis Dei vices gerentis pedibus advolutus contrito corde ſuæ ſe perfidiæ accuſet, & ut alter David ingemiſcat: *Ego ſum, qui peccavi, ego iniquè egi, vertatur obſecro manus tua contra me.* Talis Confeſſio ritu tam ſolenni, Chriſto, & quod conſequens eſt, etiam Patri cæleſti ſuum reddit honorem, eòque facto clariſſimè Filii Dei innocentiam manifeſtat. Hæc ipſa manifeſtatio eſt etiam illius gaudij motivum, quo de pœnitentiâ peccatoris in cælis perfunduntur Angeli. *Gaudium erit* Luc. 15.
*coram Angelis Dei, ſuper uno peccato-* 10.
*re pœnitentiam agente.* Nonſolum enim ob ſalutem alicujus animæ, tanti à ſe æſtimatæ, ſibi applaudunt, ſed multò magis ob Jesu, Domini ſui Chariſſimi, innocentiam manifeſtatam; qui humili pœnitentis Confeſſione pronuntiatur ab omni omnino maculâ exemptiſſimus. Quantò magis una bilancis pars deprimitur, tantò magis altera attollitur; quantò magis peccator ſe abjicit, tantò altiùs Chriſti honor attollitur. *Confeſſio peccantis ad laudem pertinet innocentis.* Et hæc fuit illa Confeſſio, quæ tantopere in bono placuit latrone: illarum ſe pœnarum reum profitente, quæ adeò injuſtè inferebantur immerenti. *Nos quidem juſtè; nam digna* Luc. 24.
*factis recipimus, hic verò nihil mali* 41.
*geſſit.*

III. At nimis parva eſt illa gloria, quam Confeſſione ſuâ in Deum refundit peccator, ſi cum eâ, quam Deus ignoſcendo dat ſibi ipſi, conferatur. *Confeſſio peccantis, ad gloriam pertinet peccatum dimittentis.* Sciendum enim eſt, Deum extra ſe nullum perinde gloriæ ferax patrare opus, quàm cùm peccatorem veniâ donatum gratiæ reſtituit. Ratio eſt, quia

gloria; quam ex hac remiſſione accipit, gloria eſt victorioſa, & cujuſdam acquiſitionis; id quod in aliis divinis operationibus, licèt infinitè admirabilibus, non contingit. Hæc veritas ſingulari à me diligentiâ explicanda eſt; ex illâ enim admirabilem beneficij magnitudinem cognoſcetis, quod in Confeſſione Deus nobis confert. Sciendum igitur eſt, omnes Dei operationes, ut vocant; extrinſecas, aut ab Omnipotentiâ, aut à Miſericordiâ, aut à Juſtitiâ procedere. Quia ſi ſecundùm ſe ipſas conſiderentur, ab Omnipotentiâ proveniunt; reſpectu verò noſtri aliquando à Miſericordiâ, aliquando à Juſtitiâ proficiſcuntur. A Miſericordiâ quidem, quando ſunt gratuitæ; à Juſtitiâ verò, quando ſunt debitæ. Jam verò brachium Dei non poteſt unquam omnino dici victorioſum, niſi quando pœnitentem in gratiam recipit. Quod inprimis in Omnipotentiâ demonſtro. Si Deus unico verbo tot produceret Mundos, quot Stellæ ſunt in Firmamento, maxima hæc operatio non foret victoria; illud enim nihilum, è cujus abyſſo tot Mundi prodirent, non reſiſtit voluntati divinæ, ideóque cùm non reſiſtat, victum dici nequit. Eodem modo, ſi Miſericordia Dei omnes Juſtos, quotquot in terris reperirentur vivi, aut in flammis purgantibus defuncti, curru igneo ad ſe in cælum raperet; quis neget, opus ſummæ fore Miſericordiæ? Sed non eſſet victoria: quandoquidem gratia, quam poſſident animæ juſtæ, ubicunque verſentur, non tantùm non opponunt ſe gloriæ, ſed eſt ultima ad eam obtinendam diſpoſitio; & eſt inſtar floris reſpectu fructûs, id eſt fructus inchoatus, & gloriæ principium. Si denique Juſtitia divina jam uno impetu omnes ſimul peccatores ad æternas Orci flammas præcipitaret, quemadmodum ultimo illo fatali die faciet, hæc quoque internecina producens clades, victoria dici non poteſt: non enim ad pœnam, quod ſpectat, ullam peccatores vim habent reſiſtendi Deo, minúſque in irati Numinis conſpectu facere poſſunt, quàm autumnali tempore folia adverſus nimbi rigorem. Job. *Contra folium quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris.* 13. 25. Adhæc, hoſtis truculentior, ut eſt peccatum, his pœnis nonſolùm non vincitur, ſed vires, ut pondus in proprio centro, retinet, ſitque perpetuum. Ipſi enim peccatores tunc devicti in inferno ſunt magis quàm unquam rebelles ſunt, ideóque in veritate non ex toto, ſed mediâ ex parte ſubjugati ſunt; non enim, quod apud illos potiſſimum cenſetur, inimica nimirum & obſtinata voluntas, planè devicta & ſub jugum miſſa eſt.

IV. E diverſo conſiderate aliquantiſper perfectam, quam Deus in Confeſſione obtinet, victoriam: Primò Omnipotentia ejus ſummum vincit reniſum à libero Peccatoris arbitrio provenientem; talem quidem, ut eum Deus ægrè ferre videatur, exprobretque, ut quondam Pharaoni, querendo: *uſque quo non vis ſubjici mihi?* Exod. 10. 3. Deus nihilominus, ne quid libertati ho-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

homini, cùm eum conderet, collatæ præjudicet, modos adeò faciles, peccatores ad ſe attrahendi invenit, ut licèt reſiſtere poſſint, tam ſuavi tamen inducti violentiâ ſe omnino dedant. *Et ego ſi exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipſum. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui me miſit, traxerit eum.* Non quòd Deus cogat peccatorem, aut invitum trahat quocunque ipſi lubet, quod falſiſſimum eſt, ſed quòd peccatorem inducat ad volendum, quod antè nolebat. *Non reſiſtentem invitúmque compellit*, inquit Sanctus Proſper, *ſed ex invito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem reſiſtentis inclinat.* Et hæc præclariſſima eſt victoria, non vi portam domûs perrumpere, ut quandoque etiam extranei faciunt, ſed ſuâ illam clavi aperire.

V. Eodem modo ſumma eſt Miſericordiæ victoria, quæ malorum omnium maximum, hoc eſt, Peccatum deſtruit; ſumma etiam eſt Juſtitiæ victoria; quia nonſolùm peccatores profligat, ſed etiam de ijsdem triumphat, id quod tantopere Propheta deſiderabat, cùm dixit: *Deficiant peccatores à terrâ, & iniqui, ita ut non ſint.* In quæ verba ita commentatur S. Baſilius: *Non ut pereant, orat, ſed ut convertantur.* Non inquam, petit Propheta, ut peccatores pœnarum ſævitiâ tollantur, ſed ut converſi, peccatores eſſe deſinant; pœnæ enim vitam abrumpunt; Pœnitentiâ verò peccatores eſſe deſinunt. Præterquam quòd pœna divinæ Juſtitiæ injuriam ſufficienter non reparat, quemadmodum ſincera peccatoris converſio. Non enim peccatoris voluntas, quantumvis in Inferno ſit domita, ſe ſubjicit: in Confeſſione verò, etiam illâ parte, in qua tyrannidem ſuam peccatum exercet, hoc eſt, toto corde ſe ſubmittit. Quis igitur explicare poteſt, quantâ Deus veram per pœnitentiam & humilem Confeſſionem afficiatur gloriâ? *Da gloriam Deo & confitere.* Quando Peccator intrat Eccleſiam, peccata ſua Sacerdoti confeſſurus, dum in genua provolvitur, ſupplexque ad proferendum. *Peccavi*, linguam exſolvit, videor mihi in veritate poſſe dicere, Deum exercituum ad maximam aliquam victoriam obtinendam in campum prodire. *Exivit vincens, ut vinceret.* Apoc. 6.
Quanta igitur eſſet injuria, quam gloriæ Domini ſui peccator mutus inferret, ſi tanti momenti expeditionem impediendo, invidus victoriam retardaret, ſolâque animi proterviâ omnes aſſultus, omnésque Omnipotentis ad ſubjugandum illum conatus, quaſi vanos eluderet? *Contra Omnipotentem roboratus* Iob. 15.
*eſt.* Et licèt hìc cuncti peccatores glo- 19.
riam modò dictam videantur auferre Deo, quamdiu ex toto corde eos non pœnitet, nihilominus illam potiùs differunt, quàm auferunt. Saltem non adimunt re ipsâ per ſummum nefas obnitendo, ſicut illi, qui datâ operâ in Confeſſione peccata reticentes novo ſacrilegio obſtacula divinis conatibus opponunt; nec tantùm Dei obſtant viribus, ſed etiam contra ipſum hoſtes animant; nonſolùm Miſericordiæ malis ſuis remedia exhiben-

hibenti illudunt, verùm etiam in
conſpectu illius eadem adaugent; non-
ſolùm intentatas Juſtitiæ, quæ ho-
noris divini ab ipſis reparationem ex-
ſpectabat, minas ſpernunt, ſed eun-
dem novis denuo inſultibus invadunt.
Quid deſideratis ampliùs ad grandem
hanc injuriam, quam gloriæ Dei Veri
execrabile hoc ſilentium infert, per-
noſcendam?

VI. Quòd ſi mali hujus tanquam
minùs cogniti rationem vix ullam ha-
betis, ſaltem magna, quam tali actu
vobismet ipſis infertis, injuria vos
abſterreat. Accuratiùs perpendenti
tria ſe offerunt mali lenimenta, quæ
reus aliquis ſperare poſſit; opportu-
na nimirum appellatio, Judex beni-
gnus, ſententia favens: tribus au-
tem hiſce commodis ſe privat pecca-
tor in Confeſſione mentiens, peio-
rémque cauſam ſuam reddit, quàm
unquam amens aliquis deſperatus fa-
cere queat. Primò jus, bono ſuo ap-
pellandi, perdit. Quid putatis, quid
ille in Confeſſione dolor ſignificare
velit? Significare vult, ſe à prolatâ in
Juſtitiæ divinæ tribunali ſententiâ ad
divinam Miſericordiam appellare, cu-
jus illa, donec nobis vita ſupereſt, ſu-
Iacob. 2. premum eſt tribunal. *Miſericordia*
13. *ſuperexaltat judicium.* Graviſſime
Deum offenderat Populus Iſraeliti-
cus, illo derelicto, Ammonitarum,
Syrorum, Sidoniorum & Philiſtæo-
rum Deos, vana idolorum monſtra,
Judic. adorans. Quare irata Dei Juſtitia
10. 14. inimicorum manibus populum tra-
didit, additque; à tàm miſerabili
ſervitute à ſe non ampliùs liberan-
dum. *Non addam, ut ultra vos li-
berem, ita & invocate Deos, quos ele-
giſtis.* Verùm Hebræi malo ſuo do-
cti, ad divinam Miſericordiam appel-
lârunt. *Dixerúntque filij Iſrael ad Do-
minum; peccavimus, redde tu nobis
quidquid tibi placet: tantum nunc libe-
ra nos.* Et ut verè ſe hoc dicere mon-
ſtrarent, idola illa execranda ex con-
finibus ſuis exterminârunt. *Quæ dicen-
tes omnia de finibus ſuis alienorum Deo-
rum idola projecerunt.* Et ecce Miſeri-
cordiæ ſententiam à Juſtitiâ latam re-
vocavit. *Et doluit Dominus ſuper mi-
ſerijs eorum.* Hic eventus expreſſiſſi
illius imago, quod quotidie in Confeſ-
ſione contingit. Quamvis enim Chri-
ſtiani ſint populus electus, nihilomi-
nus propriæ utilitatis, ſuperbiæ & ſen-
ſualitatis: dola adorando, Deo vero
terga vertunt, tantâ cum divinæ Juſti-
tiæ indignatione, ut ad divinum re-
parandum honorem contra perverſos
hoſce idololatras confeſtim æternæ
damnationis ſententiam pronunciet.
*Non addam, ut ultra vos liberem.* At
peccatores tam formidabili perterriti
tonitru, reſipiſcentes, divinam appel-
lant Miſericordiam, & ſcelerum ſuo-
rum enormitates confitentur, *pecca-
vimus*, pœnitentiæ à Sacerdote Dei
nomine ſibi impoſitæ ſe ſubjiciunt:
*redde tu nobis, quidquid tibi placet:*
Proteſtantur peccatum ſibi plusquam
omne malum diſplicere, ab eóque po-
tius, quàm à promeritâ pœnâ liberari
expoſcunt, *tantùm nunc libera nos*,
idola longè à ſe projiciunt, illicitos
diſſolvunt contractus, iniqua extin-
guunt odia, inhoneſta deſerunt con-
tact-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

inertia: *omnia de finibus ſuis idola projiciunt.* Propterea divina Miſericordia, ſupremâ Tribunalis ſui utendo authoritate, appellationem admittit, ſententiam revocat, culpámque remittit. *Et dolet Dominus ſuper miſeriis eorum.* An non igitur magna vobis videtur felicitas ex irati Dei manibus in gremium placati Numinis poſſe transfugere? Hoc eſt ergo illud bonum, quo peccatores in Confeſſione peccata ſua ſtudiosè reticentes voluntariè ſe privant, hoc ſibi adimunt appellandi Jus; imò ſuo ſacrilegio in iteratam implacabiliſſimæ condemnationis ſententiam jam jam imminentem commutant.

VII. Alterum Rei prærogativum jus eſt, poſſe alium petere Judicem. Quamdiu ſcelerum noſtrorum Judex debet eſſe Deus, licèt totus ſit Miſericordiæ viſcera, magnopere nihilominus timendus eſt. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.* In Confeſſione igitur mutatur Judex, & in locum Dei homo ſubſtituitur, qui nec vult nobis malefacere, nec ſi velit, nullam poteſt. Non vult, quia peccator eſt, quemadmodum & nos, qui hoc ipſum pœnitentiæ tribunal, ut reus ſubire debet, propriiſque doctus miſeriis, noſtris, quæ fortè majores etiam ſint, compati didicit. *Quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate.* Deinde etiamſi vellet magno in nos rigore animadvertere, non poteſt, cùm & ipſe debilis ſit. *Non timebo, quid faciat mihi homo.* Tota ejus poteſtas in hoc ſita eſt, ut adjuvet, non ut noceat, *Poteſtas in ædificationem, non in deſtructionem.* Videte proin, quàm magnam mutus in Confeſſione peccator ſibi ipſi inferat injuriam: recuſat Judicem placatu tam facilem, adeò miſereri docilem, ſimili judicio obnoxium; & mavult Judicem ſummè formidandum, cujus pondus & poteſtas efferati pelagi undoſis montibus à Jobo confertur, qui naviculam, ventorum ac tempeſtatum ludibrium effectam, medio in mari opprimunt: *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.* *Iob. 21. 23.*

VIII. Denique tertium, quod Reus in causâ ſuâ ſperare poteſt, ſubſidium eſt, favens ejus cauſæ ſententia, quæ aut omnino pœnam remittat, aut ſaltem mitiget. Ejusmodi ſententia, ſi uſpiam, pro ſacro Pœnitentiæ tribunali pronuntiatur; in hoc enim primò totius culpæ ſit gratia; deinde pœna remittitur æterna, quin & temporaria magnâ ſui parte diminuitur; quia ipſa opera pœnalia, à Sacerdote ad expiationem noxarum imperata, *S. Thom.* virtute Sacramenti multò magis ſatis- *ſupplem.* factoria redduntur. Undè, quæſo, *q. 6. ar.* perpendite; An non ita ſe gerant mu- *1. ad 4.* ri iſti peccatores, ac ſi ſpem ſalutis omnem abjeciſſent, qui cùm tam facilè culpæ reatum poſſint tollere, debitúmque æternum pœnâ temporariâ permutare, malunt tam horrendos nexus geminare, quàm maximo ſuo emolumento iisdem ſe exſolvere. Quid ergo vobis, Chariſſimi, de abominabili hoc ſilentio pluribus à me hactenus vituperato, déque peſſimis ejus effectis videtur? Potéſtne infelicior in



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in Mundo reperiri peccator, quàm qui ſtudioſâ nequitiâ, ſua Confeſſario delicta celat? Haud equidem exiſtimo: ſed ad hujuſce furfuris hominem inveniendum ad Orcum nobis eundum puto, ibique inter animas plusquam caninâ adversùs ſemet, Deúmque adeò ipſum, rabie excæcatas indagandum.

IX. Ad hæc Peccator deliberatâ voluntate in miſerrimâ hac conditione hærens, illius ſe obſtinationis exponit periculo, quæ eſt ultimus in impœnitentiam finalem præcipitandi gradus. *Ex retentione & oppreſſione peccati naſcitur cordis obſtinatio*, inquit Petrus Bleſenſis. Plurium annorum ſpatio peccatum aliquod infami præpeditum pudore celare, tantam menti inducit caliginem, ut ſuamet ad mala & miſerias planè cæcutiat. Nimius ſomnus ſenſim videndi facultatem hebetare dicitur: hine animalia ſomno dedita, oculorum acie non valent. Idem prorſus accidit peccata admiſſa reticere aſſuetis. Usque eò ſceleri ſuo indormiſcunt, ut in rebus æternis plusquam cæci efficiantur; id quod non eſt aliud, quàm ſe ipſum in ſummas reſipiſcendi difficultates conjicere, eò magis, quòd cæcitatem mentis, ſimul cordis duritia comitatur.

*Cæl. lect. antiq. l. 14. c. 47.*

Priori ſeculo res geſta eſt in Galliâ tam funeſta, ut ſi non oculati & fide digni teſtes eam aſſererent, vix veritati fides adhiberetur. Mulier quædam Lugduni, Columba dicta, jam præſenti horâ pariendi, nullo adhibito medio efficere potuit, ut prolem ſuam in lucem ederet; unde annis tribus continuis parturientium ſemper paſſa dolores decumbere coacta eſt. Elapſo triennio recuperatâ aliquantum valetudine ac viribus lecto ſe proripuit; aliis tamen annis viginti quinque ſemper manſit gravida, quin unquam pareret. Tandem mortuæ ventrem cùm ſecuiſſent, deprehenderunt, prolem maſculam ipſo in utero in ſaxum obduruiſſe. Ita quibusdam accidit, qui à primis annis aſſueſcunt reticere noxam, ex qua detectâ majore verecundiâ ſuffunderentur. Multo tempore in continuis partûs doloribus verſantur, memoriâque delicti anguntur. Sed deinque obſtinato ad ſilendum animo inſuper habitis internis remorſibus peccatum in ſaxum indureſcit, nec lucem aſpicit monſtrum abominabile, niſi cùm divinâ Juſtitiâ poſt mortem ſubinde, ad alios exemplo tam terribili abſterrendos, illud in lucem protrahit.

*ap. Miræum Chron. an. 1531.*

Refert in Summâ ſuâ Sanctus Antoninus certam boni nominis viduam laſcivi peccati olim commiſſi, tantùm puduiſſe, ut ad illud Sacerdoti detegendum animum ſuum inducere nunquam potuerit; quia verò continuò conſcientia illius ſceleris eam remordebat, ſeveris jejuniis, flagris, aliiſque pœnitentiæ operibus, ſine Confeſſione tamen, illam ſopire ſtatuit: quin eò progreſſa eſt, ut in ſtrictioris diſciplinæ Parthenone vitam religioſam profeſſa non multos poſt annos ob regularis obſervantiæ exemplum omnibus præbitum Abbatiſſa electa fuerit. Nec tamen unquam malè conſultum illum animi

pudo-

pudorem vincere potuit, ſicut ne quidem in extremis ritè confiteretur, ſed delictum in Sæculo admiſſum etiam tunc reticeret. Magno autem cum Deo dicatarum illarum Virginum dolori è vita exceſſit, quæ illam ut ſanctimoniâ inſignem erant veneratæ, ſic ut etiam ſperarent, eam ſanctitatem à morte prodigiis illuſtratum iri. Neque verò defuit prodigium, etſi haudquaquam tale, quale ipſæ ſpe præconceperant. Anima enim defunctæ flammis circumdata uni ex ſororibus ſibi familiariori ſpectandam ſe dedit, dixitque; Ego ſum Abbatiſſa; ſum autem æternis Inferorum flammis adjudicata, quia peccatum aliquod erubeſcendum, ante vitam meam religioſam in Sæculo admiſſum nunquam confeſſa fui: abiicite in cloacam cadaver meum, tali enim ſepulchro dignum eſt, quia ſedes fuit animæ, heu! æterno Inferorum rogo addictæ. His dictis diſparuit. En hîc peccatum ad modum lapidis in miſeræ hujus fœminæ corde induratum, quod prius conceptum, tantâque temporis intercapedine retentum nunquam ad Confeſſionis lucem venit. In principio partûs dolores eam affligebant, animum ad retegendum aliquando flagitium impellentes. At progrediente tempore & hi mitigati ſunt, eóque progreſſa eſt miſera, ut, ſacrilegia ſacrilegia cumulans, ne tum quidem pudorem pervicerit, cùm mors oculis obverſaretur. Divina tamen Juſtitia poſt obitum in perpetuam miſerrimæ ignominiam pectus aperuit, & abſconditum in eo monſtrum ſequentium ſeculorum aſpectui objecit. Interea facilè eſt animo concipere, quàm feſtivè ob intolerabilem hunc Sacramentorum abuſum Diabolus tripudiet. Sanctus Ambroſius ait, ejuſmodi peccatorum genus ea in Diaboli triumphum vertere, quæ ad debellandum illum arma Chriſtus nobis reliquerat. *Remedium noſtrum ſit ipſi Diabolo triumphus.* l. 2. de Pœn. c. 12. Satis explicari non poteſt, quantam ex ſacrilegis hujuſmodi Confeſſionibus Dæmones hauriant lætitiam. Poſtquam præter ſpem allatis ſuppetiis Urbis alicujus obſidio ſoluta eſt, maximam Victoriæ partem obſeſſi reputant curules obſidentium machinas in prædam ſibi ceſſiſſe. Hæ per media compita in primarium urbis forum deductæ à cunctis accurrentibus ſpectantur; gaudentibus, in materiam lætitiæ converſum eſſe, quod paulò antè maximi horroris cauſa erat & inſtrumentum. Eodem prorſus modo inter omnes prædas, quas ab animarum internecione reportat Diabolus, nullam credo in Inferno pluris æſtimari, quàm Confeſſiones ſacrilegas, ut quæ ex armis ad perniciem illi inferendam deſtinatis, verſæ ſint in materiam triumphi. Gaudet enim malignus ille, quantum ejus capit calamitas, nonſolùm, quòd homines vicerit, ſed inſuperquòd armis eorum propriis victoriam retulerit. *Remedium noſtrum ſit ipſi Diabolo triumphus.*

II.

X. Sed non ulterius hujus tanti mali differemus remedium, quod ſe-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cundo loco me ſuggeſturum promiſi. Ad idoneum autem hujusmodi remedium reperiendum oportebit priùs potiſſimas ſilentii hujus Deo tam injurioſi, támque homini detrimentoſi, cauſas indagare. Cauſæ autem ſunt duo vani timores; unus eſt verecundiæ, quæ eſt in Confeſſione; alter difficultatum, quæ ſuperandæ ſunt. Quod pudorem attinet, negari non poteſt, erubeſcentiam illam eſſe primum peccati partum, quem poſt lapſum anima experitur. Hinc etiam primum peccatum in Mundo admiſſum, nimirum Adami transgreſſio, hunc effectum pudoris genuit. *Abſcondit ſe.* At duas oportet diſtinguere erubeſcentiæ ſpecies; unam quæ Confeſſioni jungitur, ut eam perficiat; alteram, quæ Confeſſionem comitatur, ut inficiat. *Eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.* Haud aliter ac in Cœlo ſublunari contingit: Veſperi rubet cœlum, ſed talem ruborem denſiſſimæ noctis excipiunt tenebræ: rubet manè, & hunc ruborem ſereniſſima diei totius lux conſequitur. Deus quoque magnum peccato addidit ruborem, ſed ruborem perquam utilem: voluit enim hanc erubeſcentiam, peccati, antequam committatur, eſſe frenum; jam commiſſi verò eſſe remedium. At peccator Dei opera pervertendo, omnes Dei fines ſuſquedèque miſcet, & priùs, quàm peccet, ut eò magis liber, erubeſcentiæ frenum excutit; peccato dein commiſſo ſibi ipſi laqueum injicit, ne in ſalutis viam revertatur. Maledicta perverſitas, exclamat Sanctus Auguſtinus, peccati verecundiâ non tangi, tangi autem verecundiâ pœnitentiæ! hoc eſt non vulnus, ſed faſciam, quo obligetur, horrere. *O incredibilis inſania! de vulnere ipſo non erubeſcit, de ligaturâ vulneris erubeſcit.* Ut ergo huic malo promptum applicetur remedium, primò ſciendum eſt, licèt ignominioſum ſit peccare, at confiteri minimè probroſum eſſe. Athenis quidam Socratis diſcipulus domum inhoneſtæ mulieris intraverat, præter quam, ubi Magiſtrum ſuum tranſire conſpexit, extemplo impulſus verecundiâ interioribus ejusdem latebris ſe abdidit; ſed Socrates januæ ſuccedens, vultu inter ſerenum gravi ac nubilo, egredere, inquit, fili, referre pedem ex hac domo, non eſt tibi dedecori; at intraſſe culpâ non vacat. Id ipſum aſſero peccatoribus juſto timidioribus, peccatum Confeſſionis ope emendare, probro caret; admiſiſſe verò ignominiâ non caret: ſed hoc jam emendari nequit. Cæterum *Confeſſionem & decorem induiſti*, à Confeſſione ritè peractâ redeunti Prophetæ verbis accinere poſſumus; peccatum enim dum committitur, fœdum eſt, Confeſſione ſincerâ deletum, fœdum porro non apparet. Fœmina impudica dum adhuc erat ſerva, dein libertate donata, infamis non eſt ampliùs, inquiunt Leges: *Ancilla, quæ in ſervitute ſui corporis quæſtum fecit, facta libera non eſt infamis.* Talis lex potiùs in Divinæ Juſtitiæ foro in praxin redigitur, in quo pœnitentes ſæpenumero majoribus gaudent prærogativis, quàm ipſi inſo-

Eccl. 4. 25.

nocentes. *Publicani & Meretrices præcedent vos in regno Dei.* Ejusmodi humilis Confeſsionis pudor, ut ſentit Sanctus Cyprianus, potiùs honor, quàm ignominia appellari debet. *Peccator confeſſione, confeſſionem honorat.* Cauſa verò hujus honoris eſt, quia licèt peccatum naturâ ſuâ macula ſit turpiſſima: nihilominus ornatus, quem pœnitentia inducit, tambellè tegit turpitudinem, ut hæc penitus videri deſinat: quidquid ibi remanet, totum gloriæ opus eſt. *Beati quorum tecta ſunt peccata.* Et qualis, diceris mihi, eſt ornatus iſte? quæ Phrygij operis textura? Duplex eſt, prima ex pretioſiſſimo Redemptoris Sanguine, altera propriis pœnitentis actibus abſolvitur; Quomodo vulnus, Jeſu Chriſti Sanguine ſanatum, audebitis ignominioſum dicere? referunt Alexandrum è capite regium ſolviſſe Diadema, quo vulnus Lyſimachi cari ſibi Clientis ligaret. Quis dein Medicus plagam regio hoc obligatam ligamine horruerit ampliùs contrectare? Quare non immeritò affirmare licet, Sacerdotem miſeri peccatoris vulneribus indignantem, omnem eorum, quæ Chriſtus pro curandis fecit peccatorum plagis, perdidiſſe memoriam; qui magis miſericors, quàm Samaritanus ille, non vino, aut oleo, ſed ſinceriſſimo venarum ſuarum Balſamo in deſperatiſſimo ſtatu iiſdem medicatus eſt. Inſuper ipſimet pœnitentis actus mirum quantum in Confeſſione id, quod erat confuſionis, in honoris materiam tranſmutare poſſunt. Omnes, inquit Sanctus Ambroſius, peccatores ſumus: attamen apud omnes laudabilior eſt, qui eſt humilior; *Cùm omnes ſimus peccatores, ille laudabilior qui humilior; ille juſtior, qui ſibi abjectior.* *l. 2. de pœnit. c. 50.* Adhæc peccata veſtra Confeſſarius audivit, veſtram autem demiſſionem vidit, ideòque ſicut oculi vivaciùs phantaſiæ repræſentant objecta, quàm aures, mirum non eſt, Confeſſarium ob compunctionem, quam in pœnitente advertit, ad amorem ejus & exiſtimationem potiùs commoveri, quàm ad animi ab eo alienationem & contemptum ob peccata præterita, ipſiuſmet duntaxat ore ſibi patefacta, & patefactâ Confeſsione, quâ dum reum ſe agit, Juſtus efficitur. *Juſtus accuſator eſt ſui.* *Prov. 18. 17.* Ideòque, *non habet, quod erubeſcat, cui peccatum dimiſſum eſt.* *de pœnit. d. 1. c. quantus libet.*

XI. Quod ſi Rationes adeò veræ, ſed fortè non ſatis intellectæ, conceptum peccata ſua patefaciendi horrorem minuere in unius alicujus animo non valent; dicam majorem in tacendo, quàm confitendo pudorem inveniri. Quæ autem ſana ratio ſuadet, ut ad modicam evitandam infamiam, ſubeas immensùm quantùm majorem? *Meliùs eſt coram uno aliquantum ruboris tolerare*, inquit Sanctus Auguſtinus, *quam in die Judicii coram tot millibus gravi repulsâ denotatum tabeſcere.* *l. 1. de Viſit. infir. c. 5.* Conſiderate aliquantulum, quantæ vobis futurum ſit ignominiæ in die Judicii, non in ſecreto uni ſoli, ſed in publico omnibus hominibus omnes abominationes veſtras manifeſtare, non ut inde remedium, ſed damnationem; non miſera-

tionem, ſed ſupplicium referatis? *Tunc videbunt Juſti, & ſuper eum ridebunt, & dicent: Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum.* Præterquam quòd, quem nunc fugitis pudorem, exiguus ſit & momentaneus; quem verò die illo extremo incurretis, æternùm ſit duraturus. Dicite deinde mihi, inter illos, quibus occulta veſtra pateſient peccata, an non adfuturus ſit ille ipſe Sacerdos, quem nunc tantopere extimeſcitis? Quid igitur tunc de veſtrâ dicturus eſt infamiâ? Plus parvam confuſionem, quàm ſempiternam timuiſſe damnationem! *Pudoris magis memores, quàm ſalutis.* Quid diceret Medicus tuus, ſi intelligeret te malle inter acerbiſſimos dolores vitam abrumpere, quàm præpediente verecundiâ hauſtum venenum evomere? quàm te rideret, exſibilaret, exploderet, & amaro cum riſu occineret: *ut habet, quod voluit? An melius eſt damnatum latere, quam palam abſolvi?* replicat Tertullianus. Principes libenter ſolent mutorum uti obſequiis, ne quod agunt, in vulgus emanet. Decem ejuſmodi habuiſſe lego Solymannum Turcarum Regem ſibi à cubiculis. Ac profectò iſti ſi non linguâ, ſignis tamen loqui poterant. Deus autem haud paulò majore providentiâ Animabus noſtris ſervire voluit Sacerdotes omnino mutos & elingues, ita, ut ne geſtu quidem aut ſigno ullo illis liceat prodere, quod audierint. Et vos potiùs eligetis coram toto Mundo in extremo illo die, in quo Cœlum, terra, & cunctæ creaturæ loquaces veſtras

*Tertull. de pœn. c. 20.*

*Ibidem.*

proditutæ ſunt nequitias, horrendum confundi, quàm uni ſoli hujuſmodi Sacerdoti muto peccata veſtra detegere? *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, & terra conſurget adverſus eum.* Quis non videt mente captos eſſe, qui hoc ſequuntur conſilium? Quare Sapientem potiùs audite: *Non confundaris confiteri peccata tua*, non ſolum proximum tuum, ſed peccata tua, quæ omnia dicere, eſt idem; ac nihil ominus, ita proteſtatur Concilium; *Qui ſcienter aliqua reticent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.*

XII. Alterum impedimentum, quod mutum reddit peccatorem, eſt timor difficultatum, quæ confitenti ſeſe offerent; ut, quòd injunctum à Confeſſario opus pœnale, oportet exequi, aut reprehenſionem aliquam ſuſtinere. Hic quoque vanus timor tollendus eſt medio ſimillimo illi, quod paulò antè alteri curando paravi. Primò enim, ubinam ſunt illæ tantæ difficultates? Videtur hoc mihi idem eſſe, ac terreri à nebulâ, & fingere Laborem in præcepto. *Qui fingis Laborem in præcepto.* Opponunt quidam Interpretum hæc verba famoſis illis exploratoribus accipienda, qui ad terram promiſſam agnoſcendam miſſi, populo tam funeſta, quædam ultra verum aucta nova retulere; cum dicerent: *Terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos.* Id verò totum non niſi ex ignaviâ terram illam armatâ manu expugnandi proficiſcebatur. Sicut autem de terrâ illâ, alioquin fertiliſſimâ, falſa penitus narrata ſunt, &

etiam

etiam falſi ſunt terrores, ob apprehenſis Confeſſionis difficultates in animo exorti: minores enim ſunt opinione veſtrâ. Quod attinet reprehenſiones, quas à Confeſſario timetis, ſtudiosè vobis ipſis imponitis. Inter alia documenta, quæ de curâ infirmorum dant Medici, eſt etiam illud, ne æger paroxiſmum patiens, moveatur, aut concutiatur, ſed ut omni in id incumbatur curâ, ut probè contectus foveatur ac recreetur. Hoc ipſum Doctores omnes admonent Confeſſarios; ne confitentem, antequam peccata ſua enarrârit, unquam reprehendant; multò minùs pœnitentem timidiorem, & verecundum aſperiùs interpellent; ſed potiùs amicis interrogationibus pudor ejus ſublevetur, ut minus habeat, quod ipſi de ſe dicendum ſit, omni meliore modo miſerando tegendóque ejus nuditatem, tanquam filij prodigi quidem, ſed in ſe jam nunc reverſi ac pœnitentis. Ejusmodi fuit prima Patris illius Evangelici cogitatio, quæ nobis ad imitandum propoſita: *Cito proferte ſtolam primam, & induite illum.* Hoc ipſum de pœnitentiæ timore jure merito dici debet, quæ cùm hoc tempore tam facilis imponi ſoleat, profectò illam exhorreſcere puerorum eſt, larvam quamlibet innocuam exhorreſcentium. Nihilominus ad mutus hos voluntarios certiùs convincendos, demus gravem illis reprehenſionem ſubeundam, & pœnitentiam à Confeſſario haud levem imponendam; an utramque hanc difficultatem comparabitis cum illâ, quam &
modo experimini non confitendo, &
quam deinceps experiemini? Quantum ad præſens, Inferni prope pœnas à torquente ſentietis conſcientiâ:
*Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Non Iſ. 55.
eſt pax peccatori, donec reſipiſcat & 27.
confiteatur: & hoc Deus loquitur; qui novit omnia, omniúmque corda intuetur. Plinius refert, eſſe certas quasdam Inſulas, quæ ſemper tremunt: id ſi verum eſt, dicam has Inſulas Symbolum eſſe interni ſtatûs hominis ſcelerati: præcipuè verò ejus, qui peccatum reticuit: fieri nequit, ut tam contrarijs cogitationum agitatus fluctibus tranquillitatem obtineat.
*Quaſi mare fervens, quod quieſcere non* Iſ. 75.
*poteſt.* Date mihi puellam turpi lapſu 27.
fœdatam, quæ præ verecundiâ & pudore labem detegere non audeat in Confeſſione. Nunquam miſera lætum diem, ne quidem horam, habebit; dies noctésque ſemper ante oculos crimen illud admiſſum illi obverſabitur, quod lætiſſimos inter ſaltus ſuam non ceſſat diffundere amaritiem; non ipſos ſuaviſſimos aliàs inter amores requieſcere, nec libertate illâ à matre cæteroquin conceſſâ, vel momento lætam frui permittit. An fortè perſuadetis vobis tot Sacrilegia ad capiendum ſomnum, molle poſſe parare pulvinar? O quantum hallucinamini. Tentate quidquid libet, donec dens putridus eruatur, dolor non abſcedet: priusquam peccata veſtra confitendo aperiatis, importuna illa conſcientiæ agitatio non ceſſabit. Poteritis quidem amarorem illum, & remorſum ab impor-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

importunis & faſtidioſis hiſce cogitationibus ad lætiora mentem divertendo nonnihil diminuere, ſed an id ſatis eſſe exiſtimatis? Memini me legere; miſerum quendam Paſtorem Taraſconenſem ſpinam, quæ caſu pectus ipſius penetrârat, extrahere neglexiſſe, eamque longum poſtea ipſi dolorem generâſſe. Spina enim in carnem ſeſe inſinuans ſenſim cœpit jacere radices, germinandoque varios ſe in ramos dilatare, ut miſer ob millenas, quas ſenſit, puncturas neque dormire, neque manducare, neque movere ſe jam poſſet. Ita & vobis eveniet: peccatum enim in Confeſſione celatum, tantopere creſcit, ut ex uno fiant complura. Ideoque ſicut rectiùs feciſſet miſer ille, ſi à principio ſpinam, etiamſi doloroſiſſimâ evulſione extraxiſſet, quàm ut expectaret, donec in rubum excreſceret, ita & rectiùs conſcientiæ ſuæ conſulerent, timidi hujuſmodi peccatores, ſi principio delicti ſui ſpinam eximerent, quàm ſi expectent, donec in dumetum degeneret. Quare, ut magis etiam infelices hujuſmodi convincam, quæro, an cogitent aliquando delicta ſua manifeſtare, aut an ſine eorundem Confeſſione mori conſtituerint? Si decreverunt aliquando confiteri, cur non modò? *Si aliquando, quare non modo?* Reticendo illa, multiplicantur Sacrilegia, &, quod conſequens eſt, omnia ſimul manifeſtandi pudor augetur, idémque iis contingit quod Jonæ, qui dum obedientiæ difficultatem, impijs Ninivitis prædicare jubentis, ſubterfugit, navigationis nauſeæ, tempeſtati & naufragio ſe expoſuit; & tamen denique officio, cui ſe in principio ſubduxerat, fungi debuit. Quòd ſi autem culpas veſtras ſemper reticere ſtatuitis, quam inſigne inde lucrum refertis? ſubdit Sanctus Auguſtinus: *Tacitus damnaberis, qui poteras liberari Confeſſus.* Damnabimini, ignisque æterni pœnis coacti ſcelera veſtra fatebimini, quæ ut in Confeſsione ſpontè aperiretis, induci nunquam potuiſtis. Ecce negocii hujus finem, ſilentium veſtrum vos deducet ad Inferos. Hic non datur medium: aut Confeſsio, aut Damnatio. Pleuritide laborans, ſi interni apoſtematis pus non exſpuit, actum eſt de ejus vitâ; tantùm ſarcophagus præparetur. *Quando puris effuſio reſtagnat in pectore, lethale.* Vos ergo igitur, qui non in pectore, ſed in medio cordis hoc peccati ulcus geritis, attentè me auſcultate: aut illud exſpuendum eſt, aut moriendum: hic non eſt effugio locus: aut confiteri, aut æternum perire: an fulmen hoc non ſufficiet, ô animæ cervis timidiores, ut peccata veſtra occulta detegere conſtituatis? Etiam Cervæ, ut naturæ indagatores referunt, licèt maximam in pariendo difficultatem patiantur, nihilominus fragore fulminis perterritæ partus effundunt, quos aliàs, poſſibilitis omnibus anguſtiis, quas ab iis patiuntur, diutiùs intra viſcera retinerent. O horrendum tonitru! Aut confitendum, aut pereundum! Qui ad hoc tonitru non reſipiſcit, non tantùm de ejus vitâ deſperatum eſt, ſed

Gaſſend. in vita Periaſch. l. 5. n. 1636.

ſed meritò, jam mortuus eſſe dicitur.

XIII. Quare, Chariſſimi, permittite mihi, ut omnes rationes huc usque, ne peccatum aliquod ſtudioſè in Confeſſione reticeatur, adductas, denuo ante oculos veſtros proponam. Omnes quaſi Sinynopſi pulcherrimâ hac Spiritûs Sancti doctrinâ comprehendo. *Pro animâ tuâ*, inquit ille, *ne confundaris dicere verum.* Si vos non movet injuria, quam gloriæ Dei deteſtabile hoc infert ſilentium, ſaltem grande illud damnum, quo nunc incomparabili veniæ beneficio privat animas veſtras, æternæque in futurum damnationi ſubjicit, vos moveat. Durum ſit licèt ſeipſum vincere, durum ſit licèt evomitare, durum ſit Sacerdoti ſe ita miſerè deformatum manifeſtare, at conſiderate, hoc in negotio de Animâ veſtrâ agi. *Pro animâ tuâ.* Hæc ipſa humiliatio à Medico cœleſti pro ſalute veſtrâ, quaſi pars non minima, præſcripta eſt, ex qua & cæteris, ſaluberrimum Confeſſionis pharmacum componitur. *Altiſſimus creavit de terrâ medicamenta*: Quare ſi unica vobis ſupereſt rationis ſcintilla, quomodo ab eâ abhorrere poteſtis: *Et vir prudens non abhorrebit ab eâ.* Ad hæc quid denique Sacerdoti, cui peccata veſtra manifeſtatis, quid, inquam, dicetis? Simplicem veritatem dicetis. *Dicere verum.* An putatis eum, qui abſque pudore malum commiſit, eidem ut remedeatur, verecundari debere? *O te miſerum*, inquit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, *cum effectus es peccator, non erubeſcebas; quando juſtus efficeris, te primùm pudet.* Tantò magis, quòd hæc ipſa veritas in Confeſſione prolata, tam pulchra eſt in conſpectu Dei, ut ſe ſolâ ad decorem Peccatori reſtituendum ſufficiat. *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus*: hoc eſt, *ubi Confeſſio, ibi in conſpectu Domini pulchritudo eſt.* Quæ eſt Sancti Bernardi interpretatio. Ergo, *pro animâ tuâ ne confundaris dicere verum* Serm. 3. *de Reſurr.*

Aliqui commiſſi peccati veritatem dicunt, ſed non dicunt ad utilitatem animæ ſuæ, *pro animâ ſuâ*; aliqui enim familiari ſuo recenſent, Confeſſarium verò celant, aut ſi etiam alicui aperiant, ex omnibus Sacerdotibus illum quærunt, qui peccatorum eorundem complex fuit, ut hoc medio pudorem evitent, quo ad pedes cujuscunque alterius ſuffunderentur. Talis verò Confeſſio, ut mihi videtur, Confeſſioni nequiſſimi Judæ eſt ſimillima, qui cùm ſcelus ſuum Chriſto, aut ſaltem Apoſtolis; paulò antè ab eodem Sacerdotibus ordinatis, confiteri debuiſſet, coram illis ipſis Sacerdotibus, à quibus ad illud committendum incitatus fuerat, deploravit: *Peccavi tradens ſanguinem injuſtum.* Matth. 7. 4. Hinc illi talis Confeſſio nihil profuit: *Quid ad nos? tu videris*, cùm ſceleſti illi parùm ſoliciti eſſent, ut plagam curarent, quam ipſi ſuaſerant, & proprijs manibus inflixerant. Abſit, Chariſſimi, ut aliquis ad ſuaviorem reddendam Medicinam, eandem in toxicum commutandi periculo ſe exponat. Confeſſarium quærite, qui ad juvandas animas veſtras aptus vobis videatur; ideo enim confitemini, ut animabus

bus veſtris opem feratis. *Pro animâ tuâ, ne confundaris dicere verum.* Et ſi verecundiæ timor vos invadat, timore timorem vincite, imò etiam ſpe expugnate. Timorem vincetis, ſi recordemini, vos dum peccatum abſconditis, novis Sacrilegijs millies illud multiplicaturos, eodem modo, quo granum in terrâ abſconditum non ſupprimitur, ſed multiplicatur, brevíque pòſt tempore majori cum luxurie erumpit. Idem veſtris continget peccatis: poſtquam aliquantulum tecta fuerint, tandem multiplicata in lucem prodibunt, quando in die Judicij particularis Deus furibundus in
*Nahum.* faciem vobis obtrudet: *Revelabo pu-*
3. *denda tua in facie tuâ*: In die Judicij univerſalis verò, quando nonſolùm vobis, ſed cunctis Mundi nationibus
*Eccl.* 4. monſtrabuntur. *Et oſtendam genti-*
25. *bus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Spe timorem vincite: *Eſt Confuſio adducens gloriam & gratiam.* Pudor ille, quem amore animæ veſtræ ſufferetis, erit velut Aurora, quæ diem ſereniſſimum, nunc gratiâ, ad vitæ finem gloriâ plenum vobis adferet. Idem vobis eveniet, quod bombyci, qui poſtquam inconſultò carcerem ſibi texuit, proprio ore tandem illum effringit, glorioſúſque evadens mirabili novitate è reptili in volatile commutatur. *Eſt confuſio adducens gratiam & gloriam.* Ante omnia vobis curæ ſit, ut verum de peccatis veſtris dolorem concipiatis, quod efficaciſſimum erit medium, quamprimum ea ſine difficultate confitendi. Parturienti Mulieri, ajunt Medici, ſi doleat cor, mox parituram eſſe. *Quibuſdam parturiendo priùs cor dolet, paulò poſt parturiunt.* O ſi ſincerum de peccatis commiſſis dolorem conciperetis, certus ſum, etiam in publico, ſicut Sancta Maria Magdalena, peccata veſtra confiteremini, quæ Dominum offenſum ubi in publico convivio tota gemebunda invenit, ne quidem donec à menſâ ſurgeret, exſpectare potuit, tantum erat illius ad Chriſti pedes procidendi deſiderium! Quod ſi denique neque timor, neque ſpes linguam veſtram penitus ſolvendam commoveant, ſaltem hoc agite: Rogate Confeſſarium, ut vos interroget, illique dicite: *Mi Pater, valdè ſpeciali indigeo examine*; ita enim facilè Confeſſarius, ſi non omnino rudis eſt, hunc loquendi modum intelliget, & velut cervus ſalutari ſuo afflatu è cubili ſuo venenoſos illos extrahet ſerpentes, qui in ipſo corde tanto tempore nidificârant, minutim de peccatis illis interrogando, quæ liberè non protuliſtis. Quare, *pro animâ tuâ ne confundaris dicere Verum.* Quod pro bonitate ſuâ infinitâ vobis concedat Deus, ut veri pœnitentes in hoc Mundo, in altero ad pœnitentiæ fructum, qui eſt æterna felicitas, perveniatis, tantò cuivis ſuaviorem, quantò radix, ex qua pullulavit, fuerit amarior.

# DISCURSUS XIII.

## *De Neceſſitate Doloris à confitente elic.endi.*

I Nter omnes, quas in hac lacrymarum valle addiſcere poſſumus, quarumlibet rerum ſcientias, nõ eſt majoris momenti ulla, quam ſcire dolere. Ad hoc affirmandum ſufficiat dixiſſe, Deum, qui nunquam nos impulit ad inveſtigandos mirabiles orbium cœleſtium motus, ad pernoſcenda regionis aëreæ phænomena, aquarum incrementa & decrementa, virtutes miſtorum, aut alia quæcunque naturalis Philoſophiæ arcana, velle tamen, ut ne rudes ſimus in dolendi ac plangendi ſcientia, imò etiam nobis imperare, dum Jeremiæ linguâ pronuntiat: *Docete planctum.* Et quia, quod docere de lacrymis homines poterant, modicum ſemper, & obſcurum futurum erat, venire ipſe voluit, ut Magiſter noſter ac Doctor effectus doceret plorando, quomodo prudenter plorandum eſſet, cùm ad [illegible] dicta tam nullo fructu ploràſſemus. *Flevit*, Auguſtino teſte, *ut omnes flere doceret.* Negari non poteſt, plenum eſſe flentibus Mundum: at parte alterâ verè affirmatur, neminem flere, cùm fermè fruſtra ſpargantur lacrymæ, dum ea tantùm deplorantur, quæ nec lacrymulâ digna ſunt. *Dolete, plangite*; pergit idcirco monere idem S. Doctor: dolete illud malum, cui lacrymæ veſtræ mederi poſſunt: & hoc malum eſt peccatum, cui ſoli *Hom 5.* deplorando, ſi S. Joanni Chryſoſto- *de Pœ-* mo credimus, concesſa eſt plorandi *nit.* facultas, cùm nihil aliud utiliter deploretur. Hanc igitur lacrymarum ſcientiam hodie à me docendi eſtis quàm exanctiſſimè. Et quamvis de lacrymis futurus ſit ſermo, non idcirco abjecto vos decet eſſe animo: erit enim nihilominus argumentum diſſertationis longè ſuaviſſimum: quia, ſi S. Auguſtino experto credimus, multò ſuaviores ſunt lacrymæ Pœnitentium, quàm riſus & gaudia theatrorum. Tria proinde videbimus: primum, quid movere & impellere ad iſtum do- *in Pſal.* lorem debeat, ut vim ſuam exerat: ſe- *117.* cundum, quàm neceſſarius idem ſit ad ſalutarem Confeſſionem: tertium, quâ ratione excitare illum in ſe debeat, qui eum non ſentit, aut experitur.

I.

II. Propheta Regius oculos Pœnitentis nobis deſcribit inſtar gemini fontis lacrymarum. *Exitus aquarum* *Pſ. 118.* *deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Inſiſtemus nos iſtis veſtigiis, & primo loco venas horum fontium quæramus. Omnis, quem *S. Th. 1.* in animo ſentimus, dolor ex amore na- *2. q. 36.* ſcitur. *Omnis dolor in amore funda- ar. 2 c. &* *tur.* Unde eodem modo de dolore *ſuppl. q.*

 quo *3. ar. 2.*

quo de amore diſſerere poſſumus. Duplex autem eſt in homine boni alicujus amor: Unus eſt tener, ille ſcilicet, quo bonum ſuaviùs & ſenſibiliùs complectimur: alter appreciativus, quo in bonum majori æſtimatione ferimur. Par eſt ratio doloris. Duplex eſt & ipſe. Sentit dolorem & tenerum, & appretiativum noſtrûm unusquiſque. Prior appetitum, voluntatem alter reſpicit. Certum porro eſt, quòd quamquam tener in Deum amor laudem meretur maximam, mandato tamen ad illum nullo arctè ſtrictèque obligemur, ne illo quidem, quod de Deo amando latum eſt, quando Deus imperavit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Imperatus eſt nobis ſolus appretiativus, ille ſcilicet, quo in Deum ut ſummum bonum ita ferimur, ut abſque ullâ comparatione præferamus ipſum cuilibet alteri bono, quod quoquo modo cum illo in certamen veniat. Ita ſe habet & dolor de hoc eodem ſummo bono, Deo
S. *Thom.* offenſo. Dolor tener, & in ipſos ſen-
*ſuppl. q.* ſus derivatus, etſi in Confeſſione ſit
1. *ar.* 2. perquam utilis, non ita tamen eſt ne-
*ad* 1. & ceſſarius, ut eo abſente nulla & inva-
*q.* 5. *ar.* 3. lida ſit Confeſſio. Dolor, quo ſine Confeſſio elumbis ac nulla eſt, eſt voluntatis, quo hæc deteſtetur peccatum ut malum malorum omnium maximum, ab eóque abhorreat, ac refugiat magis, quàm à malo alio quocunque,
*Pſal.* 96. quod odio dignum eſſe videatur. *Qui*
11. *diligitis Dominum, odite malum.* Hoc nempe indicio, vult dicere Sacer Pſaltes, qui verè Juſti ſunt, diſcernuntur: quòd oderint peccatum: non ait, qui triſtatur, & ſenſili dolore affligatur: ſi enim iſtud requireretur, Beati in Cœlo huic mandato obedire non poſſent: odiſſe ergo jubet, quod ad omnes ſe extendit. Quoties autem hodie doloris nomine utar, non de tenero, & qui in inferiori animæ parte ſedem habet, loqui intendo, ſed de dolore & alienatione voluntatis maſculâ, ſolidâ, cui ſuus in ſuperiore animæ parte locus eſt: & quando lacrymarum, planctûs, luctûsque etiam amari mentionem faciam, non illum intelligam, qui Pœnitentium oculos genasque irriget, cujus cæteroquin ſumma eſt æſtimatio, ſed eum, qui fons animum, & cordis intima occupat, ibique nonnunquam ſe diffundit, quin tamen per oculorum canales ad exteriora promanet.

III. Hac vocum notione ſuppoſitâ, quam vobis erudiendis præmiſi, Peccator, dum præteritorum eum pœnitet, triplici ad id motivo impelli poteſt, quæ ſingula explicabo. Primum motivum merè naturale eſt. Si nonnemo luſu magnam pecuniæ ſummam perdit, & iratus ſorti ſemper infelici, qua ludendo utitur, deplorat jacturam, deteſtatur ludum, folia luſoria execratur: hic dolor naturalis dicitur. Alia, neſcio quæ, ad fœda ſollicitanti nimis promptè obſecuta, quòd ſperaret ſe ut vitem omni altero fulcro deſtitutam, inveniſſe ulmum, qua deinceps res & ſpes ejus nitantur, aliud ſubinde ex ſuo delicto commodum non experitur, quàm ignominiam publicam, ex alvo ante tempus intumeſcente natam, quæ plus quàm mani-

feſtè occultum peccatum prodit. Miſeram proinde ſe & peſſimè deluſam appellat, execratur momentum, quo perfido amanti fidem ſtulta præſtitit, horam, quâ primùm admiſit, quâque infidis pollicitationibus aures præbuit. Sed cui bono iſta? Lachrymæ ejuſmodi frigidarum ex genere ſunt, quas morbus gignit, illiſmet natæ in oculis, ex quibus depluunt. Quare qui hac ratione noxas ſuas doleret, doleret inſtar Saulis, qui faſſus eſt, perperam ſe egiſſe, imperia Samuelis violando; ſed non aliâ de causâ, quàm ob publicum dedecus, quod imminens metuebat, ſi Regno paulò antè tradito denuò exueretur. Hinc cùm vix dixiſſet: *Peccavi*, mox ad iratum Samuelem converſus, *ſed nunc*, inquiebat, *honorame coram Iſraël.* Doleret cum Caino, Amano, Antiocho, Juda ipſo, quos omnes rationes humanæ ad dolendum induxêre. Et quod tandem iſtis lachrymis ſit precium, quæ verè ex debilitate natæ ſunt, naturæ lugentis vi extortæ? Enim verò vitium illæ nihil habent ad impetrandum à Deo criminum veniam, nec dignæ ſunt, ut evadant materia Sacramenti, quorum in numero eſt Pœnitentia. Tanti ſcilicet has ego lacrymas facio, quanti eas, quæ putata ex arbore promanant: nam & ipſa tot vulnera deplorat, quibus amiſſâ ſpectabili ramorum pompâ, ad eam redacta eſt nuditatem. Hoc tamen unum dolor ejuſmodi humanus commodi habet, quòd quisquis eò agitur, aptior evadat ad verum utilémque ex motivis ſupernaturalibus dolorem concipiendum, quàm ſit ille, qui penitus non dolet, eorum præfractè audacium exemplo, qui *exultant in rebus peſſimis*: aut more illorum, qui vulnerati riſum cum morte conſociant.

*Prov. 2. 14.* — *Ariſt. de part. an. c. 10.*

IV. Alterum motivorum genus, quo ad dolendum de peccatis impelli poteſt, quem eorum admiſſorum pœnitet, limites quidem naturæ excedit, non eſt tamen perfectum & ſuis abſolutum numeris; Talia autem ſunt inprimis ſupplicia, quæ timemus, quæque Deus ſceleratis comminatus eſt; deinde bona, quæ ſperamus, quæque Deus ſua ſervantibus mandata promiſit; tandem ipſa peccati fœditas ac deformitas, quam fides nos docet. Hoc doloris genus Attritio dicitur, aut dolor imperfectus, qui abſolutioni Sacerdotis in Sacramento Pœnitentiæ junctus tantæ virtutis eſt, ut peccatum deleat, & Gratiam deperditam nobis reſtituat. Atque hinc excitæ iſto dolore lacrymæ frigidæ non ſunt, ut illæ primi generis. Tepidæ potiùs dicendæ ſunt: neque enim ſola hic relicta ſuis viribus operatur natura, ſed adjutricem habet Gratiam, cujus dolor iſte donum eſt, haud ſecus ac ipſe timor, qui dolorem imperat, Gratiæ munus eſt. Verùm hac in re ſedulò vitandus eſt ſcopulus aliquis ſub undis latitans, in quem non raró homines valdè ſcelerati navim impingunt: eſt autem iſte, quòd inter ſe plurimum differant, timere Inferorum pœnas, & ex hoc pœnarum timore deteſtati peccatum. *Times ardere, non times peccare.* Paucis multa comple-

*Epiſt. 44. ad Anaſt.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

plexus dixit Auguſtinus; qui etiam mox adjunxit. *Gaudeo fidei tuæ, ſed timeo malitiæ tuæ.* Verè enim malus eſt, qui etſi pœnas æternas timeat; non timet tamen violare legem, cùm violationi huic æternæ illæ decretæ ſint pœnæ. Sit filius aliquis, qui bona paterna abliguriat, eâque causâ acerbè & increpetur à patre, & verò etiam puniatur. Pergit hic ludere ludum ſuum, & aleas ſtrenuè tractat, cùm ecce adventantem procul obſervat patrem, cujus metu, antequam ludentibus ſuperveniat, abrumpit ludum, & pravorum illorum ſedalium ex conſortio ſe proripit. Quis dixerit, Juvenem iſtum à luſu abhorrere? non luſum, ſed irati patris exprobrationes ac vituperia fugit ac horret, quæ in flagranti deprehenſum certiſſimò manent. Nec aliter ſe res cum pluribus peccatoribus habet, etſi id ipſi

Pſ. 35.4 haudquaquam advertant. *Malitiam autem non odivit*, ait de non paucis ex eorum numero Propheta. Poſtulat omnino etiam imperfectus hic dolor, ut tibi verè ac prorſus diſpliceat peccâſſe, quamvis, cùm aſſueveris magis horrere mala ac damna tua, quàm contemptum atque offenſam Numinis, faciliùs te ad pœnitentiam impelli ſinas timore malorum, quæ te manent, quàm amore Dei, quem affeciſti injuriâ. Cervæ timore quidem pariunt, ſed non quolibet: non pariunt, niſi adactæ timore, quem Cœlum minitabundum tonitruorum ſuctum fragore incuſſit. Idem accidit animæ illo terrore attritæ, quem divinus excitat in animo timor, non aliis, quàm revelatis à Fide minis. *In facie tuâ Domine parturivimus ſpiritum.* Prophetæ verba ſunt; quæ clariùs Septuaginta ſic reddidere: *Propter timorem tuum Domine, parturivimus ſpiritum ſalutis tuæ.* Spiritus iſte, timoris partus eſt; ſed illius timoris, qui ex alto venit, & idcirco verè partus eſt ſalutis: *parturivimus ſpiritum ſalutis.*

V. Tertium denique doloris ac pœnitudinis motivum eſt Amor Dei ſummi Boni, propter quod unum quis deteſtatur peccatum ut malorum maximum. Hæ tandem lacrymæ prorſus ſunt calidæ, neque enim illas naturæ debilitas elicit, ſed ſinceræ voluntatis in bonum propenſio, longèque, ſi ita dicere fas eſt, ipſe vulnerati cordis cruor. Tales certè S. Auguſtino ſunt viſæ; cùm ſcripſit; *Sacrificat lacrymas, tanquam vulneratus ſanguinem cordis.* Hanc nobiliſſimam perperam actorum pœnitentiam, Contritionem, ſeu dolorem perfectum, appellamus; & quæ ſic dolet anima, & purè dolet, & ſummè dolet. Purè dolet, quia commodorum ſuorum rationem habet planè nullam, neque damni, quod in illam ex culpa redundat; ſed ea ſolùm, quæ ad Deum ſpectant, attendit, injuriam ſc. dum peccabat, illatam ſupremæ Domini ſui Bonitati: dolet proinde, ſicut doleret filia ad omnem educata honeſtatem, quæ ſi præcipiti iræ impetu ictum inflixiſſet Matri, in ſe reverſa, non jam rationem haberet doloris, quem manus ſentit ad verberandum adhibita, ſed ſolam deploraret in-

injuriam matri ab audaci & malè con-
fuſâ manu illatam. Heli Sacerdos
cum filiorum mortem intellexiſſet, hæ-
ſit immotus, ſed cùm arcæ inſuper
jacturam factam inaudiit, ſui impos
ſupinus corruit, & vivere deſiit. Haud
aliter verè Pœnitens omnem aliam ja-
cturam aut facilè tolerat, aut negli-
git; ſola divini jactura honoris acer-
biſſimè mentem excruciat, affligitque,
ſic ut extremi doloris vehementiâ ir-
rugiat: *Rugiebam à gemitu cordis mei.*
Et quia intelligit, fieri omnino non
poſſe, ut tollatur penitus malum,
quod admiſſum eſt, efficiendo, ut
ne fuerit quidem, inde plurimum
conceptus dolor exacerbatur. Plora-
bat amicus amici mortem; quem cùm
alii hortarentur, poneret lacrymis &
mœrori modum, eò maximè, quòd
mors remedium non admitteret: *Quid
luges, quem ſuſcitare non potes?* re-
ſpondit ipſo dolore acuente ingenium:
Atqui hæc ipſa plus dolendi lugendi-
que cauſa eſt, quod malo mederi non
liceat: *Non lugerem*, inquiebat, *ſi ſu-
ſcitare poſſem.*

VI. Neque purum tantùm, ſed &
ſummum Contritionis dolorem dixi:
quod non ita accipiendum eſt, qua-
ſi ita intenſum eſſe dolorem oporteat,
ut incremento non ſit locus, & ne-
que ſummo omnium virium animæ
conatu vehementior elici dolor poſ-
ſit; ſed quòd ſupremus eſſe debeat
in genere ſuo, ſic ut quemadmodum
bonum eſt planè nullum, quod non
poſtponatur Deo, minoriſque fiat,
quàm ille, ita non ſit malum, quod
pluris fiat, quàm malum aliquâ ratio-
ne Deum attingens; qualia ſunt, non
obedire, contumeliâ afficere ipſum
Deum; nullúmque ſit malum, quod
non iſti longiſſimè poſtponatur. Et
hoc eſt converti ad Deum toto corde Deut. 30
& totâ animâ. *Cùm ductus pœnitudi-* 1.
*ne cordis tui, reverſus fueris ad Do-
minum in toto corde tuo, & in totâ ani-
mâ tuâ.* Quisquis peccat, facto ipſo
voluptatulam illam, illud lucellum,
aut honoris evanidam umbram majus
bonum æſtimat, quàm ipſum Deum:
æquiſſimum proinde eſt, ut vera ſuiſ-
que numeris abſoluta pœnitudo Deum
agnoſcat ac profiteatur meliorem quo-
cunque demum alio bono, ſitque vi
ac virtute ſummi illius, quem dixi-
mus, doloris parata amittere bonum
omne extra Deum, & ferre ac ſubi-
re omne malum potiùs, quàm ut de-
nuo peccet. Atque hæc fortaſſis cauſa
fuit, cur Propheta Contritionem ma-
ri comparaverit: *Magna eſt velut ma-* Thren. 2.
*re Contritio tua.* Ut enim mare rivis 13.
omnibus, qui contendere cum ipſo
de magnitudine vellent, absque com-
paratione majus ac vaſtius eſt, ita do-
lores omnes ſibi collatos vincit Con-
tritio, tam rei, quam deteſtatur, & à
qua refugit, magitudine, peccati in-
quam, cui collatum quodcunque ma-
lum infinitis partibus minus eſt, quàm
ejus, quam proſequitur, & à qua ad
fugam illam movetur ac impellitur,
rei præſtantiâ, quæ eſt ipſe Deus, præ
alio quolibet bono amatus. O Bea-
tos vos, ſi dolor tam excellens ac nobi-
lis vel tantillo tempore animos veſtros
ac corda occupat! etſi enim tantum
in iis noxarum, fœditatum ac turpitu-
dinum

dinum offenderet, quantis ante cataclïſmum omnis Mundus infectus fuit, vitium illi ſatis eſſet ad totam iſtam malorum lernam ſimul ſeméſque expurgandam. Sapienter proinde lacrymas hujus doloris virtute elicitas cataclyſmi undis Gregorius Nazianzenus comparavit: etſi has inter & illas hoc intercedit diſcriminis, quòd iſtæ omnes peccatores deleverint, illæ verò omnia peccata extinguant! Nec tantùm mala ſuffocant omnia, ſtrage nobis longè exoptatiſſimâ, verùm etiam tanquam undæ, ad miraculum usque fœcundæ, bonis longè maximis ac plurimis nos locupletant. Hinc, ut gens Hebræa longè ditior Babylone rediit, quàm eò abierat, ita animus ſalubri hoc dolore contritus plus obtinet poſt peccatum Gratiæ, quàm eo nondum admiſſo habuerat; nam & quidquid perdiderat meritorum, recuperat, & novum præterea Gratiæ ac charitatis accipit additamentum, quia *dilexit multum.* Verbo, Contritio genuina *totum aufert, quod minatur damnatio; totum confert, quod ſalus promittit.* Quàm immane eſt rogi infernalis incendium! Totum tamen reſtinguit una ſinceræ Contritionis lacrymula, quantumvis longo tempore illius ſupplicio obnoxius vixeris. Quantum bonorum cœleſtis felicitas in ſe complectitur! Omnia hæc recuperat Contritio, cùm jure ad illa tam infeliciter excideris. Sed nec illud parum auget Contritionis præſtantiam, quòd ipſa nonſolùm enarrato bonorum cumulo animum beet, ſed quòd eundem ſecum afferat; unde verè

*Hug. à S. Vict. Miſc. Hom. 1. tit. 106*

de illâ dicet quilibet: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* Si deteſtaris peccatum metu pœnarum, aut præmiorum ſpe, donec licer Judex te à noxis abſolvat, peccatum animo tuo non ejicitur, nec ea tibi datur venia: at ſi ad peccati fugam deteſtationémque ſincerus ſummique in Deum amore te impellit, ut cera à facie ignis liqueſcit, ita momento eodem noxa omnis eluitur, animusque à ſordibus expurgatur, etiam antè quàm ad arbitri pedes te abjicias ad illud manifeſtandum; haud aliter ac leproſis illis accidit; qui, *dum ad Sacerdotes irent, mundati ſunt.* Quod dico, eventus, quem narro, efficiet bit. Nonnemo omni flagitiorum genere infamis diligentiùs Sacrorum Oratorum vitabat hortationes, quàm ſerpens fugiat Incantationes. Semel tamen magno ſuo bono ad audiendum acceſſit. Templum cùm ingrederetur, viſus eſt, catenâ ſtygiâ toto corpore conſtrictus, à tripudiantibus circum Inferni ſatellitibus huc illucque raptari, Urſi inſtar, tunc ipſum ſilvarum è latebris abducti. Dum autem pro concione dicentem audit, oborta animo lux inſolita tantum vitæ peſſimè hactenus actæ dolorem deteſtationémque excitavit, ut in lacrymas ſolutus, videretur cor ipſum liquefactum per oculos velle effundere. Quis crederet? prima, quæ ex oculis decidua catenas madefecit lacryma, rupit omnes ac ſingulas; unde liber ac triumphanti ſimilis templo egreſſus eſt, qui eò ſe infeliciſſimi ſece-

ſervitute devinctus contulerat; tanto multorum Dæmonum pudore & ignominiâ, ut & verba dicentis, & lacrymas pœnitentis execrando, ſatiari non poſſe viderentur. Et ſunt hæc quotidiana ac ſolita Contritionis prodigia; multorum peccata annorum momento deſtruere, & vincula peccantium, quamlibèt multa ac firma, non ſolvere tantùm, ſed rumpere. Manet tamen, ut eſt certa Eccleſiæ doctrina, etiam extinctis hac ratione peccatis, obligatio, eadem pro ſi[illegible]tro tribunali confitendi; quamquam ingens nihilominus eſt hujus doloris utilitas, quia ſi vel tempus confitendi quempiam deficeret, vel Sacerdos authoritate ad ritè expiandum deſtitutus, aut quocunque alio nomine legitimâ poteſtate præditus non eſſet, quidquid deeſſet, ſuppleret Contritio, & ſola, omnia pœnitentis vulnera perſanaret.

VII. Ut rectè, quæ doceo, tam ſingularia, tamque præſtantia de dolore perfecto intelligantur, neceſſarium omnino eſt, ut in quo dolor perfectus ab imperfecto diſcrepet, in quo item eodem conveniat, probè accuratèque percipiatur. Diſcrepant inprimis in cauſâ movente & impellente, ut jam pluribus, dictum eſt; nam quem dolore attritionis ſeu non perfecto culparum admiſſarum pœnitet, dolet ut ſervus propriorum commodorum gratiâ: At qui Contritione dolet, amore dolet, ut filius. In quibus autem conveniunt, tria ſunt. Primò quidem, quòd uterque naturæ vim excedat, tum quia cauſam habet, à qua producitur, ſupernaturalem, Sancti nimirum Spiritûs motionem & inſpirationem: tum quia movetur rationem, quæ non naturæ, ſed fidei lumine cognoſci valeat, &, ut oportet, apprehendi. Secundò commune etiam utrique eſt, deteſtari peccatum præquam ullum aliud malum; ac tertiò, adjunctum habere vitæ emendandæ propoſitum. Omnis enim ſcelerum pœnitentia, ut à Deo tanquam legitima non repudietur, ita ſe habere debet, ut ſtare non poſſit cum propenſione & adhæſione ad quodcunque peccatum, quod grave ſaltem ac lethale ſit, ſed eam excludat neceſſe eſt, tanquam ſibi è diametro adverſantem. Hydriæ illæ, quarum aqua Canæ in Galilæa in vinum mutata eſt, plenæ fuerunt ad labrum uſque: *Imple te hydrias aquâ, uſque ad ſummum.* *S. Thom. 3. p. q. 86 ar. 3.* Haud aliter animus, ut ex attrito contritus evadat, ad ſummum ſit plenus oportet, decreto tam firmo, quod pugnet, & ſtare nullo modo poſſit cum ullâ noxâ lethali. En igitur detectos tam ſalutarium lacrymarum fontes, dum accuratè explicuimus cauſas, quæ movere ac impellere debent pœnitentem ad contractarum noxarum deteſtationem. Transeamus nunc ſecundo loco ad perpendendam harum aquarum habendarum neceſſitatem, quas jure optimo cum Iſaiâ vocitabimus aquis fideles, cùm ſint omnium ſuaviſſimæ atque amabiliſſimæ, quæ in animo noſtro oriri poſſint. *Aquæ ejus fideles ſunt.* *Iſa. 13. II.16.*

II.

VIII. Ad neceſſitatem igitur quod attinet, hæc tanta eſt, ut abſque peccatorum pœnitentiâ, poſtquam admiſſa à nobis ſunt, ſpes ſalutis ſuperſit planè nulla. *S. Thom. 3. p. q. 86. ar. 2.* Lethalis aliqua noxa remitti poteſt abſque Pœnitentiâ, abſque Euchariſtiâ, aut quovis alio Sacramento re ipsâ ſuſcepto. At abſque dolore de illo admiſſo venia obtineri nullatenus poteſt. *Luc. 13. 5.* *Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimiliter peribitis:* Servatoris noſtri verba ſunt. Imò ne illi quidem, qui jam adulti & rationis compotes ſacris undis abluuntur, ſine pœnitentis animi dolore, ſiquidem ipſi peccârunt, fructuum Baptiſmi ſalutarium compotes fieri poſſunt; ut diſertè docet Tridentina Synodus. *Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 1.* Non eſt alia ſalutis conſequendæ ratio: Deus Gratiæ ſuæ Dominus eſt; hanc autem reddere, niſi doloris pretio emptam, non vult. *Tertull. de Pœn.* *Hoc pretio nobis Deus veniam adjicere inſtituit.* Inſuper ut ſaluti obtinendæ neceſſarius eſt de peccatis admiſſis dolor, ita & ad Pœnitentiæ Sacramentum lege non diſpenſabili requiritur: in hoc ſiquidem Sacramento materia, quam dicunt, proxima, hoc dolore, ut parte conſtituitur, ſic ut quemadmodum in Baptiſmo peccatum ſine aquâ non abluitur, cùm hæc ejus ſit materia, ita nec abſque vero dolore in Pœnitentiæ Sacramento venia peccati impetrari poſſit, cùm & ipſe hujus Sacramenti materia & pars ſit. Et ſanè Sapientiſſimus hic rerum ordo eſt; decebat enim Deum, non recipere in gratiam niſi illos, quos eâ excidiſſe ſeriò ac ſincerè pœniteret: aliàs profectò nimium quantum pateretur ſui honor, ſi ne iſta quidem offenſæ [illegible] Numini à peccantibus compenſatio redhiberetur: idque tantò magis, quòd hoc ipſum non dolere, in eo qui Gratiæ jacturam fecit, novum quidem Gratiæ contemptus videtur, cujus major utique virtus eſt ad Deum denuo irritandum, quàm ad priſtinam ejusdem iram ſedandam. *Ecce ma[illegible]ra delicta*, exclamat S. Cyprianus, *de[illegible]liquiſſe, nec delicta deflere.* Quis neſcit, læſæ Majeſtatis reum, ſi non oſtendat, dolere ſibi iram offenſi Principis, magis eâ contumaciâ & pertinaciâ eundem contra ſe concitare, quàm concitârit proditione; ut Tavianus exemplum demonſtrat: hic enim cùm Adriani Imperatoris gratiâ excidiſſet, nec ejus ſuæ ſortis ſenſum ullum præferret, interfici ab Adriano juſſus eſt, tanquam Imperatorii favoris contemptor. Manifeſtum eſt igitur, non ſolùm quòd Deus nolit, ſeu intra, ſeu extra Pœnitentiæ Sacramentum, noxas mortalibus nullo prævio dolore condonare; ſed quòd ne quidem deceat id facere. Quare cùm lubet explorare, quantæ demum perfectionis ſint Confeſſiones veſtræ, hanc, mediocipiamini, ad decempedam illas exminate: ſi dolor & deteſtatio peccatorum ſumma eſt, ſummus quoque & maximus eſt Confeſſionum veſtrarum fructus: ſi mediocris dolor, mediocris etiam fructus; ſi nullus, ut nullius vobis noxæ fit gratia, ita nec Pœnitentiæ Sacramento vos uſos affirmari poteſt. *Contribulâſti capita dra[illegible]*

*conum[illegible]*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*…ntium in aquis*; ut Pſaltes loquitur. His extra aquas, de quibus nobis ſermo, Deus iniquitatum noſtrarum Draconi caput non conterit. Pœnitentium proin lachrymæ fluminis inſtar ſunt alveo ſuo egreſſi, Ægyptia…illi Nilo haud abſimiles, cujus undæ ut majore minoréve copiâ extra alveum effunduntur, ita plus minúsve Ægypti agros fœcundant.

IX. Cæterùm, quæ hactenus de neceſſitate lacrymarum & pœnitentiæ dixi, ex duabus maximè hominum claſſibus dicta volo: primâ ij continentur, qui multum commodi ſuis ex delictis capiunt: alterâ, qui multum detrimenti. Hi poſteriores obnoxii ſunt periculo dolendi ex cauſis merè naturalibus, aut metu dedecoris, quod ob admiſſam noxam eos inter homines manet; aut dolore jacturæ, quam in rebus ſuis paſſuri ſunt: hæc autem omnia, ut, ſecundum hactenus aſſerta, non ſunt cauſæ ad verum dolorem impellentes, ita nec in Sacramento producere poſſunt dolorem, qui ſit pars apta ad iſtud conſtituendum, hoc eſt, ad pharmacum, quo ſanitas amiſſa reſtauretur. Prioris autem generis, qui, inquam, emolumenti multum ex ipſo ſcelere percipiunt, hâc doctrinâ etiam magis egent: talis illa ſerva, quæ poſt diuturnum concubinatûs flagitium in conjugem tandem ab hero eſſet adſcita; talis qui homicidii, alterius ſuaſu & nomine patrati, mercedem accepiſſet ampliſſimam; & alii ſortis ejuſdem, quibus fortunatum fuiſſet ſcelus, de quo parato dolor eſſet concipiendus. Sunt, qui dicant, Gratianum, Petrum Lombardum, & Petrum Comeſtorem, viros literatum ſcientiâ ſapientiâque inclitos, partus fuiſſe matris adulteræ; quæ cùm magnæ ſibi gloriæ duceret, tales viros peperiſſe, ex quibus non in matrem tantùm, ſed in Rempublicam univerſam tantum eſſet profectum emolumenti, ferunt dicere ſolitam; non poſſe ſe dolere de delicto, quod tantorum bonorum ac commodorum fuiſſet occaſio.

*Tiraq. de nobilit. c. 15. n. 32.*

Ego fabulam exiſtimo, quam alii ut hiſtoriam venditant; cùm Gratianus Heturiam, Lombardus Longobardiam, & Comeſtor Galliam patriam habuerint. Utor tamen hoc exemplo, quamlibet falſo, ad explicandum quod aſſerui, utque hinc diſcat, cujus intereſt, quàm pronum ſit dolere in ſpeciem, aut penitus non dolere crimen fortunatum.

*V. Bellar. de Script. Eccleſ. in Pet. Lomb.*

Verùm ne ad alterum devietur extremum, quod fieret, ſi quis in animum induceret, vix poſſibilem eſſe ſerium dolorem feliciter ſcelerato, meminiſſe oportet etiam illud, quod principio monui, dolorem in re noſtrâ neceſſarium non eſſe illum, cujus ſenſus in organa externa redundat, & ſedem habet in appetitu, quem dicunt, animali; ſed ſufficere dolorem ſubnixum ratione, & in voluntate receptum: unde non ſentire illum, non eſt argumento, quòd eo animus deſtituatur. Qui in conclavi quopiam alteri loquitur voce contentâ & ſonorâ, ejus voces etiam vicino in conclavi percipiuntur: At qui voce utitur ſubmiſsâ, extra conclave, in quo eſt, non auditur. Ita

ſi magnus ac vehemens eſt animi & partis in homine nobilioris dolor, etiam vicina ignobilior hominis portio ejus doloris effectus experitur: at ſi animus minùs vehementer dolet, non redundat in corpus dolor: undè ſi qui, quas cuperent, in promptu non habent lacrymas, non eſt id argumento, quòd nullus, ſed quòd remiſſior ſit dolor, qui ex animo in oculos non ſe porrigat, licèt iſti naturali ſuâ habitudine ad fletum cæteroquin non ſint difficiles.

III.

X. Supereſt pars Diſſertationis noſtræ optima, in qua de mediis agendum, quibus in animum tanquam per canales ſalubertima hæc lachrymarum unda derivetur, cùm venam illius jam invenerimus. Eſt hoc tertium è tribus punctis propoſitis, atque idcirco aſſero: media ad hoc obtinendum eſſe duo, maximè idonea, quæ Eccleſiaſtici linguâ Sanctus nobis Spiritus non obſcurè indicat: *Convertere*, ait, *ad Dominum, & precare ante faciem Domini.* Primum igitur eſt, ardentes ad Deum preces fundere: *precare ante faciem Domini.* Cùm enim dolor, quo de agimus, quique Sacramenti Pœnitentiæ pars eſt, ſit ſpeciale Dei donum, imò radix omnium aliorum donorum, obſcurum jam eſſe non poteſt, quin ad illum obtinendum Dei adjutorio indigeamus, & quod hinc conſequens eſt, quòd ad illum recipiendum non poſſimus nos rectiùs parare, quàm petendo. Enimverò dolenda eſt mortalium plerumque cæcitas, qui perſuaſiſſimum habent, ſe valetudinem ſontico morbo afflictam recuperare non poſſe, niſi Deo, ejus benigniſſimæ Matri, cæteriſque Cœlitibus, quibus peculiari cultu addicti ſunt, ſe quantâ poſſint demiſſione animi commendent, vota nuncupent, nihil ad eos ſui miſeratione movendos omittant; & in animum nihilominus hi ipſi inducant ſuum, ſe ex inimicis Dei redire in ejus gratiam poſſe, abſque eo, quòd vel ſemel Deo ſupplicent. *Juſtificatio Impij*, ſi rectè Angelicus ſenſit, eſt *maximum opus Dei.* Et tu, qui certiſſimò tibi perſuades, abreptum immaturâ morte filium vitæ ac ſanitati à Deo reſtitutum non iri, niſi precibus illum & plurimis, & contentione maximâ fuſis fatiges, tam à rectâ aberras ratione, ut exiſtimes, animam mortuam vitæ reddendam, etſi ne ſemel quidem os ad Deum orandum aperias, cùm tamen hoc ſit opus abſque comparatione majus, quàm ſi ſexcenta cadavera jam à vermibus corroſa ad Dei nutum momento reſurgerent. Quare, ſi me audis, omnem ad hoc medium rectè uſurpandum induſtriam adhibes, & ſtudiosè non minùs, quàm crebrò à Deo pete dolorem, in quo tantum momenti eſt. Si lubet, his Deum verbis alloquere. Domine, en me miſerum, qui peccare poſſum, dolere de peccato admiſſo viribus meis non poſſum: inquinare me poſſum, lavare non poſſum: poſſum me ligare, non poſſum ſolvere: cadere poſſum, ſurgere non poſſum: Ah porrige adjutricem manum tuam, & fer opem deſtituto: *Converte me Domine*

Eccli. 17.22.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mine, *& convertar*; & quoniam jubes, ut ex animo doleam, da quæſo hunc intimum animi dolorem, qui totus donum tuum eſt.

XI. Alterum medium eſt, convertendi ad Deum, eas ipſas vires ac facultates impendendo ad ſeriam converſionem, quibus uſi ſumus, ut ab eo averteremur. Primò igitur quisque id agat ſtudioſè, ut noxarum, quibus ſe obſtrinxit, multitudinem ac numerum perpendat, Regis ſecutus exemplum, ita ingemiſcentis. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Nemo fermè eſt, qui dum ſacro Judici ſe ſiſtere parat, aliorum peccatorum meminerit, quàm eorum, quæ admiſit, ex quo poſtremùm ſe reum ſtitit, & hinc, quamvis non pauca ſint, eorum horrore non percellitur, quia, etſi multa, non tamen ſunt omnia. Verùm revocet quisque in memoriam omnia, quæ tot annorum ſpatio peccavit: *Recogitabo tibi omnes annos meos*: Et tum qui fieri poterit, ut totus non cohorreſcat! Quatuor peccata quot hebdomadis admiſſa anno elapſo conficiunt numerum ducentorum & ampliùs; poſt annos autem decem aſcendunt ultra duo millia. Erit tamen non unus, qui pluribus, quàm quatuor, hebdomadis ſingulis animum commaculet, & ut ultra decem annos ſe extendat funeſta ſic delinquendi aſſuetudo: unde ſummo utique horrore perfundi cum neceſſe erit, ſi omnem iſtum noxarum cumulum mentis oculis obiiciat. Ubi poſtmodum hac ratione numerum quis perſpexerit, tum etiam ad earum pravitatem ac deformitatem conſiderandam ſe vertat. Omnis noxa lethalis & offenſa Numinis, injuria eſt tam enormis, ut plus afferat Deo diſplicentiæ & contemptûs, quàm illi afferant gaudij ac gloriæ omnes tam Angelorum, quàm hominum Beatorum chori. Quàm ergo diſplicebit ipſi, quàm averſabitur totum ejuſmodi culparum exercitum! Subinde & illud animum ſubeat, quàm vilis, quámque miſerabilis ſit, qui intulit injuriam, quæ viciſſim ac quanta Majeſtas ejus, qui offenſus eſt. Quid, per Deum, quisque noſtrûm eſt, tum ſi corpus ſpectet, tum ſi animum, collatus Deo? Quid aliud eſt miſerum hoc corpus, quàm pugillaris maſſa coagmentati cineris? Quid animus, quàm ſpiritus, omni Dæmonum deformitate deformior, qui unâ tantùm noxâ ſe fœdârunt? Gentes omnes ac populi, qui ſunt, & qui eſſe poſſunt, Deo comparati, ſi Propheta falſus non eſt, quid ſunt? *Ecce Gentes*, inquit ille, *quaſi ſtilla ſitulæ reputatæ ſunt.* Iſ. 40. 15. Et quantilla hujus ſtillæ pars unuſquisque noſtrûm eſt? *Quantula pars hujus guttæ*: admirans exclamat S. Joannes Chryſoſtomus. Et tu quisquis es, conditionis tam miſeræ, tam abjectæ, fronte es tam perfrictâ, ut contra Deum pugnare, eúmque aggredi non horreas, lædendo illum injuriâ, quâ majori irritare non poſſes quemquam æqualem ipſi, dum obedire detrectas: & hoc poſtquam ipſe bonitati ſuæ, nullis terminis clauſæ, (quæ ſola omnium cordium amore



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

reddebat digniſſimum) addidit beneficentiam erga te incomparabilem, ut te ad ſe amandum provocaret? Hæc tria, qui penſiculatiùs ſecum librârit, dignitatem & exſuperantiam offenſi Dei, hominis offendentis vilitatem, culparum admiſſarum atrocitatem & cumulum, ſaxeus ſit oportet, ſi ſalutaris doloris in animo nihil naſci adverteret; tantóque id mirum eſſet magis, quòd Deus tam disertè per Pro-
Jer. 15. 19. phetam pollicitus ſit: *ſi converteris, convertam te.* Quid enim aliud hæc verba volunt, quàm: ſi feceris, quod eſt in te, ſi & voluntatis liberæ arbitrio, & fidei lumine, & ſufficientis gratiæ, quæ nunquam tibi deeſt, ope rectè uſus, coneris ad me redire meliore quo potes modo, tum enim verò, quod deeſt, mea ſupplebit miſeratio, & conferendo tibi auxilium opportunum ac potens, faciam, ut redeas ad me corde perfecto: *ſi converteris, convertam te, & ante faciem meam ſtabis.*

XII. Non ſit proinde, qui cum nonnullis in hæc verba inconſultus prorumpat: *Dolorem iſtum excitare in me non poſſum; deſidero tamen illum excitare.* Non ſit inquam, qui hoc dicat: nam ſi de dolore loquamur non tenero, & in ſenſus redundante, de quo non pauca hactenus, ſed appretiativo illo & rationali, non eſt ſatis iſtum deſiderare, neceſſe eſt habere; quàm parum ad Baptiſmum ſufficit deſiderare aquam, reipsâ illâ non abluere. Quare ſi dolorem iſtum quis non habet, curet ut habeat. *Lu-*
Jer. 6. 26. *ctum unigeniti fac tibi planctum amarum:* hortatur Propheta. Si non doles, quantum Mater, quæ in filii unici morte omne ſuum bonum perdidit, fac tibi luctum illum: *Luctum unigenti fac tibi.* Et ſi modica, quam de Deo habes, cognitio, ſi nimium commodorum tuorum ſtudium non ſinunt, ut Contritionis dolorem excites; ſaltem id age ſtudioſè, ut doleas Attritione, quàm potes, amariſſimè: *fac tibi planctum amarum.* Verùm illud cuncti obſervent velim; ſatis ad hunc dolorem excitandum non eſſe, ſemel, & quaſi aliud agendo enumeratas dolendi cauſas percurrere, etſi illæ tanti ſint roboris. Imò ut juvante Deo peccatores perfectè conterantur, iterum iterúmque ad hæc perpendenda redeant oportet: nunc enim ſpes eſt, futurum, quod Moſaicâ illâ petrâ factum eſt, ut quæ, percuſſa ſemel, petra fuit, & aquas avara negavit, percuſſa ſæpius molleſcat & aquas profundat abundantiſſimas. Num. 20. 11. *Egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* Hinc manifeſtum ſit, quàm non prudenter agant, qui de animi ſui latebris ſcrutandis non cogitant, niſi cùm jam jam ſacrum ad tribunal feſtinant. Quomodo iſti momento velut unico habebunt parata ac prompta omnia, quæ ad verum dolorem excitandum ſunt opportuna, aut neceſſaria? Qui levioribus tantùm culpis urgentur, non magnopere fortaſſis laborabunt, ut etiam tū ſincerè doleant; ſed qui & multis & gravibus delictis premitur, quomodo tam citò cor ſuum totum immutabit, ut amet, quæ oderit, oderit, quæ amat? Qui manus mundas etiam chiro-

chirothecis contexit, facili lotione abluet, quod adhæſerit ſordium: at faber aliquis ferrarius, aut alius, qui annum integrum carbones, fornacémque laterum ſordidis manibus tractârit, an momento lavabitur unico, & inveteratas ſordes abſterget? Si aſſuetudo inveterata, ſi propenſiones ad vetita nihil obſtarent, enim verò intelligerem ſubitam hanc ſcenæ mutationem; ſcio enim non temporе, ſed ſuâ indole & naturâ dolorem eſſe metiendum: *Apud Deum non tam valet menſura temporis quàm doloris.* Sed ubi de animis agitur in malo obſtinatis, haud facilè inducor ad aſſentiendum. Medicorum ſententiâ ſubtiliores corporis partes facilè alternantur, ut loqui ipſis placet, craſſiores autem difficulter. *Quidquid tenuium eſt partium, id promptè alternatur; contra cui craſſæ ſunt partes, ægrè.* Nec diſpar videtur animorum conditio.

XIII. Hujus tantæ ſocordiæ geminæ cauſæ ſunt; Chriſtianorum vulgi inſcitia, & Dæmonis invidia. Ex Chriſtianis, qui hanc doloris neceſſitatem non probè docti ſunt, multi omnem in eo reponunt induſtriam, ut peccatorum ſuorum & numerum, & ſpeciem in memoriam revocent, & Sacerdoti cum fide enarrent: ut ſeriò doleant, ut toto animo ab iis abhorreant, non multum ſoliciti ſunt: atque ita fit, ut eorum Pœnitentia ſit corpus exanime, & confiteri, ſit plagas ſuas oſtendere Medico, ſed non ſanare. *Qui peccata confitetur, & non deflet,* Magni Gregorii Oraculo, *perinde eſt, ac ſi quis Medico vulnera detegeret, & curari nollet.* Neque hæc Summa malorum eſt: Chriſtiani populi inſcientiæ ac imprudentiæ Dæmonum accedit invidia, qui nullum beneficium humano generi collatum tam indignè ferunt, quàm Pœnitentiæ remedium à Dei benignitate conceſſum, cùm iſtud ſibi negatum, hominibus tam promptum paratúmque eſſe, ringantur & doleant; quódque eadem bonitas noſtrâ imbecillitate, inſtabilitate, ac miſeriâ ad nos beneficiis cumulandos ſit uſa. Unde invidiâ pleni id agere moliuntur, quod Tyrannus ille crudelis, qui cùm conjurationes contra ſe timeret, initio verba, mox & lacrymas prohibuit.
*Ælian. l. 14. var. Hiſtor.*
Ita & Dæmones, quoad velent, impediunt, ne peccator in Pœnitentiæ tribunali ſe accuſet, quod eſt impedire verba: ubi autem vident fixum illi aperire ſua delicta Judici, dolorem de admiſſis, atque adeò lacrymas prohibent, ut ſic parùm providi Chriſtiani nunquam excutiant jugum tyrannidis, quam, quisquis ſeriò horret, exarmat. Et verò hoc dolori impedimentum ponere ſummæ omnino crudelitatis eſt, cùm malum, remedio impedito, geminetur. Viduæ illi, mortem filij ubertim deploranti, Chriſtus Servator dixit: *Noli flere.*
*Luc. 7. 13.*
Neque hoc pugnans cum ratione erat imperium; prohibito enim fletu flendi quoque cauſam ſuſtulit, & filium amiſſum Matri reddidit. Sed non hæc ſunt Dæmonum ſtudia. Crudeles ſunt & truculenti non minùs, cùm conſolantur, quàm cùm affligunt: dicunt

qui-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quidem & ipſi peccatrici Animæ: *Noli flere.* Pro eo tamen, quòd flendi cauſam peccatum auferant, geminant & corroborant.

XIV. Cavete igitur ſtudioſé, Dilectiſſimi, ne ſuis vos Orcus dolis circumveniat; Tyranus eſt crudelis & exitii veſtri cupientiſſimus, Leges ejus omnes ex perfidiâ & fraudibus conflatæ: unde quo diligentiùs & curioſiùs vos hortatur, ut hilari ſitis animo, ut dies agatis lætos, ut nullum pratum amœniſſimæ voluptatis expers eſſe patiamini, hoc minùs ipſi

Eccl. 3. 4. habendum eſt fidei. Eſt *tempus ridendi*, eſt & *tempus flendi*, ſi Sapiens ille Eccleſiaſtes non erravit. Eſt autem tempus flendi hac mortali in vitâ, ridendi verò in alterâ: ita S. Hieronymus interpretatus eſt: *Nunc flendi tempus eſt, & in futuro ridendi.* Ordinem hunc invertere Dæmon molitur, & illud efficere, ut omiſſo brevi paucorum dierum in vitâ luctu, poſt

Luc. 6. 25. mortem lugeamus æternùm. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* O permutationem miſerrimam! tantilli temporis riſum planctu & ejulatu emere ſempiterno! Nulla dies quemquam noſtrûm videat contractu tam detrimentoſo deluſum. Præcipuum idcirco negotium noſtrum ſit, deplorare malum, quod fecimus, ita ut ſi momento vel unico perfidi fuiſſemus Deo noſtro, momentum hoc dolore nunquam non duraturo compenſemus & reſarciamus. Quid, quid juvat tam tenero ſenſilique mœrore proſequi jacturam bonorum caducorum, & nolle dein guttulam unicam impendere jacturæ tantò damnoſiori, quâ anima perditur? Quid hoc eſt aliud, quàm Balſamo calceos illinere, & plagis lethiferis illud non adhibere? *Luctus mortui ſeptem dies: fatui autem & impij omnes dies eorum:* Eccl. 22. Dei verba ſunt, quibus nos docere vult, omnem luctum in jacturâ rerum temporalium eſſe nimium; cùm in malis culpæ omnis dolor ſit brevis, niſi vitæ totius temporis, quo dolere poſſumus, reſpondeat. Enim verò Chriſtus tam eſt ſolicitus, ne vel guttula pretioſi hujus oculorum liquoris nullo fructu profundatur, ut mortem etiam ſuam à mulieribus illis urbis Hieruſalem deplorari vetuerit. *Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete.* Luc. 23. quamquam probaverat ſtudium Magdalenæ, unguentum pretij haud quaquam vulgaris, non in alimentum pauperum, ut aliqui maluiſſent, ſed ad ungendum corpus ſuum venerabile expendentis; mulierum tamen illarum lacrymas boni conſulere non voluit, quæ ſuarum oblitæ culparum, non ſeipſas, ſed Chriſtum deplorabant: ut diſceremus, etſi ſanctiſſimæ ſint lacrymæ, quas, Servatoris noſtri cruciatibus condolendo, profundimus, magis tamen neceſſarias eſſe lacrymas doloris, quibus noſtra deflemus delicta, quæ illorum cruciatuum cauſa fuerunt. *Super vos ipſas flere.* Hac ratione plorando cum Pœnitentibus, ſi cor noſtrum atque animus nonnihil tam juſto dolore

contriſtetur, cogitemus non minùs mundum fore, quàm mœſtum. Quantò autem erit mundius, tantò est aptius ad Deum cœleſti in gloriâ contemplandum; juxta notiſſimum illud Servatoris noſtri Oraculum: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et quantò erit mœſtius, tantò nos etiam reddet magis idoneos ad Deo ſemper gaudendum; ut altero Chriſti effato docemur: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.*

# DISCURSUS XIV.

## *De Emendationis Propoſito ad Confeſſionem neceſſario.*

DUplex malorum genus eſt, quod, Medicorum judicio, humano in corpore Paralyſis efficit. Nonnunquam enim omnem ſentiendi ſtupefacit; aliàs facultatem tantùm motricem ligat. Utrumque horum etiam peccatum efficit: modò enim cor hominis & animum tam reddit durum & intractabilem, ut doloris & pœnitudinis ſenſum planè nullum habeat; aliàs verò, etſi doloris aliquid mentem afficiat, facultas tamen motrix prorſus obſtupeſcit, ſic ut animus à malis & miſeriis ſuis avellere ſe, & recedere nullâ ratione valeat. Habemus hîc quod animi noſtri vitium & pravitatem, nullis, ne ſanguineis quidem lacrymis, ſatis deplorandam. Multi peccata Sacerdoti confitentur, ſed non emendantur; quia illo deſtituuntur, quod primo loco ad veram, ſtabilemque vitæ emendationem requiritur, propoſito inquam & decreto, non peccandi de cætero, ſed vitam in melius commutandi. Hoc igitur de Propoſito ac Decreto hodie diſſeram neceſſe eſt, tria, quæ comitari ipſum debent, ut ad ſperatam admiſſorum veniam impetrandam ſufficiat, pluribus explicando.

II. Si virtutum ſingulæ aliquid de Divinis perfectionibus participant, affirmandum erit, virtutem Pœnitentiæ, participare aliquid ex illo odio, quo Deus in peccatum fertur; unde conſequens eſt, quòd, quas obſervamus Divino hoc in odio conditiones ac dotes, eas etiam imitari pro modulo debeat voluntas Pœnitentis ad hoc, ut rectè ſe habeat. Eſt autem odium divinum erga peccatum ſtabile ac firmum, eſt univerſale, & longè efficaciſſimum. Tale ſi etiam noſtrum odium neceſſe eſt, ſic ut quisquis non in ſpeciem dolet, abhorreat conſtanter à culpis, ſeu jam contractis, ſeu contrahendis; ut abhorreat ab omnibus, nul-

lâ demptâ; abhorreat denique non tantùm nudâ cognitione & ſpeculatione, ſed inſuper re ac facto, cunctas deinceps quam efficaciſſimè impediendo. Has Pœnitentiæ dotes omnes ac ſingulas divinâ quadam ratione Spiritus Sanctus iis verbis complexus eſt: *Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua, & minue offendicula.*

Eccl. 17. 11.

I.

III. Et primò quidem vox *Convertere* non obſcurè primam dotem exprimit, ſtabilitatem inquam, de qua dictum eſt. Quid eſt, AA. Dilectiſſimi, confiteri, quid pœnitentiam agere? Eſt ad Deum converti: *Convertere ad Dominum.* Valdè dolendum eſt, quòd Sacerdos, qui aures confitenti præbet, non raro cùm laborat, quantâ poteſt contentione, in impii cuiusdam animo excitare juſtum amittendæ ſalutis metum, hæc, hisve ſimilia verba reſponſi loco audire debeat: *Verum eſt, mi Pater, quòd anni iam complures ſunt, ex quo ſæpe Deum offendi; ſed non defui partibus meis, quo minus de peccatis his me ſacro in foro accuſarem.* Itane, ſemper te accuſaſti! an autem & converſus es? hîc rei cardo vertitur; nec enim Confeſſio, ut multi hallucinantur, negotium eſt, quod verbis in ore natis peragatur; neceſſe eſt id intimis animi ſenſibus geri: non extremâ in linguæ cuſpide, ſed imo in corde vera pœnitentia locum habet. Confiteri, repeto, eſt converti ad Deum: *Converte ad Dominum.* Unde oportet non admittenda minùs, quàm admiſſa delicta odiſſe; admiſſa quidem, illa mœrendo deteſtando; admittenda verò, firmiſſimo animi propoſito nolendo. Si abſit horum alterutrum, non eſt ſpes obtinendæ à Deo gratiæ. *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit.* Hic non eſt altera evadendi via, aut hoc anguſto ponte tranſire oportet, aut nunquam. Decreto inquam opus eſt, quo animum obfirmes ad non peccandum de cætero ullo tempore, quacunque causâ, quacunque occaſione; aut alioqui hoc æternùm eſt pereundum. *Pœnitentes (ſi tamen eſtis Pœnitentes, & non eſtis irridentes) mutate vitam.*

IV. Hinc via ad Cœlum amplum non eſt, ut ſuo nos Oraculo Servator noſter edocet. *Quàm arcta via eſt, quæ ducit ad vitam!* Non enim linguam ſolvere Sacerdoti enumerando errata, convertere ſufficit: animus convertendus eſt decreto ſe de cætero emendandi immobili, totúſque rerum ordo invertendus. *Adora quod incendiſti; incende quod adoràſti.* Sic Clodovæum Galliarum Regem, ſacris undis abluendum, S. Remigius affatus eſt: adoranda nimirum deinceps Crux, quæ igni tradi conſuevit; cremanda Idola, quibus thus adolebatur. Ita ſanè verum quisque in animum inducat oportet, pœnitentiam ſimili ipſum verborum formulâ alloqui, & diſertè denuntiare; quòd ſi altero hoc Baptiſmo ablui & expiari velit, neceſſe ſit odiſſe quæ amaverat, amare, quæ oderat; odiſſe nimirum peccatum, & Deum diligere: *Adora quod incendiſti; incende quod adoràſti.* Atque hoc eſt verè pœnitentiam agere, quia eſt verè converti

verti. *Convertere ad Dominum.* Et abſque hoc confiteri aliud non eſt, quàm larvam Pœnitentis induere, & curvari, ut remus curvatur in aquâ, populorum ludibrio. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Vix eſt aliquid, quod Chriſtianâ in Republicâ ita me conſternet, quàm hæc Servatoris noſtri verba; dum obſervo, ſcenicorum horum Pœnitentium tantum eſſe numerum, ut populum conſtent: *Populus hic.* Plurimi officium ſe facere ſuum putant, ſi labiis tantùm dicant: *labiis me honorant*, nec interim penſi habent, quòd cor ad Deum non redeat: *Cor autem eorum longè eſt à me.* Unde dubium vobis AA. nullo modo eſſe debet, quin motivis utilioribus erudiri & excitari peccatores non poſſint, quàm ſi decreti hujus neceſſitas in animum ipſis revocetur; neque enim Dæmon, affirmante S. Virg. Tereſiâ, aliâ arte majorem animarum prædam agit, quàm efficiendo, ut ſui pro Tribunali Pœnitentiæ accuſatio manca ſit, & nullius roboris, dum propoſitum ſe emendandi firmum ac ſtabile, quo ſine umbratilis eſt omnis Pœnitentia, ſummâ ſe accuſantium incuriâ deſideratur.

V. Tria præ cæteris hominum genera admonitione hâc indigent, eamque altè in animũ demittant oportet: Scilicet, quos ad peccandum egeſtas impellit; qui jactare ſe de peccatis ſolent; quique pravam peccandi aſſuetudinem contraxêre. Ut enim quodvis illorum hominum genus, arduum & difficile hoc propoſitum experitur, ut fas eſt credere, ſæpe id in quolibet deſiderari. Primò ſiquiden, abiiciunt ſe nonnunquam ad pedes Sacerdotis nonnulli, qui rectiſſimè ſe purgare ſibi videntur, ſi dicant: *Mi Pater, quid vis, ut agam, ſi aliunde non ſuppetit, quo vivam? Non animi causâ, ſed neceſſitate compulſus pecco.* Prô miſerandæ animæ! Eò, redactam creditis ſupremi Numinis Providentiam, ut alere jam non poſſit eos, qui ſincere ipſi ſerviunt! tam cœcæ eſtis, ut non advertatis, ſic confitendo vos noxas veſtras geminare? Quæro enim ex vobis: ubi eſt vitæ corrigendæ propoſitum? Si neceſſitate peccatis, nondum converſæ dici poteſtis, quoniam etiamnum durare neceſſitatem videmini affirmare: hâc autem non ſublatâ; non eſt ſublata cauſa, quæ hactenus ſola, ut aſſeritis, ad peccandum impulit. Aperite tandem oculos, ut agnoſcatis (ita monet S. Auguſtinus) eum, qui hactenus paſcere voluit ingratum & perduellem, poſſe etiam, & velle paſcere fidum & obſequentem. *Paſcit te Deus contemnentem ſe, & deſeret timentem ſe?* Et ſi fortè, ad probandam fidem tuam, deſideratam opem ac ſubſidia ille differt, cave animum abiicias; reſponde ſolicitanti te Dæmoni, quod Babylonici illi adoleſcentes reſpondere Regi Nabuccodonoſori, cùm eorum oculis fornacem ardentem objecit: *Ecce Deus noſter*, inquiebant, *quem colimus, poteſt nos de manibus tuis, ô Rex, liberare: quod ſi noluerit, notum ſit ſibi, Rex, quòd Deos tuos non colimus; & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.* Sic loquatur neceſſe eſt, quemcunque premunt an- *S. Aug. in Pſ. 33.*

guſtiæ. Certum eſt, dicat oportet, quòd Deus hanc meam inopiam, hanc egeſtatem ſublevare poteſt. Sed ſi aliter illi viſum eſt, nôrit Mundus, quòd fixum ac ratum mihi ſit, non averti à Deo, ſummâ Bonitate, per omne deinceps ævum, ut ad execranda mea commoda me convertam; & ſciat hoc cum Mundo etiam Infernus. Sic conſtitutum animo oportet eſſe illum, quem ad offendendum Deum rerum penuria impulit: id autem, quàm premente egeſtate ſit arduum, nemo non videt.

VI. Nec difficultatis minùs in concipiendo ejuſmodi decreto illi experiuntur, qui adeò depuduerunt, ut de ſceleribus ſuis glorientur, illa jactitent, aliis enarrent, & tanquam re præclarè geſtâ triumphent. Quo enim iſti impulſu movebuntur, ut execrentur plùs quàm omne malum ſcelera, quæ, ſaltem ut nullius momenti malum, reputârunt hactenus? *Quaſi per* Prov. 10 23. *riſum ſtultus operatur ſcelus.* Quâ loquendi ratione id indicare Spiritus Sanctus voluit, quòd, ſicut riſus cauſa eſſe ſolet macula quædam, aut deformitas, quæ damni nihil afferat, *Ridiculum eſt defectus quidam ac turpitudo ſine dolore*; Ariſt. Polit. c. 1. v. 7. talia nonnullis etiam ſcelera videantur: unde quàm creberrimè turpitudines ſuas jocis elevant, nullo reſpectu narrant, ſine pudore vulgant, & tandem ineptiſſimè de iis gloriantur. Rebus autem ſic ſtantibus, nemo non videt, quàm ſit plenum difficultatis firmiſſimum poſthac non peccandi propoſitum. Nihil non mali portendit in periculosè decumbente vultus nimiùm vividus, *Facies vivida nimis, mala.* Nam illud argumento eſt, morbi violentiâ & malignitate perturbatum eſſe, quidquid in corpore humorum eſt ac ſpirituum. Idem ego de impudentibus his pronuntiavero, quos pudet eſſe bonos, & glorioſum videtur eſſe conſceleratos. Vultus tam vividus ac ſcintillans, in ægro valetudinis tam deſperatæ, indicio mihi eſt, intima hujus infelicis animæ ſurſum deorſum verſa eſſe omnia; amiſſam fidem, atque ita ſalutis ſpem vix ullam ſupereſſe.

VII. Longâ tandem peccandi aſſuetudine depravati ſumma utique & ipſi difficultate laborabunt, ſi ſerio Pœnitentiæ ope converti velint. Enimverò multoties, dum ſua enarrant peccata, audire eſt eos, ita cum Sacerdote loquentes. *Aliter facere non poſſum. Quid tandem me vis agere? Attendam mihi, quantum valeo.* Et hujus tandem indolis eorum decreta ſunt. Deum bonum, quàm firma & inconcuſſa! Corallium principio plantarum in cenſu ponitur, tandem ubi induruit, lapidum in numero habetur. Sic & peccatorum depravatorum animus ſe habet. Perpetuæ contextæque Numinis injuriæ eum ad obſtinationem miſeros redegerunt, ut ex virtute vivere haud ſanè poſſibile ipſis videatur. Sic autem perſuaſus quis credat conſtantiſſimè iſtud ipſum exequi decernere? O miſeram hominis ſortem, qui huc delapſus eſt! Si eorum ex numero, qui me audiunt, nemo hujus farinæ eſſet, meminerit ille diligenter, ſolis verè converſis no-

xarum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum veniam promiſſam. Dixi: aut aliter vivendum, aut pereundem eſt. Aliud ſupereſſe non putem, quàm ut qui talis eſt, precibus calidiſſimis à Deo flagitet, ut dum ad Pœnitentiam animum ipſe ſe parat, cor ipſius Deus emolliat; quod quidem ſe facturum repromiſit. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.*

VIII. Atque hoc ipſum univerſim Pœnitentibus omnibus inculco: diſcite tandem timere ob tantam varietatem & mutabilitatem, quam in vobis experimini, poſt ſuſceptum toties Pœnitentiæ Sacramentum. Omnem ejus cauſam referre ſoletis in fragilitatem veſtram: ſed hæc etſi nonnihil conferre poſſit ad tã celeres relapſus, metuo tamen, ut ipſa plurimum conferat: pronitas eſt, ut credam, ſæpius abſolutam ſuis numeris converſionem animi abeſſe. Videte, monet S. Auguſtinus, lupum illum, qui feſtinus & ferox ad gregem mactandum accurrit, Si Paſtores, ſi eorum canes, lupinâ ferociâ proviſâ, exeant magnis animis ad furem hunc abigendum, enimverò ſuas ad latibula ſe bellua tremens proripiet. An idcirco mutatum quis lupum aſſeret, & in Agnum converſum? Equidem ille lupus eſt, quamlibet nõ jam ſuperbus ac minitabundus, ſed pavidus & dolens videri velit. *Lupus venit fremens; lupus redit tremens, lupus tamen eſt fremens & tremens.* Hæc eſt omnium certiſſima ratio, cur tam citò ad vomitum redeant plurimi Peccatorum, qui paulò antè à ſacro tribunali demiſſo capite redibant. Agunt, quæ priùs egerant, quia ſunt *illi*, qui priùs fuerant: & tota, quam præ ſe ferebant, mutatio exterior erat, vel quia in eos Confeſſarius nonnihil invectus erat, vel qui ſolenniores erant dies, vel quia ad extorquendam abſolutionem videbant neceſſarium, ut aliquanto ante Confeſſionem tempore ſe tantiſper refrenarent. Sic illi maximè Pœnitentiam agunt, qui res alienas rapuerunt, quin unquam reddant; ſic illi, qui ſcandalorum, ſuſpicionum, & damnorum in exiſtimatione propriâ prætextu, vel domi lupam aliquam, vel alio loco alunt: & quamquam per ſacri jejunii dies Concionatorum vocibus territi videantur, non culpam tamen, ſed, qui eos manet, ignem metuunt. *Lupus redit tremens.* Ponunt quidem audaciam in peccando, non tamen ponunt propenſionem ad peccandum: & ſic non naſcitur eorum in animis pœnitentia, quæ, odium Divinum imitata, omnem conſtantiſſimè abominetur iniquitatem: *& reſpicere iniquitatem non poſſit.*

II.

IX. Altera genuinì Propoſiti dos & conditio eſt, ut peccata deteſtetur planè omnia, eo ſolùm, quia peccata ſunt, ſitque decretum abſtinendi à ſingulis & univerſis, nullo dempto, qualem ad dolorem deteſtationémque exemplo nos ſuo Pœnitentium ſpeculum Regius Propheta provocat, *omnem*, inquiens, *viam iniquitatis odio habui.* Neque hîc deſunt Chriſtianorum è numero, qui deficiant. Sunt enim, qui ſacrum Judicem ſic allo- Pſ. 112.

quuntur. *Hoc tantùm peccati genere* (& exprimunt, quod ſit) *deliqui; alterius me reum non ſcio. Non rapio aliena, non fallo, non detraho, nec aliâ quemquam iniuriâ afficio. Ab hoc tamen, ad quod tam pronus ſum, peccato haud ſatis video, quomodo abſtinere poſſim.* Hoccine Propoſitum peccata complectitur omnia? Non tantùm Fures, Fraudulentos, Detractores, Homicidas odit Deus, ſed Peccatores, & peccata deteſtatur planè ſingula & univerſa. Nec diſſimilem oportet eſſe deteſtationem noſtram, ſi tamen veram & efficacem adamamus; ſed Divini inſtar odii abhorrere debet ab omnibus ſine ullo limite. *Convertere ad Dominum & derelinque peccata.* Cuncta omnino, cuncta relinquenda, & nec uni alicui oportet affici. Cromatius gravi tentatus invaletudine opem à S. Sebaſtiano petiit ad ſanitatē recuperandam. Enimverò libenter etiam, repoſuit Martyr Sanctiſſimus, dummodo ſtatuas Idola frangere omnia, quæ divino hactenus cultu adorâſti. Accepit conditionem Cromatius; cùm tamen idola fregiſſet cætera omnia, uni præ reliquis charo & venerabili pepercit: unde licèt illi rite ac bene precatus eſſet Sebaſtianus, morbus tamen remiſit nihil: donec à Sancto rogatus: numquod fortaſſe uſpiam adhuc ſupereſſet Idolum integrum? candidè faſſus eſt, ſupereſſe, ſed unum duntaxat. Hoc proinde confeſtim in fruſta abiit, & integra Cromatio rediit valetudo. Ita & veſtro è numero quiſpiam Sacerdotem accedit non æger modò, ſed planè

*Surius in vita.*

mortuus, & vitam ſibi petit reſtitui, dum cupit à noxis abſolvi. Nulla, inquit Sacerdos, in me mora erit, ſed hunc ad finem conſequendum frangenda ſunt idola omnia, hactenus cum tantâ ſupremi Numinis injuriâ à corde tuo adorata; neceſſe eſt, ſtatuere firmiſſimè, non peccare deinceps quacunque ob cauſam. Si tu interim dilectum tibi idolum aliquod fervens vis, affectum, inquam, vigentem ad voluptatem illicitam, lucrum injuſtum, vindictam, aut quodvis aliud gravioris delicti genus, frangas licet idola cætera, & abomineris quodlibet peccati genus, nil tibi Sacerdotis abſolutio proderit, nec ſua miſera anima vitæ reſtituetur. *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus.* Si contrita carina, ſi prora, ac puppis firmiſſimæ fuerint, pateat autem alicubi ca[illegible] rima, an non id ſatis eſt, ut ſubmergatur? Dicis: Non furor, non mentior, non famæ alienæ, non rei noceo, malo alio non urgeor, quàm illo, ad quod tam prona natura eſt. An non vides, hoc unum ſatis eſſe, ut mergaris [illegible] illo igneo, ſi non occupas, & decreto ſtabili, abſtinendi à peccatis omnino omnibus, periculum prævertis? Maximè cùm non rarò illud unicum ſit etiam maximum. Saul vulgus occidit, Regem ſervavit. *Apprehendit Agag Regem Amalech vivum, omne autem vulgus occidit in ore gladii;* & huius furfuris homines faciunt. Una illa, quam dicunt, fragilitas millenas noxas continet; & ipſi unam hanc ſervant, nec attendunt, quòd cæteras inter ut Rex eminet, atque ita

tota ipſa & ſola *pro decem millibus computatur*, ut ad Regem Davidem dictum eſt. Nôrit proinde quilibet, Legem divinam non pati eiusmodi exceptiones: totius cordis ipſa eſt domina, totum proinde ſibi vindicat, ut ratio poſtulat; ſic ut ſi tu è diverſo partem aliquam laboris ſervare tibi, licèt aliam videaris non invitus dare, ſpem ſalutis nullam habeas ſuper. *Diviſum eſt cor eorum: nunc interibunt.*

X. Sicut porro Propoſitum ita latè patere debet, ut peccatum omne procul habeat, ita neceſſe eſt, ut fugam hanc à culpis imperet omni in eventu, quocunque rerum ſtatu, loco quocunque ac tempore. Eſt, qui ſe excuſans dicit: *Si alius quiſcunque hoc ſcelus mihi imperaret, enimverò non obtemperarem; ſed cùm herus imperat, quid agam? heris neceſſe eſt cervicem ſubdere, & obedire.* Quid ergo? an Deus, Dominus ac herus tuus non eſt, an non eſt Dominus Dominorum omnium? Vade, quisquis es, nec enim tibi Confeſſio prodeſt quidquam: & ſi ubi fortè in aliquem incideris, qui tamen verbis te abſolvat, certus eſto, ſi S. Cypriano fides, quòd tam non proſit tibi quidquam, ut etiam plurimum noceat. *Hoc non eſt curare, ſed ſi verum dicere volumus, eſt occidere.* Nec diſpar illorum eſt ratio, quibus fixum eſt, tentanti nunc quidem fortiter obniti, ſed in omne futurum tempus hoc voluntatis decretum ſe non extendit. Hoc ex genere ſunt miſeræ illæ, quæ manus porro dare ſolicitanti abnuunt, ſed eo fine, ne ſuas ſpes, quas habent, evertant. Sed ſinite, jungantur illæ conjugio, & tum videre, an pari faſtidio reiectùræ ſint turpes amatores ſuos, quo illos nunc à ſe repellere videntur. Hoc non eſt animum & cor vacuare, ut vas plenum aquâ, ſed ut ſaccum frumento plenum. Jubet tamen Deus, ut ſic effundas, quæ noxia in illo ſunt, ut ex vaſe aqua effunditur. *Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini.* Th. 2. 19. Nam qui frumentum effundit è ſacco, ſperare poteſt, quod denuo implere illum eodem frumento poſſit. At aquæ è vaſe in terram effuſæ denuo colligendæ ſpes eſt nulla: actum eſt de illâ. Equidem non parùm hoc quoque ex capite multis peccatoribus metuo, quorum ſi intima pervidere conceſſum eſſet, appareret enimverò latere ibi tacitam voluntatem redeundi, poſt Sacros & feſtos Myſteriis Religionis noſtræ dies, ad ludum priſtinum, & ſylvam antiquam, & onerandi denuo ſinum quisquiliis, quas abjecerant. *Poſtquam aliquos peperêre, rurſus alios in utero gerunt, ac ſuperfœtant.* Ariſt. l. 6. hiſt. c. 33. An non fatendum, tales eſſe aliquorum Confeſſiones? Sub ipſum illud tempus, quo veluti pariunt delicta aliqua priùs admiſſa, de aliis ſubinde admittendis cogitant, & dum cor eorum parit, alium jam fœtum iterum gerit in utero. Id autem inde naſcitur, quod fermè culpa, non ut culpa eſt, horrori ſit; ſed fructus tantùm culpæ timeantur, qui non parùm noxii prævidentur. Multi proin nullo bono ſuo confitentur, & dum videntur ſibi animum ab omni prorſus labe purgâſſe, ne primas quidem ſordes eluerunt. *Generatio, quæ*

ſibi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Prov. 3. 12. *ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis.* Nec temerè Generationis voce hîc Deus utitur: eâ enim indicare vult, non unum alterúmve, & rarò admodum tales reperiri; ſed plures ſunt, quàm vos opinemini, qui ideo hæc mea monita, ut nimis anxiè religioſa ac rigida, parvi facitis; cùm tamen ſint ex iis, quæ vobis non utilia tantùm, ſed planè neceſſaria eſſe, præterquam ulla alia, plus ſatis ſcio.

III.

XI. Quantum autem in hoc veſtro de meis documentis ſenſu ac judicio à vero aberretis, haud paulò maniſeſtiùs patebit, ſi tertiæ etiam, de qua initio dictum eſt, conditionis memores, cum eâ propoſitum veſtrum contuleritis: tum enim apparebit, quàm multum illi deſit. Eſt autem tertia Divini odii prærogativa, quo peccatum abominatur, virtus eius potentiſſima, quâ illud re ipſâ in Cælo, Terrâ, Inferno etiam, quin & in Filio ſuo Unigenito perſequitur, cùm tamen hic peccati habere in ſe potuerit nihil, præter ſpeciem & ſimilitudinem. Sed vel hoc ſatis erat. Eſt certum quoddam generoſorum Canum genus, qui Antipathiâ occultâ non vivas tantùm Beſtias diſcerpunt, ſed in pelles etiam earum ſæviunt. Sic Juſtitia Divina tam acerbè in noſtrum Redemptorem amantiſſimum deſævijt, etſi peccati vel umbrâ immunis eſſet, tantùm quia Peccatoris indutus exuvias vadem ſe grandis illius debiti conſtituerat. Haud equidem videtur majus efficaciæ odii Divini, quàm iſtud poſſe eſſe argumentum. Qui ad vulnerandum hoſtem non dubitaret obſtantem filium unicum gladio transfodere, nonne rectè diceretur efficaciter velle mortem inimici. Huic igitur Divini odii virtuti ac efficaciæ veſtram conferte ſcelerum pœnitentiam, veſtra decreta, & tum quid de eorum perfectione virtutéque ſentiatis, dicite. Heu quæ virtus! Profectò Confeſſiones nonnullorum Indicis illis arboribus perſimiles ſunt, quæ foliis tam latis, támque firmis ſuperbiunt, ut chartæ inſtar ſcribentibus literis deſerviant, fructum interim proferunt omnino nullum. Volunt [illegible] mirum aliqui vitæ errata identidem corrigere, re ipſâ planè nunquam corrigunt. Si emendarent ſe ſaltem tantillum, & tum ad ſacrum tribunal redirent, parcus quidē & velut exterritus fructus foret, foret tamen aliquis. Hoc dolendum, quod aliud in oculos & ſenſus non incurrat, niſi pulcherrima promiſſorum, & officioſorum verborum folia, ſemper tamen infœcunda. Nemo neſcit, illos ad Nuptias Evan- Luc. 14.
gelicas invitatos variis abſentiam ſuam prætextibus purgare conatos. Primus ſe villam emiſſe ajebat, quam videre neceſſe ſit; alter ſe juga boum quinque emiſſe, quos oporteat probare, tertius cæteris animoſior, uxorem à ſe ductam, eâque causâ venire non poſſe. Ita narrat S. Lucas, nobiſque indicat, quænam illa ſint, quæ fermè prætexere mortales ſolent, quò minùs divinis Legibus & inſpirationibus obtemperent. Aliam rationem S. Mat-

thæus

illans ſecutus eſt, qui cùm eandem referat parabolam, omnium tamen tam varias excuſationes pauciſſimis complexus, aſſerit, eos qui non venêre, ideo non veniſſe, quòd nollent venire: *& nolebant venire*. Ut intelligeremus, quidquid tandē ad ſe purgādos afferant, qui Divinis juſſis non obſequuntur, tentationes, imbecillitatē, proclivitatē, egeſtatem, ſocios, aſſuetudinē; Deum tamen, animorum arbitrū, cunctas has cauſas ad unam revocare, atque hanc non eſſe aliam, quàm quòd nolint. *Nolebant venire*. Non emendantur, quia emendari nolunt; non deſerunt popinas, quia nolunt deſerere; non abſtinent blaſphemiis & execrationibus, quia nolunt abſtinere, non ejiciunt domo meretriculas, quia nolunt ejicere; verbo, deeſt illis voluntas ſeria, ſeu decretum propoſitúmque efficax, & non habent, niſi velleitatem, quam dicunt: ſeu decretum imbecillum, & ad cujusvis auræ motum ac ſibilum mutabile: *Vult, & non vult piger*. Haud aliter, ac quæ in ſublimium ædificiorum cacumine figuntur bracteæ, aut quos appellant, Tritones, qui vento quolibet nunc hoc, nunc illud vertuntur in latus, loco tamen ſuo nunquam dimoventur. At animus conſtans & firmus quid per Deum non poteſt? is ille vitam corrigendi rationem ac viam facilè invenit. *Quodcunque imperavit ſibi animus obtinuit*, teſte Senecâ. Voluntas noſtra ſupremo Cæleſtium orbium non abſimilis eſt; quocunque rapitur, eò ſecum ſphæras ſubjectas trahit. Sic & voluntas, quæ ſibi immobilis conſtat, rapit poſt ſe Memoriam, Intellectum, Iraſcibilem, Concupiſcibilem, reliquasque vires ac facultates inferiores, ac ſubjectas, planè omnes, efficitque, ut, quod jubet ipſa, cum fide exequantur. Ubi proinde non eſt cernere hanc obedientiam, hanc executionem, argumento eſt, ſerium etiam voluntatis decretum abeſſe. *Non utique plena imperat: ideo non eſt, quod imperat*: rectè affirmabo cum S. Auguſtino. *Confeſſ. l.8.c.9.* Loquitur voluntas tua, ſed pleno ore non loquitur: vocem dentes & labra præpediunt: ideò facultates cæteræ immotæ hærent, nec obtemperant. Seriò impera, loquere voce altâ, diſtinctâque, & tunc cognoſces, quid inter voluntatem & noluntatem interſit. *Si plena eſſet, non imperaret ut eſſet, quia jam eſſet.*

XII. In celebri illâ urbis Oſtendanæ obſidione militum nonnemo peſſimâ blaſphemandi aſſuetudine eò deductus erat, ut palàm profiteretur, non poſſe ſe a tam pravo uſu deſiſtere. *Penneq. de Am. div. p.3. c.17.* Cùm autem ſubinde gravi preſſus inopiâ, vitæ ſubſidiis deſtitutus, maléque tectus, ſtipem à Sacerdote quopiam rogaret, hoc accepit reſponſi. Si tantum tibi eſt animi, ut ſequi me unius horæ ſpatio velis, & omni interea temporis abſtinere blaſphemiâ, en aureum, quem à me accipies, nummum; & cum dicto, nummum oſtentat, abitque. Sequitur miles, aureâ illâ tractus illecebrâ. At Sacerdos deſtinato conſilio per media caſtra viam legit, & nummum aureum manu erectâ præferens, obit ſingula mi-

militum contubernia, locaque maximè militum cœtu frequentia , ponè ſequente, quèm dixi, milite: quem ut alii videbant, ita vel excipiebant ſannis, vel dicteriis laceſſebant. Quis crederet? Miles ita ignominiosè ſuis à commilitonibus, qui probè hominem noverant, habitus, ſtimulabatur identidem ad ſolitas blaſphemias; non prorupit tamen in ullam , linguam non frenans ſolùm, ſed iterum iterúmque admordens , ne pravo illa more voces ſacrilegas effutiret , donec luſtratâ hac ratione magnâ caſtrorum parte à Sacerdote promiſſum numum acciperet , adiecto ſalubri documento , agnoſceret, poſſe corrigi inveteratam blaſphemandi aſſuetudinem , dummodo ſeriò velit. Nec dubito , quin non paucis ſimili remedio ſanitatem reſtituere poſſem ; qui modo toties ingeminant : *Non poſſum.* Non potes, quia non vis; ſed, ſi multum, velles: conſtans autem, & forte illud voluntatis decretum non adeſt. Cæterùm; *Si volueritis , & audieritis me , bona terræ comedetis*: in quæ Dei verba ſic porro commentatur S. Joann. Chryſoſtomus : *Videsne ſolâ nobis opus eſſe voluntate? voluntate inquam , non qualibet & vulgari , ſed exquiſitâ.*

*Prolog. in Ioan.*

XIII. Erit, qui quærat : ecquodnam autem indicium eſt, quo diſcernere liceat, eſſe in nobis voluntatem & propoſitum eiusmodi efficax? Enimverò digna eſt reſponſo hæc quæſtio : nôſſe enim, quod quæritur, inter præcipua arcana eſt ſalutis conſequendæ; cùm Infernus tam ſit plenus propoſitis & decretis eiusmodi mobilibus & imbecillis , quàm plenum eſt Cœlum decretis fortibus & inconcuſſis. Primum igitur voluntatis eiusmodi efficacis dignoſcendæ ſignum eſt, ſi illa ab omni abſoluta ſit conditione, prorsúsque à nullâ pendeat. Accedit tribunal ſacrum femina haud ſanè caſta; interrogat Judex, rationem habeat, à turpi quæſtu & commercio deſiſtere: illa. *Si Deo placet*, inquit, *corrigam vitam : ſi virium tantum habuero , non redibo ad aſſueta flagitia : ſi ille , ſi, inquam , ille me porro non ſolicitârit , tunc tandem ſpero turpi vitæ meæ finem adeſſe.* Miſeram te! Iſtud ſi, ſi, murus eſt, qui te inter & divinam gratiam intercedit: nunquam fiet, ut huic animus tuus jungatur, quamdiu intermedius hic paries ſteterit : evertatur neceſſe eſt. Neceſſe eſt, inquam , decernere ſine ullâ conditione, abſtinere à ſcelere, ſive te tentet & provocet, ſive non provocet ſceleris ſocius. Quidquid unquam accidat, quæcunque ſit rerum hominumque combinatio, quidquid contra moveatur, oportet decretum tuum firmum ſtare & inconcuſſum, non ſubnixum fulcris his dubiis, quæ tam parùm voluntatem tuam fulcient, quàm parùm debilibus ſuſtentaculis innititur domus jam ad caſum prona.

XIV. Adhuc certiùs voluntatis tuæ apparebit virtus ex collatione operis. *Propoſitum optimè manifeſtatur per operationem*; ait S. Thomas, vir nobiſcendarum animi motionum peritiſſimus. Ad hunc lapidem Lydium examines oportet decretum tuum, ne in tanti momenti negotio fallaris; quoniam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

riam ex hoc decretorum & propoſitorum efficaciâ ſalus tua pendet, & gratia delictorum. Sic igitur te ipſum alloquere. Tot jam annis in luto iſto obſcœno hæreo, ecquid, egi, ut inde emergerem? Tot annis cùm iraſcendi, cùm litigandi ſe offert occaſio, erumpo in blaſphemias; quid egi, ut tandem Inferorum linguâ loqui deſiſterem? Tot jam annis odio ferar inteſtino adversùs inimicum illum meum; quibus precibus, quibus pietatis in Deũ officiis inſtiti, ut tam noxiâ animi peſte divina me Bonitas liberaret? Deprehendes enimverò hoc in examine, tam longo temporis intervallo, te aliud non feciſſe, quàm ut ſemel iterúmve ſacro Arbitro reum ejuſmodi ſcelerum ſiſteres. Et hanc tu voluntatem robuſtam dices & efficacem? Si videres Dominum ædium, incendio conflagrantium; aſſidere earum limen, & ad ignem hunc manus ſéque totum calefacere, an in animum inducere poſſes, acerbo dominum illum luctu ædium ſuarum jacturam proſequi? haud ſane exiſtimem. At crederes profectò, ſi videres illum, celeritate & conatu quo poſſet maximo, afferre aquam, vicinorum magnis vocibus opem implorare, ſurſum deorſum currere, medias ingredi flammas ad res chariores pretioſioréſque depaſcenti igni tempori ſubtrahendas, reponendaſque in tuto. De me autem quereris, ſi propoſitis tuis ore prolatis, licèt facta conſequantur nulla, non credo? *Non eſt perfecta voluntas, niſi ſit talis, quæ opportunitate data operetur.* S. Thomæ aſſertio eſt. Minus promittere, & plus præſtare, ſalus erit animi tuæ: verba enim, femellæ ſunt, & idcirco Stygius Pharao eorum rationem habet nullam, ſinit ea multiplicari quantum lubet. At facta, maſculi ſunt, quos odio proſequitur tam infeſto, ut ne unum quidem ſervari permittat. Vide quæſo, quomodo Deus Pœnitentes ad voluntatem ſeriam excitet allatis ſuprà verbis: *Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua, & minue offendicula.* Convertere decreto & propoſito efficaci: relinque peccata non aliqua, ſed omnia; minue offendicula, tolle pericula peccandi propoſito firmo, quod non nudâ contemplatione contentum rem ipſam non aggrediatur, ſed quod difficultates complanet; quas etſi omne tollere non licet, quamdiu molem hanç carneam circumferimus, leviores tamen redui opportunè poſſunt, & plurimum ipſis roboris tolli.

*Exodi, 1. 16.*

XV. Adverte proinde, duobus maximè modis minui poſſe ſuccumbendi pericula; primùm ſi tibi de armis pluribus melioribúſque proſpicias; deinde ſi hoſtem exarmes. Utroque hoc medio utendum eſt, ſi tibi cordi eſt efficere, ut propoſitum firmum ſit. Tibi igitur primùm de armis pluribus providendum. Quare ſi crebrò ſordidis illis voluptatibus inquinare te ſolitus es, quid tibi agendum? Si ſeriò liberari hac contagione cupis, decernas oportet ſæpius ad Pœnitentiæ tribunal adire. Imò, ut meliùs rem tuam agas, accedendum eſt etiam, antequam labaris denuo: ſic enim ſanaretur

vulnus; quod ſi nondum obductâ cicatrice refricetur, nunquam ampliùs totum coaleſcet. Inſuper ſæpe etiam ſumendum Divinum Euchariſtiæ epulum; manè ac veſperi preces ad Deum, ad ejus opem petendam, magno ſtudio fundendæ: Matris Virginis patrocinium omni induſtriâ prenſandum; & Divorum præterea Divarúmque alicui, cui magis devotus ſis, ſtudioſe ſupplicandum. Lectioni etiam ſacrorum librorum multa & ſedula danda eſt opera. Audiendi crebriùs & diligentiùs Oratores ſacri; incruento Sacrificio majori adſtandum animi corporiſque compoſitione; egentes frequentiore ſtipe ſublevandi. Hiſce factitandis demonſtrabis, ſeriò te extinctas flam̃as velle; hoc enim eſt multam aquam affundere. Atqui nihil agunt, ut agunt non pauci, non produnt, quòd ſervatam, ſed quòd redactam in cineres domum exoptent. *Qui mollis eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.* Spiritûs Sancti effatum eſt. Perinde ac ſi diceret, Peccatorum, qui ſocors ſit in mediis ad ſeriam emendationem adhibendis, & eum, qui deſtinato animo in peccatis hærere velit, germanos planè fratres eſſe, quos inter nihil aliud diſcriminis intercedat, quàm quòd eorum unus ſit major, alter minor natu, cæterà ſimillimos. *Qui mollis eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.* Neque verò illa, quam quis in agendo ſentit, imbecillitas incitamento eſſe debet ad abſtinendum etjam deinceps iſtis emendandæ vitæ præſidiis, ſed potiùs inducere debet ad illis majori curâ perfectioneque utendum, jungenda eleemoſynæ oratio, orationi ac precibus crebrior Divinorum Myſteriorum uſus, huic Concionum audiendarum frequentia, ut ita, cùm ſingula hæc præſidia mederi ſatis non poſſunt, cunctis ſimul adhibitis ſocordiâ atq; ignaviæ medela curetur. Hanc nos induſtriam natura docet, quam cùm non liceat animantes exangues multo torpere frigore, & tardas eſſe ad motum, multis illas inſtruxit pedibus, ut hæc organorum multitudo cauſæ moventis lentitudinem compenſet.

XVI. Altera imminuendi periculi ratio *minue offendicula*, eſt ſcilicet hoſtem armis exuere. Si te contingeret eidem cum Leone aliquo catenâ eſſe illigatum, an non id ageres omnibus ingenii & corporis viribus, ut vel dentes illi frangeres, vel hebetares ungues, vel fame ſaltem robur ac vires edomares? Atqui tu alia agis omnia, & perſuadere tamen mihi vis, tibi planè propoſitum vincere hoſtem, ſed illi arma detrahendo. Alligatus es corpori tuo, quod ferociâ omnes belluas ſuperat. Quando tamen tibi curæ fuit, ut hanc ejus ferociam ſane mitigares? Pro eo, quòd jejuniis & ciborum abſtinentiâ macerandâ eſſet caro, multi, iis potiſſimùm diebus, quibus à Sacro Tribunali, & menſa Euchariſticâ redeunt, popinas frequentant, & nobiliore ſe vino ingurgitant, perinde ac ſi non alia ſuppeteret ſacros dies piè caſteq; tranſigendi ratio, quàm corpus multo ac delicatiore cibo potúque ſaginare. Si Confeſſi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

feſſarius jejunii mentionẽ faciat, tantùm non, ſolo ejus nomine audito, animo multi linquuntur. Inſuper tam non frangis dentes, tam non reſecas ungues Leoni huic, corpori tuo, ut magis te cernâ hæc arma indies acuere: tam non fugis pravorum conſortia, conventicula periculoſa, ludos, jocos, remiſſiones animi & corporis oblectamenta, ut potiùs his magis inhies. An hoc eſt imminuere pericula peccandi? *Minue offendicula.* Neque tamen hîc ſermo mihi eſt de periculis, quæ proxima dicimus; de his enim aliàs, ob graviſſimum rei momentum, ſeorſim diſſerendum eſt; de remotis tantùm loquor, in quibus non ſæpe quidem, aliquoties tamen quis cadit: quia tamen & concupiſcentiæ & animalium appetituum vires augent, arma ipſis, & audaciam ſuggerunt, de iis, majori ſaltem ex parte, vitandis cogitandum eſt. Dum de vitâ ſeriò emendandâ cogitatis; major quærendus à turbâ ſeceſſus; magis vobismet vivere oportet. Neque jam qui mihi occinat, nimis hoc durum eſſe, & ſic vivere, eſſe potiùs triſtitiâ & mœrore mori, atque contabeſcere. Non eſt hoc mori, eſt aliter, & verè vivere. Magnes, cùm attrahendi ferri virtute deſtitui cœpit, recepit vires priſtinas, aliquot dierum ſpatio ramentis ferri ſepultus. Idem experitur homo Chriſtianus, poſtquam tepeſcere & languere in virtutum ſtudio cœpit; immò cujus in animo ſemimortua jam eſt fides, ſi tot relaxationibus & remiſſionibus animi omiſſis, declinato aliorum vanorum mortalium conſortio, ſacratioribus ſaltem diebus, negotiis animi perpendendis tempus aliquod daret; næ ille amiſſum robur recuperaret. Quod ſi plura à quoquam exigere videor, quàm ut audire ſuadentem, & ſequi velit, aut poſſit: aliquid ſaltem eorum præſtet oportet, quia ſi cuncta repudiaret, quis crederet, eum de vitâ ſeriò emendandâ cogitationem ſuſcepiſſe?

XVII. Quare ut plura reducam ad unum; *Oportet voluntatem rei applicare*, ut hortatur S. Joan. Chryſoſtomus, neque ſterili mutandæ in meliùs vitæ deſiderio contentum eſſe. Mercator profectò, egeſtatem opibus mutaturus, ſatis non habet in has deſiderio tantùm ferri, *non ſoli acquieſcit cupiditati*; ſed negotium magnis animis aggreſſus de navi ſibi proſpicit, tranſigit cum Nauclero, naulum adnumerat, per tempeſtates & procellas, periculis non territus, veras auri venas inquirit; cùm ſolâ voluntate ac deſiderio divitem eſſe, emolumenti adferat nihil. Nos ſi volumus, *repentè mutari poſſumus*, pergit idem S. Doctor, *& ex luteis aurei fieri*; nam ad Dei quidem Gratiam quod attinet, hæc volenti nunquam deeſt: totum ergo rei momentum in eo ſitum eſt, ut velimus voluntate ejus generis, quam pluribus deſcripſimus; ejusmodi ſcilicet, quæ conjuncta ſit operi, quod, velut extra ſe egreſſa, efficiendo, efficax appellatur. Sinite, depingam hîc vobis ſub finem ejusmodi voluntatis effigiem in eventu omnis ætatis memoriâ digniſſimo.

*Prol. in Evang. Joan.*

XVIII. Hugo Hetruriæ Princeps Sereniſſimo Otthonum ſanguine procreatus, pueritiam magnâ vitæ puritate ac innocentiâ tranſegit, matris Villæ piâ ſanctâque inſtitutione uſus. Sed blandientis dein fortunæ illecebris in transverſum actus multiplici juventutum ſuam libidine fœdavit. Hæc tamen inter ætatis flagitia Pietatem in Deiparam Virginem fovit conſtanter, illius cultui addictiſſimum ſe palàm profeſſus. Erat miſer eorum ex numero, qui Mariam à Jeſu ſeparatam cuperent, ut experimento diſcant, fasne & impunè alicui ſit, fructum tractare contumelioſè, honore ac reverentiâ tuto, quâ arborem colit. Hoc tamen ipſum tam mancum Deiparæ colendæ ſtudium Hugoni ſaluti fuit. Venatum ſiquidem aliquando egreſſus, dum haud procul Arni valle oberrans fatigationis, ſitisque, quæ aridum guttur torquebat, levamen circumſpectat, ecce tibi Puellam repentè obviam habet formâ ſupra humanam, quæ calathum fructibus præſtantiſſimis quidem, ſed ita ſordidis inquinatisque, ut nauſeam aſpectanti moverent, plenum offerebat. Hugo tamen ſitis impulſus ardore manum extendit fructum aliquem prenſurus: ſed vix attigerat, cùm manibus denuo elabi ſinit, vel oculis, ne dicam ſtomacho, tam fœdas ſordes, ac ſpurcitiem nauſeantibus. Talis eſt (reſpondit tum Cœli Domina hoc ſub ſchemate Hugoni ſe ſiſtere dignata) tua in me pietas: bona quidem ipſa in ſe, ac multùm laudabilis, ſed vitæ tuæ ſordibus peſſimè conſpurcata: hac igitur quid me vis facere? Hæc dixit, & videri deſiit. Iſta tam plena amoris & vis hortatio id utique efficere Hugoni in animo debebat, ut fœditatum ſuarum magnopere pertæſus, purius ſanctiúſque poſthac, ut olim, Matrem Virginem coleret. Sed eâ effectum nihil; nam etſi caſtus eſſe vellet, cùm tamen & Juvenum laſcivorum conſortia, & ſenſuum oblectamenta conſectaretur ut priùs, mox iterum eſſe cœpit, qualis fuerat, frenis cupiditati denuo peſſimè laxatis: unde neceſſe fuit, ut Virgo Mater mediis potentioribus ad bonam frugem reſiſtantem revocaret. Cùm ergo iterum venationi in monte Senario operam daret, craſſæ repente nubes cœlum eripuerunt, tamque denſus ac præceps cælo imber effuſus eſt, ut Hugo, omiſsâ venatione, de latibulo circumſpicere cogeretur. Effuſis igitur habenis ad ſpelæum quoddam ferturi; ſubituro autem, funeſtiſſimo horrore plenum ſpectaculum ſe objicit. Fornax erat eâ formâ, quâ ferrariæ eſſe officinæ ſolent: hanc circum nigerrimorum fabrorum manipulus, qui ſeminudi extrahebant è flammis non ferri maſſas, ſed capita, corda, crura, aliáque humanorum corporum in fruſta ſectorum membra, quæ incudi impoſita horrendis ictibus contundebant. Magos primùm, veneficóſque fabros hos Hugo credidit, qui illas in montis latebras ſe abdidiſſent: quare cùm in ejusmodi hominum genus animo eſſet infenſiſſimo, graviſſimis in eos verbis ſine metu invectus, tantáque ſe flagitia probè ulturum profeſſus.

feſſus eſt. Hæc dum ille minax loquitur, fabrorum illorum aliquis ad os ſpeluncæ accedit propiùs; &, parcius iſta, inquit, parciùs, neque enim nos Magi, ſed divinæ Iuſtitiæ miniſtri ſumus; & his ſuppliciis mactamus mortales aliquos, obſcœnis voluptatibus olim deditos; expectamúsque propediem Hugonem quempiam, Regnorum iſtarum Principem, qui & ipſe, ubi in manus noſtras venerit, libidinum ſuarum pœnas hâc ſuper incude liberaliter luet. Hæc tandem ſpectra audientis videntísque Hugonis animum immutârunt penitùs. A ſpelæo enim ad ſuos ſine morâ reverſus, alius planè à ſe ipſo videbatur. Mox obfirmato ad fugiendas efficaciter pœnas, quas comminantem per hæc ſpectra Deum audierat, animo ſtatuit, feriis quibusdam Sacratioribus ſuâ palam Florentinâ in urbe fateri flagitia. Quare inter Ravennatem Archiepiſcopum, qui tum fortè Sedis Apoſtolicæ Legatus aderat, & Euſtachium Præſulem Florentinum medius, ad ſummam eius urbis ædem ſibi, iſtud identidem admirabundo, qui ex totâ latè viciniâ confluxerat, populo ingeminans: *Hugo poſthac non erit Hugo*: *Hugo poſthac non erit Hugo.* Nec aliter fecit, ac dixit, in alium planè hominem mutatus.

XIX. Nunc mentem ad hæc eius verba advertite: *Hugo poſthac non erit Hugo*: horum enim causâ totam hanc narrandam ſumpſi hiſtoriam. Hæc eſt potiſſima in Pœnitentiæ Sacramento difficultas; hæ ſunt illæ anguſtiæ, per quas tranſeundum eſt ſerpenti, ut pellem exuat; hæc eſt illa petra ſcabroſa: decernere conſtanter & inviolabili propoſito, non eſſe poſthac, qui fueras; ſicut quisque, ſuo ſaltem in animo, dicat: Non ero poſthac, qui fui; emendabo, quæ peccavi; eróque planè alius: & quia hoc *volo*, non autem *vellem* tantùm, fugiam deinceps loca illa periculoſa, in quibus tam pronum eſſet denuo labi, ſacris Pœnitentiæ Euchariſtiæque Myſteriis utar crebriùs, confugiam ad preces, & opem ac patrocinium Cuſtodis mei Angeli, Cælitum meorum Advocatorum, Matris inprimis Virginis, quæ omnium in terris Peccatorum mei ſimilium aſylum eſt paratiſſimum, poſtulabo: nec durum mihi erit amplecti remedia omnia, quæ Confeſſarius mihi vel imperârit, vel ſuaſerit.

XX. Hoc demum genuinum eſt propoſitum; hic eſt actus voluntatis, non vacillantis, ſed firmæ. *Propoſi-* *S.Th. 2.*
*tum eſt actus voluntatis deliberatæ.* *2.q.88.*
Quæcunque autem eiusmodi cum *ar. 1.*
voluntatis decreto fient Confeſſiones, *cor.*
ſecuros nos reddent in vitâ non magìs, quàm morte: & quamquam etiam poſt eas peractas relabi quempiam contingat, non eſt, quòd angatur, quaſi aliquo Confeſſionis vitio factum ſit, ut relaberetur: humanæ potiùs voluntatis, mutabilitatis & inſtabilitatis vitio cecidiſſe ſe meritò credet; cùm Sancti Spiritûs, optimâ fide & integrâ, ſecutus conſilium, ex animo converſus fuerit, converſione coniunctâ cum decreto & propoſito firmo, propoſito ad omnes ſe

noxas

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

noxas in genere extendente; propoſito non verborum & deſideriorum, ſed operum, atque adeò verè efficaci. *Convertere ad Dominum, & relinque peccata, & minue offendicula.* E diverſo autem, ſi omnē in eo repoſuerit induſtriam atque conatum, ut numerum admiſſarum noxarum quàm accuratiſſimè cognoſcat, fide ſummâ exponat, de reliquis non ſolicitus, eorum erit ex Hypocritarum numero, tam acerbè à Chriſto increpitorum, qui lavant, quod foris eſt catini, intus autem fœdiſſimarum ſordium plenum relinquunt. Ubi autem quis ſiſtetur tribunali, cujus Judex gloriatur ſe corda nôſſe omnium, tum enimverò diſcet, nimis tamen ſerò, quanti momenti fuerit propoſita hodie à me doctrina, quæ eſt, ut ad amuſſim intelligamus, quid ſit ritè confiteri? Fidâ proin illam mente retinete. Confiteri idem eſt, ac uno eodémque momento converti. Converti eſt totâ voluntate mutari. *Converſio dicitur quaſi cordis undique verſio*: quæ cauſa eſt, cur de peccatore Propheta Ezechiel pronuntiarit, quod *quacunque die converſus fuerit, vita vivet.* Non dixit, *verſus, converſus* dixit: námque, pergit S. Auguſtinus, *vertitur a peccato, qui jam vult dimittere peccatum: convertitur, qui jam totus, & omnino vertitur.* Deprecor atque obteſtor, ne ipſe, qui cùm ſit puriſſimus Spiritus, vult, ut ipſi ſerviatur in Spiritu & veritate, unquam, obteſtórque, ne unquam permittat quemquam ex hoc numero labi in negotio, ex quo pendet æternitas felix, aut infelix: verè enim tantum intereſt peccatoris, ritè ac verè pœnitere, quantum intereſt non excidere verâ vitâ, quæ eſt ſola futura, nulli obnoxia mortalitati.

# DISCURSUS XV.

## *De Propoſito vitandi occaſiones pœnitenti neceſſario.*

1. THomas Morus, magnus Angliæ Cancellarius, ſummo aliquando manè à carceris cuſtode monitus; captivos, perfracto intempeſtæ noctis ſilentio, carceris muro, profugiſſe planè omnes; reſpondit hoc nuncianti, & quid facto opus eſſet ſolicitè ex eo quærenti: Iret confeſtim, architectos ac fabros murarios vocaret; curaretque, quàm celerrimè muri partem everſam reſtaurari, ne quem fortè profugorum ſubiret cupido redeundi, & antrum illud denuo ſubeundi: arguto hoc dicto placidè ridens eum, qui malo non medicabili remedium poſtulabat. Hoc reſponſum, quod in ore magni viri, grato quodam & in-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

genii pleno lepore dicta ſua condi-
ſolitū, non niſi jocus fuit, hoc
nquam, reſponſum mihi hodie gra-
viſſimæ admonitionis loco ſerviet,
proponendæ, qui cupit animum
à culpis ſeriâ Confeſſione purgare.
Irrupiſti tandem, divinæ gratiæ ope
adjutus, clauſtra carceris, quibus à
Dæmone lauſus tenebris? proripui-
ſti te ex illis ædibus tam noxiis? re-
nunciaſti commercio illi peſtilentiſſi-
mo? *Laqueus contritus eſt?* Quid
porro faciendum ſupereſt? Nihil pri-
tive agendum curâ, quàm ut
illud foramen quàm diligentiſſimè
obſtruas, per quod tam feliciter eru-
piſti; non redeas illas ad ædes, non
te denuo miſceas conſortio, non
illâ cum perſonâ quidquā habeas ne-
gotium, à qua te iterum ſeduci pronum
eſt. Ut huius mei moniti neceſſita-
tem altius animis veſtris inſculpam,
edicam vobis, niſi Confeſſi vobis-
cum firmatis decreto firmiſſimo, ad
occaſionem peccati non redire, Con-
feſſiones veſtras nullius eſſe momenti;
quin abſque eiuſmodi propoſito certi
ſitis, vos redituros ad Deum rerum
offendendum, quin imò jam re-
diiſſe.

II. Ne quid porro ambiguum hac
in re atque incertum relinquam, vi-
detur mihi ante omnia explicandum,
quid hoc loco ſit nominis *Occaſio* no-
mine. Occaſio igitur, ut omnem
complectitur, quæ hoc nomine venit,
eſt periculum, quo ad peccandum in-
ducimur. Si crebrò & plerúmque
eiuſmodi in periculo peccamus, oc-
caſio proxima appellatur; ſi rarò, &
ex accidenti, appellatur occaſio remo-
ta e. g. Aſſuevit nonnemo plures de
die horas ludendo perdere, & cùm
ſortem parùm ſibi faventem experi-
tur, nec, quæ cuperet, afferentem folia,
tum adversùs Deum inſurgit, & ore
revera ſtygio mille blaſphemias evo-
mit. Huic ludus eſt occaſio blas-
phemandi proxima: prava enim ho-
minis aſſuetudo, coniuncta cum ipſâ
eiusmodi ludi ratione, in qua ſemper
plus ſit fortunæ, quàm artis, pericu-
lo utique hunc ipſummet exponunt
nimis quàm ſæpe peccandi. Si autem
alius, nec ipſe à luſu quotidiano alie-
nus, qui tamen animi impetus frena-
re nòrit, ita ut non niſi perrarò, cùm
ſorte adversâ utitur, blaſphemet:
huic luſus eſt occaſio remota: cùm ſit
periculum rarò admodum ad peccan-
dum inducens, & inter quod, ac pec-
catum ipſum, ingens, ut ita loqua-
mur, intervallum intercedat. Hoc
diſcrimine ſuppoſito, in quo aſſignan-
do Doctores conſentiunt, repeto &
dico, Pœnitentem, qui cùm poſſit
fugere occaſionem eiusmodi proxi-
mam (acceſſum, ut dicebam ad cer-
tas ædes, certorum hominum con-
ſortium, certæ perſonæ familiarita-
tem, quæ multiplicis antea lapsûs oc-
caſio fuit) nec tamen fugit, nunquam
animum, ſicut oportet, exonerare:
cùm occaſionem dictam non fugien-
do certus ſit de peccato mox repeten-
do; imò jam repetito. A primo
ordiamur.

I.

III. Miranda prorſus res eſt vide-
re eos ipſos Peccatores, qui ne tenta-

ti quidem & allecti, ſuâmet libidine non ſemel peccatis ſe inquinârunt; ſubinde mediis in periculis & certaminibus victoriam ſibi indubitatam polliceri. *Filii Ephrem, intendentes & mittentes arcum, converſi ſunt in die belli.* Ps. 77. 9. Milites præ cæteris ante pugnam glorioſi; cùm autem ad rem venitur, primi ad fugam. Imponit huic hominum generi, tum ipſa ſua cupiditas; quæ cùm ægrè admodum avellatur à rebus amatis, illud facilè ut verum probat, quod ſi verum eſſet, faceret, ut porro gaudere rebus illis liceret: tum verò etiam Dæmon in eam fraudem impellit, qui, cùm probè nôrit, non aliis ſe artibus maiorem ac certiorem animarum prædam agere poſſe, quàm tendendo hoc occaſionum proximarum rete, iſtud quâ poteſt, induſtriâ tegit, & diſcrimen elevat, ut prædas augeat. *Immittit ſecuritatem, ut immittat perditionem.* Unde homines, flagitiorum ſuorum ſanie putres, audire eſt nonnunquam ita diſſerentes, perinde ac ſi Cedri eſſent omnis corruptionis expertes. *Nullum, aiunt, ſubeſt periculum: redibo ad illas ædes, ſed non redibo ad flagitium.* Itane nullum periculum? & quo tandem tibicine hæc veſtra non peccandi ſpes nititur? Utique aut divinæ gratiæ ope, aut veſtræ voluntatis fortitudine atque conſtantiâ? Verùm non eſt, quòd horum alterutro vos ſuſtentandos exiſtimetis; ut proinde dubium non ſit, quin ſit caſurus, qui ſpe hac tantùm inani & umbratili fulcitur.

IV. Infirmum eſt firmum fulcrum opis divinæ in periculo adductum: quæ enim eſt illa temeritas, hanc ſibi opem promittere? Deus non vult largiri gratiæ ſuæ dona, ut rectè S. Cyprianus obſervavit, ad cæcæ & deſiſæ noſtræ voluntatis arbitrium, ſed juxta altiſſimæ ſuæ Providentiæ placita ac leges. *Ordine ſuo, non arbitrio noſtro, virtus S. Spiritûs miniſtratur.* Ingens ſanè eſſet illius Aſtrologi dementia, qui confideret, cœleſtes orbes ac ſidera non aliter volvenda, quàm ad aſſerendam ſuarum prædictionum veritatem requiratur; licèt eam ad rem neceſſarium eſſet aliam tenere viam, motusque diverſos ab iis, quos naturæ lex ipſis præſcripſit. Major porro abſque comparatione eius eſſet futura inſania, qui de divinæ gratiæ theſauris ſui ſe crederet diſponere poſſe voluntate: cùm utique non minùs certo providentiæ ſuæ ordine, minùsque mutabili, eos divina benignitas diſtribuat, quàm certâ lege beneficos ſuos, aut maleficos influxus ſidera diſpenſent. *Ordine ſuo, non arbitrio noſtro, Sancti Spiritûs virtus miniſtratur.* Quinimò, tam non poſſe prudenter à prudentibus hiſce mortalibus, in occaſionibus ſponte quæſitis ſperari divinæ Gratiæ ſubſidia, ut potius jure meritiſſimo timere debeant ſe derelinquendos. Ita enim fermè nobiſcum ſe gerit Deus, ſuâ nos gratiâ illuſtrando, ut ſe cum Diſcipulo gerit Magiſter docendo. Non ſolet autem Magiſter nova explicare & tradere

dere diſcenti præcepta, priùs quàm jam tradita didicerit. Atque adeò nec Deus nova ſubminiſtrabit Gratiæ ſuæ auxilia, donec antea datis rectè utamur. Quare quisquis impudenti ruſticitate non attendit rationibus & conſiliis, quibus ad occaſionum fugam impellit ac invitat Deus, næ ille indignus eſt gratiâ & favore plane ſingulari, quo adjutus media etiam inter pericula ſtaret, & non periret. An aliud expertus eſt Petrus nocte illâ, quæ necem acerbiſſimam Servatoris noſtri præceſſit? Monitus eſt à Chriſto incredibilis amoris benevolentiâ: attenderet ſibi; eò quòd ſi occaſionem non declinaret, in eâ periclitaturus, & ipſum eſſet Magiſtrum ſuum ejuraturus. An non hoc admonitus vaticinio Apoſtolus totis tremeretartubus, & p ocul abeſſe debebat à diſcrimine, nihil aliud agendo ſtudioſiùs, quam ut ſe quàm arctiſſimè precum ferventiſſimarum beneficio Chriſto uniret atque conjungeret? Non ita Petrus: inſuper enim habito precandi ſtudio, ipſi medio ſe credidit periculo, ſedendo cum deteſtabili illâ hominum fæce ad ignem, & calefaciendo ſe: unde jure ac merito ſuo illum efficaci auxilio Deus deſtituit, permiſitque, ut ſummo ſuo cum probro ac damno trinâ negatione Magiſtrum perjurus execraretur.

V. Erit, qui ex me quærat: an ergo non promiſit ſuam in tentationibus opem Deus, & ad reſiſtendum vires? An non hortatus Chriſtus eſt, ut quàm ſæpiſſime in Oratione Dominicâ hanc tandem flagitemus? Quomodo ergo verum eſt, quòd illam nolit dare? Naſcuntur percontationes iſtæ ex eo, quód non adverterit, qui ſic interrogat, quâ ratione gratiæ ſuæ præſidiá nobis addixerit Deus. Addixit iis in tentationibus, quæ nos invenerint, non in iis, quæ à nobis ſtudioſè fuerint quæſitæ. Etiam beatis illis Spiritibus imperatum eſt, ut omni nos momento cuſtodiant: *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Si quis tamen deliberato conſilio, inſano quamvis, ex altâ ſe rupe præcipitem ageret, ſineret profectò illum deorſum ferri Angelus, atque etiam collum frangere, cum dicto: Non eſt imperatum mihi, ut in præcipitiis, ſed ut in viis te cuſtodiam; *in viis, non in præcipitiis.*

VI. Obſervate proin, quàm ſtultè quotidianorum veſtrorum caſuum cauſam aut in imbecillitatem veſtram, aut divini auxilii inopiam referatis. Quid imbecillitatem obiicitis? Et vitrum fragile eſt: ſed quia illud tale novimus, cavemus anxiè, ne duros in obices impingatur; eâque cura fit, ut vel ferrum annis ſuperet. *Tanta fragilitas cuſtodita, durat per ſecula:* *Hom. 28*
ut S. Auguſtinus obſervavit. Ad *int. 50.*
gratiam quod pertinet, cujus eſt nos juvare, ſi fateri volumus, quod res eſt, non gratia nobis, ſed nos gratiæ deſumus. Quas natura cæteris timidores produxit beſtias, his armorum loco ſummam pedum ad fugam velocitatem contulit. Anne igitur jure quereretur lepus, malè ſibi proſpectum eſſe, ſi pro eo, quòd ſalutem fugâ quæ-

ret, rectà ipſe feſtinaret ad canes, eorúmque inſedentes, etiam dormientes, excitando ſomnumque omni ſtudio excutiendo, protitaret? Et hoc tamen non deſunt ex vobis, qui faci-
Iob. 3.6. ant. *Qui parati ſunt ſuſcitare Leviathan.* Semper illi Dæmonem irritant, & dum ille velut ſatur tot prædarum quieſcit, eum tunc ipſi provocant ad mordendum. Enimverò qui tales ſunt, tam non merentur novarū ſuarū veniam, ut ne miſeratione qui-
Eccli. dem digni ſint. *Quis miſerebitur omni-*
12. 13. *bus, qui appropiant beſtiis?* Quiſquámne tam nullius erit judicii, ut vicem doleat eorum, qui propè tentationes accedunt, dum hæ longiùs ab iis remotæ ſunt? Certé illorum ſortem Deus non miſerebitur, cujus providentia hanc in regendis Animabus legem tulit, ut fugiant amittendæ divinæ Gratiæ pericula, quicunque certam & ſtabilem ejus velint habere
Iſ. 51. poſſeſſionem. *Recedite, recedite ex-*
11. *ite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus.* Audiſne, quo quantóque verborum pondere Deus hanc fugiendarum occaſionum legem inculcat; *recedite, recedite*, inquit ſi eſtis vicini; ſi autem jam in mediis verſamini, *exite inde*: & dum exitis, omni diligentiâ cavete, ne vel extenſo digito illam contingatis; *pollutum nolite tangere.* Exite, repeto, exite, neque ſit quiſquam, qui in medio ejus ſubſiſtat: *exite de medio ejus.*

VI. Si præcepto tam diſerto occaſionum fugam in veteri illâ & mancâ Lege Deus inculcavit, quid in Lege novâ omnibus abſolutâ numeris, planéque ſanctâ fecerit? Non ſatis proinde Chriſto Servatori noſtro, ut nos recedere jubeat, vult, ut illam amputemus, & reſecemus, neſcio, an potiſſimùm ex capite, ut quàm citiſſimè nos inde expediamus, an vero ut ab eâ quàm perfectiſſimè ſeparemur. Crediderim, deſiderare illum à nobis utrumque horum; & idcirco ſic loquitur: *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te: Vel ſi oculus tuus ſcandalizate, erue eum, & projice abs te.* Quibus in verbis primo loco advertendum, quòd Chriſtus non dicat claudendum, ſed eruendum eſſe oculum; *erue.* Deinde quod non dicat vinciendam eſſe manum, aut pedem, ſed penitus debere abſcindi: *abſcinde.* Idcirco neque Chriſtianorum quiſquam dicat: Committam me quidem periculo, ſed perſeverabo invictus: adibo illas ædes, accedam illud conventiculum; quantâ priùs familiaritate agam cum certâ illâ, ſed in flagitium ampliùs non conſentiam. Non ita loquendum, agendúmque unquam. Lex hæc eſſet nova, quam ſibi quiſque ferret malè conſulto ſuo arbitrio; non eſſet illa, quam Servator promulgavit: *erue, abſcinde*; ſi enim perſonam aliquam diligeres, quantum oculum tuum; & tantum illis ex ædibus caperes emolumenti, quantum tibi manus tuæ conferunt ad aliquid efficiendum; & illa familiaritas tantum tibi afferret voluptatis, quantum pedes, dum animi cauſâ rus prodis; ſi nihilominus occaſionem tibi denuo labendi, novíque te

noxia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

noxis inquinandi offerunt, iis omnino abſtinendum eſt. Quin ad aliud magis formidandum animum advertite. Non ſolùm ait Chriſtus; erue oculum, amputa manum, abſcinde pedem: ſed erue oculum & projice; amputa manum, abſcinde pedem, & procul abjice. *Erue & projice; abſcinde & abjice.* Quid cauſæ eſt, Magiſtrorum optime, ut tantum à me poſtules? Eruam quidem oculum, ſed in ſcrinium recondam; non erit porro periculum, ne quid eo aſpiciam, ubi è fronte vulſus fuerit; amputabo manum, aut pedem, ut tibi obtemperem jubenti: ſed penes me retinebo alios in uſus non indecoros. Si reſecta fuerit manus, non erit periculum, ne tangam, quod tangere non oportet: ſi abſcidero pedem, ne eam, qua non eſt eundum. Alam illam fœminam: non jam domi meæ, ſed alienæ: non loquar illi, non tractabo cum illâ; ſcribam tamen illi literas officioſas, nullo pravo fine; aut ſi non aliud, ſalutem ſaltem illi mittam, ne obſtrepat vulgus; aut ne miſella, meâ ope deſtituta, alterius cogatur opem implorare, qui malè illam ſubinde tractet. O ſimes ridiculos! *Erue, & projice abs te; abſcinde, & projice abs te.* Tam procul illam à te habeto, ut nihil porro de illi reſcias; fac, ut ne poſſis quidem, & non tantùm ne velis poſthac illâ abuti: *abſcinde & projice.* Narrat Mattiolus, ruricolam cùm gramen falce demeteret, ſerpentem etiam medium ictu eodem ſecuiſſe: placuit improviſo ſectio tam fortunata, ſuſtulit proinde ita ſecti ſerpentis partem, ut illi inſultaret; ſed non diu fuit, quin ſuâ temeritatem lueret; morſu enim à beſtiâ irritatâ appetitus, tam repentè veneni vi extinctus eſt, ut ſerpens ſupervixerit. Abſcidit iſte; ſed non projecit: & ita miſerè periit; nec ejus pernities cuiquam doluit. Et hoc ſcilicet eſt, quod tam multis accidit, qui cùm intimius commercium abruperint, nec tamen literarum, nuntiorum uſu ſibi interdixerint, animæ jacturam faciunt. Longè autem peſſimum eſt, quòd nonnullis, abſcidiſſe occaſionem anſam præbeat ad illi ſe arctiùs uniendos; cùm jam longè magis perditè ament, quam tantiſper deferuerant; creſcente ex abſentiâ affectûs vehementiâ, perinde ut merces poſt naufragiũ recuperata multò charior eſſe ſolet. Scribit Pierius, Echinum marinum in partes ſectum, ſi in mare abiiciatur, conjungi denuo & reviviſcere. Par eſt ratio occaſionis amputatæ: ſi non abiiciatur quàm procul poteſt abiici, denuo uniuntur diviſi tantiſper animi, & plaga ſanatur ex integro; excuſat ſe, qui deferuerat, quò tam crudeliter illam habuerit: reus eius culpæ agitur Confeſſarius inhumanus; verbo, pœnitet ſuæ pœnitentiæ pœnitentem, & jam efficaciùs deteſtatur conceptum poſthac non peccandi decretum, quàm ipſum antea peccatũ fuerat deteſtatus. Quis jam veſter ſenſus eſt, Auditores? An ita effrontes eritis, ut promulgatâ à Chriſto Legatam ſeveâ, eius vobis gratiâ fieri petere non dubitetis; imò iſtam ſperare, abſque eo etiam, quòd illam petatis? & cùm, licèt votis

*lib. 28. Hierogl. de Echino.*

& precibus calidiſſimis flagitaretis gratiam non peccandi in occaſionibus, quas ipſi quæſiiſtis, certi eſſe debe-retis de eâ non obtinendâ, ipſam vobis ſecuri promitteretis vel non petitam? Iſtud equidem plus quàm inſanum eſt.

VIII. Quare cùm gratiæ divinæ ſpe niti his in occaſionibus non poſſitis, ſupereſt, ut voluntatis veſtræ libertate & arbitrio, firmiſſimisq; non peccandi decretis fulciamini. Verùm ita aut loqui, aut ſentire non ſtultum ſolùm eſt, ſed etiam Fidei capitibus repugnat. *Ioan. 15. 4.* *Sine me*, Dei verba ſunt, *nihil poteſtis facere.* Et nos nihil ex nobis habemus, præter nihilum, & peccatum, abyſſum ſcilicet nihili alteri abyſſo junctam. *Concil. Arauſic.* *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum*: Concilii Canon eſt. Similes proin ſumus volucribus illis, quas Apodes, i. e. ſine pedibus, vocant, quæ cùm in terrâ exſtunt, attollere ſe viribus ſuis non poſſunt & levare in aëra, niſi auræ benignæ flatu adjutæ tantiſper attollantur; abſque hoc nihil alarum debilium concuſſio motúsque proficit. *S. Thom. 1. 2. q. 109. ar. 4. & 9.* Junctis licèt omnibus arbitrii noſtri viribus ne tantillum quidem præſtare poſſumus, quod ad ſalutem conducat; non quæ recta ſunt exequi, non malum fugere, niſi divini Spiritûs benigna aura adſpiret, niſi, inquam, gratiæ ſuæ auxiliis ad volandum excitet, & volantes Deus adjuvet. *lib. de Corr. & Grat. c. 2.* *Sine gratia nullum prorſus, ſive cogitando, ſive volendo, ſive agendo faciunt homines bonum*, ut magnus gratiæ, contra Pelagianos ejus hoſtes, aſſertor & vindex Auguſtinus affirmat. Atque ex his ſatis conſtat, non rationi tantùm, ſed Fide, repugnare, ut dicebam, temerariam hanc peccatorum fiduciam, qui ſuis confiſi viribus utrumque etiam pedem laqueo induunt, & ſe non capiendos ſperant. Irrita omnino eſt hæc ſpes: *Immiſit in rete pedes ſuos; tenebitur planda illius laqueo.*

IX. Addo, quod, etſi hoc de neceſſitate gratiæ dogma verum non eſſet in quovis alio eventu, cùm tamen ſit certiſſimum, veriſſimum futurum eſſet in re, in qua verſamur: unde ſi homo ſuâ virtute boni quidpiam ac ſalutaris operis efficere ubi valeret, non tamen faceret unquam, ubi temerè cadendi periculo ſeſe ipſus ingeſſiſſet. Ratio ejus rei eſt; quia duplex eſt genus tentationum, quæ nos impellere ad caſum poſſunt: primum intimum, quod à pravâ cupiditate, & animi propenſione naſcitur; alterum, quod à rebus ipſis provenit, & extrinſecum dicitur. Unitur autem genus hoc utrumque, & arcto fœdere connectitur, cùm in occaſiones quis ſe ingerit. Quamlibet ergo voluntatis imperio & robore compeſcere poſſet cupiditatum impetum, cùm ſolæ illæ oppugnant animum; & ubi vires illæ cum objectis ipſis conjungunt, enim verò voluntas ſuccumbat neceſſe eſt. Nimium quantum potens eſt voluptas, præſentis boni faſcino adjuta, ad turbandam facultatem imaginatricem, memoriam præpediendam, mentem ligandam, voluntatem, etſi minimè depravatam, expugnandam. *Faſcinatio nu[illegible] Sap. 4. 12.*

*gacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ transvertit ſenſum ſine malitiâ.* Etſi igitur voluntas obſfirmata non cederet bono eminus oppugnanti; ſi tamen cominus pugna confereretur, enimverò manus daret; & ſi moderationis debitæ limites non egrederetur, ſobriam parcámque ad menſam aſſidens, ad lautam tamen opiparamque invitata, haud paulò facilius illos tranſiliret.

X. Dicam ampliùs. Si medias quis ſeſe occaſiones intulerit, cedet, nonſolùm, ſi auxiliis communibus, & vix ſufficientibus fuerit adjutus, ſed etiamſi fortiſſimis undique ſingulari Dei benignitate muniretur. Fur quiſpiam, dum ſcelerum ſuorum pœnas daturus ad furcam ducebatur, magno ſuo malo tranſiit propè feneſtras, ex quibus ipſius amaſia proſpectabat: in hanc defixo obtutu, adeò deſiderio laſcivo exarſit, ut in noxam conſentiens animo, niſi vincula præpediiſſent, ad amatam confeſtim fuiſſet accurſurus. An videtis, quàm ſit potens objecti præſentis faſcinum? Homo recens à peccatis expiatus; cuius oculis mors proxima obverſabatur; homo à tribunali Divino totidem omnino paſſibus, quot à furcâ diſtans, cum fune in collo, Confeſſario ad latus, Cruci affixi Chriſti imagine ante oculos, magnâ populi, prò eius ſalute precantis, multitudine cinctus, unico ſolo obtutu exardeſcit, neque ad ſopiendum execrabilẽ hunc ignem ſufficit vel juſtitia humana, quæ illum morti addixit, vel juſtitia divina, quæ jamjam damnationis æternæ in eum laturæ eſt ſententiam! An eſſe quidquam poteſt, quod luculentiùs demonſtret, quid in animum hominis poſſit præſentia obiecti amati? An eſt, qui alias rationes exigat, quibus doceatur, quàm incredibilis ſit phreneſis peccatorum, qui ſecuritatem ſibi in mediis occaſionibus pollicentur: Non juvat, non juvat lactare ſe ſpe futurorum, quæ fieri non poſſunt; apage, apage, quisquis es, longè ab occaſionibus te avelle: *Ne ſtes in omni circa regione*, inculcabant Lotho cæleſtes Genii, dum urbe eum execrabili educebant; ut nos erudirent, quòd nonſolùm deſerendus ſit locus, in quo flagitiorum illecebræ ſolicitant, ſed quòd è totâ etiam viciniâ ſit recedendum; quod S. Thomas obſervavit. *Gen. 19. 17.* *S. Th. 3. p. q. 41. ar. 2. ad 2.*

XI. Hinc prudenter colligere licet, quantum damni & injuriæ animæ alicui adferat ille Confeſſarius, qui fidem promiſſis & proteſtationibus illius adhibens à noxis abſolvit non paratum deſerere occaſionem; aut qui, cùm jam nunc poſſit, tamen illam reipſa non deſerit. Nemo ambigat, quin eiusmodi abſolutio non tam ſolvat, quàm liget, Pœnitentem perinde ac Confeſſarium, uno eodémque fune. Neque enim arbitrio Confeſſarii permiſſum eſt, ut Pœnitentis miſeratione motus ſinat eum verſari in occaſione proximâ, quando in huius eſt poteſtate, ab eâ recedere longiùs; neque ſi permittat, Deo ſuam probabit clementiam. Si quando vitæ gratia fiat monetæ falſæ percuſſori, non permittit Lex, ut inſtrumenta eius percutiendæ, & formæ illi relinquantur; & ſi quis Judicum malè conſultus hac in re faveret ſonti, delictorum eius particeps

ticeps haberetur. Neque Confeſſariorum quemquam ſatis excuſabit prætextâ huius Legis ignorantiâ; nam vel hoc ipſum culpâ non vacat, tribunal occupare, cuius Leges neſcias. Quin ſi Confeſſarius non Judicis tantùm, ſed & Medici munere fungitur, quâ fronte curandum ſuſcipiet ægrum, ſi nullâ morborum non vitabilium, & proximè imminentium notitiâ inſtructus ſit? *Hippocrat. in prænot.* *Nulla excuſatio Medici, qui de ſignis erravit in prænoſcendo.* Non inſcitia modò, ſed & ſtupiditas eſt, ubi tam manifeſta ſe produnt in veteres noxas relabendi indicia, credere, imò pronuntiare ſanum pœnitentem, cuius de non repetendis flagitiis ſponſiones nullam prorſus merentur fidem, cùm indubitatum ſit in ea, nullâ morâ interpoſitâ, relapſurum. Oportebat proinde Confeſſarium non credere promiſſis, quibus & ratio, & experientia repugnant. *Idem in Aphor.* *His, quæ non ex ratione levant, credere non oportet.* Et ſi nihilominus, inſuper habitis artis præceptis, ſanos pronuntiârit ægros, non ſublatâ mali causâ, enimverò reddenda aliquando erit illi ratio de pernitie omnium animarum, ipſius ſtultâ benignitate perditarum. *Ezech. 3. 18.* *Ipſe impius in iniquitate ſuâ morietur; ſanguinem autem eius de manu tuâ requiram.*

XII. Illuſtri ſanguine quidam, ſic inter meretriculas, ut corvus inter cadavera vivere ſolitus, admiſſus tamen eſt à Confeſſario in Pœnitentiæ Arcâ, *Chriſt. Vega p. 2. c. 14.* eâ prorſus malè conſultâ benignitate, quâ innocentiſſima columba admitti mereretur. Sed audite, quo utriusque emolumento. Abiit ex vivis Nobilis, & non diu poſt viduæ coniugiſe præſentem ſtitit, alterius humeris ſuſtentatus, cùm utrumque flammæ atrociſſimæ cingerent. Quis es, quærebat conſternata horribili ſpectro Hera, & quis huc te deportavit? Sum anima, reſpondit ille, mariti tui, & iſ, cuius humeris deferor, Confeſſarius meus eſt. Scias ambos ſupplicijs damnatos æternis; me quidem, quòd confeſſus ſum abſque vitæ emendandæ propoſito; Confeſſarius autem, quòd me, etſi probè adverteret, de vitâ corrigendâ non cogitare, tamen à noxis liberum pronuntiare eſt auſus. Atque his dictis, videri deſiit. An non igitur verè, *ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt?* Matth. 15. 14. Atque idcirco ſi quiſquam hoc è numero inducerit invenire Confeſſarium custodi nimiùm indulgentem, certus eſſe poteſt; quod in itinere ad Orcum non multùm ſit defatigandus, cùm eò non ſuis pedibus iturus, ſed alterius, abſolvere non veriti, humeris ſit deportandus.

XIII. Hic interim fons eſt, & origo, maximè communis, & certè magnæ illius inconſtantiæ, quam in hominibus Chriſtianis obſervare eſt; qui vix à peccatis abſoluti, videntur dolere dolorē ſuum, & prioribus iterum ſe flagitiis obſtringunt. Omnis ferme culpa in hominum imbecillitatem conjicitur, & voluntatis varietatem; ſed plerúmque falsò, quia vera utplurimum cauſa eſt, quam diximus; dum neque confitentes curant fugere occaſionem, ab eâque longiſſimè abire, neque Confeſſarii in id operam conſeruntur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mnt, ut ad has occaſiones ad declian-
das ſeriò impellant. Epileptici, etſi aliquot dierum intervallo pedibus recti inſiſtant, non ideò lex eos ſanos dici patitur; cùm intus adhuc foveant peſtilentem humorem, qui ſubinde in cerebrum delatus repentino illos caſu proſternit. *Qui comitiali morbo laborant, ne iis quidem diebus, quibus morbo vacant, ſani dicuntur.* Nihil eſt porro periculi, ajunt nonnulli, dum ſe excuſant, etſi illam domo faceſſere non jubeam, aut ad eam animi causâ accedam; ſecurus tamen eſſe potes, Pater: nihil eſt periculi, ſanus ſum, non cadam ampliùs. Dicant tamen iſti quod lubet: parùm iſtud me ſolatur, quòd rectè ſtare videantur; ſanitas illorum non vera, ſed ſimulata, ſed ficta eſt: manet enim etiamnum intra viſcera humor noxius, & quamquam eos jam, vi palam admotâ, non impugnet, necdum tamen ſoluta eſt obſidio. Sanitatem deſiderans conſtantem & firmam? Id age, ut tua te Confeſſio non humo tantùm attollat, ſed & diſſipet, ac diſpellat omnem humorem peſtilentem perverſæ propenſionis & affectûs erga certam mulierculam, extinguat omne deſiderium illi loquendi, cum eâ agendi, cum ſolâ manendi; quibus antè occaſionibus ad caſum impulſus es: hæc ſi fiant, tum verò cæleſtes Genii plaudent & lætabuntur. *Gaudium eſt in Cælo*, ait Chriſtus, *ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Inducere tamen in animum non poſſū, gaudere etiam Cæli Cives de illius pœnitentiâ, qui occaſionem non fugit: vix enim illi cytharas ad hilarem concentum aptarent, cùm ecce finita jam eſſet omnis Muſica: ſiquidem vix illo die, quo divinum Epulum ille ſumpſit, peccato abſtinet. Hinc mihi perſuadeo, quod idem mos obtineat in Cælo, qui hic inter nos in terris, ut celebris & feſta non habeatur lux, quâ altare tantùm portatile, quod dicimus, dedicatum & conſecratum eſt. *In altari portatili non eſt Dedicatio feſtiva.* Eâ utique causâ, quod iſtud vix erectum, mox iterum removeatur.

XIV. *S*ed quid? Erravi hactenus, & honore non promerito affeci homines, qui in occaſionibus proximis ſe non peccaturos ſpondent, dum dixi, eos denuo caſuros in lutum ſuum; debebam dicere potiùs, jam eſſe lapſos. *Et erit fortitudo veſtra, ut favilla ſtupæ.* Iſ. 1. 31.
Notari meretur inſolita loquendi formula: non affirmat Deus, fortitudinem peccatorum & conſtantiam fore inſtar ſtupæ paratæ ad concipiendum ignem; affirmat autem, eſſe inſtar favillæ in ſtupâ jam accenſæ: *ut favilla ſtupæ.* Dum enim quis Confeſſario dicit: etſi ad ædes illam, illa colloquia & conventicula reverſurus ſum, non tamen peccabo ampliùs; intempeſtivus hic ſermo eſt; nec enim peccabit tantùm, ſed jam peccavit; & illa confidentia non jam ſtupa eſt, cui admoveri ignis poſſit, ſed ſtupa, quæ ignem jam concepit. Vultiſne hoc vobis palàm oſtendam? favete linguis. Fieri non poteſt, ut dum iſta glorioſè quis jactant, non aliqua ſaltem mentem ſubeat cogitatio præteritæ ſuæ imbecillitatis,

ita ut non plurimum ambigat, quid viribus ſuis, quid ope gratiæ, quam à Deo accepturus eſt, & ſine qua ne tantillum quidem obniti poteſt, ſit effecturus. Hoc autem in dubio, nullâ rationabili causâ, immò ex merâ libidine, diſcrimini offendendi Numinis, & animam propriam perdendi, ſeſe exponere, & reverà jam tum Deum offendere, & perdere animam. Eiuſce rei duæ rationes ſunt.

XV. Prima eſt; quia qui ſic agit & loquitur, non amat Deum, nec tanti illum facit, quantùm amare, & quanti illum æſtimare tenetur; dum eius amicitiam caſui exponit tam dubio, & ſanctiſſimarum eius legum obſervationem, quæ præ rebus omnibus cordi eſſe debet, cuivis experimento & periculo faciendo objicit. Nobilium quiſpiam, ſtulto ſeculi & delirantium aliorum nobilium conſuetudini obſecundans, ſervum ſe illuſtris ſanguinis puellæ addixerat, ad cuncta eius imperia & nutus paratiſſimum: gratulata hæc eſt ſibi ſervum eiusmodi, & cùm ſe non caperet, expertura, quàm obtemperantem ad ſua juſſa haberet, dum pontem is equo vectus tranſit, jubet in undas ſe jactare. Paruit Nobilis, ſeque in præterfluentem conjecit. Sed inde magno conatu vix tandem emerſus ad imperioſam hanc heram ſe contulit, dixitque; excuſatum ipſum haberet, ſi minùs deinceps tam ſuperbam puellam obſervaret, quæ nullo cuiusquam commodo vitam eius tanto periculo objeciſſet; & cum dicto tergum illi indignabundus obvertit. At veſtrûm aliquis, ut amatæ illius occaſionis legibus, obtemperet non tantùm Gratiam divinam qua ſolâ anima vivit, diſcrimini intereundi poſuit, ſed omnino perire illam fecit, & poſt tam ſuperba & dura occaſionis iſtius imperia, ob quæ avelli illam implacabili indignatione debebat, adhuc amore illius tenetur. Cum autem hoc ita ſe habeat, non poteſt non Deus illi, qui tam parvi & ipſum & ipſius gratiam facit, confeſtim indignari; atque ideò hoc ipſo, quo quis periculo ſe tam manifeſto exponat, Dei gratiâ excidendi, jam illam excidit, juxta illud, quod Apoſtolus probè intellexit, & ad Romanos ſummâ dicendi graviſſimis ſenſibus plena perſcripſit: *Occaſione autem accepta peccatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Dicit primò *Occaſione acceptâ*, hoc enim eſt id, quod in occaſione malum eſt: non quòd ipſa aliquem inveniat, ſed quod quæſita aut inventa obviis ulnis excipitur. Deinde cùm ita ſe res habet, non dixit Apoſtolus, *peccatum operabitur in me omnem concupiſcentiam*, ſive, *omnem actum malè concupiſcendi*, ſed *operatum eſt*: acceptare enim occaſionem peccandi, eſt ipſum peccare, non ſunt duæ res diverſæ, ſed una atque eadem. Neque enim aliud eſt præceptum, quo peccatum, aliud, quo occaſionem eius proximam vitare jubemur; ſed unum eodémque & illud, & hæc vitanda præcipiuntur: & hinc eſt, quòd fieri nequeat amari periculum, quin violetur non peccandi præceptum, & ipſum etiam ametur peccatum. Reiicere ſuam olim ex Evâ ſerpens voluit, quæ cauſa eſſet,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſſet, cur nec ipſa, nec ejus maritus unquam aliquid decerperent & guſtarent ex arbore, in medio Paradiſi plantatâ, quæ fructibus & colore, & ſapore gratiſſimis abundabat? & mulier reſpondit: *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud,* Deus autem non prohibuerat, ne tangerent, ſed ſolùm ne comederent ex ea arbore: quid ergo cauſæ erat, cur Eva etiam attactum vetitum diceret? Inde id factum; quòd cùm manu prehendere pomum ea in arbore natum, curioſè oculis delibare, odorem explorare, ori placidè admovere, eſſent media ad idemmet devorandum illecebræ & pellaciæ, qua lege ac præcepto pomi comeſtio prohibebatur, eâdem vetabatur & attactus, tam certò illud inter palato propinandi, periculo admovens. *Præcepit Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Idem proinde eſt polliceri Confeſſario, non admittere ſcelus, licèt occaſio proxima non declinetur, ac polliceri, quòd quis nolit peccatum, dum re ipſâ vult peccatum. *Occaſione acceptâ peccatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.*

XVI. Ex nunc dictis & illud rectè arguemus, quàm delirent, qui dicunt. *Acceſſi illas ædes, offendi illam &c. vidi, audivi, collocutus ſum, nec tamen peccavi.* Nec enim intelligunt miſeri, quòd, ſi conſueverant flagitium antehac cum impudenti illa admittere, ipſum quærere occaſionem cum ea loquendi, tempus fallendi, in tanto cadendi periculo, fuerit jam reipſa peccare; licèt enim uno genere peccati non peccetur, peccatur tamen altero; & licèt non violetur lex, in quantum hæc turpitudinem ipſam vetat, violatur tamen, in quantum vetat, periculo aſſensûs ſe exponere. Quæ dixi, & certa & ſatis clara ſunt: verùm quia tanta impuri amoris vis eſt, ut eorum obvelet intellectum, qui magìs documentis his opus habent, conabor omnia meliùs ſimilitudine quadam vulgari & obviâ explicare. Mater, quæ tenerum infantulum adhuc lactat, non poteſt, ut notum eſt, abſque noxa illum eodem ſecum lecto decumbentem retinere; ſi nihil ipſam inter & prolem mediet. Demus jam, obligatione hac non obſtante, tamen infantulum eodem lecto à matre locari, ſolâ incuriâ & negligentiâ, nullâ cogente neceſſitate. Non negabitis utique, etſi infans non ſuffocetur, tamen matrem gravi ſe noxâ fœdâſſe, non aliâ profectò causâ, quàm quia periculo fœtum ſuffocandi ſe expoſuit. Par eſt non peccantium in occaſione conditio: non admiſerunt flagitium, redeundo ad illas ædes nullâ alicujus momenti causâ, dabo hoc; at certè peccârunt tamen, ſua ſe ſponte occaſioni illud denuo admittendi, ingerendo. Atque hæc prima eſt ratio.

XVII. Secundam hanc affero, ob quam peccet non vitando occaſionem, qui vitare poteſt; eſtque illa approbatio, quâ ſuo infelix in delicto ſibi complacet. Parentem animo objiciamus, cujus unicus filius nefario ſcelere trucidatus ſit. *Si* is tam atroci facinore mœſtus videret interfecto-

rem diſfringere plura in fruſta gladium, homicidii inſtrumentum, ea procul domo abiicere, & lacrymabundis oculis dicere; faceſſe in malá rem, facilè crederet, pœnituiſſe hominem ſceleris perpetrati. At ſi è diverſo videret ab interfectore enſem illum, novâ tectum multi pretii vaginâ, inter chariſſima cimelia ſervandum reponi, nunquam ille induceret in animum, ſui facinoris reum pœnituiſſe; judicabit potiùs, aliud illum priori non impar flagitium meditari. Auditores dilectiſſimi: Filius morti oblatus eſt unicus ille æterni Patris, *S*ervator noſter JEſus, momentis propè ſingulis à peccatoribus cruci denuo affixus: inſtrumentum necis tam indignæ & deteſtandæ, Deicidii inquam, fuit muliercula illa, præ Deo ipſo à nonemine amata. *Si* poſt facinus tam atrox videat Deus, ab illo homine nefariam meretriculam domo expelli, aut ſi domi propriæ non eſt, porro non adiri, non illi de neceſſariis proſpici, dona nulla mitti; pœnitentẽ ſine morâ illũ credet, & in eius ut filii, prodigi quidem, ſed vitam priſtinã pertœſi, amplexus ruet. At ſi è diverſo videat, mulierculá illam tam adhuc charam gratámq; eſſe, ut veſtes illi comparentur, dona mittantur, ipſis etiam filiis neceſſaria alimenta ſubtrahantur, ne illa eſuriat, aut minùs lautè vivat, quódque uxor ipſa domo potiùs faceſſere juberetur, quàm illa ex animo; nõ ſolùm eiuſmodi miſerũ in numero dolentium, & execrantium prioris vitæ errata non ponet, ſed iis accenſebit, qui ſuâ perfidiâ meriti ſunt Cœli exilio æternùm mulctari: cùm occaſionem pravam contumaci voluntate adamare, & perire ob impœnitentiam finalem, ita connexa ſint, ut *S*piritus Sanctus ſimul illa enumerari voluerit. *Cor durum male habebit in noviſſimo, & qui amat periculum, in illo peribit.* Quare non video, quo jure à me quiſpiam expetat, ut hæc duo, quæ *S*piritus Divinus tam propinqua & coniuncta obtendit, ego ut longiſſimo inter ſe non intervallo exiſtimem; ſic ut promptus eſſe debeam, ad illum noxis ſolvendum, ut rite paratum, qui ipſo illo tempore amet periculũ pereundi. Et ubi tandem eſt in hujuſce farinæ homine vel dolor, qui requiritur, vel propoſitum, quo veniã peccatorum dignum ſe præſtet?

XVIII. Si verè iſte doleret, qui fieri poſſet, ut non toto corpore contremiſceret, dum illas ad ædes ſe confert, in quibus deliquit? Qui podagra laborant, nõ tantùm contactum aliorum ferre non poſſunt, ſed ne quidem ut illi lecto propiores fiant, quo excruciatos pedes utcunque fovẽt, eo quòd metuãt, ne vel leviter quiſpiam in eos impingat. Igitur neque dubium eſt, quòd, quiſquis ſincerè libidines ſuas deplorat, & non potiùs in voluptatula, quam illæ olim attulerunt, tacitè adhuc ſibi in animo complacet, non permitteret unquam, ut muliercula illa propiùs ad ſe accederet, aut ſuam domum; ſed cùm illam vel eminus conſpiceret, altùm exclamaret: Apage, apage: meritò timens, ne tum illa ſe ſe admoveret viciniùs, cùm minori ſibi ipſe attendit curâ, & tum in caſum

ſum præcipitaret. Si autem decretum animi propoſitúmque foret, quale eſſe debet, nemo peteret, ut Confeſſarius emplaſtro uteretur, cùm longâ & difficili æger curatione indiget. An vos lateor, ut plurimum ne quidem promiſſionem de tollendâ occaſione proximi ſufficere, ut quis à culpis abſolvi poſſit? Quomodo ergo abſolutionem promereretur, qui ne quidem ſine ambagibus, aut tergiverſatione promittere vult ejuſmodi occaſionum fugam, aut amotionem? Chirurgus acceptam ab aliquo plagam medicaturus, ante omnia, quidquid humoris noxii et putridi illam occupat, quâ poteſt diligentiâ, abſtergit, & non abſque dolore exprimit; tum demum emplaſtrum aut unguentum, quod ſanet, applicat; & charitas ac benignitas ſit, ſi ſacer Arbiter nullâ morâ, nec quidquam tergiverſando abſolvat accuſantem ſe, modo promittat; dimiſſurum ſe illam ſervam, aut, ut ſuo illam nomine compellem, concubinam ſub ſervæ ſchemate? Non ſatis eſt, promittere. Extrahatur priùs è vulnere ſagitta, & tum ſanando vulneri cura impendatur; tollatur priùs peccati occaſio, & tum pœnitens abſolvatur. Qui aliter facit, vulnus non ſanat, ſed emplaſtro tegit. Et tamen non deſit, qui ſibi perſuadeat, rectè ſe ſanatum à Confeſſario, à quo illud audiat, *Abſolvo te*, etſi nonſolùm ſeriò non cogiret ex plagâ telum venenatum educere, ſed altiùs ſemper in eam infigere? Pro Superi, quàm ipſe ſibi imponit, qui ita agit, quantum ſibi, & quàm immedicabili damno nocet! dum ipſæ Confeſſiones majoris illi damnationis cauſâ erunt, & in rationibus ineundis advertet, non verâ ſed fictâ tantùm ſe voluntate ad Deum rediiſſe.
*Et in omnibus his non eſt reverſa ad me Ierem.* 3.
*prævaricatrix ſoror ejus Iuda in toto corde ſed in mendacio.*

XIX. Nemo deinceps ſaltem ita deliret. Altè in animum quiſque demittat, & fidâ retineat memoriâ, quòd qui occaſionem proximam vitare non vult, aut certò iterum ſit lapſurus, cùm neque ſuis viribus, neq; gratiæ divinæ ope ſtare diu poſſit; aut certè jam tum ſit lapſus, non obtemperando Legi divinæ, jubenti non peccata tantùm, ſed & peccandi pericula fugere; aut etiam oblectando ſe, & vel tum approbando præterita ſua delicta. Hæc proinde prima ſit cura ad ſacrum tribunal acceſſuri, ut occaſionem agnoſcat, quâ ad peccandum inductus eſt, quò eam deſerat, ab eâque ſe avellat. Quid cauſæ eſt, ſibi quiſque occinat oportet, quòd, etſi toties ſacro Judici ſpoponderim, me deinceps nunquam peccaturum, promiſſis tamen non ſteterim? Dicam, quod res eſt: id inde eſt, quia conventicula illa non fugio; quia jocis cum illâ certâ indulgeo, quia illam in prædiis meis alo, quia ejus operâ ad agros, aut hortos colendos, ad telam texendam, aut lavandam ſupellectilem linteam utor: quare ſi ex animo me admiſſorum pœnitet, pròcul hoc me periculo eſſe neceſſe eſt, quod tot noxarū ac ſcelerum mihi fuit occaſio. Si autem non foris tantùm, ſed domi etiam ſuæ ejuſmodi peſtem quis foveret, atq; ita non vicinus

tantùm, ſed intimus periculo & occaſioni delinquendi foret, ille ſacro tribunali ſe ſiſtere priùs nunquam audeat, quàm occaſionem amoverit; ne numerus noxarum creſcat & nominum, dum antè contracta ſtudet expungere.

XX. Sat ſcio, Dæmonem omnibus technis & artibus ſuis obniſurum, ne quis ita certo animi decreto ſe avellat à periculo, cùm plus ipſe inde doloris, quàm qui occaſionem deterit, ſentiat, ob illas ſpes, quas impulſu unico everſas omnes intueri cogeretur: novos proinde laqueos, queis hominem implicet, tendet:
Thr.3.7. *Ut non egrediamini, aggravabit compedes veſtros*; Objiciet ejus animo cunctorum querelas vicinorum, execrantium barbariem, tam inhumaniter domo ejicientis nil tale promeritam; rei familiaris damna nō reparabilia, ſi migret, quæ tanta fide illam adminiſtravit: timori adjunget amorem recentem, ſic ut confidat quis, ſe & vitam ſeriò emendare, & dilectam retinere poſſe. Sed ne quæſo quiſquam men-
Eccl.12.10. daci fidem habeat. *Non credas inimico tuo in æternum.* Sic duplici timoris & amoris vinculo infelices Hebræos Babylonicæ habitationi nefarius ſpiritus aligabat. Si abitis hinc, ajebat, & amicos, quos his in provinciis jam vobis devinxiſtis, & quæ obtenuiſtis bona, amittetis ſimul omnia: & præterea, vel ſuccumbetis longi itineris moleſtiis, parum contra illas muniti; vel, ubi etiam patrium ſolum attigeritis, non habebitis, quo vitam trahatis: præſtat igitur manere Babylone, & frui partis, cavendo ne ſibi legem divinam violetis. Quid ad hæc Deus? *Recedite* dicit, ut antè audiſtis, *recedite, exite, exite.* Repetitum quater imperium de Babylone deſerenda quaternis, quibus Dæmon eos ad manendum vincire conabatur, vinculis opponens. Neque aliis vos verbis jam Deus alloquitur: ne attendite amorem, quo illam proſequeris, non commoda, quæ ex ejus fide & induſtria in familiam tuam redundant. *Recedite, recedite.* Nec illi obmurmuret, quòd absque tua ope non habitura ſit, unde vivat; aut quod futurum illi, ſi à te abeat longiùs, in via moriendum ſit. *Exite, exite.* Ille ipſe Deus, qui ita imperat, habebit rationem tibi, tuisque & illius commodis proſpiciat, unde utrumque conſoletur. Et quocunque tandem modo res cadat, præſtabit mori Hieroſolymis pauperem & egenum in medio populi electi, quàm neſcio quâ fortunâ uti Babylone inter Dei inimicos.

XXI. At quid agendum, cùm occaſio tolli ex toto non poteſt? Audiamus, quid hoc rerum ſtatu à nobis divinus Spiritus exigat: *Ne tibi placeat malorum via, declina & deſere eam.* Prov.4. Primum igitur, quod fieri oportet, cùm prava occaſio vitari nullo modo poteſt, eſt, ut illam quis oderit. *Ne tibi placeat malorum via.* Ille filiusfamilias, qui domo expellere ancillam non poteſt, quæ ſæpe illi fuit offendiculo, id ſaltem maximæ infelicitatis inſtar æſtimet, quòd ſuo in arbitrio non ſit ſubducere ſe periculo. *Ne tibi placeat malorum via.* Deinde ſi

pecca-

penitus fugere periculum non poteſt, ſaltem ab eo declinet. *Declina ab eâ*: ut ille pugil facit, qui quem eripere manibus fortiori adverſario non poteſt gladiũ, eius ictus declinat. Oportet, ſi eijci muliercula non poteſt, illi-cet non loqui, non agere ſolum cum illa, non obtutum in eam defigere, fugere illam oculis, ſi pedibus non licet, & tum quàm maximè majori animi ardore preces ad Deum fundere, opem à Virgine Sanctiſſimâ curâ attentiore poſtulare, ſtipem aliquam egenis porrigere, corpus flagris, abſtinentiâ à cibo affligere, ut viperæ huic venenati in ore dentes frangantur, cùm caput ipſum conterere non licet. Omnibus his induſtriis opus eſt, ſi animo minimè fucato, ſed ſincero, in gratiam cum Deo redire quis deſiderat: *Si in toto corde veſtro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio veſtrî*. 1. Reg. 7. 3. Tollenda ſunt, quæ quis amaverit, idola, aut quando tollere aut abiicere à ſe idola non poteſt, ſe ab idolis tollat, ab iisque ſe avertat, & aliò oculos convertat. Si domi ſunt, animum non occupent. Dumque ad periculum in tali occaſione pereundi animum quis advertit, tanto majore & intentiore curâ ſibi invigilet: ſic viator, qui ſylvam à latronibus obſeſſam, præterire non poteſt, nec aliam viam tenere, illud certè cavet ſtudioſiſſimè, ne in ſylva obdormiſcat. Atque hæc eſt unica ratio è diſcrimine tam dolendo evadendi.

# DISCURSUS XVI.

## *Mox à peccato admiſſo ad Confeſſionis aſylum confugiendum eſſe.*

I. Summum, quod in infelicem naufragum conferri poſſit, beneficium eſt, tabulam illi porrigere, quâ ad littus enatet, & non mergatur. Atque hoc eſt grande illud beneficium, quod jam inde à Mundo condito Deus hominum generi contulit, quando Pœnitentiæ tabulam ijs porrigere dignatus eſt: quam, ex funeſto Innocentiæ naufragio reliquam, cùm apprehenderint, ad littus æternæ ſalutis non tantùm poſſint emergere, ſed certiſſimò ſint emerſuri: quod quidem tabula alia nulla unquam præſtitit. S. Th. 3. p. q. 36. ar. 4. Hoc autem beneficium plurimum deinde auctum eſt, cùm pœnitentiam è virtutis gradu ad Sacramenti dignitatem Chriſtus Servator extulit; cùm eâ ratione & facillimum, & certiſſimum effectum ſit unicum malorum noſtrorum remedium. Hæc porro cùm ita ſint, quis perſuadere ſibi poſſet, fore unquam peccatorem aliquem tam temerarium, qui vel tantillam moram necteret, in tabulâ hac amplectendâ, li-

cèt

cèt eius ope non mortem temporariam; *à morte defluente*, ſed æternam & immortalem evadere poſſit? *Pœnitentiam ita invade, ita amplexare, ut naufragus tabulæ fidem.* Tertulliani verba ſunt. (*Lib. de Pœnitent.*) Et verò ita fieri deceret: nec tamen ita fit; cùm Chriſtianâ è gente plurimi, poſtquã culpæ naufragio gratiam perdiderunt, tam non confeſtim hanc tabulam prehendant, ut plures abire menſes ſinant, quin de eâ ſoliciti ſint; ſed ad animum Confeſſione expiandum Paſchales ferias expectent. Et unde, per Deum immortalem, tantâ tamque ſupinâ ac ſtolidâ ſocordiâ? non aliunde crediderim, quàm quòd, qui peccant, ſibi perſuadeant, nullum non tempus peragendæ Confeſſioni perinde opportunum fore. Meum igitur erit, ut huic malo medear, demonſtrare, quàm longè aliter, ac iſti putant, ſe res habeat. Hoc autem conſequar, ſi duas maximi momenti veritates rationum momentis aſſeruero: prima eſt, quòd quò tardiùs ad prenſandam Pœnitentiæ tabulam, longè fortunatiſſimam, manus extenduntur, tantò majori dein conatu opus ſit ad eam vindicandam: ſecunda, quòd quamquam tandem prehendatur, tantò tamen faciliùs denuo elabi permittatur. Utamur vocibus, quæ rem clariùs explicent. Quò longiores quis à peccato admiſſo, dum Judici ſe ſiſtat, moras traxerit, tantò plùs in Confeſſione denique inſtituendâ difficultatis experietur, & tanto minore tempore in gratiâ perſeverabit. A Confeſſione initium ducamus.

I.

II. Tria poſſunt ſe accuſaturo eſſe ardua & difficilia; Examen, Dolor & Propoſitum: hæc autem tria, quò longius eſt, inter peccatum perpetratum & eius confeſſionẽ, temporis intervallũ, tantò ſingula evadunt difficiliora. Et de examine quidem dubium eſſe nullum poteſt; cùm enim illud non ſit aliud, quàm accurata actionum noſtrarum omnium diſcuſſio, ut pravæ à rectis, & hæ ab illis diſcernantur, & quæ pravæ ſunt, enumerentur, animus ab iis abhorreat, & Sacramentalis abſolutionis, ſeu Sacerdotalis ſententiæ beneficio deleantur. Diſquiſitio hæc penſiculatè admodum fieri debet, nonſolùm, quia eſt imago illius examinis, quo coram divino tribunali omnis noſtra vita trutinabitur; ſed multò maximè eo ex capite, quòd ſit quædam divini Judicii occupatio, ſingulari favore nobis conceſſa, ad cauſam noſtram componendam, quam ſi nos judicio hoc diſcuſſionis diligenter accuratéque judicaverimus, non ultra judicanda erit, ab illo tribunali ſeveriſſimo, judicio condemnationis. *Quod ſi noſmet ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* (1. Cor. 11. 31.) Quocirca non aliter, quàm ſi coram illo Tribunali adſtaremus, ſigillatim oportet animum & conſcientiam noſtram, quâ eſt Reus judicandus, interrogare, quid inde à poſtremâ confeſſione cogitando, loquendo, agendo, quin & omittendo, peccatum ſit. Jam autem, quis non videt, eum, qui annum integrũ, aut non multò minùs

examen hoc differt, non facili deinde negotio ſe extricaturum? Verum quidem eſt, actiones pravas & peccaminoſas, quæ monſtrorum inſtar ſunt in lucem editorum, memoriâ ſatis tenaci retineri: quis tamen facilè meminerit omnium, quæ anni integri decurſu perperam fecit? maximè ſi de in ſermo ſit, qui labra ad voluptatum calicem ſemper admota tenent, ſéque, ſi fas ita loqui, humectant penitùs & horis propè ſingulis inebriant? Qui verò bibit, numerum non difficulter init, quo biberit, etiam poſt longi temporis lapſum: ſed qui vitam ducit identidem bibendo, quomodo numerum hunc ad amuſſim reſcet?

III. Plurimum deinde diſcuſſionis hujus difficultas creſcit in peccatis omiſſionis; quæ cùm ſint inſtar pulveris pyrii, qui in bombarda accenſus ferit, ſed non tonat, minùs utique notantur, quàm quæ Commiſſionis appellamus. Nec diſpar ferè eſt ratio peccatorum, quæ linguâ admittuntur, quam Sacræ Literæ jure ac verè comparant arcui; verbis enim, quæ illa jacit, tanquam telis, momento quidem & ſumma celeritate, graviſſimè tamen & profundiſſimè vulnerat. Verba, quibus alius te lædit, animo infixa manent, etiam cùm recuperata eſt ſanitas; quia hæc, ut habet parœmia, ſaxo inſcribuntur, ſeu marmori; ſed illa, quæ adverſùs alios à nobis proferuntur, memoriâ confeſtim elabuntur, cùm in undis ſint ſcripta: quàm ergo promptum eſt, non omnium, poſt plurium menſium periodum, meminiſſe? Sed illud quàm præ aliis omnibus arduum erit, meminiſſe cogitationum, quæ vento citiùs prætervolant? & tamen earum ſunt virium, ut evellant atque dilacerent, quidquid uſpiam boni eſt in aliqua anima, eamq; tam certò, atq; re ipſa à Deo ſeparent, quàm id faciunt ipſa opera. *Perverſæ cogitationes ſeparant à Deo*: multóque magis, ſi in Sap. 1. 3.
cenſum cogitationum veniant non tantùm deſideria, ſed etiam approbationes, conſenſus, delectationes, quas moroſas, ſed plenâ ac deliberatâ voluntate elicitas, dicimus, quæque tam multis imponunt, & ita ſe cum rebus, circa quas verſantur, habent, ut fieri ſolet, cùm amico peregrè eunti vale ultimum dicimus: hunc enim ſi pedibus iter ingreſſum non comitamur, comitamur certè oculis, affectu, & animo ad ipſum propè unũ converſo. Quis jam credat, eos, qui tantum moræ trahunt, dum animum Confeſſione expient, hanc multitudinem & numerum cogitationum atque noxarum, quæ omnem ferè obtutum effugiunt, facilè inituros? *Computatio dilata*, affirmat S. Bernardus, *multa facit obliviſci.* Etiam qui ſeduli accuratique ſunt in rationibus ineundis, multorum non meminerunt, ſi rationes accumulari permittant; quid ergo illis fiet, qui id negotium levi brachio peragunt? Prô quantò major apparebit erratorum numerus, rationum veſtrarum libro, cùm hinc migrabitis, inſertus, ſi tantum temporis inter rationes & rationes elabi permittatis!

IV. Erit, qui reſpondeat, id quidem ita eſſe; ſed parùm omnino re-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ferre; cùm id oneris nobis non impoſuerit Deus, ut omnium à nobis admiſſarum noxarum nos reos agamus, ſed illarum tantùm, quarum poſt diligens examen meminimus Ita eſt, non nego: ſed in hoc ipſo tota conſiſtit difficultas, ut examen poſt tantam temporis moram ſatis accuratum ſit & diligens. Equidem neceſſe eſt tantò plus adhiberi diligentiæ in conſcientiæ latebris ſcrutandis, quantò plus ſpatii inter Confeſſionem & Confeſſionem interceſſit, aliàs illa negotio peragendo non reſpondebit: tantam etiam decet eſſe diligentiam, quantam numerus & natura peccatorum poſtulat: verbo, talis adhibenda eſt hoc in negotio accuratio & induſtria, quantam prudens quisque in negotio majoris momenti adhibet. Quando autem agitur de filia nuptui tradendâ, de pecunia mutuò danda, de agro emendo, domo ædificanda, quantâ, Deum bonum! diligentià perpenditis, an ita fieri expediat? an rebus veſtris utiles cognati, nihilne in contractu vitii, an tuta & certa emptio, an fundamenta ſatis firma? Quis ſecuros vos reddet, quòd non minùs in negotiis animæ & conſcientiæ diligentiæ adhibeatis, quàm in modò recenſitis, cùm apertum ſit, quàm parùm multos res animæ ſolicitos habeant, quámque invitis auribus conſcientiæ reprehenſiones & exprobrationes auſcultent? Maritus ludo immodicè deditus nihil ægriùs ad aures admittit, quàm uxoris providæ & ſapientis vituperia. Idem accidit in re noſtra. Unde ſicut maritus domum reverſus modum ac tempus non invenit, quibus à monerita reprehenſione conjugis ſe ſubducat; ita nec Peccator finem facit examinis ſui, quo ita ad calculos rem revocet, ut conſcientia penitus obmuſſitet. Accedunt enumeratis difficultatibus denſæ tenebræ, quæ animum vitiis involutum occupant, & illa ad iniquitatem adhæſio, quæ propria eſt voluntatis perverſæ; quibus in animum inducitur ignorantia illa craſſa & malitioſa, quam affectatam dicimus; quæ tantum abeſt, ut peccato excuſet, ſicut tamen nonnulli ſibi perſuadent, ut illud potius geminet. Addamus & artes ac ſolertiam, quibus Caro, Mundus, ac Dæmon conantur noſtrorum oculorum conſpectui culpas ſubducere, velando illas nunc pallio prudentiæ, nunc pietatis ac miſerationis, & multis aliis coloribus, ut non agnoſcantur à nobis, quales re verâ ſunt, atque nulla unquam ſeria emendatio conſequatur. Omnes iſtæ difficultates usque adeò arduum faciunt veræ pœnitentiæ negotium, ut ſanctiſſimi quoque ac religioſiſſimi in divinis Literis lumen à Deo crebrò petant, quo illas ſuperent; quomodo ergo ſuperabuntur ab iis, qui nunquam petunt à Deo colluſtrari, easque, differendo tandiu Confeſſionem, indies augent? Enimverò mihi perſuadeo, non ſemel plures ab ejusmodi hominibus coram ſacris Arbitris noxas prætermitti, quàm explicentur. Quare ſiquis magno ſuo malo, Pœnitentiam procraſtinando, huc miſeriarum redactus eſt, huic ego Auctor ſum, ut quàm creberrimè & ſtudio-

ſtudioſiſſimè lumen à Deo petat, ut plus temporis rationibus animi ineundis impendat, Confeſſarium quærat multùm hac in re exercitum, ac valdè prudentem, qui ſupplere poſſit, quod illi deeſt, opportunè & minutim exquirendo, quidquid res poſtulet: ſecus ſi fiat, periculum eſt, ne id hujuſmodi homini accidat, quod juveni, qui annum integrum ſuperſederet capillis ſuis pectine componendis: hi enim ita implicarentur, ut mediam facilè partem deinde pectini adhæreſcerent.

V. Igitur ad Examen quod ſpectat, dubium non eſt, difficillimum id iis accidere, qui longo tempore Confeſſionem procraſtinant. Sed non eſt minor in dolore difficultas, qui carnificis inſtar eſt, cujus manu perire peccatum debet. Nihil æquè malis animi medetur, ac tempus. Videte infelicem illum, qui in via ad nundinas loculos cum argento perdidit. Ubi ad jacturam advertit, tanto mœrore afficitur, ut non ſecundi, ſed primi ſanguinis loco argentum illi fuiſſe videatur. Domum reverſus non cibum ſumit, non cuiquam loqui dignatur, fugit ab oculis ſomnus; ſævit invictiſſimus, ſiquis ad eam jacturam æquo animo ferendam hortari velit; conjugem verberibus, filios conviciis excipit, totam latè viciniam deſperabundo ſimilis perturbat. O plagam immedicabilem, niſi tempus illam mitiget! Et verò dies ſinguli dolori, etſi acerbiſſimo aliquid detrahunt, uſque eò, ut non jam tantùm leniter feratur, ſed poſt dies non plurimos & ſenſus omnis, & tantùm non etiam memoria jacturæ penitùs tollatur. Ita ſe res cum iis habet, qui peccârunt: hi enim (etſi vix unquam eum doloris & triſtitiæ ſenſum præferant, aut tam ſonoris omnia queſtibus impleant, qui divinam gratiam peccando, quam qui argentum incuriâ perdiderunt) hi inquam, mox ab offenſa in Deum denuo admiſſâ cruciantur animo, mœſtique hæc ſibi occinunt: *Equidem promiſeram Deo & Confeſſario, quòd deinceps nolim peccare: & tamen! ô factum male!* Ita autem animo affectus procul dubio non magno negotio dolorem de admiſſo facinore conciperet, ſi confeſtim de peccato Sacerdoti aperiendo cogitaret. At dum ille Confeſſionem differt, ſenſim cùm die decreſcit doloris & triſtitiæ ſenſus, & novæ plagæ paulatim tam nulla habetur ratio, ut inſigni ſtultitiâ non ſolùm non perſanetur, ſed aliis potiùs & aliis culpis adjectis malum exaſperetur.

VI. Atque ut iſtud clariùs vobis enoteſcat, in memoriam revocate, quod aliàs ex me audiſtis; duabus nos cauſis ad dolendum de peccatis admiſſis impelli, Amore & Timore: hinc enim confeſtim diſcetis, quàm utriuſque hujus cauſæ vis tempore enervetur. Et amorem quidem erga Deum quod concernit, qui eſt dolendi cauſa omnium præſtantiſſima dubium eſſe non poteſt, quin ille, ut Amicitia, quò celeriùs, hoc faciliùs reſtaurêtur. *Uxor brevi reverſa, non dicitur divertiſſe.* Sic anima, auſa Deo tergum obvertere, & ratione

*De Pœni. q. 3. d. 1. c. divort.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tione aliqua pluris rem quampiam creatam, quàm ipſum æſtimare, ſi mox à tam turpi facinore, deteſtata animum ingratum, & perfidiam ergà ſponſum ſuum amantiſſimum, provoluta in genua, veniam delicti non abſque lacrymis efflictim roget, videtur quodammodo non receſſiſſe à Deo; ſed quidquid deliquerat, tam pleno ſolitudinis mœrore compenſâſſe. At ſi annum integrum ab eo ſeparata perſeveret, & quamlibet ſuaviſſimè ad reditum invitata, redire tamen nolit an ambiguum eſt, tantâ morâ contumaciæ ſcelus plurimum creſcere, eâque fieri, ut haud paulò difficiliùs violata amicitia reſtauretur? Haud aliter omnino ac fax pridem extincta, non ita facilè denuo accenditur; quæ ſi mox atque extincta fuerit, faci alteri ardenti admoveatur, antequam iſta accedat propiùs, ignem ex ea avidè ad ſe trahit. *Qui elongant ſe à te, peribunt*: ait Propheta, ut

Pſ. 72. 27. demonſtret, quantò ſit periculoſius, deſerto Deo diu poſt concupiſcentias ſuas ire, quàm mox atque ab eo diverteris, dolentem mœrentémque redire, & vix lapſum ſurgere. Quomodo ergo dubium eſſe poteſt, an dilata ſcelerum Pœnitentia plurimum officiat reparandæ, quæ peccato ſublata erat, cum Deo amicitiæ? Et ſi ita eſt, quomodo amoris impulſu facilè ad hanc amicitiam reſtaurandam elapſo anno agetur, qui ſcit, tantò ſe illâ minùs dignum eſſe, quò moratur diutiùs; nec tamen id penſi habet?

VII. Sed & timor difficiliùs ad dolendum impellit, ſi mora longior intercedat. In magnis etiam periculis initio ferme plurimum timemus; ſenſim autem deinde remittit is ſenſus; cùm timorem natura, omnem moleſtiam peroſa, quantum licet, excutiat, atque etiam ſecuritate muniat. Videmus columbas, ſi nidum in turri aliqua ſtruere incipiant, ad æris campani tinnitum principiò terreri, fugamque capeſſere; paulatim ubi innoxius is ſonus eſſe deprehenſus eſt, ſecuræ nidulo ſuo incubant, etſi campanæ omnes pulſatæ perſonent. Veſtrûm etiam aliquis, ſi fateri velit, quod res eſt, cùm primùm peccavit, vehementer animo eſt conſternatus: metuebat, ne vel ruinâ domûs opprimeretur, vel tellure dehiſcente abſorberetur. Subinde cùm expertus fuit, non vindicari ſtatim à Deo ſcelera, jam ſecurior eò ſenſim ſine ſenſu delapſus eſt, ut omni terrore pulſo altùm obdormiſceret, ſomno, quo nullus unquam lethargus plus cuiquam damni attulit: imò non tantùm in lectulo ſuo placidâ quiete ejuſmodi homo fruitur, ſed in publico etiam, in plateis, in foro profundè ſtertit; non inquam formidare tantùm deſinit, ubi aliquid periculi procul imminet, ſed & cùm præſentiſſima & maxima inſtant diſcrimina: id quod à Propheta iſtis verbis ſignificatum eſt. *Dormierunt in capite omnium viarum, ſicut Oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini.* Mira profectò res; cùm Dæmonum retibus undique implicati conſtrictique Impii magnis paſſibus ad æternum exitium feſtinant, tantò minùs ſuum illi diſcrimen advertunt, quò

quò illud indies evadit majus. Atque huc venitur Pœnitentiæ & Confeſſionis procraſtinatione. Conetur enim aliquis terrorem ejusmodi homini incutere, juſtiſſimam Numinis iram commemorando, atrocitatem ſuppliciorum, acrimoniam ignis infernalis, & carceris illius æterni horrorem, quæ illum jamjam expectent, inculcando, tantum aberit, ut horrore ille aliquo percellatur, ut potiùs mirabili confidentiâ dicat; meliùs ſe de divina miſeratione ſperare; non ideò ſe conditum à Deo, ut æternùm miſer ſit; fore tempus, quo de admiſſis doleat. Et quæ ſunt alia ejusmodi ſtultæ temeritatis plena: obſtructus proin omnis ad ejusmodi mentem eſt ſalutari timori aditus, qui tamen ipſi quoque ſapientiæ initium eſſe debet. *Initium ſapientiæ Timor Domini.* Verum proinde manet, cùm is, qui diu Pœnitentiam differt, & ab amore & à timore Dei procul ſit, haud illum ad ſerium de peccatis dolorem, qui confitenti neceſſarius eſt, paratum, aut illi propinquum eſſe poſſe.

VIII. Differendum modò etiam de difficultate propoſiti: etſi eam hactenus dicta ſatis apertè demonſtrent: Pœnitentia enim vultum quodammodo habet geminum: uno reſpicit peccatum præteritum, deteſtando ipſum & execrando: altero peccatum futurum contuetur, decernendo illud non admittere. *Dolor Pœnitentis eſt*, ut teſte S. Thoma, *reprobatio facti præteriti, cum intentione removendi ſequelam ipſius.* Qui autem culpas olim admiſſas parùm ſeriò & efficaciter deteſtatur, qui fieri poteſt, ut firmo certóque propoſito nullam deinceps admittere ſtatuat? Ut tamen à tam damnabili ſocordia magìs etiam abhorreatis, enucleatiùs oſtendam, quantum difficultatum in concipiendo genuino propoſito ex dilato Sacramenti Pœnitentiæ uſu naſcatur. Difficultates porrò has maximè manifeſtant procraſtinationis illius cauſæ & effecta. Cauſas quod ſpectat: quæro ex te, quisquis es ſalutis tuæ ita parùm ſtudioſus; quid cauſæ eſt, cur tamdiu Pœnitentiæ tabulam non prehendas? eam ſi dare pro reſponſo vis, quæ vera eſt, alterutram, aut utramque ex his afferas neceſſe eſt: nimirum; differre te Pœnitentiam propterea, quòd diutius gaudere velis voluptate in te ex peccato redundante, & tum demum poſt diuturnam ejusmodi oblectationem confiteri: aut, quia non niſi invitus peccata tua dolendo manifeſtas. Utrovis autem ex capite à Confeſſione abſtineas, negari non poteſt, quin ex alterutro, & utroque haud paulò difficilius reddatur propoſitum firmum ac ſtabile, ſine quo admiſſorum gratiam Deus non facit. Tantas equidem dum moras nectis, palàm demonſtras, arduum tibi eſſe, recedere à via iniquitatis, quæ eſt prima confeſſionis differendæ cauſa; unde quantò tardiùs potes, negotium iſtud aggrederis. Si grave tibi eſſet peccati onus, tu quoque faceres, quod ii, qui gravia humeris onera geſtant: hæc enim illi primùm ac licet, abjiciunt: tu non ab-

abjicis, quia amas peccatum: agis, inquam, quod Mercator concitato ventis mari; qui tamdiu induci non poteſt, ut mercium ſuarum arcas in mare abjiciat, licèt inde pendeat navis incolumitas, donec tandem obverſantem certò oculis mortem videat, niſi projiciat. Ita tu perſonæ neſcio cui amicitiâ tam arctâ adhæreſcis, ut licèt poſt primam noxam perpetratam ſentias concitari conſcientiæ tuæ mare, minari, fremere & mugire, quódque ſedandæ tempeſtati neceſſarium ſit, abjicere turpem illum amorem; tu tamen illum amplecteris tenaciùs, nec abjicere vis, niſi cùm Paſchalibus Feriis facere aliter non potes: tum enim, aut confiteri neceſſe eſt, aut nomen ſuum, diris ab Eccleſia devotum, prægrandibus expreſſum notis Templi foribus affixum legere, atque ita non credentibus accenſeri. Qui ſic affectus eſt animo, ille demum ad propoſitum invictum concipiendum rectè ſe habeat? Veſtrum eſto hac de re judicium. Si vel tantillum in animo ſupereſſet illius caloris, quem Gratia divina in ſe continet, enimverò vel nomen ejuſce lentitudinis ignoraret. *Neſcit*, S. Ambroſii verba ſunt, *tarda molimina, Spiritûs Sancti gratia.*

IX. Altera, quam dicebam, differendæ Confeſſionis cauſa etiam vehementiùs timenda eſt, cùm indicet animum actu & re ipſa flagitiis adhæreſcere. Horret quiſpiam vel nomen Confeſſionis, quia illa velut mors eſt eorundemmet ſcelerum, in quibus ſua animus ejus ſolatia invenit: unde ſicut contra urbanitatis leges apud multos eſt ſuper menſa ſermonem de morte inferre (ne acore iſto amaritie ciborum ſuavitas depereat) & ſi quis fortè mentionem de ea facit, tanquam humanitatis urbanitatiſque neſcius reprehenditur; ita ſi aut uxor, aut Parochus eum moneat, vicinos eſſe Religionis noſtræ Myſterio alicui ſacros dies, quibus animum Confeſſione expiare conveniat; enimverò uxorem ut moleſtam reprehendit, Parocho autem ipſi, ut qui modum tenere hortando neſciat, indignatur. *O mors, quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis!* Eccl. 41. 1. Et hoc ſit paratum expeditumque eſſe ad ſtatuendum de vita conſtanter mutanda? An non potiùs his ex indiciis quis colligat, nunquam illam fore mutandam! Æthiopes, mortalium illi nigerrimi, quantumvis annis graves vix unquam calveſcunt. Ratio ejus rei eſt, quia eorum capilli, magni illius caloris vi, radices egerunt profundiſſimas. Ita ſe res habet cum illis veſtris pravis deſideriis, conſiliis nequam, affectibus animi vitioſis. Semper cor, ſemper caput occupant, nec unquam inde recedunt; amoris enim illa vis, quâ voluptates complexi eſtis, fecit, ut altiſſimas veſtro in animo radices agerent. Ut tamen ritè quis confiteatur, totum mutari oportet, amare quod oderat; odiſſe, quod priùs amaverat. *Pœnitentem* [illegible] *hominem dico, qui diligit, quod ante neglexit, qui abhorret, quod amavit.* His ſignis S. Hieronymus Pœnitentes veros diſcernendos aſſerit: quid an-

autem ad iſta limaces noſtri? Equidem ſi hanc ad normam Confeſſiones faciendas examinare placet, næ vos fateri neceſſe erit, durum omnino atque arduum eſſe illi, qui longas in animo noxis exonerando moras nexuit, de vita ratione mutanda ſecum fortiter & conſtanter ſtatuere.

X. Nemo igitur ambigat, quin, ut tantò difficiliùs fœmellæ erinacei pariunt, quò parturiunt diutiùs, propterea quòd interim ſpinæ in fœtu quotidie creſcant; ita & ſcelerum Rei quò diutiùs Confeſſionem procraſtinant, hoc etiam magis moleſtam atque arduam experiantur ob eas, quæ indies majores ſe offerunt, difficultates in diſcuſſione diligenti & accuratâ, quam Confeſſio exigit, in concipiendo ſincero veróque dolore, atque etiam in forti decreto ac propoſito; ita ut tandem neceſſe ſit ita de Impiis iſtis judicare, ſicut de peſte infectis, quorum res tum ſe habet optimè, ſi citò ulcus peſtilens ſe prodat; id enim argumento eſt, non eſſe adhuc fractas naturæ vires, ſed vegetas & ad reſiſtendum malo aggredienti promptas: cùm è diverſo dum non erumpit, niſi admodum ſerò, ulcus, indicium eſt proſtratæ planéque exhauſtæ naturæ nihil ultra valentis ad ſui conſervationem conferre. Hoc etiam ego de nceps indicio de veſtra ſalute pronuntiabo. Si advertero, vos venenato peccati mortalis halitu afflatos absque mora ad pedes Confeſſarii accidere, veſtrúmque ulcus pandere, credam, vivam omnino veſtram eſſe fidem, virtúmque ad repugnandum malo habere ſatis: at qui è diverſo Confeſſionem ad poſtremam Paſchalium feriarum diem diſtulerit, ejus ego & animam mortuam, & fidem minimè vegetam robuſtámque interpretabor, ut quæ nec tantum porrò virium habeat, ut ulcus jam diu putridum & maturum foras pellere, & eo animam exonerare valeret.

XI. Atque hæc ex dilatæ Confeſſionis & Pœnitentiæ effectis apertiùs etiam patent; ex iis enim arguimus, quòd tam diuturna procraſtinatio mutationis voluntatis id verè efficiat, ut vix porrò ſeriò conſtantérque aliquid de ea mutanda animus decernere poſſit. *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea.* Pſal. 31. Videtur his verbis Regius Pſaltes affirmâſſe, ideò venenum noxarum intima oſſium penetrâſſe, quòd tamdiu ad illas manifeſtandas os clauſum tenuerit. Haud ſanè mirum eſt, Impios in iis, quæ ad conſcientiam ſpectant, usque adeò malè oculatos, nec ea quidem diſpicere, quæ ſunt certiſſima. Tam proin ſunt ſtulti, ut exiſtiment, nihil intereſſe, ſemel quis in anno, an ſæpius S. Tribunali ſe ſiſtat; cùm tamen hæc inter tantum interſit, quantum inter ſalutem & exitium ſempiternum; ſanè poſtquam gravi ſe noxâ homo obſtrinxit, diu tenere ſe non poterit, quin etiam alteram admittat, quæ eſt S. Thomæ doctrina. *Peccatum, quod* S. Thom.
*pœnitentiâ non diluitur, mox ſuo pon-* 1. 2. q.
*dere ad aliud trahit*: ſecuti Sanctum 75. ar. 4.
Gregorium; utrumque autem ita ſentire docuit illud Spiritus divini oraculum. *Peccator adjiciet ad peccandum* 29. Eccli. 3.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*dum.* Cujus proin res hoc loco ſunt, de malo ille in pejus ſemper proficit: qui priùs alienos oculos teſtes ſtudioſè vitaverat, exemplo dein palàm pravo nocet; ex verecundo impudens, ex dejecto elatus, ex parato ad pœnitendum evadit Impœnitens. Ajunt nonnullos in Africa ſerpentes, qui aliorum ſerpentium venatu vivunt, Dracones tandem fieri turgidos veneno tam præſenti, ut nullum adverſùs illud alexipharmacum valeat; tam illi jam feroces incantari contemnunt. Nec diſpar eorum eſt conditio, qui diu Confeſſione abſtinent: ſcelera ſceleribus cumulant, & animum indies peſtifero illo toxico replent, quo tanquam cibo conſueto veſcuntur. Hæc, quæ attuli rationum momenta, qui librando aſſecutus fuerit, pluribus, niſi fallor, opus non habebit, ut inducatur ad confitendum, mox atque deliquerit. Sed quia fieri poteſt, ut nonnemo, vim rationum adductarum non aſſecutus, bene de ſe & rebus ſuis ſperare pergat, ſic agamus: demus huic aliquid, quod fieri eſt quàm difficillimum; nimirum, quòd non obſtantibus tot tamque potentibus impedimentis, quæ deinceps pervincenda erunt, ritè tamen rectéque confiteatur: an idcirco curæ ipſi eſſe non debet, ut quàm creberrimè expietur? Hoc ipſi altero oſtendam ex capite, ex eo nimirum, quòd non tantùm difficilior ſit futura confeſſio, ſed etiam quòd ad Deum converſio minùs ſtabilis ſit futura. Eſt hoc alterum, ſi meminiſtis, ex iis, de quibus hoc Diſcurſu me acturum promiſi, idque ſatis, ut puto, maniſeſtè claréque vobis demonſtrabo.

XII. Præcipua ex iis, quæ plerumque accidere peccatoribus ſolent, calamitas eſt (ut nemo prudens ambiget) quòd tam citò plerique ipſorum denuo Deum offendant. Falco vinculis ſuis liber altùm evolat, ſimulque oculos aperit, quos diu ipſi herus colligatos tenuerat. Qui primùm hoc ſpectaculo frueretur, facilè is crederet, volucrem libertate tam jucundâ potitam nunquam ad priora redituram vincula: ſed falleretur. Vix enim ridicula volucris ſibilum venatoris percipit, cùm roſtro prædam ſuam deferens, præcipiti volatu ad heri ſui manum redit, pedes vinciri, velari oculos & ſuâ ſe reponi in ſecula patitur. Qui mores Chriſtiani populi ignoraret, haud ſanè in animum inducere poſſet, animam confeſſionis beneficio vinculis noxarum feliciter liberam, tot quibus ad eam diem deluſa erat, fraudes oculis apertis intuitam, ad primum Orcini Venatoris ſibilum redituram ad perditi Impoſtoris manū, ditiorem prædâ Gratiæ, Sacramenti beneficio obtentæ, ut denuo induat vincula, carcerem ſubeat, oculos velari ſinat, & verbo, probroſiſſimam ſcelerum ſervitutem iterum ſerviat. Et tamen ita ſe res habet; magno totius Cœli mœrore, cujus Incolæ vix inchoatam de reditu ſeductæ animæ lætitiam & gaudium abrumpere coguntur, & vetare, quin & luctu acerbiore mutare. *Verſa eſt in luctum cithara mea.* At unde per Deum, hæc tanta animorum Chriſtianorum in-

imbecillitas, tanta inſtabilitas, tam inconſulta varietas, mari perquam ſimilium, quod cœleſtem Lunæ motum ad meridiem usque ſequitur, ſubinde autem refluit, nec unquam curſum cœptum abſolvit? Aperiam vobis hujuſce mali cauſam. Hanc autem ut intelligatis rectiùs, ægrum animo veſtro objicite, cui Medicus imperârit, ut omni meliore modo ſomnum diſcutiat, cùm paroxyſmus accedit. Hic ſi fortè obrepenti ſomno cedat, in beneficiis numerat, ſi ab aſſidentium aliquo excitetur; gratias illi met pro curâ de ſe agit, apertisque eum oculis intuetur. Pauló tamen pòſt eosdem oculos denuo claudit, & profundiùs, quàm unquam antea, obdormit. Quæ tantæ inſtabilitatis cauſa eſt? Gemina ſcilicet; prima quidem, quia diſcuſſo ſomno non tamen ſublata eſt cauſa ſomni, quæ non eſt alia, quàm denſi illi vapores, quos morbus in caput emittit: altera, quia æger in molli ſuo lectulo hæret, nec ex eo ſe proripit. Hac comparatione vobis aperiam geminam etiam originem tantæ varietatis, quæ meritò dicitur ſtabilem in anima illius, cui familiare eſt poſt culpam admiſſam accuſationem ejus differre, ſedem fixiſſe. Confeſtim & ipſi denuo obdormiſcunt, quamvis ſolicitè à Confeſſario excitati, ob duas illas jam indicatas cauſas.

XIII. Ad primam quod attinet, diuturna aſſuetudo peccandi ſimilis eſt magnæ & tenaci maſſæ humorum condenſatorum, quæ novos confeſtim iterum vapores ſurſum emittit, ad ſomnum in ipſo vigiliæ principio conciliandum. Atque adeò niſi crebro Confeſſionis uſu humores iſti diſſipentur, oleum perditur & opera, neque emendatio vitæ unquam conſtans erit. Avarus ille & rapax, quo avidiùs alienum cruorem ſugit & attrahit, hoc major in eo cruoris ejusmodi ſitis accenditur; vix ſuam confeſſus cupiditatem, mox ad priores artes redit, & inopes emungere pergit, quos ab eo adjutos oportuit. Si huic homini ſanando illud Medicorum conſilium executioni mandaretur, quo ſuadent, ut hydropiſi laborantibus cutis ſecetur, sicque ex vulnere morbidi illi & noxii humores effluant: *Hydropicos ſtatim ſecari oportet.* Si *Hipocr.*
inquam, ita etiam cum avaro illo fieret, & hoc extimâ ſpecie crudele, ſed ſaluberrimum planè remedium illi perſanando adhiberetur, ut mox ac contractu injuſto alterum circumvenit, ſe de illata injuria accuſaret, injuſtè ablata reſtitueret, aut quoquo modo damnum illatum compenſaret; enimverò hâc induſtriâ quamprimùm inordinatus ille habendi & acquirendi amor extingueretur, & avarus non diu pòſt pluris animam, quàm aurum æſtimaret. Laſcivus ille, qui vix à ſordibus ablutus, iisdem ſe denuo inficit, *ſus lota in volutabro luti*: ſi induci poſſet ad pœnitentiæ tribunal mox accedendum, quamprimùm aliquâ ſe noxâ inquinavit, næ ille opportunis adjutus monitis, & remediis idoneis inſtructus, aut omnino à turpi deſiſteret aſſuetudine, aut multò ſaltem rariùs in ſordes illas



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſuas relaberetur. Ille è diverſo, ne voluptates ſuas turbet, pergit anno toto delitiari, quidquid oblectat, quidquid recreat, ſtudioſe procurare. Hinc vix à noxis abſolutus, flagitiorum curſum repetit, nec vel tantillo tempore bene cœpta proſequitur: illis non abſimilis arborum foliis, quæ meridiem ſpectant: hæc enim prima decidunt; quia molliori auræ aſſueta primam frigoris inclementiam ferre
Lib. 17. c. 4. non poſſunt. *Semper antea decidunt*, ut Plinius obſervavit. Neque diſpar eſt eorum conditio, quos vindictæ ſumendæ ſtudium efferavit; nam & hi, cùm paulò antè in gratiam redire cum infenſis ſpopondiſſent, odia ſua mox repetunt & continuant. Hos eâdem arte, quâ febri acutâ ac malignâ laborantes, perſanare oporteret, hoc eſt, quàm celerrimè, *eadem die*, prinſquam nimirum ira in
Gal. in Aph. Hippocr. to. l. 4. odium degeneret; quod eſt ipſum illud remedium, quo Apoſtolus, Medicus ſanè quàm peritus, utendum cenſuit, dum ſcripſit; *Sol non occidat*
Eph. 4. v. 25. *ſuper iracundiam veſtram*. Ne ſcilicet longiore temporis morâ indignatio in rancorem declinet. Sed quis horum eſt, qui conſulentem Apoſtolum audiat? Pro eo, quòd ſubnaſcentem animi alienationem corrigant, & communi omnes amore complectantur, per plurium annorum ſpatium eam ſinu ſuo fovent, & ne ſub Paſchales quidem ferias ſe reos Sacerdoti ſiſtunt, eo prætextu, quòd ignoſcere offendentibus non poſſint. Omnes, enumeratis modò febribus animi laborantes, lethiferum ſuum ſomnum ad paucula momenta interrumpunt, nonnunquam Confeſſione animum expiantes; ſed cum mox dormire pergunt; quia animi eorum non ſunt purgati à fæculentis humoribus pravarum propenſionum, neque caput vaporibus inde exhalantibus liberum, unde neceſſe eſt, mentem offuſcari.

XIV. Hanc ipſam tot lapſuum peccatorúmque confeſtim repetitorum cauſam Sacræ Literæ diſertè produnt. *Unusquisque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Abſtractus nimirum à bono, illectus ad malum. *Adducti concupiſcentiâ, poſtulaverunt eſcas epulationis. Concupiſcentia tranſvertit ſenſum. Concupiſcentia ſubvertit cor.* Hæc porrò Concupiſcentia, ſeu Cupiditas, quæ omnium malorum radix eſt, tantò evadit robuſtior, quò diutiùs in anima regnat per peccatum continuum, ſicque noxius ille humor tenaciorem in maſſam coaleſcit. Si peccatores mox atque ceciderunt, animoſo niſu iterum ſurgere contenderent, non ita exhauſtis viribus eſſent; verùm quia ſic illi vivunt, ut animus ferè ſemper peccato aliquo implicitus hæreat, eò imbecillitatis rediguntur, ut ad eos proſternendos ne quidem impetu aliquo impulſúque ſit opus, cùm tentationi ſuccumbant, antequam hæc ipſos aggrediatur, & eam potiùs ipſi proritent. *Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* Quæ Prophetæ verba docent, idcirco animam infirmam atque inſtabilem redditam, quòd crebrò peccârit.

Nec

Nec enim aliud eſt *peccatum peccare*, quàm culpam addere culpæ; ſicut vulnus vulneràſſe dicitur, qui antequam cicatricem obduceret, illud exaſperavit. Et verò dicamus, quod res eſt; qui tandem fieri poteſt abſque miraculo, ut firmi conſiſtant, qui Pœnitentiæ adjumento tam rarò utuntur? Si quem febris trecentis ſexaginta diebus continuis, inteſtino calore depaſceretur, nec niſi quaternis anni diebus abſcederet, an ille pedibus niti poſſet, & firmus conſiſtere, cùm malo tam gravi diu admodum debilitetur, vigoris autem aliquid & roboris tam paucis diebus acquirat? Ita autem ſe res multorum Peccatorum habent: atque utinam non etiam aliquorum deteriùs! cùm ne tantillo quidem tempore ſani ſint, ſed per ipſas etiam Paſchales ferias ad intermiſſa tantiſper ſtudia redeant, &, ſi non facto, deſideriis ſaltem, priſtinas in inſanias relabantur. Quis ergo mirari jam poſſit tantam ejuſcemodi hominum in bene cœptis inconſtantiam? Quamdiu peccata addent peccatis, non eſt quòd conſtantiæ aliquid & firmitatis ſperent. *Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.*

XV. Accedit & illud mali ad hanc in iniquitate tam longam moram, quòd non voluntatem tantùm, ſuapte naturâ tam parùm in bono firmam, valdè frangat, & ad caſum vehementer proclivem reddat, ſed quòd mentem etiam ad malum cognoſcendum valdè debilem & luſcioſam efficiat. Sæpius contigit, captivum obſcuro carcere diu clauſum, adeò videndi facultate deſtitui, ut in lucem è tenebris ſubinde extractus planè videret nihil. Hæc ipſiſſima eorum eſt miſeria, qui diu peccatorum tenebris obſcurati jacuere: nam etſi Pœnitentia oculos eorum aperire videatur, meritò tamen dici poteſt, quòd nihil videant. Fides eorum tam modica vitæ dat indicia, ut planè mortua, imò jam in cineres redacta videatur. Adeò obſcurè illis proponit graviſſima, in quibus verſantur, æternæ ſalutis olim amittendæ pericula, & præſentis, quam vivunt, vitæ calamitates; ita ut ſicut ſomnus naturalis, & ſentiendi facultates, & rationem ipſam ligat, ita ſomnus iſte ſpiritûs & rationem liget & fidem. Hinc obſervare eſt, qui ejuſcemodi conſcientiâ ſunt, nihil omnino timere, non correctiones, non publicas, non privatas admonitiones, non minas, ita ut jam videantur pactum iniviſſe cum morte, tam nullo ejus metu tanguntur: *Percuſſimus fœdus cum morte.* Iſ. 28. 15.
Qui venis ſunt arctioribus, Philoſopho teſte, plus dormiunt: ſed aliter accidit in re noſtra: Qui laxiore eſt conſcientiâ, profundiùs ſtertit, & ſomnum, etſi funeſtiſſimum, altiùs dormit; quin eo tandem reducitur, ut quæ aliis excitandis, ſomnóque diſcutiendo ſerviunt, hæc eundem illi tantò ſuaviùs concilient; haud aliter ac aliqui lectione ad ſomnum provocantur, quem alii legendo diſcutiunt. Sanè iſtos Miſericordia Dei animat ad quietiùs ſecuriùsque in ſuis ſceleribus dormiendum; cùm hæc eadem alios magnopere ſtimulet ad abſtinendum ab omni illicita voluptate.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paratum tantis malis in Confeſſione ſæpius repetitâ eſſet remedium: tum enim noxii illi pravæ aſſuetudinis vapores non ita addenſarentur in anima, ſed illa tam bellè excitaretur, ut vigilaret quàm diutiſſimè, & nequaquam oculos vix apertos mox denuo clauderet.

XVI. Altera cauſa, quæ licèt extrinſeca, longè plurimum tamen ad hanc Peccatorum; Pœnitentiam amplexorum, varietatem ac mutabilitatem confert, eſt neglectus vitandi pericula ad relapſum; unde, ægrorum inſtar, qui è lecto ſuo non exurgunt, vix excitati, denuo obdormiſcunt. Clamabat idcirco Apoſtolus. *Surge qui dormis, & illuminabit te Christus*: ut doceret, quòd quamdiu ſumus tam proclives ad lethargum iſtum, obniti illi conſtanter non valeamus, donec animo generoſo proripiamus nos ex plumis aut culcitris, occaſiones, inquam, denuo peccandi, illecebras, & commoda corporis quæcunque fugiamus. Dum autem occaſionum memini, non illas tantùm intelligo, quæ proximæ ſunt: hæ enim quanto ſtudio vitandæ ſint, jam aliàs audiſtis, loquor etiam de remotis, quibus & vos ipſi, & ſacri Arbitri vos reſiſtere poſſe exiſtimant, vel quia in peccata ipſa, niſi à longè, non influunt, vel quia adversùs illas decreto animi firmiſſimo eſtis obarmati. Sed nihil refert: ad harum occaſionum fugam ſi neceſſitas vos non adigit, impellit tamen prudentia; quia abſque hac etiam redundante cautione ad priora & antiqua veſtra ſtudia citò redibitis, *Qui faciunt, quidquid licet, facilè dilabuntur, ut fa-ciant, quod non licet*: ut Clemens Alexandrinus affirmat; & uſus comprobat. Diuturnas poſt pluvias quàm Sol tam ſplendidis affulgens radiis, ut non aliàs facilè nubibus obvelandus videatur. Sed aliter ſe res habet: fermè enim non diu pôſt iterum turbantur omnia, denſæ iterum nubes cœlum & ſolem eripiunt, iterùmque itinera viæque in lacus mutantur. An nôſſe vultis mutationis ejuſce tam illætabilis cauſam? Alia non eſt, quàm quòd tellus prioribus pluviis inundata, ubi ſubinde ſolaribus radiis accenditur, vim vaporum ingentem exhalet, qui ad mediam aëris regionem ſublati, frigore, quo illa abundat, in nubes denuo condenſati, eò recidunt, unde aſcenderant: ſi vapores hi altiùs extendiſſent, nihil in via morati, longo tempore ſerenus arriſiſſet ſol: at quia moram in regione frigida traxerunt, citò poſt Phœbum redierunt nubila. Similia iis accidunt, quorum animis poſt animum ſacrâ Confeſſione expiatum ſerenus admodum divinæ gratiæ ſol illuceſcit: minimè diuturnus tamen jucundæ tempeſtatis ſenſus & uſus eſt: vapores ſiquidem illi, qui ex turbidæ tempeſtatis reliquiis mentem occupabant, Solis quidem cœleſtis & gratiæ calore ſurſum enituntur; ſed ipſi quoque in mediam delati aëris regionem condenſantur, & recidunt unde aſcenderant, & tota arridentis cœli amœnitas atque jucunditas in turbines iterum & tempeſtates mutatur. Vix enim, & ne vix quidem Paſchæ tempus elabitur, cùm illi paulò antè expia-

Epheſ. 5. 14.

ti

ti ad ea redeunt, quæ cùm neque in ſe mala ſint, neque bona (etſi magìs ad malum, quàm bonum inclinent) rectè ſecundæ aëris regioni comparantur: indulgent, inquam, liberali vini uſui, jocis & facetiis præquam unquam ſe oblectant, in medios fœminarum ſuperbè, nec nimis pudicè comptarum greges, ut antea, ſeſe inferunt, cùm illa procul habere oporteret. Hac autem in regione, qui animum deſeruerant, vapores iterum coacti in nubes ac nebulas, cùm rectà, & quàm longiſſimè abire debuiſſent, recidunt, & quibus antea, animum ſordibus & cœno inundant. *Surge, qui dormis.* Quisquis non vult, ut denuo ſomnus oculos liget, è ſtrato ſe & plumis proripiat: fugiat, inquam, nimia animi laxamenta, otium vitet, & quæcunque ſalos ſenſus oblectant; & quò ſibi magis ſecurus videtur, tantò fugiat ſtudioſiùs; hâc enim ſecuritatis ſub falſa imagine, laquei doloſi, maxima inquam latent pericula. Audite, an ita ſeſe res habeat.

XVII. Vir nobilis ex urbe Como, nimis facilem ad obſequia, etiam non debita, famulam expertus, gravi admodum invaletudine tentari cœpit. Evocatus Sacerdos, qui audiret confitentem, antequam illi operam daret, infamem hanc mulierculam domo ejectam omnino voluit. Sed æger plurima cauſatus, maximè quòd illâ expulsâ haberet planè neminem, à quo neceſſaria in tam miſero ſuo ſtatu obſequia expectaret; quòd periculi jam nihil eſſet, viribus adeò exhauſtis, & morte ante oculos obverſante; Confeſſarium perpulit, ut à noxis reum abſolveret, pollicitum tamen ſeriò, quòd ſi vel morbus longinquior evaderet, vel valetudo rediret integra, peſtem illam procul faceſſere ſit juſſurus. Febri interim invaleſcente paucos poſt dies æger è vita decedit. Anxium habebat Confeſſarium hominis ſalus; Sacrum proinde pro defuncto facit, & en, infelicis anima oculis ejus ſe objicit, flammis undique cincta, & tota ſpecie tam miſerabili, ut ad miſerationem quodvis pectus movere potuiſſet, cum dicto: Non eſt, quòd pro me ores, ego enim æternis ſuppliciis addictus ſum. Et cur, reſpondet Sacerdos, an fortaſſis Confeſſio, quâ noxas mihi tuas aperuiſti, ſincera non fuit, aut integra? Minimè id quidem, repoſuit infelix, ritè enim confeſſus ſum. Sed ò me miſerum! cùm poſtremis illis vitæ meæ momentis ſæpius lectum obiret muliercula illa, à me perditè amata, Dæmon ejusmodi horâ minimè otioſus ſuggeſſit ejus occaſione fœda quædam, & ego prô dolor! ſuggerenti ſtultè aſſenſus mercedem ejus peccati ignes æternos patior. An exitii hujus & funeſtiſſimæ tempeſtatis fuiſſet periculum, ſi amoris impuri vapores, ex animo ægri exhalantes, in hac ſecunda aëris regione, conſortio inquam, & propinquitate fœminæ olim malè amatæ, non denuo coacti in atras nubes recidiſſent, unde emerſerant? Haud quaquam ſanè, ſed amœniſſima Solis gratiæ lux extremum usque ad momentum affulſiſſet: nunc inconſultâ fiduciâ non cadendi in occaſione tam propinqua, æternùm miſer



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſer interiit. Ita, & adhuc pejùs, ſibi quiſque imponit, quò diutiùs Confeſſionem procraſtinat; eâ inprimis de causâ, quòd ii fermè, qui ante periculum magis ſunt temerarii, in ipſo periculo maximè ſoleant eſſe ignavi; deinde quia meritò Deus in pœnam tenebrarum, quas, tam crebrò peccando, animo ſuo peccatores offundunt, permittit, ne, cùm maximè intereſt, ſua cœci pericula proſpiciant, quibus ſe exponunt. Cavete, per Deum, dilectiſſimi, ne & veſtris animis tamdiu dilatæ Confeſſiones noctem ejusmodi offundant: & ſiquis jam eò miſeriarum redactus eſſet, ne, quæſo, porrò in tenebris his ſibi fidat. *Surge qui dormis.* Emendate ſeriò pravas veſtras aſſuetudines, deſerite mollem commodorum veſtrorum lectum, pericula vel procul fugite, majus in operibus rectis ſtudium ponite; tum enimverò nolite ambigere, quin & ſomnum hunc lethalem penitùs poſſitis diſcutere, & Deus multiplici luce animos veſtros ſit illuſtraturus. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.*

XVIII. Quid ampliùs poſtulant, ut agnoſcant errorem ſuum, quicunque ſibi perſuadent, quodvis tempus Pœnitentiæ eſſe idoneum, & nunquam non paratam eſſe tabulam, quâ prehenſâ ex naufragio peccati enatent? Equidem ſi obſtinatè cœci non ſunt, minimè obſcurè tandem videre poſſunt, quòd niſi quamprimum oblatam prehendant, poſtmodum aut omnino prehenſuri non ſint, dum malè Confeſſionem peragent; aut ubi etiam illam feliciter amplexi fuerint, riteque confeſſi, haud quaquam tamen diu illam ſint retenturi, dum non diu poſt priores in miſerias & delicta relabentur. Et tamen, ſi S. Thomæ credimus, *Primum remedium mare tranſeuntibus eſt, ut conſervetur in nave integræ: ſecundum autem remedium eſt, poſt navem fractam, ut quis tabulæ adhæreat.* Non dicit, *ut quis tabulam amplexetur*, ſed *ut quis tabulæ adhæreat.* Neque enim enatatur open tabulæ, quam manibus jam prehenſam, mox elabi ſibi quis permittat. Quare cuicunque æternitas & ſalus ſua curæ cordique eſt, hinc pedem ne efferat, priusquam cum Deo planè perfectéque in gratiam redierit, peccatis ſuis ſincerè ſolicitéque confeſſis. An non ad aures veſtras allabuntur divinæ illæ voces, quibus ad hoc faciendum vos Deus excitat? *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te:* Eccl. 5. Equidem his in verbis, velut ſynopſi, legere mihi videor, quidquid hactenus à me allatum eſt, & quidquid præterea adferri poſſet ad vos fortiùs impellendos, ut quàm efficaciſſimè decernatis id, ex quo tam multa pendent. *Ne tardes*, occinam cunctis peccatoribus, *ne tardes converti ad Dominum.* Si juſtiſſimo Dei dominio perfidè te ſubtraxiſti, cave, quas olim, plurium mentium moras nectas, priusquam ad debita tot nominibus obſequia, & ſervitutem redeas. Plurimum intereſt, ut

Leges

P. SEGNERI Homo Christia[illegible]
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Leges etiam Cæſareæ agnoſcunt, inter eum, qui conjurationem periculoſiſſimam abſque mora aperit, & eum, qui tandem, poſt multam diſſimulationem, eandem detegit. Et credat quis, longè aliter Dei Leges cenſere, hisque perinde eſſe, ſive quis nullâ morâ interpoſitâ turpem peccati conjurationem manifeſtet, ſive poſt longam tandem temporis intercapedinem, illam promat? Si aliud detrimenti in eum redundaret nihil; ex tot menſium procraſtinatione, illud ſaltem certum eſt, quòd quidquid interea ex virtute agit, omni prorſus mercede, fructu omni caſſum ſit: & parùm damni ſit, cùm hinc migrandum eſt, tam nihil hinc lucrum auferre? Imò vel ipſo ſub finem anni denique peractæ Confeſſionis fructu deſtitui? Nihil arenti ſolo illæ proſunt pluviæ, quæ poſt ingentes Solis ardores deciduæ priùs ferè exſiccantur, quàm ſolum attigerint: illis arentia ſatiare tellus ſolet viſcera, quæ noctu lentè cadunt, & ſpatium concedunt, ut penitùs imbibantur. Quid ergo vultis, utilitatis capiat aridum illud animæ veſtræ ſolum, ex una ſola totius anni Confeſſione, à qua tam citò ad ſolitas ineptias redeatis? Hoc ſanè tam modicum tempus non ſufficit, ut inde vel tantillum proficiat, ſalutaremque ſuccum imbibat; ſed dum nos pœnitentiæ animum pœnitet, ut Tertullianus loquitur, vix delapſam cœlo, licèt naturâ ſuâ tam fœcundam gratiæ divinæ pluviam, ſtygius Concupiſcentiæ ardor momento exſiccat.

XIX. Quare, *ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Non tantùm fas non eſt de menſe in menſem differre pœnitentiam, ſed ne de die quidem in diem procraſtinare eam convenit; neque enim ſcimus, quid ſequens paritura ſit dies, & ſæpe qui hodie dolere non voluit, cras ne cùm vellet quidem, potuit. Non multis abhinc annis Juvenis quiſpiam induci non poterat, ut animum Confeſſione expiaret. Hujus valetudo non ſine periculo tentata cùm eſſet, ne tum quidem ſocordiam illam ſuam deſeruit, ſed in craſtinum pluries Confeſſionem diſtulit. Cùm tamen denique adverteret, ſe mali vi planè extremis admotum, Confeſſarium acciri juſſit. Hunc domeſtici dum evocant, en rem dictu horridam! adeſt Dæmon, & longiſſimum ſcelerum, nunquam adhuc Sacerdoti enarratorum, infelicis oculis elenchum objicit. Cohorruit æger, & de venia tot erratorum deſperans exclamabat identidem: O quis catalogus! heu quàm enormiter longus eſt! prô quàm fœda peccata! Hæc inter verba, priùs quàm Confeſſarius adeſſet, tot flagitiorum ream animam exhalavit, accuſatori utique ſuo tradendam. Nemo noſtrûm non eſt ejusmodi repentinæ mortis periculis obnoxius; ſi quem proinde funeſta ſors cum miſerrimo hoc Juvene citiùs ad inferas ſedes detruderet, quàm ſuum ille diſcrimen obſervaret, prô! quibus lacrymis, quàm horribili ejulatu ſuam execraretur ſocordiam, quâ exitio irreparabili non prævertiſ-

*Nicini exempl. 103.*

vertiſſet! Sed demus non hâc quemquam calamitate & ſorte infeliciſſimâ involvi, an parvum malum eſt, tantam tot dierum moram interponere, dum ad conditionem Filiorum Dei revertatur? Enimverò Rex quiſpiam magnus, ſi à Barbaris captus ad tranſtra damnaretur, ne diem quidem unum moraretur, ſi in ejus poſitum eſſet arbitrio, vel infamem illam porrò ſervire ſervitutem, vel ad populos ſuos imperio continendos, quamprimùm reverti. *Ne* igitur *tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; ſubitò enim veniet ira illius.*

XX. Perpendat ſecum quiſque, ſe dum peccato vivit obnoxius, Dei hoſtem eſſe, quem ille magìs oderit, magìſque abhorreat, quàm ipſe fœdiſſimum aliquem bufonem: imminere jamjam capiti ſuo vindicem Dei iram; quæ mox atque in peccatum quis conſenſit, jam tum ſe ad vindictam movit; & ſi hactenus appulſa non eſt, at certè paulò pòſt aderit, & tarditatem adventûs, pœnarum gravitate & atrocitate compenſabit. *Subitò veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Permittet illum ſub ipſum hinc migrandi tempus tentationibus vehementiſſimis impeti; neque curæ eidem erit mederi plagis, quas contumaci perfidiâ in gangrænam degenerate ſivit. *In tempore vindictæ diſperdet te.* Si cujus animum etiam illa excitare poſſunt, quæ altiora ſunt, ſecum is animo volvat, quàm indignum, omnique à officio ac humanitate alienum ſit, ſinere vocantem Deum tam longo tempore expectare. Quis unquam non foret barbarus, ut Principem ſuarum ædium fores pulſantem his verbis dimitteret? Abi modò, non vacat; alias redito: Et tamen Deum noſtrum, quidam tam egregiè obſervant, ut eidicere non vereantur. *Vade, & revertere.* Confitebor, ſed modò non lubet. Hoc ſanè eſt non tantùm dubium reddere malorum ſuorum remedium, Servatoris noſtri pretioſiſſimo Sanguine paratum, ſed ipſum adeò contemnere Servatorem, multòque magis ſuam ſalutem. Nullæ igitur, nullæ deinceps moræ trahendæ ſunt. Hic omne quemlibet cedere neceſſe eſt, & abjectis armis totum ſe ſubjicere Deo, converſione ſincerâ, veraci atque humili, ut tempori potiatur divinæ gratiæ fructibus, quibus, cùm frugum tempus præterierit, fruſtrà deinceps inhiabit.

DI-

# DISCURSUS XVII.

## *Signa veræ Pœnitentiæ.*

I. VEnatoribus atque aucupibus ſolenne eſt, feris & avibus dolos ſtruere, laqueos & retia tendere prope aquas, ad quas crebrò illæ oblectationis gratiâ ventitant. Quamquam autem ubivis locorum Dæmon hominibus inſidietur, præcipuè tamen & ipſe, Venatorum more, laqueos illis & retia prope amabiles ſalutis fontes tendit, de quibus jam olim Propheta vaticinando cecinit: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*: prope ſanctiſſima ſcilicet Sacramenta. Imò quia Pœnitentia poſt BaptiſmumSacramentorum omnium maximè neceſſarium eſt, non eſt dubitandum, quòd circa hoc omnium ſolertiſſimè fraudes & inſidias hoſtis ille capitaliſſimus ſtruat; idque eò ampliùs, quòd, cùm ad hoc Sacramentum nos de noſtro plus, quàm ad quodvis aliud conferre oporteat, major huic vaferrimo noſtro inimico pandatur campus retia ſua variè eum mutandi, aut multiplicandi, prout ex ejus re & commodis magis fuerit. Unde etiam ex parte noſtra, nulla diligentia, quâ has inſidias & fraudes evitemus, nimia videri poteſt. Non eſt proinde, quod ægrè feratis, ſi toties de Pœnitentia diſſerentem audire neceſſe ſit; agitur de negotio momenti plus quàm magni: neq; ſanè ſcio, an ullum aliud ſit, in quo errare parte unâ tam facile, alterâ autem tam pernitioſum ſit. Hodie igitur veſtros ante oculos tria proponam ſigna, quæ ſi in veſtris Confeſſionibus inveneritis, enimverò in iis ut bene peractis piè prudentérq; acquieſcetis: at ſi illa defuerint, quærite, qui vos ſecuros reddat, ego mihi tantum non ſumo, ut in re ancipitis plenâ periculi vadē me præſtare velim.

II. Converſio Peccatoris eſt vita nova. *Induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt.* Vitæ autem verum ac proprium ſignum eſt, operari; nova igitur vita, novis, & aliis operibus ſe prodat neceſſe eſt. Idcirco hîc oculos ad Cor, ad Linguam, & Manus Pœnitentis convertemus: ſi tria hæc membra novis operibus efficiendis occupata invenerimus, inde prudenter arguemus novam vitam haud quaquam abeſſe.

I.

III. Cor jure meritiſſimo nobiliſſima humani corporis pars dicitur, cùm ſit primum, quod in eo moveri incipiat, & ultimum, quod moveri deſinat. Pictoria ars hominem incipit fingere à facie; non enim aliud ſpectat aut proponere vult, quàm apparentem ejus figuram: at natura, quæ non imaginem apparentem, ſed rem ipſam fin-

S.Th.2. 2.q.121. ar.2.c. git, à corde initium ducit. Sed vel ipſam Naturam hac in re ſuperat Gratia, tanquam veritatis amantiſſima; & idcirco tanti æſtimat Cor, ut eo obtento, totum ſe obtinuiſſe exiſtimet. Prov.23. 25. *Fili, præbe Cor tuum mihi.* Atque ita in eo, in quo potiſſimùm novus homo interior (jam olim à S. Petro appellatus 1.Pet.3. 4. *Abſconditus cordis homo*) conſiſtit, præcipuè obſervare oportet, an nova ipſi propria opera inveniantur. Vos ego oro atque obteſtor, ut de argumento tanti ponderis differentem attentè audiatis.

IV. Sciendum igitur eſt, Deum, qui cor hominis Peccatoris, in Pœnitentiæ Sacramento renaſcentis, novum efficit, duas in illo mutationes facere: primum actualem dicimus, éſtque ipſe de admiſſo peccato dolor, & propoſitum de vita deinceps emendandâ: altera mutatio, quæ habitualis appellata eſt, Gratiâ juſtificante à Deo infusâ perficitur, & reliquarum virtutum, quæ Gratiam comitantur, choro. Hac duplici mutatione cordis vera converſio conſtituitur; ſed quia utraque, tanquam in homine interiore peracta, fit quàm occultiſſimè, nobis lege ordinariâ aliter manifeſtari non ſolet, quàm effectis ſuis & actibus, haud ſecus ac radices arborum in terra latentes aliter vitam non produnt, quàm fructibus, quos generant. Sed qui ſunt tandem illi actus, illa opera, quæ certos nos de novo corde, atque adeò de nova vita faciant? Ecce illos: duo autem ſunt; unus eorum actuum præterita, alter præſentia reſpicit.

V. Ad præterita quod attinet, clariſſimum impetratæ peccatorum veniæ ſignum eſt, cùm Pœnitens nunquam non eorum recordatur, non quidem, ut de iis in omni ſe exomologeſi denuo accuſet, ut nonnulli timidè, ſed haud ſanè prudenter ſolent, ſed ut illa identidem deteſtetur, atque abjiciat, & pudore novo ſuffundatur ob tot injurias divinæ Majeſtati illatas. Atque hæc eſt cauſa, ob quam non in veteri magis, quàm nova Lege illi ipſi Pœnitētes, qui de obtenta venia certiſſimi erant (qualis fuit Magdalena in Lege gratiæ, quæ ex Chriſti ipſiusmet ore audivit, *remittuntur tibi peccata tua*; & David, cui in Lege ſcripta Propheta denuntiavit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum à te*) præ cæteris tamen culparum ſuarum ſunt recordati: & hoc eâ causâ, ut magis ſemper ſui illos puderet, utq; hâc verecundiâ perpetuâ, quam Deo abſtulerant, gloriam certiùs repararent. Vulnera dente venenato inflicta deteriùs nemo medicatur, quàm qui curat, ut cicatricem confeſtim obducant. Id quod de peſtiferis illis plagis maximè verum eſt, quibus peccatum animam vulneravit: nihil perinde noxium iis fieri poteſt, quàm ſi confeſtim oblivione ſic tegantur, ac ſi nunquam ullæ fuiſſent. Sæpius audieritis ex Evangelio, quomodo Chriſtum Servatorem homo locuples, quem Simonem Leproſum dicebant, convivio exceperit. Quâ autem causâ putatis virum hunc cognomine iſto compellatum? an quòd tum adhuc leprâ infectus eſſet? haudquaquam ſanè, ſi-

qua

qua S. Hieronymo fides cùm ejuſmodi malo laborantes lex immundos haberi juberet; qui autem tales erant, humano commercio excludi debebant, ne latiùs contagione peſtis ſerperet. Leproſus ergo dictus eſt, quòd illi olim laboràſſet, eâque, ut creditur, Chriſti benignitate & virtute eſſet liberatus; ſolitus dein ſæpius Medicum hunc ſuum cœleſtem ad convivium invitare, ne tanto beneficio ingratus eſſet. Ita par eſt Pœnitentem ſibi imbuere nomen Leproſi, ut qui peccatis olim leprâ ſorduerit, ſe talem & exiſtimare, & ut talẽ habere. Et hæc culparum olim admiſſarum memoria, conjuncta cum aſſidua earum deteſtatione & odio, præ ceteris certũ eſt veniæ obtentæ, & Gratiæ acceptæ ſignum. *Spiritus*, ajebat Ezechiel, *levavit me, & aſſumpſit me: levavit me* à peccato, *aſſumpſit* ad gratiam: & quid inde conſecutum eſt? *& abij amarus in indignatione ſpiritus mei.* Id quod tum maximè verum eſt, cùm recordatione tali generabitur tam agnata ipſi, ſui abjectio & humiliatio. Humiliatio porrò iſta tam eſt neceſſaria Pœnitenti, ut Tertullianus illâ veram Pœnitentiam definiverit: *Eſt*, inquit, *humilificandi, proſternendique hominis diſciplina.* Quin imò ſacræ Literæ dolorem ferme humilitati jungunt, tanquam effectum ſuæ cauſæ. *Recordaberis viarum tuarum, & confundêris.*

VII. Quare ſi certò dignoſcere vultis novam Juſtificationis vitam in corde veſtro, hanc, quam diximus, peccatorum admiſſorum memoriam loco quærite. Malè equidem metuo, ne plures veſtrûm, vix à noxis abſoluti, ſic earum ponant memoriam, ut non ipſorum, ſed neſcio cujus alterius culpæ fuiſſe videantur; perinde ac ſi monſtra hæc non diutiùs ad voluntatem pertinerent, quàm dum hæc eadem parturit. Hinc deinde neſcitur, ut perinde ac antea temerarii non formidetis eò accedere, ubi toties antè veſtri impegerunt pedes, & tam turpi lapſu proſtrati eſtis: id quod ne beſtiæ quidem ratione diſtitutæ faciunt, quæ compelli non poſſunt, ut per loca tranſeant, in quibus priùs, etſi fortuitò, prolapſa ſunt. Hoc etiam ex capite tam ſolicitè id agit Dæmon, ut aboleat delictorum admiſſorum memoriam, ut ſemper reddamur audaciores in contemnendis periculis; id quod haudquaquam fieret, ſi ſemper oculis noſtris obverſarentur & lapſus noſtri & offendicula ac præcipitia, in quibus illi contigerunt, ut diſertè per Jeremiam Deus omnem animam Pœnitentem admonet illis verbis: *Leva oculos tuos in directum, & vide ubi proſtrata ſis.* *Ier. 3. 2.*

VII. Alter hujus recordationis fructus futura concernit, dum illâ fit, ut homo ſibi ſtudioſe caveat, ne denuo peccet. Ajunt, illum equum omnes alios curſûs velocitate prævertere, qui aliquando admorſus ſit à lupo, & fugâ evaſerit: videtur enim ſibi quodammodo ſemper à tergo lupum habere, cujus ex dentibus tam fortunato eventu ſe præripuit. Hoc etiam contingit Pœnitenti, qui errorum & caſuum ſuorum ſemper memor eſt: ſemper ſibi à tergo videtur habero illud-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

iſtudmet peccatum, à quo magnâ ſuâ felicitate liber evaſit; nec unquam ſatis conari ſe exiſtimat, ne denuo ab eo invadatur.

VIII. Agnoſcitis hîc cauſam, ob quam cor verè dolens & contritum longiùs abeſt à peccato, quàm abfuerit priùs quàm illud admitteret: illa enim aſſidua recordatio læſæ divinæ Majeſtatis, identidem ipſum excitat, ut longiùs ſemper à culpa recedat. S. Petrus à trina ſua negatione haud paulò fortior, ſuâque in fide evaſit ardentior. S. Maria Magdalena poſt laſcivos illos ſuos amores vixit mundior, quàm primis innocentis ætatulæ annis. Theodoſium quoque Imperatorem poſt Theſſalonicenſem illam ſtragem manſuetiorem evaſiſſe legimus. Cur iſtud, niſi quia & recordatio aſſidua, &, quem perperam geſtorum continuum experiebantur, dolor, vi magna avocabant à ſimilibus perpetrandis? certè de prioribus duobus id Sacris è Libris ſatis conſtat; de Theodoſio autem id ipſum S. Ambroſii teſtimonio docemur, qui in celebri illa, quâ tanti Imperatoris funebres exequias cohoneſtavit, oratione ita locutus eſt: *Nullus poſtea fuit dies, quo non illum doleret errorem.* Atque quod magnæ hæ Animæ præſtiterunt, faciunt & aliæ non diſſimiles, ſemper in criminum ſuorum deteſtatione occupatæ, ut non ad aliud, quàm ad hæc deploranda, vitæ momenta prorogata ipſis eſſe videantur. Nobilis quædam Matrona adeò indoluit neci mariti ſui occiſi, ut nec precibus, nec conſiliis, nec ratione aliâ ullâ induci poſſet ad cibum ſumendum. Poſtea tandem obſtinatam hanc voluntatem, &, comedam, ajebat, ut diutiùs fleam. Tantundem veri Pœnitentes faciunt, nobiliore amoris œſtro perciti. Vivunt, ut doleant; & eâ ſolùm cauſâ carum ipſis eſt, vitæ ſpatia propagare, ut diuturnior dolor ſit, pluſque interea lacrymarum profundere liceat. Imò non tantùm vivunt, ut doleant, ſed potiùs credas eos dolore ipſo vivere: hoc cibo aluntur. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte;* ajebat ſanctus ille Rex, perinde ac ſi oculi penus eſſent, quæ ſubminiſtraret, unde viveret. Sed majora ſunt hæc, ſat ſcio, quàm ut ad illa vos aſpiretis: at ſaltem iſtud ex his diſcite, nunquam vos debere oblivisci delictorum, quæ admiſiſtis, nec unquam deſinere ea deteſtari. Siquem veſtrûm contigerit tranſire per locum, qui occultum ejus aliquando flagitium texit, altùm ingemiſcens dicat: prô peccatum execrabile! utinam dehiſcens tellus abſorpſiſſet me potiùs, quàm ut Deum meum offenderem! Si obviam habuerit neſcio quam, peccati ſociam & irritamentum, dicat: Et fieri potuit, ut pro putrido hoc carnis fruſto à ſummo me Bono inſanus averterem! Verbo, ita vos gerite, ſicut qui turgidum veneno ſerpentem conculcat: quamdiu ille vel tantillum palpitat, ſenſumque ac vitam monſtrat, calcare non deſinit; quin ne extinctum quidem abſiſtit toto corporis niſu conterere. Quamdiu incerta cuiquam eſt peccati venia ac gratia, ſemper illud deteſtetur neceſſe eſt,

eſſ, quò ſecurior de illo tandem deleto eſſe poſſit: quin etſi de eo ſibi condonato certus quis eſſet, non idcirco ab ejus execratione eſſet ceſſandum vel ex eo, quòd adhuc ſibi vita ſuppeteret. Hoc ſiquidem eſt, quod à nobis deſiderat S. Tridentina Synodus, dum monet: vitam hominis Chriſtiani perpetuam debere eſſe Pœnitentiam; perinde ac ſi inter omnes cordis ac animi noſtri affectiones & motus nullus debeat eſſe crebrior, quàm dolor de peccato admiſſo.

II.

IX. Alterum novæ vitæ ſignum Lingua ſubminiſtret. Lingua cordis interpres eſt: quis proin rectiùs de intimis cordis ad Deum converſi affectionibus enunciabit? Proprium igitur linguæ ſeriò Pœnitentis eſt, de peccato admiſſo ſe accuſare, ejúsque magnitudinem verbis augere; ſicut è diverſo ficti Pœnitentes illud excuſant, & mirè elevant. *Tu propitiaberis peccato meo; multum eſt enim*, ajebat ad Deum David. Nova enimverò veniæ petendæ ratio, dicere quòd culpa perquàm gravis ſit: *multum eſt enim.* Sed reſpondebant Sanctiſſimi Regis verba dolori, quem anima ſentiebat; ac proinde loquebatur ut vulneratus aliquis, cui plaga accepta vehementer dolet; eã enim dum retegit, & Chirurgo oſtendit, en, inquit, quàm profundum eſt vulnus, en quàm lethale! credisne quoquo modo medicabile? *Tu propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.* Ita David, cùm elevare peccatum ſuum poſſet, addunendo opportunitatem & occaſionem criminis maximam; tentationis moleſtiſſimæ nunquam hactenus expertam vim atque impetum, ſervatam eatenus tot inter illecebras & blandimenta innocentiam, & à tam enormi crimine abſtinentiam. Sed nihil horum ille; támque culpam non elevat, ut augeat etiam; *multum eſt enim.* Egi peſſimè; ſcelus nimis quàm turpe admiſi; non erat alter tot tibi beneficiis, ô Deus, devinctus, quot ego; & tamen ingrato in te animo, factísque, nemo me ſuperavit. O certum veri doloris, quem vulnus affert, argumentum! Verè dolebat David, & idcirco tam non conquirit & acervat frivolas maléque cohærentes, ut ne quidem admittat veras, rectéque fundatas excuſationes.

X. Haud procul Oeniponto Germaniæ urbe Illuſtrium nonnemo ad certamen provocatus in ipſo pugnæ furore parentem ſuum, quem ex hoſtibus unum crediderat, interfecit: ſed non diu pôſt, errore detecto, dum cadaver tam cari ſibi capitis humi ſtratum contemplatur, tam acerbus, tam vehemens animum dolor ſubiit, ut ejus vehementiâ exanimaretur, illi innixus haſtæ, quâ, etſi ignarus, vitam eripuit illi, à quo ſuam ipſe acceperat. Hodie ipſa in urbe, in templo PP. S. Franciſci, videre eſt effigiem ære fuſam hujus Juvenis, ſuæ innixi haſtæ, dolentis habitu tanto artificio expreſſo, ut non tam exanimis, quàm jamjam moriturus videri poſſit. Hic enimverò dolor, AA. Dilectiſſimi, verus ac ſincerus eſt. Non dixit Illu-

ſtris iſte: Homicidium hoc fortuitum fuit: occidi, fateor, parentem meum, ſed inſcius, mors ejus tam mihi culpæ tribui non debet, ut laudem potiùs ex ea merear, propterea quòd hoſtem me boni publici mactare crederem. Dicere iſta poterat, ſed non dixit; neque enim verus dolor, qui animum occupaverat, aliud in mentem ſinebat venire; quàm mortem ſuo parenti illatam. Quid jam de illis dicemus Pœnitentibus, qui cùm non errore, ſed meditato ſcelere, mortem, quantum in ipſis erat, intulerint Patri ſuo cœleſti, accuſant ſuam imbecillitatem, tentationis vim, Dæmonem, neceſſitatem, hoſtium ſtudia, egeſtatem? Ex hac loquendi ratione, quomodo quis arguet novam animæ vitam, aut earum ſaltem rerum apparatum, quæ viam ſternunt, ad vitam Gratiæ recuperandam? Ut proinde quis intelligat, quàm non vero dolore agantur multi è Chriſtianis, ſatis eſt audire eorum verba, quibus ſua Judici ſacro delicta manifeſtant. Placet hîc vobis indicare nonnullas ejusce generis loquendi formulas, ne & vos deinceps ſic loqui aſſueſcatis.

XI. Primùm igitur aliqui purgant ſe, (& hoc loquendi modo, ſanè quàm multi utuntur) tantum abeſt, ut peccatum ſuum manifeſtent: aut ſi peccatũ ſuũ manifeſtẽt, celant injuſtitiam: & tamen utroque eſt opus, ut lingua verè ſit interpres cordis novi. *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi.* Ita David, ſed non iſti. Rem iſti narrant, quæ
Pſ. 31. 5.

de ſe peccatum eſſe poſſit, celant injuſtitiam, idque agunt ut innocens, & vituperio non digna eſſe videantur. Juvenis ille fatetur ſe lapſum, & peccatum aperit; ſed tacet injuſtitiam, dum addit: in ætate tam lubrica facillimum eſſe labi. Alius ſe accuſat de blaſphemia; ſed addit: Niſi Paterfamilias tonet blaſphemiis & execrationibus, nemo obtemperat. Alius profitetur ſe ſumpſiſſe vindictam; ſed coactum propriæ exiſtimationis tuendæ neceſſitate, & cauſæ juſtitia, quæ pro ſe ſtetiſſet. Ita non eſt difficile videre, quâ ratione tegi poſſint peccata, dum aperiuntur; dum ſcilicet factum narratur, & pravitas excuſatur. Hinc eſt, quod nonnulli confiteantur ſimul & non confiteantur, ut indicavit S. Joannes Evang. narrans veracem confeſſionem, quâ S. Joannes Præcurſor confeſſus eſt, ſe non eſſe Chriſtum. *Confeſſus eſt, & non negavit; & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Miram enimverò loquendi rationem! an ſatis non erat dicere? *confeſſus eſt*: quid opus erat addere? *& non negavit*: multoque magis redundare videtur repetitum: *& confeſſus eſt.* Sed non eſt hic ſacrorum Scriptorum mos, verba gratis multiplicare; ne notulæ quidem minimæ, non accentus redundant. Arcanum igitur, quod hoc loquendi modo ſignificatur, ſi non eſt illud, quod jam nunc proponam, ipſum certè indicatur: nimirum eſſe nonnullos, qui confiteantur, quia confiteantur; confitentur enim negando. Et quia confiteri negando,

eſt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſt confiteri tormentis ad id adacti, non verè ac liberè Pœnitentis, ideo ad nos edocendos Evangeliſta, cùm de Baptiſta dixiſſet: *confeſſus eſt*: addit: *& non negavit*: & tandem concludit; atque ita verè *confeſſus eſt*; quia confeſſus eſt nihil hæſitando. Prô quantus igitur eorum erit numerus, qui olim Judici Deo ſe ſiſtent confeſſi & non confeſſi: quia cùm eſſent confeſſi, eodem ſimul tempore negârunt! Leonibus non abſimiles, qui quô momentô ſolo veſtigia ſua imprimunt, eodem ferè iterum delent.

XII. Hac claſſe confitentium non confeſſorum, atq; adeò confeſſorum non abſolutorum ii multò maximè continentur, qui non ſolùm ſe excuſant, ſed alios quoque accuſant. Rex Saul, tam apta Idea non ſincerè dolentium, quàm apta eſt idea verè ac ſincerè dolentium David & ipſe Rex, hanc non rectè confitendi normam bellè nos edocet. Servaverat hic in ſtrage Amalecitarum Agag Regem, contra quàm per Samuelem Deus citra ambages juſſerat; quidquid etiam ex omni præda magìs arriſerat, magiſque fuerat pretioſum, ſibi vindicavit, cùm ferro & igni vaſtare cuncta debuiſſet: & cùm hæc omnia luce palàm gererentur, omniſque præda velut in triumpho poſtremo in agmine duceretur, increpitus à Propheta propter neglecta Dei juſſa, confeſtim ſe excuſavit, exercitum accuſavit. *Pepercit populus melioribus*: perinde ac ſi res hæc ad ipſum nihil pertineret; aut quaſi nihil in eum redundaret culpæ; qui cùm populo imperare debuiſſet, ut Dux ſupremus, populum fuerat ſecutus. Hujus furfuris illæ ſunt miſeræ, quæ ne certis ædibus exiſſe cogantur, malunt in iis Orco potiùs, quàm hero famulari; præterea & illæ, quæ Matrimonii ſpe illectæ, jam tum non minùs promptè obſecundant, quàm ſi jam eſſent Matrimonio junctæ. Iſtæ enim, cùm ſubinde ad ſacrum Judicem accedunt, dicunt; fuiſſe, qui cum ipſis peccarent; perinde ac ſi tunc ipſæ ſomno oppreſſæ, culpæ in eo facinore admiſiſſent nihil: *Populus pepercit*. Sed quid, an ad te, ô nequam muliercula, non pertinebat reniti quà poteras, tueri te, ædibus te proripere, deſerere amantem tam perfidum? Ais, illum tibi ubique inſidiari, & quà te confers, perſequi. At ſi titione ille, aut ferro candente armatus perſecutus te fuiſſet, an non fortiùs reſtitiſſes, ne quid damni patereris? Et tamen ſic alios accuſando excuſant ſe, quæ non ſolùm magna voluntate invitatæ conſentiunt, & parent promptiſſimæ, ſed etiam primæ alliciunt nutibus, obtutibus, geſtibus, & verbis laſciviſſimis illosmet, quos deinde ſuos appellant inſidiatores & perſecutores.

XIII. Longiùs adhuc progreditur inſana hæc ſe excuſandi, vel tum, dum ſe quis reum ſiſtit, prurigo, ut, non contenta ſuos excuſare graviſſimos lapſus, & alios viciſſim mortales eorundem reos peragere, ne Deo quidem parcat, ſed nequid in ſe culpæ & labis hæreat, in eum, qui ipſa Sanctitas eſt, rejiciat. *Infelici hoc ſub ſidere*

na-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*nata ſum* ( non veretur dicere infamis aliqua muliercula ) *nec mutare fatalem hanc deſtinationem poſſum. Vult Deus cujusvis ſortis homines :* sicque plures Hæreſes, quàm verba perfrictæ frontis puella expuit. Æthiopes atri ſui coloris cauſam unum ſolem faciunt : ſed faciunt injuriâ ; cùm aliæ Gentes ſolis radiis non minùs, imò etiam magìs, ac rectà ſubjectæ, colore albo ſint. Sic ſordidiſſima hæc hominum fæx divinum Solem cauſam agnoſci vult unicam teterrimi coloris ſui, quem ardens eorum in animis fœdus ignis totum efficit. *Decoloravit me ſol.* Si tam ſum atra, ut Dæmonem referam, in Solem culpam conjicite, qui radiis nimium quantum urentibus tam fuliginoſam reddidit. *Talem me Deo facere placuit : ad hujus Mundi varietatem & ornatum confert alias verecundas, alias audaciores eſſe. Decoloravit me Sol.* Heu miſeram! Sol fons eſt lucis inexhauſtus, nec tenebrarum ille tuarum origo eſſe poteſt : non aliunde illæ, quàm in voluntate tua perversâ planè ac fœdâ natæ ſunt. Deus nos omnes bonos cupit, & malos non facit, ſed tolerat, ut vel denuo fiamus boni, aut ſi contumaciter mali eſſe maluimus, juſtiùs ſubinde in Inferno tantæ perverſitatis pœnas demus ſempiternas. Sic igitur garrire, non eſt ſe purgare, ſed in Deum Blaſphemias effundere : eſt emplaſtrum plagâ omni, quamlibet putenti & peſtiferâ, putentius magisque peſtiferum : excuſatio eſt ipſo peccato, quod excuſatum cupit, deteſtabilior. Næ iſta igitur lingua prodit apertiſſimè, non ipsâ, ut inſtrumento, uti Cor, vero ſinceróque dolore immutatum. *Cùm dulce fuerit in ore ejus malum, abſcondet illud ſub lingua ſua :* Jobi verba ſunt. Quando nimirum peccatoris palato dulcis videbitur voluptatis liquor, abſcondet intra labia orexin, quâ illum deperit; aut, ſi multum, media ad labia proferret, aliquâ inquam ex parte aperiet; at ubi ille amaritie ſua palato nauſeam movere cœperit, tum enimverò totum, ad id deprimendum & vilipendendum, expuet.

XIV. Præter hæc, quæ lingua inter confitendum dat, contriti veréque aut fictè dolentis animi ſigna & indicia, alia etiam ſuppetunt, quæ eadem poſt factam omologeſin ſpectanda, vel rectiùs audienda præbet. Audire enim erit aliquos, qui querantur à Confeſſario ſe increpitos; alios qui illum traducant, ut aſperum & inhumanum, qui adſtrinxerit ad occaſiones proximas deſerendas : nec deerunt, qui nimiùm ſubtilem & ſcrupuloſè anxium damnent, ut qui varia interrogârit ad cognoſcendam melius mali, quo laborant, vim ac naturam ſpectantia ; conteſtentúrque, ſe ad importunum hominem tam citò utique non rédituros. At ſi hoc eſt prudenter loqui, quid tandem erit delirare cum phreneticis? quid ſtultius, quàm Medico iraſci, cùm morbo debeares? *Medicum crudelem facit intemperans :* teſte Seneca. Qui, quod res eſt, intelligeret, facili negotio proſpiceret, Sacerdotem ad ſeveriùs aſperiúsque agendum non indole ſua rigi-

da & difficili, ſed mali gravitate compulſam. Nimis igitur alienæ ab ore ſeriò dolentis & pœnitentis ejuſcemodi querelæ ſunt. Quisquis de rebus animæ ſuæ, ut par eſt, ſentiret, næ is non tam fugeret, & horreret, quàm omni diligentiâ quæreret Confeſſarium, qui excutiat torporem, qui vituperet, qui varias ſuggerat artes ac vias omne deinceps peccatorum genus evitandi, vitámque corrigendi; iſte enim demum muneris ſui partes omnes implet. Quid de Chirurgo diceremus, qui vulnus purgaret quidem, ſed non alligaret? huic tamen non diſſimilis eſt Sacerdos ille, qui dum ſe accuſantes audit, piſcis inſtar mutus, non monet, non conſilia ſuggerit, non opera pœnalia imponit cavendis impoſterum peccatis idonea, non alia melioris vitæ præcepta tradit. Qui à tali homine à peccatis abſolvitur, ubi primùm è Sacro Tribunali prodit, plagam recrudeſcere ſentit, & ſtillare cruorem, perinde ac ſi nihil, illi curandæ, induſtriæ eſſet adhibitum. Vix à ſacro Tribunali domum delicatiſſimi Pœnitentes redeunt, cùm ad lucra injuſta, ad amores obſcœnos, ad ludos eosdem ludendos revertuntur, non aliter, quàm ſi de ejuſmodi delictis nunquam ſe accuſâſſent. Et quoniam rem tanti momenti tractamus, placet narrare factum, quod ſenſum & judicium iis quoque reddere poſſit, qui hoc in negotio deſipere voluiſſent. In urbæ Italiæ, cujus nomen certis de cauſis tacetur, Nobilium quispiam, cùm rem ſuam inopum injuriis multum auxiſſet, à Parocho ſuo, noxarũ veniâ non impertitâ, faceſſere juſſus eſt, propterea quòd ad malè parta iis, ad quos ſpectabant, reddenda induci nõ poſſet. Verùm ut res aliena laqueus eſt, ex quo, qui ſemel implicitus fuit, ægrè admodum ſe explicet, ſic & Nobilis iſte, cùm cauſam reddere meliorem deberet, maluit forum & Judicem mutare, Acceſſit diverſorum è diverſis Sacris Familiis tribunalia, nec tamen vel unũ reperit, qui ſine Sacramenti injuriâ cenſeret abſolvendum; tam nulli dubium erat, quin iniquæ eſſent uſuræ, quibus ille hærebat implicitus. Poſt longam tamen in quærendo diligentiam magno ſuo malo in aliquem tandẽ incidit, eorum ex numero, qui, ut Propheta loquitur, conſuunt pulvillos ſub omni cubito & cervicalia ſub omni capite peccatorum ad dormiendum ſuaviter mortis ſuæ ſomnum. Hic igitur ſacræ Familiæ Alumnus, cùm omnes, quos priùs adierat Nobilis, Confeſſarios damnâſſet ut nimiùm rigidos, Pœnitentem ſuum maximâ voluntate abſolvit, hominémque eâ facilitate ita ſibi devinxit, ut non Pœnitentem modò illum multo tempore, ſed & amicum retineret, à quo crebra ad eum veniebant munera, nec raró lautam ad menſam conviva adhibebatur. Ita ſemel à cœna, dum Confeſſarius ad ſuum Cœnobium, Nobilis cubitum ſe contulit; hic ſubito, & violento ſymptomate oppreſſus ſuffocatúsq; vivere deſiit: interim Dæmones gemini famulorum hujus heri habitum mentiti accurrunt ad Cœnobium, & Monachum jam ad quie-

tem capiendam compoſitum magno tumultu evocant; feſtinaret, quam ocyſſimè, herum jam animam agere. Nihil moratus Confeſſarius, lecto, domo ſe proripit, & ad ædes Nobilis feſtinus cum mentitis illis ducibus accurrit. Scalas dum aſcendere parat, ſtantem earum in capite Nobilem, talari domeſtica veſte indutum, intuetur; Deluſum ſe ratus, queri cœpit de moleſtiâ ſibi tam importuno tempore illatâ. Sed reſpondit Nobilis. Plus ſatis verum eſt, quòd habeam peſſimè; æternis enim cruciatibus addictus ſum ob ſacrilegas tot annorum Confeſſiones. Ut tamen ea in re ſolus in culpa non fui, ita & pœnarum ſocium habebo; tu enim, tu ipſe, qui toties à noxis perperam me ſciens abſolviſti, eâdem mecum à divina Juſtitia ſententiâ fulminatus es. His dictis poſito famulorum ſchemate prodeunt Dæmones, & ſinguli ſingulos complexi, ſummo cum ſtrepitu ac tumultu, quo ædes illæ velut terræ motu concuſſæ, domeſticique omnes ingenti horrore conſternati ſunt, videri deſierunt, quin vel veſtigium gemini illius cadaveris, ex oculis ſubducti, unquam deinceps aut ullibi appareret. Teſtem tragicus hic eventus præter ceteros habet P. Joannem Lorinum, virum Librorum ſuorum monumentis orbi notiſſimum, quibus Sacras Literas commentatus eſt, qui infeliciſſimum hunc Nobilem ſibi notum fuiſſe aſſeruit. Eat nunc, qui volet, & dormientem quærat Confeſſarium; eos autem ut difficiles & aſperos traducat, qui tempori monent,

*apud Philip. d'Outreman. P ad Chriſt. c.14 ſect. 2.hiſt.3*

corrigunt, & ejus cauſâ maximè capiunt. Nemo ex ſententia temè cilè prolatâ quidquam habebit emolumenti, præter unum Dæmonem, qui cùm unius animæ jacturam notueret, duas ſecum auferet; Reorum perperam abſoluti, & Judicis injuſtè abſolventis. Sed redeamus, unde tantiſper divertimus.

XV. Pari ratione magna indicia Cordis contriti & ſeriò dolentis eorum Pœnitentium lingua dat, quiriè à Deo multati, potenti ejus brachio ſe ſubjiciunt, manum percutientem venerabundi oſculantur, ultróque fatentur, acerbiora ſe multò, atrocioráque ſuis flagitiis eſſe promeritos. Cùm ſæviſſima illa lues Hebræo in populo graſſaretur, quæ paucarum horarum ſpatio ſeptuaginta mortalium millia depaſta eſt, ſiquis tanti mali cauſam ex Aſtronomo percontatus eſſet, neſcio quod ille Meduſæ caput, aut aliud horrificum & ferale Aſtrum tantæ ſtragis authorem eſſe dixiſſet. Naturalium rerum ſcientes halitum peſtilentem & contagioſum, ex aliquo telluris repentè patefactæ hiatu aſcendentem, latéque diffuſum tam multis pernitiem attuliſſe affirmâſſent. Aliam mali originem divinâſſent Politici, & vicinorum invidiâ atque aſtu, qui Hebrææ gentis felicitatem & incrementa, quibus tum maximè ſeſe efferrebat, obliquis oculis aſpexerint, peſtiferum aliquem pulverem, aliáque luis ſemina quaqua verſum ſparſa ſuſpicati fuiſſent. Verùm David Rex, quem non fictus dolor de admiſſis ſceleribus urebat, non multum in-

inveniendâ mali causâ laboravit, ſed ſtragis tantæ cauſam unicam ſuperbiam ſuam eſſe palàm profeſſus eſt. Hanc dicebat ipſe, ſidus illud malignum, vaporem illum peſtilentum, & hoſtem eſſe invidum, qui tam dirè nocuiſſet. *Nonne ego ſum, qui juſſi, ut numeraretur Populus? Ego ſum qui peccavi; Ego qui malum feci.* Nec alius eſt omnium Cordium verè dolentium genius, quæ omnis calamitatis aliam non inveniunt, nec indagant originem, quam ſe ipſa. *Peccata noſtra reſponderunt nobis.* Omnes pœnas, mala omnia, quæ immittit Deus iſti verè dolentes accipiunt ut reſponſa ad iniquitates ſuas; ſic ut adverſa hæc ſint Echo, quæ nunquam reſpondet, niſi cùm alter eam clamando provocavit: quando autem reſpondet, nunquam omnes & integras reddit voces, quæ prolatæ ſunt, ſed extremas tantùm ſillabas: quia pœnæ, divinæ Juſtitiæ dextrâ inflictæ, non excedunt delicta, nec adæquant, ſed eorum opinione, longo ſemper intervallo illiſmet minores ſunt. *Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi.* Quid igitur de iis pronuntiabimus, qui, quorumlibet adverſorum, ſiniſtrorúmque caſuum intolerantes, mox in ejusmodi voces prorumpunt: *Quid tandem ego deliqui? haud equidem ego publicis latrociniis vias infeſtavi; non alio me immani ſcelere obſtrinxi: & tamen in meum unius caput omnia cuduntur & torquentur fulmina.* O! egregiam ſanè ſua agnoſcendi nomina rationem! Quid deliquiſti? quamdiu peccata tua non aliá, quàm mendaci deteſtabilis amoris proprii trutinâ ponderabis, verum nunquam intelliges. Intelliges autem, quamprimùm divinæ Juſtitiæ bilance illa librata videbis. Interim habemus ſigna minimè dubia Cordis contriti & renati operâ doloris genuini; quæ nobis Lingua tam in ipſa Confeſſione peragenda, quàm poſt peractam exhibet. Nunc ad illa tranſeamus, quæ ex manibus nobis ſe offerunt.

III.

XVI. Cùm Cor perinde, ac Lingua, Manibus ut inſtrumento utantur, dubium eſſe non poteſt, quin id, quod iſtæ operantur, non obſcurè indicet, quis in Corde ſpiritus regnet, novúsne Pœnitentiæ, an antiquus pravarum propenſionum? Quare quià peracta Confeſſione ſe advertit magìs ſolicitum ſtudioſúmque exercendarum actionum honeſtarum, bono ſit animo, ídque pro ſigno ſatis manifeſto habeat, non abeſſe à Corde ſuo illud Principium, quod ſecum affert Dei gratia, quóque novam, ac divinam vitam vivimus. E diverſo cùm quis noxarum veniá à Sacerdote impertitâ, antiquâ, aut etiam majori, in exercendis piis actionibus ſegnitie laborat, argumento id mihi eſt vitæ non novæ, ſed priſtinæ. Cùm ſimul & pectus dolet, & membra torpent, atque ad motum languent, indicium id valetudinis multùm afflictæ Medici exiſtimant: *Dolor affixus pectori cum torpore malum.* *Hippocrat.* Nec aliter de iis ego ſentio & præſagio, qui pectus quidem

tundunt, dum peccata enarrant; ſubinde autem ad virtutum exercitationem, plus quàm unquam tardi & ignavi ſunt. Enumeravit horum aliquis delicta, & ad amuſſim accuratéque explicuit, quin & in chartam illa calamo contulit, nequod memoriam ſugeret. Laudo induſtriam: ſed hæc ſunt pars una Pœnitentiæ, nec illa præcipua. Unde igitur dignoſcam, aliarum duarum, quibus maximè Pœnitentia conſtituitur, Doloris inquam, & Propoſiti, nullam fuiſſe in vobis deſideratam? Opera, quæ deinceps fiunt, id mihi monſtrent oportet. Pœnitentia, ſi S. Auguſtinus rectè ſenſit, ars eſt, quâ ſterili & ſilveſtri noſtro cordi ramus cœleſtis gra-
Rom. 11. 17. tiæ inſeritur. *Cùm Oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis Oliva factus es.* Unde autem rectiùs colligitur, ramum inſitum cum trunco coaluiſſe, quàm ex fructibus, quos inde videmus naſci? Si, quâ die Confeſſione animus expiatus eſt, aut certè pauculis interjectis, eaſdem quis revertatur ad nugas, ſenſuum oblectamenta, ſocios ac ludos; ſi præter modicum id, quod Confeſſarius imperavit, nihil præterea ad ſatisfaciendum contractis nominibus agat, de cetero non minùs quàm antea à concionibus ſacris audiendis abhorreat, non templa crebriùs accedat, non preces attentiùs fundat, non Sanctiſſimis Myſteriis ſæpius utatur, quid aliud dicam, niſi parum felici inſitione factum, ut ſylveſtris hic truncus à ſe ipſo alius non evaderet? Confeſſus eſt, ſed non eſt contritus. Neque aliter ipſe de ſe ſentiet, aut pronuntiabit, ſi rationem, non propoſitionem pravam audiat & conſulat.

XVII. Fingemus animo illuſtri quem ſanguine genitum alienâ manu æmulum è medio ſuſtuliſſe, & idcirco captum in arce cuſtodiri diligenter, metu minimè vano, ne paulò poſt i-tiori in loco caput carnificis manui mittat. Hæret illo ſuo in carcere profundis cogitationibus abſorptus, & timore curiſque omnem in partem agitatus quietis vix quidquam capere poteſt. Quis non credat, eum tanti perpetratæ vehementi dolore angi? nec tamen hæc ipſi dolet. Si enim repentino beetur nuntio de gratiâ facinoris à Principe factâ, mox illum metu & vinculis liberum videbitis redire domum, gratulantium de felici ſucceſſu admittere officia, lautas apparare epulas, enarrare artes & fraudes, quibus æmulum circumvenit, & in exitium impulit; verbo, eſt, qui fuit, aut etiam ſe ipſo deterior, magiſque ad audendum profectus. Nemo equidem, ni fallor, dicet, hominem cædis pœnituiſſe. Cur igitur, cum non diſpar ſit tua conditio, eadem tua ſtudia, videris tibi verè dolens atque contritus, ſic ut ne ambigas quidem! Antequam ad ſacrum tribunal accederes, vidi ego te cogitabundum, aliorum à conſortio avulſum, totum in rem tuam intentum defixúmque. Flens habet, (parùm abfuit, quin lætus mihi dicerem) en ſigna non dubia doloris, quo iſte uritur ob Dei Filium denuo à ſe flagitiis ſuis in Crucem actum. Verùm mutatâ repentè ſcenâ di-

digreſſus à pedibus Sacerdotis, egreſſus templo, ſerenato vultu rides, jocaris, tripudias, colloquiis te obſcœniſſimis cum gregalibus oblectas, artes nartas & ingenium, quibus viam tibi ad fruendum optatis voluptatibus aperuiſti, miſellam illam induxiſti, circumveniſti illum ſtolidiorem, id effeciſti, nequis impunè ſibi fore exiſtimaret, ſi te laceſſere, ſi moleſtiam tibi creare auſus eſſet. Et his ſignis animum verè dolentem agnoſcam? Illud, non amplius, crediderim, te Inferni metu fuiſſe perculſum; peccati in te horrorem odiúmque fuiſſe excitatum, quî credam? *Ecce hoc ipſum, ſecùndum Deum contriſtari vos* (verba ſunt Apoſtoli) *quantam in vobis operatur ſolicitudinem: ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam.* En ut ex Manibus Cor ſuorum Corinthiorum nôſſe didicit Apoſtolus! Doluiſtis. inquit, vero dolore Pœnitentiæ: *ſecundùm Deum.* Hic autem dolor, de noxis admiſſis conceptus, minimè ſterilis prodidit ſe confeſtim operum effectione: *operatur in vobis.* Quid autem ille efficit? Efficit ſolicitudinem vehementem, vitæ in meliùs mutandæ. *Ecce quantam in vobis operatur ſolicitudinem!* nimirum *ad vitandum mala, & ad faciendum bona,* ut commentatus eſt S. Thomas: ab hac autem ſolicitudine duplicis generis effecta naſcuntur; illa ad malum amovendum pertinent, & ſunt, *defenſio, indignatio, timor. Defenſio,* contra Mundi Aſſeclas, ſolitos exemplis ſuis pervertere: *indignatio* adversùs Carnem, ſeditiones ciere auſam: *timor* Dæmonis, ſolertis in decipiendo. Alterius generis opera ad bonum aſſequendum referuntur; & enumeratur hæc: *Deſiderium, Æmulatio, Vindicta. Deſiderium* placendi Deo tam bono. *Æmulatio* ſequendi recta aliorum exempla; *Vindicta* de ſe homine nefario ſumenda. Vos quoque AA. Dilectiſſimi hanc vos ad normam examinate, & ſi hæc deprehenderitis indicia, de ſincera Pœnitentia licebit eſſe ſecuris.

XVIII. Si cui brevior norma placet & regula, hanc quoque promptam habemus. Pœnitentia ejusdem Angelici aſſertione, virtus eſt ſpecialis, quæ tendit in duo: ad deſtruendum peccatum, ut eſt offenſa Dei; & ad inducendum peccatorem, ut propter peccatum, vindictam de ſe ſumat.

*3. p. q. 86. ar. 2. & 3.*

Anne autem Pœnitentia tua eſt *quædam dolentis vindicta, puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe?* Sentisne in te ſanctum illud tui odium, propter peccata admiſſa, & deſiderium illa in temetipſo vindicandi? Si ſentis, bene eſt; ſperare omnino licet, te ſincerè pœnitentibus poſſe accenſeri.

*S. Th. 3. p. q. 85. ar. 3. de Pœn. diſt. 3. c. Pœnitentia.*

Si minùs, & ſi non difficile illud opus; quod Sacer Judex auditis noxis imperavit, durum tibi videtur, nec tempus invenis, quo illud peragas, licèt tantũ tibi ſuppetat ad animi remiſſiones & ſolatia, vehementer metuo, ne, dum fructum Pœnitentiæ à manibus fruſtrà requiro, radix quoque in corde tuo ſit nulla. Dein cùm Pœnitentia etiam ſit *Virtus, quæ facit operari ad deſtructionem peccati præteriti, in quan-*

*S. Th. 3. p. q. 85. ar. 2.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*tum eſt Dei offenſa:* ſiquem ego videro magno ſtudio prenſare favores Matris Dei, ut ope cœleſti per ipſam impetratâ deinceps à peccatis immunis ſit; ſi videro illum operam dare Concionatoribus, ex quibus non quæ delectent, ſed quæ proſint, audiat; amare conſortia prudentûm, adire cœtus piorum; ſancto timore perculſum, ne in priſtinas miſerias relabatur, fugere omni curâ pericula, non ſolùm quæ proximè, ſed & quæ remotiùs ad Deum offendendum ſolicitant, tum enimverò de Confeſſione rectè obitâ certus mihi eſſe poſſe videor. At ubi è diverſo non niſi expertem omnis timoris ſuperbiam, negligentiam ſupinam, & effrontem temeritatem deprehendero, de ejusmodi homuncione quid pronuntiabo? Viderit ſanè ipſe, quem inveniat (inculco denuo) qui bene ipſum ſperare jubeat, à me quidem id fruſtra expectabit. Natura cùm reparat, quod alicubi paſſa eſt, damnum, id non ſine auctario facere conſuevit. Ita cùm crus aut lapſu, aut quo alio ſiniſtro eventu fractum eſt, tantum opis virtutisque ad fractum illud os jungendum denuo, ſolidandúmque confert, ut ſi iterum crus rumpi frangíque contingat, nunquam id eo loco fiat, quo aliàs fractum os coaluerat. Neque verò minorum in ſuis operibus eſt virium Gratia, quàm ſit Natura; quare ſiquis Pœnitentûm in id incumbat ſedulò, ut, quod paſſus eſt peccando damnum atque jacturam, ejusmodi piis operibus, ad quæ nullâ lege, nullo præcepto adſtringitur, reparet atque reſarciat; ſi ita animem adverſus peccatum olim admiſſum obſirmet, ut non alio in loco minùs jam pateat vulneri locus, argumento id eſt non dubio, adeſſe in corde cauſam, quæ hæc efficere ſolet, Gratiam inquam divinam: verùm ubi ejusmodi conſtantiæ ac firmitatis ſigna appetent nulla, quid judicem. neſcio. Id ſolum affirmo; quòd ejuſmodi Pœnitentiæ in negotio ſalutis ego quidem fidere haud quaquam vellem: Sancti enim Thomæ doctrina eſt, Pœnitentiam genuinam non eſſe ſolam à peccatis ceſſationem, ſed ceſſationem conjunctâ cum uſura & fœnore majoris boni, quo ſubinde malè geſta reſtaurentur. *Emendatio*, inquit, *offenſa contra aliquem commiſſæ, non fit per ſolam ceſſationem offenſæ, ſed exigitur ulterius quædam recompenſatio ex parte ejus, qui offendit, & retributio ex parte ejus, in quem offenſa commiſſa eſt.* (S. Th. [illegible]) Quodnam autem obſequij, aut officij genus eſt, quo Deum à Confeſſione peractâ religioſiùs & ſanctiùs colas, quàm tanti ſoleres? Imò quo non injuriæ genere illum mox iterum irritas? Juſtiſſima proinde eſt timendi cauſa, ne Pœnitentia tua juſti ponderis, ſuisque partibus abſoluta nequaquam fuerit.

XIX. AA. Dilectiſſimi, haud paucis veſtrûm equidem ſolenne eſt, omnem repetitorum lapſuum cauſam in imbecillitatem ſuam, tentationisque vim atque impetum conferre, an autem ita ſe & Sancti purgabant: an verò Pœnitentiam ſuam minimè ſeriam accuſabant? Arundinem, ſi placet,

cet, loco ventis undique expoſito conſerite; hanc ventus paulò vehementior frangit; & vos ejus fractæ culpam in ventum confertis; ſed immeritò; cùm eâ potiùs causâ fracta ſit arundo, quòd intus eſſet vacua: nam idcirco immobiles in iis ventorum furiis ſteterunt pali, quos iiſdem in locis humana induſtria in ſolum defixerat. Non tentationis vis, & impetus hunc illúmve proſtravit; cecidit, quia pœnitentia ejus fuit arundo caſſa. Certè tentationum impetus vehementior alios aggreſſus, quia ſolida, vera, miniméque fucata eorum pœnitentia fuit, tam eos non evertit, ut ne inclinârit quidem. Hic profectò ſenſus Sanctiſſimorum Doctorum fuit. *Qui pectus tundit* (S. Auguſtini verba ſunt) *& non corrigit, peccata ſolidat, non tollit.* Neque illam ad amuſſim, veram pœnitentiam S. Ambroſius exploravit: *Hæc eſt vera Pœnitentia*, inquit, *ceſſare à peccato; ſic enim probat dolere ſe, ſi à tero deſinat.* Nec diſſentit S. Gregorius, ait enim: *Perfectè convertitur, qui cùm ſemel, quod pravè egerat, plangit, quod denuo plangat, ultra non repetit.* Sanctus quoque Fulgentius hanc in bene cœptis varietatem agnoſcit eſſe ſignum larvatæ Pœnitentiæ. *Tales nunquam diluunt gemendo peccata, quia non deſinunt peccare poſt gemitum.* Paucis & diſertè Tertullianus: *Ubi emendatio nulla Pœnitentia vana.* Nec aliter ferè ſancti Doctores reliqui. Ubi proinde conſtantia in bene cœptis eſt nulla, rectius utique arguemus; mendacem fuiſſe & fucatam converſionem, quàm ut mali cauſam tentantis inimici furorem ac pertinaciam extitiſſe arbitremur.

XX. Quare ſi toties redeo, totiéſque inculco, magnopere me metuere, ne multorum Peccatorum Confeſſiones aliquo laborent vitio, ne quæſo id animo tribuite nimis anxio, & umbras timenti; credite potiùs me ad iſtud ſincero commodorum veſtrorum ſtudio impelli incitarique. Si tam pauci malè confiterentur, quàm nonnulli ſibi perſuadeant, non eſſet, cur adeò rem iſtam ſibi cordi haberet Mater Eccleſia. In Synodo Lateranenſi, cui cum Pontifice Innocentio Secundo adfuere Patres omnino mille, Canone 22. ſic illa loquitur. *Inter cetera unum eſt, quod ſanctam maxime perturbat Eccleſiam, falſa ſcilicet Pœnitentia; unde Confratres noſtros admonemus, ne falſis Pœnitentiis Laicorum animas decipi & in infernum detrahi patiantur.* Fruſtra etiam, ſi tam rarò larvis tantùm Pœnitentium peccatores ſe tegerent, quereretur ob hæc mendacia in Sacris Literis Deus, fruſtra ad ſeriò dolendum hortaretur. Audite, quid Jeremiæ ore lamentetur. *Attendi & auſcultavi: nullus eſt, qui agat Pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens, quid feci?* Ier. 8. An non hoc eſt profiteri tot inter dolentes, ſe ne unum quidem invenire, qui verè doleat, quem ſincerè pœniteat? Quidſi de nobis quoque idem pronuntiare poſſet Deus? Attendit enimverò ipſe diligentiâ ſtudióque longè maximo ad motus cordis noſtri omnes, ut in eo indicium

quod

quodpiam novæ vitæ deprehendat; *attendi.* Hæc autem indicia ubi ſunt? Momenti unius inimicitia, cum Deo contracta, digna eſſet defleri æternis lacrymis, æterno planctu: videre interim eſt, paulò antè confeſſos delictorum ſuorum tam nullam retinere memoriam, ut non Deum, cujus potentia limites fineſque habet nullos, ſed ſcenicum aliquem Regem injuriis irritaſſe videri poſſint. Aurem quoque Deus, audiendi facultate utique acutiſſimâ præditam, adhibet, ut linguæ noſtræ motus audiat, ſiquod fortè veri doloris argumentum verba noſtra prodant: *auſcultavi.* At ubi hæc ſunt indicia, ubi argumenta? Multorum Confeſſio, tam non eſt ſincera ſui accuſatio, ut ſit potiùs perpetua ſui defenſio, perpetua excuſatio, imò aliorum, quin & Dei ipſius nonnunquam accuſatio. Manus quoque noſtras pari curâ obſervat, ut videat, num ſedulâ piorum operum, & multiplici effectione oſtendant ſe eſſe cordis contriti, dolentiſque inſtrumenta. *Iere. 8. 7.* Hæc autem opera ubi ſunt? *Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus, impetu vadens ad prælium:* omnes nimirum effreni curſu feruntur, quin attendant ad pericula, in quæ ruunt præcipites: ſunt qui, quidquid collubitum eſt, facere contumaces velint, perinde acſi nihil Divinæ deberent Juſtitiæ: in omnem licentiam, omnem libidinem effuſi ſunt: ut adeò etiam atque etiam verear, ne idem de nobis pronuntiet Deus: *Nullus eſt, qui agat Pœnitentiam ſuper peccato ſuo.* Non eſt, qui verè oderit peccatum, qui fœditatem ejus ac deformitatem agnoſcat, ſuis illam momentis æſtimet, qui deploret, qui execretur, qui ſalubri horrore perculſus dicat: *Quid feci?* Et ſi fortaſſe ſunt aliqui, qui hæc agant, tam parvus tamen eorum eſt numerus, ut reliquorum comparatione dici poſſit: *Nullus eſt.*

XXI. Hoc porrò malum, hæc infelicitas an tantilla eſt, ut ultrà, quàm mereatur, timeri poſſit? Disertè pronuntio: hanc oportet eſſe præcipuam cujuſvis peccatoris curam atque ſollicitudinem, quòd neſciat, an ſuorum delictorum veniam obtinuerit: & hoc ſtudium illius maximum, ut de ſua Pœnitentia poſſit eſſe quàm ſecuriſſimus, eam ad vitæ uſque terminum, quoad ejus poteſt, non abrumpendo. Hinc jam pridem dixit S. Auguſtinus: *Quid reſtat nobis, niſi dolere in vita? Ubi enim dolor finitur, deficit Pœnitentia. Si verò Pœnitentia finitur, quid derelinquitur de venia?* Pœnitentiæ Sacramentum à ſanctis Doctoribus ſecundi Baptiſmi nomen accepit, qui poſt primum Baptiſmum lapſis non minùs ſit neceſſarius, quàm primus eſt nondum renatis. Hoc igitur vobis fiet non immutatis altero hoc Baptiſmo Pœnitentiæ, quod futurum eſſet non ablutis ſacro fonte primi Baptiſmi: in hoc tamen differt prior ille Baptiſmus à poſteriore, quòd illius parùm ferme dubia nobis eſſe poſſit ablutio, propterea quòd tum, cùm tingeremur, non poſſemus quidquam agere, quo ſacrarum illarum undarum effectus impediretur: at aliter ſe res habet in ſecundo. Cùm enim

nul-

nullum ſit Sacramentum, ad cujus fructum percipiendum plus noſtræ operæ requiratur, quàm ad ſecundi hujus Baptiſmi, Pœnitentiæ nimirum, tam pronum erit nos omni fructu illius deſtitui, quàm pronum eſt in alioquo ex neceſſariis deficere. Et verò S. Tereſia, jam Cœlo recepta, cùm perſonæ, ſuo cultui ſingulariter addictæ, videndam ſe præberet; Filia, ajebat, tanta è Chriſtianis multitudo æternùm damnatur ob Confeſſiones non ritè peractas, ut fidem tuam ſuperet. Non oportet igitur quemquam, AA. Dilectiſſimi, cui animæ ſuæ ſalus cordi ſit, eam tanto diſcrimini expoſitam relinquere; ſed è diverſo id omni conatu, atque induſtriâ agere, ut ſe de illa expoſitis hactenus Cordis, Linguæ, Manuũ ſignis, reddat, quàm fieri poteſt, certiſſimum; ut hîc tantilli temporis intervallo cum veris Pœnitentibus dolendo, mereatur cum Beatis cœli Incolis, abſterſis lacrymis æternùm delitiari & gaudere. *In corde contritio, in ore Confeſſio, in opere tota humilitas: hæc eſt perfecta, & fructifera Pœnitentia.* *de Pœn. d. 1. c. Perfectio.*

# DISCURSUS XVIII.

## *De Pernitioſo errore peccantium fiduciâ Confeſſionis.*

1 DUo ſunt, quæ minùs gratam faciunt medicinam: & quòd amara illa ſit, & quòd non omne ſemper valetudinis detrimentum reparet. Si tamen dicere volumus, quod res eſt; utrumque horum potiùs naturæ, de medicinis nobis proſpicientis, beneficentiam commendat. Si enim potiones & catapotia dulcia forent, & palato grata, ſi quidquid valetudini & viribus morbus nocuit, totum reſtaurarent, quis tandem adverſæ valetudinis metu multum angeretur? Non magna eſſet ſanitatis æſtimatio, quâ & ſuavi & potenti remedio nos recuperatores ſciremus; mors ipſa ut minùs formidata, ita etiam haud paulò facilior foret. Idem autem cùm ſit Authór & Naturæ & Gratiæ, non eſt ambigendum, quin quam in corporis, hanc & in animæ morbis curandis tenuerit rationem, & de ſimilibus proportione quâdam utrique providerit medicinis. Placuit omnino divinæ Providentiæ, ut quæ propria eſſe medicinæ diximus, eorum utrumque etiam Pœnitentiæ proprium eſſet; ut ſcilicet & ingrata eſſet utenti planéque inſipida, neque omne ſemper illatum à peccato malum ex toto reſtauraret, his maximè de cauſis, ne, ſi ſecus eſſet, Fideles à morbis animæ nõ abhorrerent; gratiæ, quæ ſanitas eſt a-

nimæ, poſſeſſionem parvi facerent; ſtatum quin etiam culpæ, quæ eorum mors eſt, adamarent. Supra fidem tamen eſt, omnem hanc providentiſſimi Dei curam non ſufficere, ut rectè ſapiamus. Frequentes admodum illi ſunt, qui remedii in Confeſſione reperiendi fiduciâ nulla non, quantumvis atrocia, ſcelera audeant: *aperiam Sacerdoti*: hoc eſt, non morbum, non mortem timent, remedii quamvis dubii, fiduciâ. *O ſtulti & tardi corde ad credendum!* Prò ſtolidos, & hebetes animo ad intelligenda Fidei noſtræ myſteria, & fines Chriſti in donandis, & inſtituendis noſtrâ causâ Sacramentis! Confido equidem me effecturum, ne hæc porrò inter vos temeritas regnet: ſpero inquam, me imperraturum, ut ſiquis amentium iſtorum me audit, rectius ille deinceps ſapiat, & geminum agnoſcat periculum, cui ſe exponit, qui gratiæ, Confeſſionis beneficio recuperandæ, fiduciâ peccat; nimirum aut non ritè confitendi, aut, quamvis ritè confiteatur, tamen æternùm pereundi.

II. Quoties ad prava Dæmon ſollicitat & invitat, duo potiſſimùm animo objicit, præſens unum, futurum alterum: rei vetitæ nimirum dulcedinem, & veniæ ſpem. Sic Evæ, quam primam tentavit, pomum obtulit *pulchrum viſu*, addidit ſpem non incurrendæ pœnæ; *nequaquam moriemini.* Hinc illa tanta Confeſſionis fiduciâ peccantium multitudo: dicunt hi tacitè: *Dabo operam huic rei illicitæ*; en præſentem peccati dulcedinem: *dein peccatum iterum Confeſſione expiabo.* En ſpem veniæ cito obtinendæ. Hæc ſtulta præſidentia primò in caſum impellit eatenus puros & innocentes: hæc iterum eorúmque præcipitat, qui ſurrexerant, utq; culpas culpis cumulent, multos perſuadet: *Jam*, inquiunt, *uno peccato obſtrictus debeo me ſacro Judici ſiſtere: eodem ferè negotio de centum peccatis, quo de uno ſolo me reum peragam; iisdem verbis Sacerdos à multis, quàm à paucis me noxis abſolvet.* Et cùm inter plurimi vivant quàm poſſent ſceleſtiſſimè, non malè quis dicet, ob immanem ita perditè ſperantium numerum, complures quotidie hac ſpe deluſos, ad Orcum pergere. *Repromiſſio nequiſſima multos perdidit.* Ad hanc igitur tam perniciabilem opinionem animis plurimorum evellendam, oſtendam illis primò, graviſſimè eos periclitari de Confeſſione non ritè peragenda.

I.

III. Neque obſcura hujus periculi mihi videtur eſſe ratio; ſatis enim iſti præ ſe ferunt, quòd ignorent, neceſſariam prorſus eſſe ſe accuſanti pœnitudinem, nec ullatenus ſufficere, ſi Sacerdoti peccata narrentur abſque ullo de iis admiſſis dolore. Dixi, ignorare hos tales ſummam doloris & pœnitudinis neceſſitatem: hanc enim cognoſcere, & ita loqui, ſummæ eſſet dementiæ. *Peccabo, & poſtea confitebor*: perinde enim eſſet, ac dicere: admittam hoc ſcelus: deinde me illius pœnitebit: admittam ſcelus, & poſtea mihi, illud admiſiſſe,

fiſſe, magis diſplicebit, quàm malum aliud quodcunque: admittam hoc ſcelus, & ſubinde cupiam illud poſſe ex anima vel ſanguine meo abolere. Quis, niſi inſanus, ita ſecum ratiocinari poteſt? Edicat quis veſtrûm: ſi ipſe diſſuaderet Juveni Matrimonium cum femina infami contrahendum; hic verò reſponderet: ducam illam priùs: ſed poſtea me pœnitebit illam duxiſſe: an non exclamaret: hic cerebro caret; vincite illum; inſanus eſt? Ita ſanè quivis veſtrûm diceret: & quâ, obſecro, de causâ? Quia nihil nos efficaciùs abſterret à malè agendo, quàm timor pœnitentiæ, qui carnifex ſimul eſt, & crux impiorum. *Maxima eſt peccati pœna, fecisse; nec unquam gravius afficitur, quam qui ad ſupplicium pœnitentiæ ducitur.* Quamvis fateri lubeat, peccantem Confeſſionis præfidentiâ, jam ad inſaniam redactum eſſe, neceſſe eſt aſſerere, quòd neſciat, aut ſaltem quòd neſciat proprio experimento uſúque, neceſſarium eſſe ad Confeſſionem veram, verè ſerióque de admiſſis dolore.

IV. Hanc porrò ad pœnitentiæ & doloris neceſſitatem qui animum non advertit, quâ tandem ratione illum habere curabit? Idem ejuſmodi ſtolido homuncioni evenit, quod peregrino inſipienti, qui cùm iter graſſante latè per Provincias contagione faciat, penſi non habet, de literis ſibi providere, quibus fides fiat, ipſum è terris lue infectis non eſſe profectum; unde in Provinciæ limite ultra progredi vetitus non inveniet, quod reſpondeat; niſi ſe exiſtimâſſe, talibus literis non eſſe opus. Sed non juvat talis excuſatio: neque enim ſtulta hebetudo ſupplet defectum eorum, quæ neceſſariò requiruntur; qualia ſunt, ſine quibus ſæviente peſte commeatus peregrè venientibus non datur. Sic in re noſtra cùm Pœnitentes iſti peſſimè providi hinc abibunt, ut in cœlum pergant, audient: ubi eſt Confeſſionis dolor, qui ſolus in tui ſimilibus fidem ſanitatis recuperatæ facere poteſt? Domine, reponet Peccator, non exiſtimabam alio dolore eſſe opus, quàm ut Sacerdoti bonâ fide peccata mea recenſerem. Sed frivolæ excuſationi locus nullus erit, tum quia ſæpe hæc ignorantia novæ culpærationem habet, utpote nata ex ſocordia addiſcendi neceſſaria ad animæ ſalutem: & quanquam hæc ignorantia omnis expers noxæ eſſet, ſupplere tamen illa non poteſt defectum alicujus, Lege penitùs non diſpenſabili requiſiti, nec efficere, ut valeat Confeſſio, quæ naturâ ſuâ dolore conſtituitur, non ut aliquo, quod adeſſe, aut abeſſe poſſit ſalvâ rei naturâ, ſed tanquam eo, quo ſine res ſuis omnino partibus non eſt abſoluta. *S. Thom. ſuppl. q. 2. ar. 3.*

V. Verùm dabo, ejuſmodi ſtultè præſidentem non neſcire, ſine dolore Confeſſionem non perfici: quomodo eum in ſe excitabit, reſpondendo ſuâ operatione divinæ Gratiæ excitanti, quantum opus eſt, ſi parùm perſpectæ illi ſint cauſæ, ob quas dolendum ſit? Oſtendam vobis, me nihil fingere, aut exaggerare. Dolor, quo Confeſſio ſincera conſtitui-

 tur,

tur, oportet, ut ſit vel Contritionis perfectus & omnibus numeris abſolutus, vél Attritionis imperfectus & priore ignobilior. At qui peccat illâ, quâ dictum, fiduciâ, nec cauſas intelligit, quæ ad nobilem illum præſtantémque dolorem impellunt, nec illas, quæ excitant ad ignobiliorem: nimis ergo quàm procul ille abeſt à cauſis efficientibus in corde dolorem ad veram pœnitentiam neceſſarium. Et inprimis quidem neſcit, quæ cauſæ ad amorem moveant, quæ tamen ipſæ ad dolorem illum perfectum & nobilem inducunt: ſi enim illas cognoſceret, quomodo contemnere Deum aut vellet, aut poſſet ob hoc ipſum, quòd ſumma æſtimatione dignus ſit? Quomodo eum offendere, quia tam bonus & benignus? Injuriis laceſſere, quia earum tam tolerans eſt, & tractare quàm peſſimè, quia uſque adeò amabilis? Præterea, quod vel maximè cruciat verè dolentem, eſt injuria Deo per peccatum il-
Job.7.20. lata; *Peccavi*, ajebat Job, *quid faciam tibi, ô cuſtos hominum?* Peccavi, quomodo igitur erga te me geram ô Conditor, & Conſervator hominum? *Quid faciam tibi* ajebat, non, *quid faciam mihi*? Nec enim de hoc ambigebat; cùm conſtet, Peccatorem, ut ſatis faciat & compenſet damna peccando illata, debere peccatum amariſſimè deflere, de eo ſe accuſare, emendare, & quæ imperata fuerint, opera pœnalia præſtare. Hæc ille ſi fecerit, ſatis reparârit damna, quæ ipſe paſſus eſt. Sed ut injuria in Deum illata reparetur, neceſſe eſſet poſſe poſt peccatum efficere, ne peccatum fuerit: & quia hoc fieri nulla ratione poteſt, ideirco dicebat Job: *Peccavi, quid faciam tibi?* Id igitur, quod tam vivum in Pœnitentibus dolorem parit, non eſt *peccatum*, ſed *peccâſſe*. Peccatum ſiquidem paratum habet remedium, ſic ut deleri penitùs poſſit atque aboleri, ut nihil planè de eo ſuperſit, ut ſol nebulam diſſipat: *Delevi quaſi nebulam peccata tua*: atque ita tolli omnino poteſt luctûs & doloris origo. Sed *peccâſſe* ſine remedio eſt; unde etiam jure ac merito ſemper nullo fine deploratur: eâque ipsá de cauſa dicitur quidem de S. Petro, quòd cœperit flere; *cœpit flere*: quando autem deſierit, nuſquam legitur: cùm idem illi & flendi & vivendi finis fuerit. Hinc liceat arguere, an, quibus illud familiare eſt; *peccabo, ſed poſtea confitebor*, vel umbram in animo habere poſſint cauſarum ad Contritionem impellentium, quarum præcipua & ferè unica eſt, ſummam Dei bonitatem offendiſſe?

Isa. 22.
Matt. 74.

VI. Vtinam vel ignobilioris illius doloris cauſæ in iis locum haberent; tunc enim perfecti amoris & doloris, qui eâdem cientur causâ, defectum ſaltem timor ſuppleret, & dolorem excitaret minùs perfectum. Sed ne hic quidem in animis ejuſcemodi locum habet. Nec amant, nec timent Deum. Plutarchus ſcribit, ætate ſua fulmen cœlo lapſum Romæ damni aliud intuliſſe nihil, quàm ut calceum à militis pede ſolveret. Hujus omnino ſortis eſſe divinæ Juſtitiæ fulmina

pecca-

peccatores delirant, ita ut poſt tot minarum fragorem & tonitru, quo Concionatorum, Prophetarum, Evangelii linguæ contra eos intonuerunt, nulla ſecutura ſint fulmina, aut certè ſiquod unquam intortum fuerit, plus ab eo damni accepturi non ſint, quàm ut aliqua fortaſſis ligula rumpatur. Deum ſibi fingunt, qui tam non oderit peccatum, quàm ipſi non oderunt. *Exiſtimâſti iniquè, quod ero tui ſimilis.* Aut ſi ab eo abhorreat, talem illum ſibi fingunt, qualis rex apum eſſe fertur, qui ſic in melle totus habitet, ut aculeum in irritantes non exerat totum inquam ex miſerationibus compoſitum, ſine admiſtione Juſtitiæ. Et hoc ſit eum timere? Equidem Sancti longè altiùs ſublimiúsque de Dei Bonitate ſentiunt, quàm impii; nec tamen interim timere illum deſinunt, quia bonus, ſed vel ex hoc capite magìs eundem metuunt. *Quis non timebit te Domine, quia ſolus pius es?* Non pugnat igitur Divinæ Miſericordiæ clara notitia cum timore Juſtitiæ, ſed hunc potiùs auget, efficitque, ut altiores radices agat; cùm ſatis conſtet, neminem tandem ſævire juſtiùs, quàm qui diſſimulavit, indulſitque diutiùs. *Superexaltat Miſericordia judicium.* Inſuper nec illud Dei amicos fugit, quòd, etſi invitus Deus ad puniendos reos deſcendit, nullum tamen, quantumcunq; exiguum, peccatum ſit, cui ſua non reſponſura ſit pœna. *Verebar omnia opera mea, ſciens quoniam non parceres delinquenti,* omnium velut nomine Job ajebat. Princeps manſuetus & in ſubditos benignè affectus mortis ſententiam, contra nefarium aliquem latam, chirographo ſuo non ſine lacrymis firmat; ſed firmat tamen. Sic & amantiſſimus humani generis Deus dolet quidem, eum quem condiderat, ut in cœlo novum ſidus fulgeret, atrum Inferni carbonem effici, non tamen ideo non ſuo tempore & fert ſententiam, & executioni quàm efficaciſſimè mandari curat; ſed poſtquam Miſericordia Dei illacrymavit ſententiæ ferendæ: *Heu vindicabor de inimicis meis;* permittit, ut divina Juſtitia promeritum ſupplicium firmet, ſubſcribatque, *& convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam.* Sic cœlum quoque priusquam fulminibus terram, noxiis vaporibus plenam, feriat, & magno fragore obſtantia quæque diffringat ac ſtenat, velut luctum induit, & artis ſe nubibus veſtit; tandem nihilominus fulminat, & cum tumultu obvia disjicit ac proſternit. Sic de Magni Dei Bonitate Juſti ſentiunt, & idcirco ſic confidunt, ut metuant; ſic metuunt, ut confidant. At impii inſani, qui plus de Deo non nôrunt, quàm quantum ſufficit ad eum contumeliis afficiendum, utrâque hac virtute carent, neque in ejus Bonitate confidunt, ſed de ea temerè præfidunt; neque Juſtitiam verè metuunt. Si autem non metuunt, quo demum horrore concutientur, dum eum à ſe offenſum cogitant & irritatum? hinc potiùs ad riſum & hilari-

tatem ſeſe excitabunt, ut planè faciunt, nam *quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus.* Prov. 10. 23.

VII. Sed meliùs iſtud patebit, ſi ita diſſeramus. Duo ſunt, in malorum genere, ſumma, quibus animam hominis punire Deus poſſit: primum eſt, ſi illam detrudat in gehennâ, ubi ſum̃o Bono æternùm privata, ferat in æternum im̃enſam molem miſeriarum. Alterum eſt, ſi novis eam culpis fœdari ſinat, ſubtrahendo juſtiſſimè auxilia gratiæ ſuæ opportuna. Videamus modò, quàm non timeat Deum impius aut hanc, aut illam propter calamitatem. Et primò quidem, quòd eum non metuat ut potentem damnare æternùm, apertiſſimum eſt, quia ſic cum Deo agit, ac ſi hoc ille nequaquam poſſet. Funambulum cogitate, ita ut veſtrûm quis funis illius extremum manu teneat, cui alter tam ſui ſecurus inambulat. Si temerarius ille, ſub idem ipſum tempus, quo in manu alterius funis eſt, ipſum rideret, ſubſannaret, contumeliis proſcinderet, injuriis demum quibuscunque poſſet, irritaret, an meritò diceretur, eum timere? haudquaquam ſanè. Nonne autem ita ſe res habet cum peccatore, qui Deum ſemel offenſum aliis identidem, aliisque culpis irritat, ſecum muſſitans. *Iam aliàs confiteri noxas debeo: tantundem eſt de uno, quàm de duodecim ſe peccatis accuſare.* Hiccine Deum timet, qui ita ſentit ac loquitur ſub idem illud tempus, quo vita ipſius ex uno Divinæ voluntatis nutu pendet, quæ minore negotio cadere miſerum illum ſtatim in flammas æternas, quàm is, qui funem manu ſtringit, eam laxet, ſinátque neurobatem illum injurioſum præcipiti caſu humi affligi? *Deum, qui habet flatum tuum in manu ſua, non glorificaſti.*

VIII. Altera pœna, haud paulò major, quâ Deus animam multare poteſt, eſt ſinere eam in novas culpas labi, & ubi ita proſtrata fuerit, deſerere, déque eâ denuo erigenda porrò non cogitare. Hoc ſupplicii genus priore illo tantò majus eſt, quantò umbrâ ſuâ Mons aliquis major eſt. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori,* dicebat David, ut indicaret illius divini favoris magnitudinem, quo peccati venia ipſi facta fuerat: eruiſti me, Domine, ex Inferno inferiore; verè enim ſi Infernus à peccato (ut ſæpius me jam dicere memini) ſeparari poſſet, ſine comparatione minor futura eſſet calamitas cadere in Infernum, quàm cadere in peccatum. Deus autem, ut nos hoc ſupplicii genere omnium atrociſſimo puniat, ut ſinat, inquam, in ſordes peccati cadere, & in iis computreſcere, non alio opus habet, quàm ne ſuâ nos Gratiâ adjuvet; ita ut novo nos favore non præveniens, hoc eſt, nihil agens, nos verè reddat miſerrimos. *Quis non timebit te, ô Rex gentium?* attonitus exclamat Propheta Jeremias. Quis non timebit te, magne Gentium Rex, cùm ſine armis, ſine machinis ſine ullis aliis modis, tantùm nihil faciendo, facere poſſis, ut nihil ſint omnia? Non videtur quo-

quo

quomodo fieri poſſe, ut ullus uſpiam ſit, qui talem Regem non metuat; & tamen ſunt re ipſa, qui non metuant; omnes nimirum Peccatores, ſed ii maximè, qui Confeſſionis fiduciâ peccant, dum ut minus malum eligunt, quod eſt malorum ſummum, & quo majus ne divinæ quidem Juſtitiæ brachium potentiſſimum infligere poteſt, quod eſt, permittere, ut culpæ culpis cumulentur. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum.* Dubium ergo nullum relinquitur, hujus farinæ Peccatorem nullo Dei metu tangi, neque propter ſupplicia, quæ hic poteſt ipſi irrogare; neque propter gratiam, quam poteſt ſubtrahere. Nullam ergo cognoſcit earum cauſarum, quæ potiſſimùm movere deberent & impellere ad ſincerum de admiſſis dolorem, neque ullum earum ſenſum habet.

IX. Id unum ſupereſt, ut cùm præfidentes iſtos nec præmiorum maximorum jactura, nec pœnarum à Deo intentatarum atrocitas ad dolendum moveant, ipſa peccati fœditas & turpitudo impellat. Verùm & iſta quomodo impellet, ignota, & à tam protervè peccantium oculis procul remota? Si in pretioſiſſimam ſponſæ alicujus veſtem, quâ ipſo ſolenni nuptiarum die ſuperba incederet, alterius incuriâ olei aliquid effunderetur, nec tamen ſponſa veſtem confeſtim poneret, ut elui tempori labes poſſet, ſed vas potiùs totum exhauriret, ad veſtem illam ſuam undique fœdè commaculandam, cum dicto: Jam ſatis mundari illam neceſſe eſt; credetne quiſquam eam maculam ſponſæ horrori eſſe, ut quæ vel maximè perſonam dedeceat, quam ipſa tum gerit? ego certè induci non poſſem ad ita ſentiendum. An non autem id, quod ſponſa iſta, agunt, quicunque aliquâ noxâ ſordidi alias aliaſque ſuperaddunt propterea, quòd unâ eadémque operâ elui omnes poſſint? Iſti enim pro eo, quòd feſtinare eos oporteret ad abſtergendam confeſtim, providi doloris ope, fœdam illam labem, quâ, Dæmonis invidiâ, nitidiſſima eorum Innocentiæ veſtis aſperſa eſt, rapiunt ex ejus manibus totam infernalis picis, ſordiúmque ollam, fœdiſſimâque illa colluvie animam undique conſpurcant, ne guttâ quidem in vaſe relictâ. Hoc non eſt odiſſe, non eſt horrere maculas, ſed amare; non eſt in lutum, aut ſtercorum receptaculum caſa non prævisó præcipitare, ſed putidiſſimas has ſordes animo deſtinato complecti, arctéque pectori adſtrictas ut gemmam pretioſiſſimam, retinere. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Thr. 4. 5. Cùm ergo procul abſit, ut peccati turpitudine iſti ad ejus deteſtationem moveri queant, aliud jam porrò non invenio, unde naſci eorum in animis poſſit tam neceſſarius ad ritè confitendum dolor; neque ullam eorum Pœnitentiæ injuriam facturus viderer, ſi S. Joannis Chryſoſtomi authoritatem ſecutus, Pœnitentiam ejusmodi appellarem Theatralem.

II.

X. Sed quia animus mihi eſt, viam vobis omnem, omnem receptum præclu-

cladere, nequà exitus pateat, dabo vobis nunc quidem, quòd etiam Pœnitentiæ agendæ fiduciâ peccantes, pœnitentiam ſubinde, quam oportet, & ſuis partibus abſolutam agatis. An ideò ſecuri eſtis de ſalute conſequenda? Imò diſertè pronuncio, vos, etſi ita bene ſuccedat pœnitentiæ negotium, de ſalute tamen veſtrâ graviſſimè periclitari, ob illam præcipuè, quam contrahitis interim, contumacem peccandi aſſuetudinem. En igitur etiam declinato ſolerter primo, quod vobis imminere dicebam, periculo, alterum ſupereſt; & idem vobis accidit, quod illi, qui ex dentibus & unguibus Leonis, magnâ ſuâ felicitate, elapſus in
Amos 5. 19. Urſi ungues irruit, *Quomodo ſi fugiat vir à facie Leonis, & occurrat ei Urſus.* Igitur quisquis tam nullâ curâ iterumque peccando pravam aſſuetudinem contrahit, de ſalute ſua graviſſimè periclitatur: hac enim ratione, relabi & relabi redditur illi longè facillimum & praniſſimum, ſurgere autem & erigere ſe indies fit difficilius; quibus duobus greſſibus tenditur ad funeſtam illam & finalem, quam dicimus, Impœnitentiam. Nolim equidem me quisquam exiſtimet hominem, quem oblectet triſtiſſima quæque ominari & præſagire, id quod tetricis quibusdam ſpiritibus familiare eſt; hoc ex hominum genere neque ſum, neque vos me ut talem accuſare poteſtis, quando certa & evidentia vobis pericula prænuntio. Nonne, ſi verum dicere non piget, ſi fornici alicui plus ſemper ponderis imponitur, quæ autem illum ſuſtinent fulcra & parietes indies debiliores redduntur, ruinæ ille ſemper magis obnoxius redditur? Atqui non alia eſt eorum conditio, qui pergunt peccare veniæ per pœnitentiam obtinendæ fiduciâ. Semper deſuper augetur pondus peccatorum, miſeram animam deorſum urgens; quæ autem illam ſuſtinent Gratiæ fulcra, debiliora redduntur indies: tali autem fornici, tali animæ ruinam præſagire & ſtragem, non eſt animi tenebricoſi & tetri, ſed animi prudenter metuentis. Paucis dicamus, quod eſt. Gemina ſunt pondera, quæ toto niſu animam Orcum versus deprimunt: unum eſt pondus internum pravarum aſſuetudinum, externum alterum, tentationum Dæmonis: utrumque horum ponderum, quò quis peccat ſæpius, hoc creſcit amplius, etſi poſt admiſſa peccata de iis quis doleat, & verè ſerióque doleat, ac ſe accuſet.

XI. Et hujus ſcilicet rei cura illi nulla eſt, nec ad eam animum advertit, qui delirans dicit: *Admittam hoc ſcelus, & ſubinde agam pœnitentiam;* Qui ita agit & loquitur, ſimilis eſt alteri, cujus ædes malè ſartæ tectæque pluvias in ipſa conclavium intima admitterent, is tamen undam pluviam vaſe aliquo excipere, foràsque effudiſſe contentus non aliter malo provideret. Neque enim ea re totum, quod frequentes afferrent pluviæ, damnum amolitetur: interim enim tecti trabes ſenſim computreſcerent, harúmque corruptio totius ſecum tecti ruinam traheret, nemine etiam aliunde impellente. Idem illis acci-de-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

det, qui peccata ſua in pugillari, aut ſola mente notâſſe, & foras per confeſſionem effudiſſe contenti, animum quidem his ſordibus purgabunt, malo autem omni remedium non facient: neque enim impedient, quò minùs iterum ſubeant pernitioſæ hæ aquæ, ſemperque graviora damna moliantur. Computreſcent trabes, vires, inquam, animi corporiſque debiliores reddentur indies, magiſque in vitia pronæ, habituum pravorum vi, quos repetitæ ſæpius culpæ, etiam abolitæ per pœnitentiam, reliquêre: atque tandem quàm parùm à pernitie ultima aberit, qui ſibi de ſecuritate plaudebat? Errat, qui ſibi perſuadet, animo à noxis abſoluto, priſtinum omnem vigorem, plenámque mox ſanitatem reſtituendam, perinde ac ſi nunquam noxa ulla fuiſſet contracta: ita ut infamis e. g. ſuis flagitiis muliercula eum reſtituatur in gradum, quo eſt virguncula, vix gnara, quid inter dexteram interſit & ſiniſtram. Poſt abſolutionem à peccatis, teſte Angelico, remanent reliquiæ peccatorum præteritorum, habitus maximè pravi, etſi fracti & viribus imminuti, ita ut non quâ priùs poteſtate ac libertate dominentur. Verba S. Doctoris ſunt, *Nihil prohibet, quin remiſſâ culpâ, remaneant diſpoſitiones ex præcedentibus actibus cauſata, quæ dicuntur peccati reliquiæ. Remanent tamen debilitatæ, & diminutæ, ita quòd homini non dominentur.* Quando tota acie gemini exercitus congrediuntur, etſi vincat alterutrum, non tamen victi ad unum omnes internecione delentur. Multi quidem cadunt in acie, alii tamen vulnerantur ſolùm, non paucos fuga ſervat. Imò non ſemel contigit, tam multos fugere, ut ex fuga retracti, & ſtrenui Ducis, hortatibus animati, directi conſilio, manu adjuti, victi victores ipſos profligarent, ſubjugarent, ignominiâ tantò majore, quò turpius eſt victores in Triumphum duci. Ita ferè ſe res habent in prælio, quo peccata à verè pœnitente vincuntur. Equidem abſolutione extinguuntur noxæ lethales omnes: nec tamen idcirco hæc in pugna omnes ſalutis noſtræ hoſtes profligantur, aut cæduntur; vulnerantur aliqui, nec graviter, doloris vehementioris defectu. Iſtos inter hoſtes præ ceteris formidabiles ſunt habitus pravi, quibus fit, ut Pœnitens, etſi noxarum vinculis liber, non tamen eas recuperet vires ac robur, quibus antè quàm tot peccata cumularet, pollebat.

XII. Inſaniunt profectò, qui ita ſecum ratiocinantur. *Sufficit ſi pœnitentiam agam: admittam hoc ſcelus, ſed ſuo me tempore apud Sacerdotem dolens accuſabo!* An non enim primò, mors opprimere poſſet nihil minùs opinantem, ſic ut agendæ pœnitentiæ, & noxarum confeſſioni tempus non ſuppeteret? An non deinde contingere poſſet, dolorem propoſitúmque non eſſe, qualia oportet, ſed alienationem à peccato procedere ex cauſis merè naturalibus, ſicque abſolutione Sacramentali Gratiam nullâ ratione conferri? Denique, ſi abſint cetera,

an non poſt obtentam noxarum veniam magna adhuc animam premit calamitas, dum manet ingens ad malum, ex peccatis toties iteratis nata proclivitas? Sunt, qui animum non advertant ad illam vim niſúmque, quo ad peccandum eos deteſtabilis aſſuetudo propellit, atque ideò rem non æſtimant, quanti par eſſet. Natura hominis ſuapte ſponte & pondere, quæ eſt noxæ originariæ malignitas, in ſcelera, atque adeò deorſum ad Infernum vergit: *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Quid autem fiet, ſi ad naturam ita depravatam natura acceſſerit altera, habitus non minùs pravus? Hæc illi juncta pondus conſtituent tam magnum, S. Auguſtini ſententiâ, ut inde naſcatur neceſſitas, ſeu ſumma quædam ſalutem conſequendi difficultas. *Dum ſervitur libidini facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.* Ita conſtituti nonnunquam ſancto Confeſſionis Sacramento rectè ac ſalutariter utentur: ſed quia Sacramentum hoc non tollit, ut dicebam, ex toto propenſionem, ex prioribus peccatis relictam, ad eadem denuo admittenda (ſicut nec Baptiſmi Sacramento auferuntur inclinationes pravæ, quæ ſunt fructus noxæ originariæ) idcirco in deteriora indies prolabentur, peccata peccatis, culpas culpis cumulabunt, ad vitæ usque finem: quando id ipſis eveniet, quod ſenibus, morbo aliquo longiore laborantibus, ut valetudine nunquam recuperatâ, illi commoriantur. Sic

l.8.Conf. c.5.

Anteſignanus Medicorum: *Quicunque morbi ſenibus accidunt diuturni, magna ex parte iis commoriuntur.*

Hipp. A[…]

XIII. Partem alteram ponderis hujus graviſſimi tentationibus ſuis Dæmon addit; quæ ſunt ventus ille vehemens ac tumultuoſus, qui cùm Jobo ſanctiſſimo aliter nocere non poſſet, domum ejus evertit; at Peccatorum domos intactas relinquit, animam verò proſternit. Hæ porrò tentationes, hæ hoſtis capitaliſſimi machinationes tantò augentur magis & incrementa ſumunt majora, quò major evadit numerus peccatorum. Et ejus rei ratio manifeſta eſt: à quo enim Dæmon poteſtatem illam authoritatémque, quâ nobis quodammodo imperat ut Tyrannus, accepit, niſi à peccato? *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt*, affirmavit S. Petrus. Quisquis ergò peccatorum numerum auget, eâdem operâ Dæmonis poteſtatem auget, & novum illi adversùs ſe jus tribuit, victorias ejus cumulando, eò usque, dum tandem totus quis pendeat ab arbitrio Domini tam execrabilis. *A quo captivi tenentur ad illius voluntatem.* Et verò hæ ſunt veteratoris iſtius ſtygii artes, Chriſtianis parùm vulgo cognitæ: principio modicis eſſe contentum, ut ſubinde accipiat plura, ac denique totum auferat. *Dixerunt animæ tuæ: incurvare, ut tranſeamus.* Lucifer ſatellitum ſuorum operâ & miniſterio, principio aliud à nobis non petit, quàm tranſitum per cor noſtrum: non petit in eo divertere, aut moram tra-

2. Pet. 2. 19.

2. Tim. 2. 26.

Iſ. 51. 23.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

trahere longiorem. Admitte, inquit, hac vice iſtud facinus, accuſabis te poſtea de illo, nec illud aliàs repetes. Guſta nunc tantillum liquorem illum dulcem calicis, quem tibi propino: mox expues venenū, nec unquam poſtea labris tuis admovebis. Nunc te egeſtas premit maxima: ne recuſa, ad quod ille te invitat peccatum; ut ejus ope ac beneficentiâ præſens calamitas ſublevetur; admitte provinciam, nuntium illum ad deſideratam perſonam perferendi; mox ab illo te extricabis, & diſertis illi verbis denuntiabis, nolle te quidquam ampliùs operæ conferre ad talia negotia. Nunc inimicū habes infenſiſſimum; ulciſcere, quâ te ille afficit, injuriam; poſtmodum autem ad Legis Chriſtianæ amuſſim vives; nec enim quiſquam tibi deinceps moleſtus erit, ne cum illo luat audaciam; & tu ſecurus arma pones. Audi hoſtem humaniſſimum, miniméque importunum: non aliud pro ingenti, quem poſt ſe trahit, exercitu petit, quàm viam. *Incurvare, ut tranſeamus.* Anne autem illi fidis? væ tibi, ſi ita eſt. Jubet nos verbis apertiſſimis Spiritus Sanctus, nunquam illi fidere. *Non credas inimico tuo in æternum.* Si Monarcho Turcicus Legatum mitteret ad Chriſtanorum Principum aliquem, ad petendum exercitui ſuo armato tranſitum per arcem, aut urbem, Provinciæ propugnaculum, an impetraret, an fides ei haberetur? haud ſanè exiſtimo: multóque minùs, ſi urbem illam aliquot menſium ſpatio ſuis firmandam præſidiis poſtularet, cum fide tamen, anno nondum vertente eam reddendi. Miro autem eſt mirius, quòdquam Turca non invenit à Chriſtianis fidem, hanc Dæmon hoſtis tantò perniti oſior, ínque eorum exitium juratus, à multis inveniat, dum ſic eos ſolicitat. Da mihi animam tuam tantillo tempore; mox illam tibi pleno jure reſtituam. Sine, meis è Legionibus cohortes aliquæ cor tuum occupent, & ſtativa ibi habeant paucorum menſium ſpatio: Paſchales ſub ferias confitebere, & ſi ſponte cum meis non emigravero, vel invitum cum dedecore ejicies. *Incurvare, ut tranſeamus.* O fraudes apertas! & tamen his tam multi circumveniuntur! An neſcimus Dæmonem ſerpentis eſſe ſimilem, qui quacunque caput immiſerit, reliquum deinceps corpus eòdem nullo negotio inferat? Maximè ardunm Tentatori negotium eſt in conſenſu ad primum peccatum extroquendo; tum enim & Gratiâ permanente ac ſtabili fortes ſummus, & adjuvamur tranſeunte, ſeu opportuno tempore benignè ſubminiſtratâ & ſingulari Dei providentiâ, ut filii, dilecti, protegimur, & hoſtis, qui oppugnat, foris eſt, nullâ ad huc animæ parte occupatâ: at ubi primum peccatum arbitrio quis ſuo admiſerit, mox intra ipſum ſtationem Dæmon capit, medio in corde vexillum, victoriæ ſuæ ſignum, ſtatuit; recedit Deus; & quemadmodum Rex abiens totam poſt ſe Aulæ appendicem trahit, ita cum Deo Charitas, & pulcherrimus reliquarum virtutum Chorus excedit; Gratia Sanctificans ſub-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

trahitur; auxilia opportuna, & ſuo dari tempore ſolita, ſubminiſtrantur parciùs, & anima, arcis inſtar expugnatæ, in hoſtis victoris manet ditione. Quis jam explicet, quantum rebus ſic ſtantibus animus virésque ad reſiſtendum decreſcant, quantum audacia, & libertas hoſtis creſcat in tyrannide exercenda? Et verò re ipsâ anima illa, quæ primò propè vi adhibitâ ad peccandum pertrahi debuit, volens poſtea ac libens magnâ ſuâ voluptate, pergit peccare; quæque conſtituerat, tranſitum tantùm hoſti concedere, jam illum inquilinum plurium annorum ſpatio non invita patitur.

XIV. Filii Patriarchæ Jacobi in Ægyptum ſe contulerunt, animo, non longiores inibi moras trahendi, quàm neceſſe eſſet ad neceſſaria in ſummâ annonæ caritate ibi coëmenda, mox autem paternos ad lares redeundi: ſed exitus eorum decretis tam non reſpondit, ut quatuor exinde integris ſeculis, cum omni ex ſe genitorum turbâ, ea in provincia ſubſiſterent: manſiſſéntque ſemper in ſervitute miſerabili, niſi Deus potenti ſuo brachio, per ſigna & prodigia, qualia nulla ætas viderat, nulla audiverat, Pharaonicâ illos è tyrannide eripuiſſet. Etiam Illa, neſcio quæ, ad peccatum inducitur neceſſitate, ſiquidem ipſi credimus: ut ille vel eam ducat, vel alat fame latè graſſante, vel veſtiat nudam rigente brumâ, vel in lite magni momenti ab aliis deſtitutæ adſit. Non id ſpectat miſera, ut vitam ducat longam in illis flagitiis; abſit: ubi ducta fuerit, ubi neceſſitates illæ famis, nuditatis, deſierint; ubi cauſa ſo-ter acta, ad vitam honeſtam conſilio redire deliberatum habet. Talis eſt ejus deſtinatio: ſed ab hac quàm diverſus exitus! Dæmon, tanquam alter Pharao, qui in hac infeliciſſima peccati Ægypto ſummo jure imperat, adeò miſeram premit, tot laboribus fatigat & occupat, ut ne quidem de ſua miſeriâ ſeriò cogitandi tempus relinquat: & quanquam illa, conſcientiæ clamoribus excitata, decernat migrare è regione tam infauſtâ, tot illi difficultates objicit, abituræ veſtigiis tam numeroſo cum milite inſiſtit, ut niſi Deo placeat dexteræ ſuæ potentiſſimæ opus exercere, ſuccumbat Dæmoni; & anima, quæ initio non eſt auſa tranſitum hoſti negare, ipſi jam via & ſolum fiat, fœtentiſſimis ejus pedibus calcandum. *Poſuiſti ut terram ſ[illegible] corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus*: ſolum quidem, ob peccatorum ab ea admiſſorum vilitatem & turpitudinem; via verò, ob eorum admittendorum aſſuetudinem. Scio, fieri nihilominus poſſe, ut vel tum Dæmon ejiciatur: ſed fieri etiam poteſt, ut non expellatur: & quidquid demum accidat, tam diuturna in ejusmodi anima habitatio animos illi facit ad reditum tentandum, haud ſecus ac canis, etiam fuſtibus abactus, redit ad ædes, in quibus diu nutritus eſt: quod canis exterus non faceret. Nec redit ſolùm, ſed quod deterrimum eſt, cum pluribus canibus redit ſe nocentioribus: *Aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe*: efficitque, ut anima

tot

cot ſæviſſimarũ tentationum latratibus conſternata, pejore conditione fiat, quàm antea: adeſt illi magis aſſiduus, cuſtodit attentiùs, curat, ne agat cum hominibus virtutis ſtudioſis, ne loquatur viris Religioſis, Concionibus non adſit, Confeſſarium eligat ſibi faventem, quem vel doctrina & peritia, vel animas juvandi ſtudium deficiat; & ſic *fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*. Minimè proinde obſcurum eſt, quòd quisquis ſemel aditum Diabolo pandit, periculo ſe exponat, diu illum habendi inquilinum; quòque ſæpius manus dat impugnanti & irruenti, hoc ampliùs animos & vires illi augeat, ad novam ſtragem edendam; atque hinc ratum fixumque manet, verba illa: *Admittam hoc facinus, & poſtmodum confitebor*: ratiocinationem eſſe hominis planè ſtolidi; qualis eſſet illa latrunculis ludentis qui diceret: perdam hunc calculum, & poſtea damnum reſarciam: quò plures ſiquidem calculos perdit, tantò fit ipſe ad reſiſtendum debilior, partis adverſæ autem potentia ad vincendum fortior.

XV. Neceſſe igitur foret, ad ſalutem Peccatoris in tuto locandam, ut quantum parte unâ creſcit pravarum propenſionum tentationúmq; diabolicarum pondus, tantum parte alterâ creſcerent & firmiora fierent divinorum auxiliorum fulcimenta. Verùm hoc ipſum eſt, quod ſtragem & ruinam proximè arguit impendentem; ſemper enim hæc fulcra minùs firma evadunt, minúsque ruinæ ſuſtentandæ ſuffectura. Quia autem hoc, quod dicebam, exactè intelligere, eſt aſſequi veritatem momenti longè maximi ex iis, quas hodie proponere eſt animus, oportebit vos gradatim ac pedetentim ducere, tanquam per viam incognitam. Illud igitur ante omnia fixum ratúmque eſſe oportet, ſolius noſtri arbitrii voluntatisque viribus nos ad Deum converti nullâ ratione poſſe; & aliter ſentire aut credere, error eſſet certiſſimo Fidei dogmati repugnans: *Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cœlo.* Quin & cum recta ratione pugnaret contraria opinio; hæc enim nos docet; morbum quidem conſciſcere poſſe hominem, cùm vult, noxia valetudini uſurpando; non tamen poſſe pro arbitrio læſam valetudinem recuperare; medicâ ad id arte eſt opus. *Homo, quando vult, ægrotat*, S. Auguſtini verba ſunt, *non quando vult, ſurgit: ut jaceret, intemperantiam ſuam habuit neceſſariã; ut ſurgat, neceſſariam habet artificis medicinam.* Quocirca ſicut totius vaſtiſſimi Oceani undæ non ſufficiunt, ut vel unicam in ſua concha elaborent margaritam, ſed cæli tantùm rore affuſo tam nobile naturæ opus perficitur; ſic quidquid virium ac facultatum habet natura, ne tantum quidem valet, ut eo voluntas vel unam actionem eliciat ſalutarem, ſed Dei benefici gratia operantem adjuvet neceſſe eſt. Quin ne adjuvare quidem ſufficit, excitanda eſt dormituriens voluntas, ſic illam prævenniendo, ut ſi Deus prior ad Peccatorem

*Io. 3. 27.*

*S. in Pſ. 98.*

rem non convertatur, hic ſe ad Deum
*Job.* 12, convertere nulla ratione poſſit. *Vo-*
15. *cabis me, & ego reſpondebo tibi*, ajebat
Job, ut nos doceret, quanta ſit gratiæ
illius prævenientis neceſſitas: his e-
nim verbis oſtendit, Cor humanum
muto antro, aut rupi eſſe ſimillimum,
ex qua Eccho nunquam reſonat aut
*Pſ.* 58. 11. reſpondet, niſi vox præveniat. *Mi-*
*ſericordia ejus præveniet me.* Altè hæc
in animum demittite, AA. Dilectiſ-
ſimi: qui enim fiduciâ pœnitentæ
peccant, ita ſanè agunt, ac ſi cer-
tum haberent, ſuis ſe viribus, ſuis
facultatibus, cùm libuerit, conver-
ti ad Deum poſſe.

XVI. Alterum, quod hîc tenen-
dum eſt, principium affirmat, tanto
efficaciore intenſioréque Dei gratiâ
opus eſſe ad converſionem, quò plu-
ra peccata fuerant coacervata. Ad
ſolvendam glaciem Solis radii ſuffi-
ciunt; aſt ubi glaciem in cryſtallum in-
dureſcere contigerit, nihil jam Sol ar-
dentiſſimis ſuis radiis poteſt; ſed
mallei tantùm grandis ac ponderoſi
miniſterio duriſſima illa maſſa in pul-
verem redigitur. Cryſtallinam e-
juſmodi duritiem induit peccatum,
*Jer.* 30. cùm ſæpe iteratur. *Propter multitu-*
14. *dinem iniquitatis tuæ dura facta ſunt*
*peccata tua.* Unde ut emolliatur a-
nimus Peccatoris marmore durior,
non jam ſufficiunt communes gratiæ
divinæ radii: illo malleo opus eſt, de
quo per Jeremiâ Deus loquitur. *Verba*
*Jer.* 23. *mea quaſi malleus conterens petram.* Illâ
27. gratiâ opus eſt, quam S. Auguſtinus
dicere ſolitus eſt Triumphatricem.

XVII. Poſito hoc utroque certiſſimo principio, edico vobis, Lege Dei ordinaria & communi, quam Deus plerumque in Providentiæ ſuæ ſanctiſſimæ operibus ſequitur, conſtitutum eſſe, ne Deus ſpecialem hanc planéque ſingularem & abundantem gratiam iis largiatur, qui culpas culpis, ſomnum, imò mortem, hujus ipſius gratiæ ope facilè poſtmodum excutiendi fiduciâ, cumulando, magis magisque identidem ei ſe indignos reddunt. Primum hujuſce meæ aſſertionis firmamentum deſumo ex fine primario, quem ſpectare Deus ſolet in miſeriis noſtris ſublevandis: quæ eſt ipſa ſuæ Majeſtatis gloria. Quam autem in re noſtra conſequeretur? Si cunctis, qui tam temerariâ veniæ præſidentiâ delinquunt, tam certa eſſet admiſſarum culparum gratia, tam non honore ac reverentiâ majore inde afficeretur Deus, ut etiam illi inſultarent Peccatores. Ita diſertè affirmat Apoſtolus, *Deus non irridetur: quæ enim ſeminaverit homo hæc & metet.* Si ergo hæc metet, quæ ſeminaverit, ſi fecerit benè, habebit bene; ſi malè fecerit, malè habebit. At ſi plerumque Peccatores, etſi pro libidine peccent, paratam tamen promptamque, non qualemcunque, ſed victricem illam triumphatricémque gratiam haberent, ut converti, cùm placuerit, poſſent, an non conſequens eſſet, cur etſi peſſima tantùm in agris ſuis ſemina ſpargant, meſſem tamen habere optimam? Atque ita quodammodo in-

ſulta-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſultarent Deo. Et ad hoc aſpirent ipſi? *Deus non irridetur.*

XVIII. Deinde tantopere cordi eſt Deo, ut magni fiant dona ac munera, quæ pro ſua ipſe beneficentiâ mortalibus largitur, ut ſæpe ea amicis ſuis, quamlibet enixè petentibus, diu non conferat, ne fortaſſis citò data vileſcant, minorisque æſtimentur. *Ne citò data vileſcant*: ut loquitur S. Auguſtinus. Quis ergo ſibi perſuadeat easdem has gratias profugis à Deo, & tergum illi contemptim obvertentibus paſſim obtrudi, & vel invitis objici, cùm interim amicis cariſſimis rogantibus negentur? Enimverò ſi ita faceret Deus, nulla jam earum eſſet æſtimatio.

XIX. Accedit & illud, quòd pro antea acceptis à Deo donis gratias vel nullas, vel frigidè egiſſe, ſæpe Deo cauſa fuerit ſufficientiſſima alia nova non tribuendi. *Ingratitudo*, ſi rectè S. Bernardus ſenſit, *inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, beneficiorum perditio.* His enim denique legibus, ut Philo docuit, ſtabilitum eſt inter Conditorem & Creaturas commercium, ut beneficium quidem Creator faciat, creatura autem pro accepto gratias rependat. *Creatoris proprium eſt benefacere, & Creaturæ gratias agere.* Quare ſi commercio huic, ex quo tantùm emolumenti in creaturarum beneficiis affectam redundat, tollendo ſatis eſt, gratias pro acceptis non egiſſe, an ſatis non erit eidem penitus abrumpendo, collatis muneribus turpiter eſſe abuſum, imò in inſtrumenta illa vertiſſe, quibus tam beneficus amor offenderetur? Hoc utique eſt ipſam adeò malè tractare Miſericordiam, sicque ſuomet arbitrio ac propria ſponte ejusdem ſe privare ſubſidio ac tuitione; & ſicut Aſylo, confugientibus ad ſtatuam Principis conceſſo, non gaudet, qui ſtatuam ipſam tractavit contumelioſè; ita nec dignus eſt favoribus divinæ Bonitatis, quem non puduit eandem Bonitatem deſpicatui habere.

XX. Alterum, quod Deus ſpectat in ſuorum diſtributione beneficiorum, eſt utilitas Electorum. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* (Rom. 8. 28.) Quid autem utilitatis redundaret in Electos, ſi vel plerumque, vel quàm ſæpiſſimè, præſtantiſſima illa dona ſua, quæ molliendis & domandis etiam duriſſimis cordibus ſufficiunt, iis divina Benignitas largiretur, qui iisdem abuſi, quàm poſſunt peſſimè, eidem Beneficentiæ illudunt? An non potiùs hic Providentiæ ordo Electis eſſet offendiculo? Talem ergo eſſe veroſimile haudquaquam eſt. *Non relinquet Dominus virgam Peccatorum ſuper ſortem Juſtorum, ut non extendant Juſti ad iniquitatem manus ſuas.* (Pſ. 124. 3.) Obſervant hoc loco Interpretes; etſi nonnunquam ſapientiſſimo Dei conſilio felicior ſit Impiorum, quàm Juſtorum ſors in iis, quæ ſub aſpectum cadunt, nunquam tamen permittere amabiliſſimam Numinis providentiam, ut paſſim Impii

Juſtis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Juſtis prævaleant, ne iſti tantâ illorum felicitate in transverſum acti viam Juſtitiæ deſerant, miſeriis obſitam; *ut non extendant Juſti ad iniquitatem manus ſuas.* Quando autem unquam felicior eſſet Impiorum ſors, quàm ſi ipſi absque ullo labore, absque conatu, absque ullis precibus, immò Dei longanimi patientiâ fœdè abutendo, illismet, & majoribus etiam, gratiis paſſim donarentur, quibus ſubinde Juſti & Amici donantur? Næ iſta foret tentatio quâvis aliâ vehementior! Secundus ille rerum curſus, quem ſubinde in caducis hiſce & infimis bonis Impii experiuntur, etſi illa non tam vera aliqua proſperitas, quàm proſperitatis umbra ſit, tantum nihilominus negotii ſanctiſſimo Regi Prophetæ faceſſivit, tam eum concuſſit vehementer, ut vix ultra in pe-
Pſ. 72. 2. des erectus conſiſteret. *Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, pacem Peccatorum videns.* Quid igitur fieret, ſi Impii verâ ſinceràque illâ felicitate, quâ major hoc in exilio eſſe nulla poteſt, animæ ſuæ ſalutem finalis perſeverantiæ beneficio in tuto locandi, eâdem prorſus, quâ Juſti Sanctique ratione potirentur? eâq; potirentur, non poſtquã vero dolore & lacrymis peccata ſua eſſent deteſtati, non poſtquam eadem plenâ ſatisfactione compensâſſent, ſed poſtquam in iis per omnem vitam perſeverâſſent, poſtquam, ut ſic dicam, Chriſti ipſius ſanguine, tam copioſè noſtrâ causâ, ad nos irrigandos, roborandos, fructum quotidie majorem majorémque afferendum, profuſo per ſummum nefas eſſent abuſi? *Et nefas Domine bonis & rectis corde;* pergit ibidem precari ſanctiſſimus Propheta: Domine, ſi beneficentiæ tuæ theſauros diſpertire deliberatum habes, ſi favoribus ſingularibus aliquos prævenire, donis ornare, quæſo ne in alios iſta, quàm Bonos conferas; hi enim, cùm animo ſint recto ad hæc beneficia cognoſcenda, & gratias pro collatis agendas, arborum inſtar ſunt, quæ plantatæ ſecus decurſus aquarum tuarum, nunquam non ſuaviſſimis fructibus abundant. Sed herbis iſtis ac plantis venenatis, quæ pretioſiſſimo gratiarum tuarum fonte, non ad aliud, quàm ad peſtem, quam ſinu fovent, augendam utuntur, quid facies? Evelle illas, radicitus extirpa, procul abjice; nec enim aliud merentur. Equidem paſſim divinæ literæ iſtud inculcant, quàm diverſâ à ſorte Juſtorum futura ſit Impiorum ſors, quàm longè aliter illi à Deo tractandi. *Non ſic Impii, non ſic.* Illud Pſ. 1. 4. geminum, *Non ſic* apertè demonſtrat, magnum omnino fore, commune neque inter Juſtorum & Impiorum fortunam diſcrimen. At ſi Impiis feliciter plerumque cederent ſtudia utendi ſanctiſſimis fidei Sacramentis ad multiplicanda peccata, & tamen ſalutem, eâ, quâ Boni illam obtinent, felicitate conſequerentur, licèt iſtis Myſteria illa ſerviant ad noxas abolendas; quod tandem ingens illud diſcrimen foret, quo horum conditio à conditione illorum diſcerneretur?

Non

Non bene tantùm, ſed certâ quadam ratione meliùs Impii, quàm Juſti habebentur.

XXI. Quid multis? Sola illa temeritas, quâ Impii ſeſe exponunt periculo gratiam divinam nunquam recuperandi, meretur, ut illam deinceps Deus ſummo jure deneget. Si enim, qui plus æquo nonnunquam ſibi fidunt Juſti, à Deo deſtituuntur, & ſinuntur cadere, quis prudens ſibi perſuadeat, eam Peccatori temerario promptiſſimè à Deo conferendam gratiam, quâ fine optatiſſimo vitam hanc claudat, quæ bonis de ſe ineptè præſumentibus non ſemel ſubtrahitur? Deus agere poteſt de ſuâ gratiâ, quidquid placuerit; novimus; poteſtque quâ vult menſurâ & cui vult, eam conferre. Parte interim alterâ, cùm non temerè & abſurdè, ſed ſapientiſſimo conſilio illam diſpenſet, rectè utique arguimus, quòd eandem, ſaltem ſæpius, quantâ opus foret, non ſit daturus iis, qui eam, etiam ſperando, injuriâ affecerunt; quique cum immani ſcelerum mole, vitaque impuriſſimâ, ſe non minùs certò, quàm quiſquam alius, quacunque virtute & ſanctitate, ſalutem ſe conſecuturos præfidenter exiſtimârunt; perinde acſi Cœlum totum acerbiſſimè doliturum eſſet, ſi eos contingeret exules ſperatis ſedibus excidere. Naſcitur hæc præfidentia ex ſuperba opinione, quam de ſe miſeri conceperunt; æquum proinde eſt, ut eos Deus humiliet, rèque ipſa demonſtret, nihil ſe ex eorum perditione diſpendii capere.

XXII. Finiamus igitur, AA. Dilectiſſimi, ſapienti illo Spiritûs S. monito: *Fili peccâſti? non adjicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Eccli. 21. Perpende, ô Peccator, malum, quod admiſiſti: *Peccâſti.* Nec peccâſti tantùm, ſeu admiſiſti malum malorum maximum, quod admittere filius poſſet, tergum obvertendo Patri tuo, tuo Creatori, Conſervatori, Redemptori & Deo tuo; ſed peccâſti graviùs, quàm alienus quicunque, fidei ſanctiſſimæ lumine non illuſtratus, quo ipſo, cùm tuas ille tenebras disjeciſſet, non puduit uti ad eundem graviùs offendendum. Non neſcis tu, fide magiſtrâ doctus, ſanctiſſimum Pœnitentiæ Sacramentum, divini Sanguinis pretio paratum tibi ut remedium ad delenda peccata, ad te à lapſu erigendum: tu autem ſic illo uſus es, ut majori audaciâ ac temeritate prolabereris, confiſus, quòd, quo liberet, momento, erigere te, & ſurgere poſſes. *Fili peccâſti.* Deum immortalem, quàm grave eſt, hoc quod admiſiſti delictum! ſit igitur hic tantæ dementiæ finis: *non adjicias iterum*: denuntio enim tibi, quòd ſpe tuâ, ſi ſpes dici poteſt, facillimè fruſtrari poſſis. Quò audaciùs aliis aliiſque te peccatis oneras, tantò ampliùs pravas propenſiones auges (nec purgare te Deo poteris, quaſi iſtud nunquam ex me audiiſſes) & hoc parùm animæ tuæ nocere exiſtimas? Quod initio non erat, niſi vapor tenuis, è terra ſe elevans, quò paulatim non evadit? primò denſatur in nebulam; poſtea in nubem coaleſcit,

leſcit, mox indureſcit in lapidem, qui mutatus in fulmen magno furore ac impetu rediens tellurem ferit, ex qua prodierat. Hoc ipſum peccato tuo accidet. Iſtud enim principio à te contemptum, tanquam aliqua levitas, aſſuetudine degenerat in tenebras & contumaciam, evaditque tandem ſævum illud pro te fulmen, quod nihil minus opinantem feriat, proſternat, & mortem tibi afferat ſempiternam. Ne, igitur, *ne adjicias iterum*: quia præter propenſiones & habitus pravos, qui vires ad reſurgendum vehementer minuunt, creſcet præterea, ſi peccare perrexeris, Dæmonis vis ac poteſtas, quam ille in te jam obtinuit, ut denique in Dominium plenum mutetur. Sed neque hæc malorum ſumma eſt; memineris inſuper, peccatum tuum diſplicere Deo optimo, ſic, ut nihil illi diſplicere magis poſſit, cùm ſolam oderit iniquitatem, & ejus causâ ſummo etiam odio iniquum proſequatur. *Similiter odio*
Sap. 14. 9. *ſunt Deo Impius & Impietas ejus.* Quid fieret proinde, ſi Deus odii hujus ſui vim fructúsque experiri te vellet, Gratiæ ſuæ, parte unâ tam neceſſariæ ad ſalutem tuam, parte verò alia tam non debitæ, ut eâ te reddidit indigniſſimum, gratuita ac abundantiſſima munera denegando? Si ſapis proinde, cave, cave quæſo, denuo pecces: *ne adjicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Time potiùs ob illa etiam peccata, quæ jam aliàs Sacerdoti dolens enarrâſti: illacrymare demo tuæ dementiæ, rursúmque te de priſtinis intimo cum triſtitiæ ſenſu accuſa. Nec enim certus es, doluiſſe te olim dolore, qui ſolus ad Sacramentum ſuis numeris abſolvendum ſufficit: & fieri profectò potuit, Pœnitentiam tuam ſepulchro ſimilem eſſe, albo deforis & arguti epitaphii inſcriptione ſuperbo, cùm intus non niſi vermes & putredinem claudat. Habes enimverò, cur meritò de rerum tuarum ſtatu dubites: *de priſtinis igitur deprecare*: Divinam ſupplex opem implora, abjice te, iratum mitiga, precibus eum fatiga, *ut tibi dimittantur.* Quod fiet, ſi Cor ille contritum tibi dederit, quod nullam unquam ab eo patitur repulſam.

DI-

# DISCURSUS XIX.

## *De Pœnis, quibus admiſſa peccata in ſe vindicare debent, qui deliquerunt.*

ALcæus Poëta, clientum Bacchi non poſtremus, ex ſingulis anni tempeſtatibus peculiares liberaliùs potandi titulos mutuabatur. Autumno ajebat bibendum ad lætos vindemiæ dies congruo honore celebrandos; hyeme ad frigus arcendum; vere ad exhilarandos ſpiritus animales; æſtate ad calorem naturæ fovendum, contrario tum calore labefactatum. Nec aliter, ſi dicere volumus, quod res eſt, illi diſſerunt, quicunque voluptatum calici inhiant; nam & ipſi ex ſingulis hominis ætatibus cauſas colligunt, quæ ad genialiter vivendum provocent: ex pueritia quidem & Juventute, quia ad id anni florentes & vegeti invitant: ex virili ætate, atque ſenectute, quia id exigit curarum moles, aliàs ante tempus oppreſſura. Atque ita, licèt Spiritus Sanctus & fletui & riſui tempus deſtinârit, *Tempus flendi & tempus ridendi*: hâc ipſi partitione non contenti, totum riſui, fletui nihil attribuunt. Sed valde hallucinantur iſti. Vitæ hujus tempus, eſt tempus luctûs & pœnarum; tempus vitæ ſecuturæ, tempus eſt gaudii & delitiarum: unde ad Pœnitentiam agendam non ſingulæ tantùm anni tempeſtates, ſed ætates etiam ſingulæ impellere debent: magìs vigentes & floridæ, ad peccata occupanda, maturæ, ad caſtiganda. Atque hoc eſt, ad quod vos hodie inducere animus eſt, ſi me attenti audietis; verùm quia perſuadere perpetuam connexámque Pœnitentiam res eſt, quâ magìs arduam atq; difficilem aggredi non poſſim, neceſſe erit, ut ſcopum attingam, argumentis eam ſuadere potentiſſimis; erunt autem duo; neceſſitas, & exequendi facilitas. Attendite diligenter, & intelligetis me, quod juſtum æquúmque ſit, poſtulare.

I.

II. Duplex hîc Pœnitentiæ genus diſtinguere poſſumus, quod ad rem præſentem faciat: una interna eſt, quæ in peccati deteſtatione conſiſtit: externa altera, quæ in actionibus pœnalibus, & ad Deo ſatisfaciendum aptis, poſita eſt. De illa multis jam actum eſt, de altera igitur nunc agere conſtitui. Hanc autem neceſſariam eſſe pronuntio, ſive Deum offenſum, ſive hominem offendentem conſideremus. Erit, qui exiſtimet, aliud me non affirmare; niſi, peragendum, quidquid Sacerdos, qui à noxis abſolvit, juſſerit. At ego non iſtud ſolùm dico, ſed addo, neceſſarium eſſe,

ut præter id, quod ſacer Judex juſſit, alias quoque actiones pœnales ſponte, noſtrâque electione peragendas aſſumamus. Primum, ut dicebam, neceſſitatis hujus caput eſt Deus offenſus, qui vult contracta nomina ad teruntium expungi, nóſque planè ſatisfacere. Si ita viſum eſſet Deo, poſſet ille ſic culpæ gratiam facere, ut nulla etiam pœna luenda ſupereſſet, ut nemo ambigit; nam ipſe nullius eſt juri obnoxius; per peccatum ipſi, non alteri facta eſt injuria: *Tibi ſoli peccavi*, ut inquiebat David: nam etſi Uriæ quoque Jus à Rege violatum eſſet, quòd tamen peccatum hoc & Proximum & Deum læſiſſet, non ideò quidquam ampliùs novæ fœditatis & dignitatis ad odium in iſtud refundebatur, quàm ſi ſolus Deus eſſet affectus injuriâ; cùm ſit luce meridianâ clarius, ſolum Deum non eſſe quid minus, quàm ſit Deus cum omnibus, quaſcumque molitus eſt, aut moliri potuit, creaturis. Quod cum ita ſit, poſſet, ut dixi, Deus ſic condonare offenſam, ut aliud præterea, quo juri ad pœnam fieret ſatis, planè nihil poſtularet ab offendente. Hac autem ratione, totiúſque juris, quod competebat, ceſſione Potentiam quidem ille ſuam ac Miſericordiam, at non perinde Sapientiam Juſtitiámque manifeſtaret. Potentiam quidem oſtenderet, rumpendo adamantina illa peccati vincula, quæ vim virtutémque creatam omnem eludunt, & ſoli divino brachio cedunt. Oſtenderet & Miſericordiam omni miſeriarum quarumcunque onere, quas Peccatoris conditio continet, hominem liberando: ſed non, ut dixi, ita relucerent Sapientia atque Juſtitia. Et primò quidem non reluceret ſapientia; quia non agnoſceretur proportio illa ad mirabilis culpam inter & pœnam, quâ denuo reſtituitur ordo pulcherrimus, quem homo peccando perverit: & videre culpam, cui ſua non reſponderet pœna, tam eſſet deforme quid, atque diſſentaneum divini Sapientiæ, ut ne Infernus quidem ſinu ſuo aliquid deformiùs contineret, licèt ibi fœda, & ſine ordine ſint omnia: *Nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Unde Juris Civilis axioma eſt. *Ferè quibuscunque enim modis obligamur, iiſdem, in contrarium dr[illegible] actis, liberamur.* Solemus autem nos Jur. peccando obligare verbis, cogitationibus, operibus; & ideò jure Deus à nobis exigit, ut nexus hoſce ſolvamus ope Pœnitentiæ, Confeſſione linguæ, Contritione cordis, & Satisfactione operum; id quod non contingeret, ſi Deus ſolo dolore cordis contentus omni alio ſuo jure cederet.

S. Thom. 2.2.q.67. ar.4.ad 2. & 3.p. q.2.ad 3.

S. Th. 1. 2. q. 73. ar. 8. ad 2.

III. Præterea arduitatem hanc, quam opera pœnalia adjunctam habent, rectè deſiderat Dei Sapientia, ut ſic minuatur peccatorum multitudo, quæ impunitate & veniæ opportunitate mirum quantum excreſcit. *Facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi.* Si nullius negotii res eſſet merces poſt naufragium undis extrahere, enim verò ad earum projectionem non tempeſtates tantùm graviſſimæ & præſentanea pericula impellerent, ſed vel tantillùm concita-

tum mare mercatores ad mercium jacturam induceret, quam tamen modò, cùm tam incerta, támque laboris plena ſit earum recuperatio, non niſi, cùm vita aliter ſervari non poteſt, faciunt; quin non rarò cum mercibus perire, quàm ſine illis vivere eligunt; ſtulto ſanè conſilio; ſed quod toties habendi cupiditas immeritò ſuis mancipiis extroquet, id ſumo jure à ſuis Chriſtus poſtulavit. Voluit, ut nemo non inter tempeſtatū ſæviſſimarum furores, tentationum, inquam, & adverſorum oppugnationes, cunctà quâ poteſt maximâ ſervare intactam conetur gemmam gratiæ ſuæ pretioſiſſimam & inæſtimabilem. Ad hæc obtinendum quid egit? Voluit, ut ejus recuperatio eſſet & incerta, & laboris ac difficultatis pleniſſima, ob opera pœnalia, quæ efficienda ſunt; atque ita conſequitur, ne temerè ac præſidenter fiat hæc jactura, ſed mori potiùs, quàm peccare multi non fortiter minùs, quàm ſapienter eligant. *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, Dei juſſu Nathan Propheta Davidi denuntiavit, *verumtamen filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Etſi peccati admiſſi gratia tibi facta ſit, ô Rex, ad illud tamen puniendum vult mori Filium Deus, ejus peccati fructum; ut dolor, quem ea ex morte ſenties, remedium tibi ſit, quo emenderis, amarum quidem, ſed ſalubre; ne leve exiſtimes, aut non dignum deteſtatione malum, quod ſtultè admiſiſti.

IV. Præcipuè tamen Operum ejuſmodi pœnalium exactrix eſt Divina Juſtitia, quæ, ut minùs ferè, quàm reliquæ Dei perfectiones cognita, occulta lateret etiam deinceps, ſi, culpæ veniâ obtentâ, nihil etiam pœnæ exolvendum reſtaret. Conſiderandum proinde eſt, omne peccatum eſſe injuriam conjunctam cum ſummo contemptu Dei, & crudelitate erga ejusdem Majeſtatem. Et de contemptu quidem dubium nullum eſſe poteſt; cùm Deus peccatum prohibeat totâ ſuâ, quâ poteſt, Authoritate; unde conſequens eſt, omnem Legis à Deo latæ violationem, cùm ſit ſupremæ hujus Authoritatis vilipenſio, verè propriéque eſſe crimen læſæ Majeſtatis. Peccator proinde, dum malè agit, omnes planè ac ſingulas ſupremi Numinis perfectiones minimi æſtimat, dum minùs curat, agere, quod ſupremo omnium Monarchæ placet, quàm quod belluinæ ſuæ cupiditati arridet. Atque ita nihil facit Potentiam, ejus imperia ita contemptim negligendo, perinde ac ſi nihil eſſet, quod ab illa quoquo modo metueret. Non æſtimat ſapientiam, perturbando pulcherrimum illum ordinem, quem ipſa conſtituit, hominem ejúsque arbitrium Divinæ voluntati penitus volens eſſe ſubjectum. Bonitatem ſpernit, cùm majus bonum putet effreni ſuæ libidini ſatisfacere, quàm ſit ille omnis boni Oceanus inexhauſtus. Immenſitatis rationem habet nullam, cùm in Dei præſentis videntiſque oculis perinde ſe gerat, acſi nihil ille ſentiret. Beneficentiam non curat, dum, quæ ipſa promittit, æterna & ſumma præ-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mia pro nihilo ducit. Juſtitiam parvi facit, dum minis, quas illa intentat, graviſſimis, penitùs non terretur. Sanctitatem contemnit, admittendo facinus, quod illa odio proſequitur longè maximo: verbo nullius, quas Deus in ſe continet, innumerabiles, perfectionis æſtimationem habet vel minimam; unde non poteſt non actio illius eſſe planè peſſima, utpote pugnans è diametro cum voluntate divina, juxta certum illud axioma: *Quod optimo contrarium eſt, idem & peſſimum.*

*li. 8. Ethic. c. 10.*

*S. Th. 1. 2. q. 73. ar. 4.*

V. Ex hac ipſa peccati cum voluntate Divina repugnantia, præter, quem diximus, contemptum, naſcitur etiam crudelitas. Peccatum aliqui dicunt eſſe *Annihilationem Dei*: ſi enim fieri poſſet, ut Deus eſſe defineret, peccatum ipſum in nihilum redigeret. Cùm enim abortus iſte fœdiſſimus id agat præcipuè, ut moleſtiam faceſſat Deo, qui ſi ſenſum aliquem moleſtiæ hujus habere poſſet, ſenſus iſte foret infinitus, infinitus autem ſenſus moleſtiæ ſufficeret vel ad ipſum Deum tollendum. *Peccatum mortale talis naturæ eſt, ut ſi poſſibile eſſet, deſtrueret ipſum Deum, eò quòd cauſa eſſet triſtitiæ in Deo, & triſtitiæ eſſet infinita.* Quamquam autem ipſum eſſe Divinum faciat, ne quidquam moleſtiæ adverſique pati à quoquam poſſit: *quem extra ictum Divinitas poſuit*: Peccator tamen vibrat telum, & quantum in ipſo eſt, facit, ut Deum feriat; & ſi vires, feriendi Deum, deficiunt, voluntas tamen feriendi non deeſt. Dixi non deeſſe voluntatem; Peccator ſiquidem, dum legem violat, cuperet vel Deum neſcire eam Legis violationem, vel illam non odiſſe, vel non poſſe vindicare: quod perinde omnino eſt, ac velle, ne Deus ſit, néve Sapientiæ, Juſtitiæ, Potentiæ infinitæ perfectionibus polleat; quod eſt genus perverſitatis non atrocis ſolùm & crudelis, ſed planè execrandæ. *Crudelis planè & omnino execranda malitia*, Melliflui Bernardi ſenſus hic fuit, quæ *Dei Potentiam, Iuſtitiam, Sapientiam perire deſiderat.* Eſſe autem hanc execrabilem peccati indolem, videre licuit manifeſtè, cùm Chriſto acerbos illos cruciatus necémque ſubire placuit; tum enim mortalibus artubus & vitâ aſſumptis, expertus eſt, quæ ſint peccati deſideria, cùm verè hanc mortalem illi vitam eripuerit, erepturum utique etiam immortalem, ſi poſſet. Cæterùm totum illud, cujus quoquo modo capax eſt Deus, malum ipſi infert peccatum lethiferum. Deus ipſe in ſe varietatis omnis, omnis mutationis expers eſt; idem ipſe ſemper & ſui nunquam diſſimilis: mutari tamen poteſt in mente noſtra, quæ re ipſa non tam Dei, quàm noſtra mutatio eſt. Neque etiam deſinere re ipſa unquam Deus poteſt; poteſt tamen quadam mortis ſimilitudine in animis noſtris mori: quæ quidem accidunt toties, quoties Ideas Dei in nobis fingimus tantâ indignas Majeſtate, illique planè difformes: fingimus autem utique tales, quoties creatis illam rebus poſtponimus; atque adeò tum illa mutatur, qua-

*Medin. de Pœnit.*

*Tertull. lib. de Carne Chr. c. 3.*

quadamque ratione moritur; fingimus, quoties debitam ſupremo illi Principi gloriam ſacrilegi rapimus: quoties, inquam, ex ara voluntatis noſtræ illum deturbamus, ut in ea ſtatuamus Idolum voluptatis, ambitioni, avaritiæ, *& plus putant nummum valere quam Deum.* Hoc eſt illud dejicere è ſuo Throno Deum, hoc illud Coronam è capite avellere; Sceptrum manu extorquere; quæ execranda facinora aliàs me, & meliùs quàm me alios Divini verbi nobiliſſimos Præcones, deteſtantes execrantéſque audiſtis. Scimus Deum puriſſimum eſſe Spiritum: adeóque non Thronum ille, non Coronam, non Sceptrum habet; ſed Thronus, Corona, Sceptrum ejus eſt Authoritas illa, quam ut Principum Princeps, & Monarcha ſupremus habet, & ob quam neceſſe eſt, ut creatura ſe omnis coram illo profundiſſimè abjiciat, promptiſſimè obtemperet. Atque hanc Authoritatem tanti ille facit, ut partem ejus vel minimam partiri cum quoquam nolit: *Gloriam meam alteri non dabo.* Habent & Principes noſtri Purpuram, Paludamentum, Sceptrum, Coronam, quæque ſunt alia ſupremæ poteſtatis inſignia; nec tamen hæc ipſi tanti faciunt (ferunt certè his ipſis Scenicos etiam Reges ornari in ludis theatralibus) authoritatem autem poteſtatemque imperandi, his inſignibus, ſignificatam, jusque illud, quo ſubditos populos ad voluntatis ſuæ arbitrium cogere poſſunt, hoc demum ſic æſtimant, ut aliis commune eſſe non velint. Hanc ſupremam poteſtatem authoritatémque eripere Deo conatur Peccator, & quia intimâ illum Divinitate, Excellentiâq; ſpoliare non poteſt, externam illam, à creatis rebus debitam, adimit. *Offendens Deum non qualitercunque, ſed hoſtiliter, ad dejiciendum Deum à ſua Deitate.* Cajet. 2.2.q.34. ar. 2.

VI. Et hæc eſt illa, quam peccatum lethiferum Deo infert, injuria. An illa tantilla vobis videtur, ut æquum non ſit, nos quantum poſſumus conari, ut ſatis pro illa faciamus? *Nunquid parva eſt fornicatio tua?* Ezech. 16 10. Eſtne hæc offenſa, proditio, perduellio ejusmodi, ut rationem illius nullam haberi par ſit? veſtrum hac de re eſto judicium. Satis equidem novi, ne veſtrarum quidem trutinarum lances tam mendaces eſſe, ut ſumma illata Deo injuria, ſummum nefas, nullius in iis ſit ponderis. Et quamquam veſtræ bilances tam immaniter fallerent, non idcirco Divinæ ita fallet ſtatera Juſtitiæ; quæ, etſi amico fœdere juncta Miſericordiæ, pœnam æternam, graviſſimámque, cuivis peccato debitam, brevi & facili mutârit, aliquam tamen omnino exigit ad læſum Dei honorem aliquo modo reparandum & reſtituendum. Sicut in homine facultas Iraſcibilis propugnat quodammodo Concupiſcibilem, (*Iraſcibilis eſt quaſi propugnatrix Concupiſcibilis*) ita & in Deo ejus voluntatem & decreta tuetur Juſtitia, S.Thom. 1.p.q.81. ar.2, in c. intentando minas priùs, quàm ejus ſanctiſſimis imperiis obluctemur, & vindicando ac puniendo, poſtquam illam et audaces neglеximus, quin

ſuum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſuum iſtum morem unquam velit mutare, aut abrogare.

VII. Atque hæc cauſa eſt, ob quám deletâ culpâ totius pœnæ gratiam Deus non facit, ſed vult, ut Peccator ſe ipſum excruciando aliqua ex parte contracta nomina expungat. Nimirum omnia Deus opera molitur digna ſe, digna ſuâ magnitudine; unde non unam ſolam in illis producendis adhibet perfectionem, ſed multas: ſic in re noſtra ignoſcendo culpæ, & pœnam exigendo non ſola ſe prodit Omnipotentia, ſed juncta huic Sapientia; non ſola Miſericordia, ſed hanc temperans Juſtitia. Ille proinde ſpiritus, qui nos ad vindicanda in nobis delicta noſtra impellit, & corda Peccatorum verè dolentium & pœnitentium occupat, eſt quædam Juſtitiæ divinæ participatio, illiúsque odii infiniti, quo Deus in peccatum fertur, &, quas exigit iſte ſpiritus, pœnæ, turbatum rerum ordinem reſtituunt. Summa ordinis perturbatio, quam culpa facit, hæc eſt, quòd peccato voluntas creaturæ attollat ſeſe, & increatam divinámque ſibi ſubjiciat. Perturbationem autem iſtam graviſſimam, corrigit hoc peccata in ſe vindicandi ſtudium, dum facit, ut qui deliquerat, ferat, quæ etſi ipſe Peccator ut ingrata non vult, vult tamen Deus, ut illa Peccator ferat. Non emendaretur autem iſta perturbatio, niſi homo invitus aliquid pateretur: quia ſuperiorem ipſe locum obtineret, divina voluntate non dominante. Illa obtemperandi ſuperba contumacia nullâ demiſſione & abjectione corrigeretur; faſtus ille, quem præ ſe tulit, non deprimeretur, ſolatia, quæ conſectus eſt, nullis aſperis & amaris compenſarentur.

VIII. Hoc ipſo ex capite ſatis non eſt, vindictam hanc & Pœnitentiam internam tantùm eſſe; ſed neceſſe eſt, ut cum animâ corpus quoque, ſeu caro incommodi aliquid & moleſtiæ ferat; cùm non ſola ad legem violandam anima impulſa ſit, ſed partem aliquam, non rarò maximam, caro in ea noxa habuerit: unde par eſt & ipſam luere, in quam voluptatis vitæ non parùm redundavit. Nonnunquam, cùm gemini ejusdem noxæ Rei capite eam luere deberent; nec eſſet tamen, qui lictoris aut carnificis munere fungi vellet, alterutri eorum hoc pacto vitæ gratia facta eſt, ut conſortem ſuâ ipſe manu plecteret & ſupplicium de eo promeritum ſumeret. Sic cogitare licet Deum quoque feciſſe. Anima & Corpus ejusdem criminis, læſæ divinæ Majeſtatis, Rei ſunt. Deus autem, etſi miniſtri promeritæ pœnæ innumeri non deſint, pro ea tamen, quâ in nos eſt, maxima pietate, gratiam delicti animæ facit, eo pacto, ut plurimum mitigatam pœnam, corpori infligat, quod ſocium criminis habuit, ad mortem ipſum quoque condemnatum. Sic anima dum corpus excruciat, quid præſtat? miniſtra eſt Divinæ Juſtitiæ, Deíque irati quodammodo vices obit. *In Peccatorem pœnitentia pronuntians, pro Dei iſi, de indignatione fungitur*: ut loquitur Pater Tertullianus. Anima pœnitens, dum

cordis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cordis Divini ſenſus induit, ſanctóque exardeſcit Zelo reparandi Divini honoris, quem peccatum protervè conculcavit; armatur contra corpus, ad injurias tam indignas ulciſcendas: atque ex hac ſancta ſeveritate naſcitur nobilis illa, atque præſtans pœnitentia, non aliter, quàm teſte Plinio Myrrha præſtantiſſima ex ſpina colligitur. *Indica Myrrha ex ſpina naſcitur.*

IX. Patet igitur ex hactenus dictis, quàm neceſſarium ſit hoc, peccata in ſuomet corpore ulciſcendi, ſtudium, ſi offenſum Deum attendamus: non eſſe autem minùs neceſſarium, ſi offenſorem hominem conſideremus, porro oſtendendum eſt. Dico autem neceſſarium eſſe, ſi ſpectemus præterita, quæ ſunt noxæ admiſſæ; neceſſarium, ſi ad præſentia advertamus, reatum nimirum pœnæ, & pravos habitus peccando contractos; neceſſarium, ſi futura, ſeriam inquam vitæ emendationem, conſideremus. Neceſſariam ergo aſſero vindicativam hanc Pœnitentiam, quia homo deliquit. Quid cauſæ fuiſſe exiſtimamus, quærit S. Joannes Chryſoſtomus, cur primus Legis novæ Præco Joannes Baptiſta tam acriter inveheretur in Phariſæos, ut eos etiam genimina viperarum appellaret? *Progenies viperarum quis vobis demonſtravit fugere à ventura ira?* Non alia hujusce rei cauſa fuit, niſi quòd Phariſæi in animum induxerant, quòd Joannis Baptiſmo abluti expungere poſſent omnia ſua nomina, & modicâ illâ aquâ delere, quidquid noxarum contraxerant. Sed non ſufficiunt paucæ iſtæ guttæ, (intrepida voce clamabat S. Joannes) nec tantilla hæc Jordanis portio ad omnes veſtras ſordes, etiam inveteratas, eluendas; ne porrò divinam adversùs vos vindictam concitent: *Quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira?* Eadem verba iis occini poſſunt è Chriſtianorum numero, qui etſi nunc Baptiſmo longè potentiore, majoriſque virtutis laventur, Pœnitentiæ, inquam, Sacramento, perſuadent tamen ſibi, ubi ſua Sacerdoti peccata enarrârunt, planè ſe ſatis muneri ſuo feciſſe, & tam nullâ ampliùs admiſſorum ſcelerum curâ tanguntur, quàm ſi nunquam illa perpetrâſſent. Non is Sanctorum hominum ſenſus fuit, qui res momentis ſuis longè diligentiùs, quàm nos, librabant. Hi enim, etſi de noxarum indultâ veniâ certi, eas tamen amariſſimis lacrymis deflere non ceſſabant, eo ſolùm capite dura quæq; & aſpera libenter amplexi, quòd ſcirent ſe aliquando peccâſſe. Tria obiter exempla animi noſtri oculis objiciamus, quorum unum è Lege Naturæ, ex Scripta alterum, tertium ex Evangelica petamus, ut ita palàm fiat, nullo non tempore tanquam certum hoc effatum eſſe habitum: debere ulciſci in ſe noxas, quisquis eas admiſiſſe ſe meminit, etiam tum cùm Juſtus eſt, & gratiam admiſſorum ſibi factam novit. Primus Adamus eſt, qui etſi Dei voce & ore intellexiſſet criminis à ſe admiſſi remedium, & veniam impertitam,

toto tamen novem Seculorum, quo ſupervixit, ſpatio divinam perrexit ſibi conciliare Juſtitiam copioſis frontis ſuæ ſudoribus, manuum labore, omniúmque membrorum perpetuis connexisque cruciatibus, non permittendo, ut molliter unquam ac delicatè haberi cuperent. Scripta in Lege Ideam ſanctæ hujus vindictæ nobiliſſimam David Rex ſe nobis exhibet; qui cùm cœcâ libidine impulſus alienum primò thorum violâſſet, mox etiam tegendo turpiſſimo facinori Uriæ cædem imperâſſet, illacrymatus ſuæ dementiæ, Prophetæ ore intellexerat, condonâſſe Deum, quidquid deliquiſſet. Non ceſſavit tamen ille, dum ſupervixit, affligere ſe & cruciare acerbiſſimè, ſic ut etiam cineres tanquam panem manducaret. Sed illuſtrius cæteris in Lege Gratiæ exemplum eſt S. Maria Magdalena; hæc enim de veniâ culparum veritatis æternæ ore certior reddita, tam non deſiit plorare ſuas culpas, ut per octo ampliùs luſtra illa aſſiduis lacrymis, vitæque genere duriſſimo vindicans, longè jam nobilior veræ pœnitentiæ, quàm vanitatis antea & amorum vetitorum Idea evaderet. Prodeant jam, qui aliter agunt, & ex ſanctiſſimis his Pœnitentibus quærant: quid ſibi tanti cruciatus, quid aſſiduæ lacrymæ volunt? quid iſta tam durè, tam inhumaniter corpus ſuum habendi ratio, etiam poſt certam admiſſorum veniam? non aliud omnes reponent & ſinguli, quàm: Peccavimus: & ſi modò nullius porrò culpæ rei ſumus, ſatis eſt nos fuiſſe, ut hunc Dei hoſtem in nobis perſequamur, quem male conſulti olim fovebamus.

X. Et verò illud, tam parùm affligi ob noxas præteritas, illud tam molliter & delicatè corpus ſuum habere poſt Confeſſionem, perinde fere eſt, ac injuriam Deo illatam poſt veniam geminare. *Ecce pejora*, ajebat S. Cyprianus, *adhuc peccandi vulnera, peccâſſe, nec ſatisfacere.* Sponſam cogitemus perfidam, quæ in flagranti deprehenſa, criminis gratiam ſibi factam cognoſcat. Si poſtmodum illa nec obrutu quidem dignatur adulterum, tantum abeſt, ut admittere denuo, ut colloqui velit, enimverò maritus hic ejus ſtudia probat. At ſi è diverſo obſervet, perfidam illam tum non damnare commercium cum adultero, ut potiùs literis, colloquiis, muneribus, velut amicum, etſi occultum, colat, enimverò facere non poteſt, quin ſe bis contemptum ſpeciemque judicet. Ita ſe res noſtræ habent: Anima Dei ſponſa mutuo cum corpore conſenſu, tanquam cum adultero, datam Deo fidem violat: & tamen Deus, tam turpiter & ignominioſe deſertus, ignoſcit perfidæ. *Fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.* Si proinde anima, impudentiam illam & perfidiam ſuam pertœſa tanto in corpus, perfidiæ ſocium, odio exardeſcit, ut nihil jam indulgere illi velit, nec unquam amicum habere, difficile dictu eſt, quàm juſtus hic Zelus Deo probetur: at ubi è diverſo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

verſo anima corpus, à quo ad crimen committendùm inducta eſt, tractare velit, ut priùs, amicè ac benevolè, muneribus, delitiis, omni obſequiorum genere illi blandiri, an non videtur ita ſe gerendo augere peccata ſua, nec agnoſcere infelici cœcitate, quid tandem ſit fidem Deo ſanctè datam fregiſſe, & alium illi procum præhabuiſſe? *De peccatis non dolere, magis Deum iraſci facit, quàm peccare*, ut affirmat S. Joann. Chryſoſtomus.

XI. Jam verò ſi, ubi de obtenâ delictorum veniâ certò conſtat, tanta tamen curâ incumbere nos oportet ad vindicanda ſponte electis ſuppliciis peccata, quid tum nobis, quæſo, agendum eſt, dum ne quidem de hac obtenta ſecuri ſumus? Sancti Auguſtini ſententia fuit, mortalium neminem, quamlibet omnis labis purum, debere tam eſſe præſidentem, ut hinc migret ſine aliquâ pœnitentiâ; cùm vel ipſam Innocentiam illuſtriorem reddat Pœnitentia, haud ſecus ac lacteum floſculorum aliquorum candorem aſperſæ velut ſanguinis guttæ gratiùs faciunt nitere. Quis igitur rerum ordo, quæ facies eſſet futura, ſi non modò, qui vitam procul ab omni crimine ducunt, ſed illi quoque, qui nôrunt plurima ſe peccando nomina contraxiſſe, nec tamen de iis expunctis quoquo modo certi ſunt, hinc in alteram abire vitam vellent, noxis in ſe nullo pœnalium operum rigore vindicatis? Neceſſe profectò eſſet animam, quoties admiſſorum criminum ſubit memoria, ſanctâ quâdam indignatione accendi, haud aliter ac ſuccinum præſente veneno penitùs erubeſcit. Quantò magis igitur illa tota ardeat neceſſe eſt, dum certa de perpetratis delictis, neſcit, an tum recepta à Deo in gratiam fuerit; an ſincerus de admiſſis dolor, an propoſitum quale debebat, & verbo, an obtenta ab irato Deo venia fuerit?

XII. Atque hæc de præterito: non minùs autem rerum, qui nunc eſt, ſtatus ſanctum hoc ſui odium & vindictæ ſtudium poſtulat. Ponamus Deum planè ignoviſſe. Res tamen exigit, ut in corpus noſtrum armemur ad extinguendam dignitatem & jus, quod ajunt, paſſivum ad pœnas; multòque magìs ad extirpandam radicitus pravam propenſionem à peccato relictam. Quamquam enim, quæ dolore perfecto, verâque Confeſſione acquiritur Dei gratia, enecârit, quidquid vivebat peccati, non tamen eâdem operâ etiam partus ac fœtus ejusdem è medio ſublati ſunt. *Mortuus eſt pater, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe:* quo quidem in filio, ſe ſupervicturum ſperat, & genus propagaturum: non alium autem filium dico, quàm genitam illam ex actu pravo aſſuetudinem & propenſionem non meliorem. Sicut autem Patrem, peccatum inquam, Pœnitentiæ Sacramentum enecat, ita totam infelicem execrandi hujus patris progeniem, prolem omnem tollit Pœnitentia, carnem macerans ac crucians; necat enim propenſiones illas, & quidquid germinum ac radicum, ex quibus tam pronum ac facile eſt ipſum denuo repullare, ex pecca- *Eccl. 30.*

cato ſupereſt, ſtirpitus evellit, & eradicat. *Satisfactoriæ pœnæ medentur peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus tollunt*: illius Senatûs dogma eſt, quem Spiritus rexit errare neſcius. Ad nocentiſſimas peccati reliquias tollendas penitùs non ſufficit amicitiam cum Deo reſtauráſſe. Imaginem hujus rei Solis defectus nobis exhibet; nam etſi poſt moram non longam amoto quaſi velo Sol ſereniſſimus iterum fulgeat, non tamen grata illa ac benefica lux aufert, quidquid maligni Eclipſis in terras diffuderat. Sic cùm peccato divini Solis radii impediti animam noſtram non beant, etſi lux optatiſſima, peccato pœnitentiæ ope ſublato, reſplendeat, non ideo funeſtæ Eclipſis effecta mox omnia è medio tolluntur. His ergo auferendis vindictæ ſalubri rigore eſt opus; hic enim ſervit, ut ipſo, velut falce demetatur, quidquid noxium pullulaverat, aut veriùs rupis inſtar eſt aſperæ, ad quam cutis antiqua adhæreat, dum per illam corpus trahitur; nam ſic ſerpentes pellem abſtrahunt veterem, dum per anguſtos & aſperos rupium meatus perreptant. Hoc eſt, quod Regem illum pœnitentem impulit, ut voce tam contenta clamaret: *Ampliùs lava me Domine, & a peccato meo munda me.* Quid petis, quærit S. Joannes Chryſoſtomus, ô egregie Pœnitens? quâ jam lotione eſt opus, dum Prophetico ore certior redditus es de ſordibus jam omnibus planè abſterſis? *Ablatum eſt vulnus, ſed vult & cicatricem extenuare.* Scit Rex Sanctiſſimus culpæ ſibi gratiam eſſe factum, ſed effecta quoque illa, quæ à culpa relicta ſunt, ablata deſiderat: *Ampliùs lava, ampliùs munda.* Non ſatis eſt ipſi glaciem cordis ſui liquefieri, in cryſtallum illud mutari concupiſcit. *Non quæro ſolùm peccata dimitti, plus aliquid quæro, majorem honorem, majorem gloriam.*

Seſſ. 14. c. 8. Trid.

Pſ. 50.

XIII. Denique peccato deleto, ejûsque reliquiis & peſtilentibus fœtibus ſublatis, opus eſt tamen carnis maceratione ac pœnis, ne inpoſterum quis denuo cadat, quod fieri pronum eſt etiam habitu & proclivitate emendatâ. Cùm equus ceſpitavit, calcaribus admonetur, non tam ut negligentia præterita puniatur, quàm ut cautior ille magiſque attentus reddatur, ne ſimili moleſtiâ ſeſſorem afficiat. Nec aliter res ſe nobiſcum haberet, ſi quoties cadere & peccato aſſentiri contigerit, toties ſeverè in corpus animadverteretur, & mulcta exigeretur haud ſanè levis: enimverò quàm cautiſſimi redderemur in poſterum. *Quia non facile homo ad peccata redit*, ut S. Thomas affirmat, *in quo pœnam expertus eſt.* Qui luteâ, lentâ, aut confragoſâ in ſemitâ pronus lapſus eſt, ſi mali aliud ex caſu ſenſit nihil, quàm ut luto tantiſper veſtis aſpergeretur, facilè inducitur, ut viam eandem relegat: at qui crus cadendo fregit, næ is eâdem ſe ſemitâ duci poſt hac non patietur. Atque hæc eſt origo lapſuum toties repetitorum. Promittuntur Confeſſario multa; vix quidquam in rem deducitur: Non ex vano opinor id inde naſci, quia Confeſſarii, juſto compulſi metu, ne, ſi

ſi paulò moleſtiora imperarentur, Pœnitentes ea exequi penitùs ſuperſedeant; gravioribus etiam delictis mulctas ſatis leves decernunt. Pœnitentes verò, modicum illud ac facile perégiſſe contenti, parùm laborant, ut aliquid porro moleſti operis adjungant, ad erigendum aggerem, qui & firmior & altior facilè eludat & ſuſtineat omnem aquarum deinceps irruentium molem, qui, inquam, omnem tentationem vim ac impetum frangat. Peccator ille, qui pro gravi ſatis, quâ ſe exoneravit, delictorum ſarcinâ vectigal aliud pendere non debuit, quàm ut placidè per hortulum ſuum deambulans qrecum coronam Matri Dei texeret, næ is haud ægrè animum inducet, ut quam moleſtiâ & incommodo ſuo non magno detulit, & poſuit ſarcinam, eâdem ſe non diu pòſt iterum oneret. At ſi furta, ſi fœdæ libidines, ſi ſacrilegia & vindictæ de inimicis ſumptæ, hodiéq; plecterentur mulctis, quibus prioribus Eccleſiæ ſeculis plectebantur, non is, qui nunc, flagitiorum torrens Chriſtianorum Provincias inundaret; ſed ſuis eiulus ripis decurreret, & Chriſti cultores experti, quantâ moleſtiâ incommodisque morbis mederi ſuis debuerint, recuperatæ valetudini ſervandæ attentiùs multò, cautiúsque invigilarent. *Omnis curatio, quantò difficiliùs acquiritur, tantò acquiſita cautiùs cuſtoditur.*

XIV. Spectatis his omnibus judicate, quàm illi non rectè ſapiant Peccatores, qui eos ſtudiosè ſectantur Confeſſarios, qui mulctis levibus peccata vindicari jubent? Nihil dicam, quòd, ſi quis modò ſ rdes omnes diligenter non eluit, ignibus poſteà minimè clementibus ſit perpurgandus; quod profectò non expedit; quia *ſuavius eſt purgari fonte, quam igne.* *Guerr. Serm. de Purgat.* Nihil, inquam, de hoc dicam; an vobis perſuadetis, expungi ſic poſſe, quidquid poſt Sacerdotis abſolutionem ſupereſt nominum? funditus extirpari poſſe natas ex peccato propenſiones peſſimas? omnes futuros lapſus efficaci ratione poſſe præpediri? Audite Senatus Tridentini ſententiam. *Ad remiſſionem plenam & integram peccatorum, ſine magnis fletibus noſtris & laboribus, pervenire nequaquam poſſumus.* *Trid. ſeſſ. 14. c. 2.* Et qui Sanctæ hujus Synodi, idem ſemper Eccleſiæ Matris ſenſus fuit, quæ ſi, teporem & frigus noſtram miſerata, benigniùs modò peccantes habet, non idcirco mutavit ſententiam, cùm eodem ſemper Spiritu Magiſtro regatur. Hinc ſacris Canonibus ſeptem ſaltem anni Pœnitentiæ cuivis delicto gravi erant conſtituti; perinde ac loquacula illa Maria, Moyſis Soror, ſeptem ipſos dies à Gentis ſuæ ſubmota conſortio extra tabernacula exigere debuit: eo tamen cum diſcrimine, quòd cùm, poſt acerbiſſimos Chriſti cruciatus, ac mortem, noſtrâ causâ exantlata, jam tantò graviora, quàm veteri in Lege, ſint Chriſtianorum peccata, dies ſeptem totidem in annos ad hæc punienda mutarentur. Cùm autem annos Pœnitentiæ auditis, quid iſtud eſſe putatis? ciborum cogitate abſtinentiam ſeveriſſimam, veſtis modò



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cannabinæ, modò ſetoſæ uſum, nudis pedibus inceſſum; horas plures de die precando exactas, unguentorum odoriferorum exilium, interdictam equo, curruve profectionem, venationem, & ſiqua ſunt alia, honeſta quamvis, animi corporiſque oblectamenta prohibita; quæ plus minúſve erant aſſumenda, prout admiſſæ noxæ, Sacerdotum arbitrio, acerbiores, minúſve acerbas pœnas erant promeritæ. Siquis porrò tam atrocium pœnarum horrore Sacro ſe Judici ſiſtere paulò diutiùs moraretur, ſatis id erat ad hominem Fidelium Cœtu movendum, & tanquam membrum putridum ab Eccleſiæ corpore reſecandum, *Si quis timens pœnitentiam longùm ad Confeſſionem venire noluerit, ab Eccleſia repellendus eſt, donec reſipiſcat.* Tanti illa felicia ſecula pœnitentiam æſtimabant, tantóque tunc, quàm modò, meliùs perfectiùſque agnoſcebatur neceſſitas ſacri hujus rigoris; ſive Deum offenſum, ſive funeſtas peccati reliquias, ſive relabendi pericula ſpectemus. Si hodie paſſim aſpera hæc, & horrida ad cœlum via Peccatoribus non placet, non id inde eſt, quòd planjor jam, & velut præeuntium veſtigiis trita illuc ſit via; non quòd minor operum ejuſmodi carni moleſtorum & perpeſſu aſperorum neceſſitas; ſed inde naſcitur, quòd horribilis peccati deformitas atrocitáſque minùs vulgò perſpecta ſit. *Nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens: quid feci?* Si penetrarent, qui peccârunt, quid ſit voluntatem Divinam ſuæ voluntati poſthabuiſſe: ſui ſibi dominium plenúmque Jus arrogâſſe, perinde ac ſi alius in Mundo ſuperior ipſis non eſſet; procul abjeciſſe & conculcâſſe omnes divinæ gratiæ theſauros, tantis ſudoribus, tanto ſanguine à Dei Filio comparatos; ſi cogitabundus quisque diceret: *Quid feci! quid feci?* Potuíne tam protervè inſanire, ut tam atroci injuriâ Deum meum laceſſerem, tantum damni animæ meæ inferrem pro re tam nullâ? Qui ita ſecum ratiocinaretur, repeto, ut illi arduum non foret amplecti acerbiſſima quævis ſupplicia, quibus tam perverſitas caſtigaretur. Sed quia infelix horum nihil unquam animo volutat, bibit iniquitatem ſicut aquam; duram & intolerabilem æſtimat communem pœnam, quæ ad vindicanda peccata imperatur, & imperantem, ut omnis lenitatis & humanitatis expertem traducit.

XV. Princeps, qui ignavo in otio, & varias inter Aulæ illecebras, eorum, quæ foris aguntur, incurius dies ſuos exigit, nec Regiæ foribus egreditur, niſi cùm ad deambulandum in viridario, aut ſolario aliquo blandiùs arridens Phœbus, & aura leniùs aſpirans invitant, non iraſcitur perduellibus, qui omnem latè Provinciam populantur. At qui otium tam perniciabile exoſus Dux ipſe cum Exercitibus ſuis prodit in aciem, dum ſuiſmet inſpectat oculis hîc fumantes diro incendio pagos, ibi turres ſolo æquatas, alibi oppida diruta, exutas munimentis urbes, nullibi non ſtrages & deprædationes agrorum, prædiorum;

*c. prædicandum 2.2.c.q.3.* *v.Graph. deciſ. aur. l. 1. c. ult.*

*Eod. c. prædicandum.*

*Ier. 8, 6.*

plenas

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

plenas cadaveribus foſſas, flumina ſanguine manantia, infeſta latrociniis & cædibus itinera; omnia terrore, luctu, ejulatibus, & rerum omnium perturbatione horrida; enimverò juſtâ indignatione percitus, non dubitat ad illatas ſibi, ſubditiſque injurias, damna ac perniciem vindicanda, quidquid ad eam diem opum collegerat, expendere, imò nec ultimæ ſanguinis guttæ parcere. *Homo Pœnitens, eſt homo ſibi iraſcens*: ut S. Auguſtinus affirmabat. At vos non exardeſcitis nobili hâc iracundiâ, quia delitiis & commodis veſtris aſſueti, non ſubjicitis mentis oculis ſtrages formidabiles, quas animæ veſtræ intulit deteſtabilis iſta perduellio, quâ humana omnia divináque ſúſque déque verſa ſunt. At ſi nunc hanc, nunc illam, de quibus agimus, ſtragem atque perniciem ſolerter perpenderetis, fieri omnino non poſſet, quin ardentiſſimum in omnium animis excitaretur deſiderium reparandi reſtaurandique, quæ & Dei honor, & pro ſe quisque detrimenta perpeſſus eſt. Sed ego ſurdis cano. *Nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens; quid feci?*

XVI. Non deerunt, qui dicant; ſe, quod de Pœnis, ultróque accitis cruciamentis deſit, Indulgentiis ſupplere. Falluntur autem, qui ita ſe purgant, magno ſuo malo. Indulgentiæ ſiquidem (ſi rectè Angelicus docuit) pœnitentiæ loco ſunt, ut hæc pro contractis nominibus ſatisfacit; non autem quatenus malis animi medetur: & idcirco ad tollendam pravam aſſuetudinem jurandi, execrandi, imprecandi, blaſphemandi, iraſcendi, omni genere libidinis ſe conſpurcandi, haud quaquam ſufficiunt: vincenda eſt aſſuetudo aſſuetudine, prava, laudabili & ſanctâ; oppugnanda eſt delicata vivendi ratio auſteritate, ſalutis incuria precibus, gulæ peccata abſtinentiis, libidines inflictis verberibus, veſtibus ſetoſis, mala alia aliis remediis, quæ ſuâ ſingulis proportione reſpondeant, & his ſerviant ad emendanda, quæ malè geſta ſunt, alios, ne eadem admittant, præſervent. Quis deinde eſt, qui certos vos reddat, de Indulgentiis obtentis, quibus confiſi, negligitis ſanctiorem hanc vos puniendi rationem, quæ tamen eſt tutiſſima naufragorum, quales vos eſtis, tabula? Erit, cùm ex me audieris, fieri non poſſe, ut hæ, quas dicimus, Indulgentiæ deleant debitum ſuſtinendæ pœnæ, niſi priùs vero ſinceróque dolore deletus ſit reatus culpæ. Intellexiſtis autem non ita pridem ex me, ſæpe adiri ſacra Tribunalia, nec tamen ibi deponi venenum malitiæ, ſed neſcio, quam extimam & apparentem ſpeciem vitæ conſceleratæ: haud aliter ac ſerpentes quoque, cùm pellem extimam poſuere, peſtilenti adhuc intus veneno turgent. Utut ſit, ſi graves noxas quis ſeriò execratur, non tamen ad leviores illas & quotidianas ejus ſe dolor & odium porrigit; atque ita multum ſemper luendum ſupereſt, & ſanè rari plenâ potiuntur omnium noxarum veniâ atque Indulgentiâ. Et quamquam vel omnes vel plerique eâ

poti-

potirentur, manet, quem dicebam, perverſus ille rerum ordo, ut molles ac delicati acerbiora omnia remedia faſtidiant, minimè perpendentes, iis, quæ ſola adamant, remediis, haudquaquam ſatis cautum eſſe prioribus delictis non iterandis. Hæc autem cùm ita ſint, meum quæſo conſilium placeat. Non omittite, ſolas propter indulgentias, pœnas ſpontaneas, ſed has illis jungite, ut alii ſolent, quibus animi negotia ſeriò cordi ſunt: ſic enimverò & illo oleo puræ miſerationis, & hoc vino auſteritatis moderatæ, plagas ac cicatrices veſtras perſanabitis, ut nunquam recrudeſcant.

XVII. Verùm quia vel ſolum Pœnitentiæ, ſeu vindictæ, & punitionis de ſe ſponte ſumendæ nomen horrorem incutit iis, qui degunt in ſeculo, qui il-
Num. 13. 33. lam falsò putant eſſe *Terram quæ devorat habitatores ſuos*; poſtquam neceſſariam eſſe abundè demonſtratum eſt, nunc porrò oſtendam, tam arduam difficilémque non eſſe, quàm primâ fronte videatur. Primò igitur Pœnitentia hæc tribus iſtis conflatur, Oratione, Jejunio, Eleemoſynâ, velut unguentum triplici genere rerum odoriferarum. Neque enim alterius nos generis bona poſſidemus, quàm quæ vel Animæ ſunt, vel Corporis, vel quæ appellamus Fortunæ. Eleemoſynâ autem hæc tertii generis bona Deo conſecramus; Jejunio & abſtinentiâ, ea, quæ Corporis; ea denique, quæ Animæ, Oratione. Imò ſimul ſemélque aggredimur genera etiam peccatorum omnia, illáque in ipſa radice mortificamus: Jejunio oppugnamus peccata Carnis; Oratione peccata Spiritûs, Eleemoſynâ verò peccata media, ſeu quæ & de carne aliquid, & de ſpiritu habent, quæ inter principem locum tenet Avaritia. Unde quem corporis habitudo, vel quæ alia cauſa excuſat ab abſtinentia ciborum, ſtipem ille utique egenis largiri poterit, aut ad ægros in noſocomiis inviſere, eos ſolari & erigere. At qui facultatibus deſtituitur miſeros & inopes juvandi, precibus ille de crebriùs attentéque fundendis, Sacris pluribus audiendis, aut, ſi poteſt, procurandis, Sacra Confeſſione, Communione, quot menſibus ſaltem iterandis ſupplebit. Inſuper ſi cui durum nimis & aſperum videtur, carnem atterere verberibus aut ciborum abſtinentiâ, quidni abſtinere illi liceat oblectamentis quibusdam minimè ceteroquin vetitis? quidni ſibi ſibi certos ſaltem ad dies poſſit interdicere? Quidni Choreas non accedere, Ludos Theatrales, nocturna conventicula non frequentare? Non prodire domo animi causâ cum ſocio, cujus jucundum aliàs alloquium, & comitas? Oculis nova & curioſa non delibare; gulam delicatioribus, magisque palato gratis fraudare? Tandem ſi quis adeo eſſet mollis & fractus, ut hæc cuncta plus æquo aſpera putaret, ſit ſaltem animo paratus ad exantlandas omnes moleſtias, quas pati vel invito neceſſe erit, aut in artis ac muneris ſui laboribus, aut loci, quem incolit, incommodi,

modis, aut tempeſtatum anni intemperiis, aut quæcunque demum ſunt aliæ ſtatus ac conditionis, in qua Deus eum collocavit, ærumnæ atque adverſa; hæc cuncta offerendo Divinæ Juſtitiæ tanquam juſtam admiſſorum criminum vindictam, & punitionem. Ajunt duplicis generis myrrham eſſe; alteram, quæ ſponte ex arboribus ſtillet, aliam, quæ variè incidendo elicitur. Sic & pœnæ, de quibus nobis ſermo, duplicis ſunt generis: alias nos ipſi noſtro arbitrio exequimur, alias patimur variis ictibus virgarum, manu amantiſſimi noſtri Patris Cæleſtis, noſtro bono, flagellati. His autem poſterioris generis, etiam ſatisfieri poſſe debitis, quæ apud Divinam Juſtitiam contraximus, certa eſt Tridentinorum Patrum aſſertio, ſi modò, quibus nos Deus onerat, adverſa animo ſubjecto demiſsóque admittamus, toleremus ſine querelis, imò potiùs probando amandóque ejus ſententiam ac decreta, illis latronis boni verbis: *Nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus.* Durus aliquis & inhumanus creditor expungendis nominibus monetæ genus exigit lectiſſimum: humanus alius & tractabilis contentus eſt quolibet, dummodo reddatur, quantum debetur. Deus creditor eſt ſanè quàm mitis ac placidus, & noſtræ miſeræ carnis imbecillitati condolens, acceptat ad delenda nomina, non tantùm quæ ſponte acceſſimus dura & aſpera, ſed etiam quæ aliunde obveniunt, ſinitque, ut ipſam etiam neceſſitatem faciamus occaſionem virtutis. At reipsâ, pro eo quòd contractis nominibus faciamus ſatis, adverſa fortiter & æquo animo tolerando, nova contrahimus ignavâ eorundē intolerantiâ. Si venator feram vulneret, hæc autē vulnerata aliò profugiat, non qui vulneravit, ſed qui profugam cepit, legum decreto eam ſibi vendicat.

*Inſtit. de rer. div. §. illud quæſitum.*

Simile quid in re noſtra perſæpe accidit. Vulnerat Peccatorem aliquem Deus, ut eum lucretur ſibi: at ille tantùm abeſt, ut ſalutari hoc vulnere læſus ad Deum currat, in ejus ſe paterna brachia projiciat, ut longiùs ab ipſo profugiat, queratur, obluctetur, doloris ſenſu tanto, ut dicere Deo non vereatur: *Quid tandem admiſi, tantâ pœnâ dignum?* Quin & in furorem ſubinde actus ſacrilego ore Deo maledicit; unde non jam Deus vulneratam hanc à ſe feram, ſed Dæmon à Deo profugam ſibi vendicat. Et prô! quantum quàmque funeſtum hoc malum eſt? Quare, qui rectè ſapit, ad hoc animum advertat, duobus nos modis, quæ Deus evenire vult, adverſa ferre poſſe. Poſſumus nimirum illa admittere proniſſimâ voluntate ejus Providentiæ decretis acquieſcendo, aut eadem inviti repugnantésq; acceptare. Si repugnamus, ſi obluctamur, nihil illa ad noxas, earúmve reliquias tollendas ſerviunt, ſed qualia ſunt in ſe, talia manent, & rationem ſolam pœnæ pro delictis retinent: neque enim ſatisfacere Deo, & nomina expungere poſſumus eo, quod noſtrum non eſt. At ſi volentes illa ac lubentes accipimus, non jam ſunt mera punitio, ſed ad ſatisfaciendum idonea: ſiquidem



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

arbitrium noſtrum in iis ferendis cum Divino conformantes efficimus, ut adverſa hæc & ærumnæ, evadant velut noſtra ſponte accerſitæ, aut certè, ut tantundem valeant, ac ſic accerſitæ. An non igitur immanis eſt veſania, poſſe facere, ut ærumnæ & adverſa, quæ velimus, nolimus, pati neceſſe eſt, non minùs nomina noſtra deleant, quàm inflicta flagris verbera, quàm catenæ, ſetoſæ veſtes, & captus nudâ humo ſomnus; & tamen ſocordiâ noſtrâ ſinere, ut non niſi pœnarum, invitis illatarum, rationem habeant? Diſcamus, per Deum, efficere, ut plurimum in nos utilitatis ex moleſtiis & incommodis, quæ nos premunt, redundet; efficiemus autem hoc nullo negotio, ſi ut à Dei profecta manibus prompti illa perferamus. Atque hoc ipſo etiam illud conſequemur, ut planè volentes
Pſ.62.2. ac lubentes illa toleremus: *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea?* Aulicus ille, quem non opinantem dentato nivis globulo, feriri contigerit, indignè rem fert: at ubi reſpectans obſervârit non aliâ illum, quàm chari ſui Principis manu vibratum eſſe, demiſsè ferientem manum, poſitâ omni indignatione, exoſculatur, nec jam contemptum ſe jactu illo dolet, ſed favoris pignus accepiſſe gratulatur.

XVIII. Ceterùm ſi neque Pœnarum de ſe ſumendarum neceſſitas, neque prompta illis ſe puniendi facultas, impellere aliquos poſſunt ad id, quod tantopere ipſis commodat, enimverò non habeo porrò, quod dicam; niſi, eos peſſimè ſibi conſuluiſſe, dum peccârunt. Oportebat ſane delicatulos iſtos, qui neque Dei causâ, neque Dei voluntate durum quidpiam & aſperum ferre poſſunt, non iſtis ſe obligare nominibus, quibus tamen modò tenentur. Nunc ſiquidem, quoniam & contracta illa ſunt, & tanto numero atque gravitate contracta, neceſſe eſt illa exolvere. Omnino, repeto, neceſſe eſt exolvere; *Exiſtimas homo, quia tu effugies judicium Dei?* Quid? deliras, ô homo! an ſemper & impunè ita contemptim habebis Deum, nec veniet hora, quâ ablatum illi honorem, ipſis tuis ſuppliciis reddere debeas? Falleris equidem, & falleris immaniter. Tu differis ut homo ignarus, qui, quæ Dei ſunt, capere non poſſis, nec intelligere, quanta ſit Majeſtas à te offenſa, nec quanta tua offendentis nequitia: unde cogitationes tuæ à cogitationibus Dei diſtant longiùs, quàm cœlum à terra. Qui tandem fit, ut cùm paſſim in oculos tuos incurrant horrenda exempla ſeveritatis, quâ Deus peccata vindicat, tu unus tibi perſuadeas, non eam fore ſortem tuam, quam tanto ſuo malo genus hominum univerſum nullo non ævo expertum eſt? Perpende, quæſo, quòd quo momento longè remotam exiſtimas Dei Juſtitiam, illa fortaſſe jamjam tibi immineat, & quamquam tu illam non vides, aſſecutura te tamen ſit, vitæque tibi filum abſciſſura, propterea quòd illâ, ad pœnas de te ſumendas conceſsâ, ignavè abutaris omnis freni ſuperbè impatiens. *Exiſtimas homo, quia tu effugies judicium Dei?* Tum equidem ut homo judicares, ſi te accingeres ad

Pœnas

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pœnas ſumendas; quoniam benigniſſimus Deus permittit, ut ipſe feras ſententiam, ipſe exequaris, ſupplicium minimè atrox ſponte ſubeundo. Ubi verò tu tanto abuſus beneficio, ferre ipſe ſententiam, & pœnas ſumere omiſeris, tum profectò Deus non deerit muneri, & ſummo in te jure utetur. Neque jam cauſa tua civilis erit, ſed criminalis, non inquam ære te redimes, ut poteras te ipſum judicando, ſed ſanguine lues: neque judicium humanum, ſed divinum erit, ſeveriſſimum nimirum, & odio, quo Deus in peccatum fertur, ſuâ proportione reſpondens. Sed & ſententia Divina erit, digna videlicet brachio divino, quod illam exequitur. *Exiſtimas homo, quia tu effugies judicium Dei?* Nihil agis; nulla jam evadendi via. *Appoſuit tibi* *Eccli. 15. 17.* *aquam & ignem; ad quod volueris, porriges manum tuam.* Aut hic plorandum tantillo tempore cum Pœnitentibus, aut ibi ardendum cum damnatis per omnem æternitatem. Quisque quod vult, eligat; ſed attendat, quid agat, quia errori, quem admiſerit, corrigendo nec locus, nec tempus invenietur: *Non eſt correctio errori.*

# DISCURSUS XX.

## *De Jejunio.*

1. SI quem Principem adverſa ſors, & armata vis throno ſuo dejeciſſet, non aliud ille animo volutaret ſæpius, quàm quâ demum ratione redire ad Regnum poſſet. Cogeret ille feſtinatis delectibus è vicinis Provinciis militem; potentiſſimum quemque fœdere ſibi conjungeret; Legatos etiam remota ad Regna mitteret: non horâ quietus unicâ alterutrum tantùm horum cuperet; aut Solium, aut Tumulum. Quid autem cauſæ eſt, cur non mortalium quiſque tantundem velit, & audeat? An non ille naſcendi ſorte Princeps eſt, & ſupremum ei jus in omnia cetera condita à Deo collatum; dignitate verò tantâ peccati ſubinde malignâ vi exutus ac ſpoliatus? Cur igitur non meditatur ille vias ac modos omnes, quibus priſtinum ad gradum enitatur, & omne jus prærogativum perditum recuperet? Eſtne id ita arduum, ut eò aſpirare ſummo cum decore non liceat? Sanctus certè Baſilius id tam difficile non exiſtimavit: quin imò & mali cauſam, & mali remedium inveniſſe ſibi viſus eſt, dum ita ſcripſit: *Quia non jejunavimus, exulamus è Paradiſo: jejunemus, ut revertamur.* *Hom. 1. de Jejun.* Quia Protoplaſtes tranſgreſſus eſt legem de abſtinendo à fru-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctu vetito, nos ejus poſteri cum ipſo, & per ipſum miſeri, exulamus Paradiſo Innocentiæ. Jejunemus igitur, & ſic in patriam revertemur. *Jejunemus, ut revertamur.* Mihi proinde, ducem hunc ſanctum Doctorem ſecuto, propoſitum eſt, vobis hodie demonſtrare; Jejunium ſeu abſtinentiam ritè ſervatam reponere nos loco & gradu, quo in Paradiſo excidimus, dum momento unico nos exutos vidimus Juſtitiâ, quæ Originaria appellatur.

II. Tria igitur ſunt præcipuè, quorum jacturam primi Parentis noſtri edacitate paſſi ſumus. Amiſimus Gratiam perduellione, quâ anima defecit à Deo: amiſimus nobis ipſis dominandi jus perduellione Corporis contra animam: amiſimus immortalitatem ob pugnam illam inteſtinam, quâ humores contrarii, ex quibus conflati ſumus, inter ſe certant, quin eos anima amico inter ſe fœdere denuo componere poſſit. Jam ſi vobis oſtendero, Jejunio triplicis hujus boni jacturam abunde reſtaurari, an non eâdem operâ demonſtravi, eodem nos, priore in gradu amiſſæ juſtitiæ reponi? Initium proinde à jacturarum reſtauratione faciamus, ut ſubinde deſcendamus ad rectum ejus rei uſum, quâ iſtæ reſtaurantur.

II.

Eccli. 6. 16. III. Si, *qui invenit amicum, invenit theſaurum*: quem tandem theſaurum non invenerit, qui Deum Amicum habet? Et tamen Amicum Deum habet, qui animo eſt ab omni noxa gravi puro; cùm ſolùm peccatum invidus ille fur ſit, qui principio totum nobis bonum abſtulit, & qui toties redit ad furta ſua funeſtiſſima repetenda, quoties intra animi noſtri penetralia illum admittimus. Jejunium porrò ſequeſtrum agit ad divinam hanc amicitiam redintegrandam; quod illi negotium tam proſperè ſuccedit, ut partes tum quoque jungat, cùm graviſſimè inter ſe diſſidere videntur. Hâc autem ratione gratiæ jactura reparatur. Illuſtre ejus rei exemplum Ninivitæ exhibent, qui tam facilè Jejunii ope veniam conſecuti ſunt, etſi fidem ſuam antea obligâſſet Deus, quòd urbem poſt quadraginta dierum intervallum certò ſit everſurus. *Prædicaverunt jejunium, &c. & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Præaliis tamen meretur notari modus, quo Jejunium amicitiam hanc reſtaurat. Quid dico, reſtaurat? Imò auget, ſtabilit, & perpetuam reddit. *Jejuna, quia peccâſti,* hortatur S. Joannes Chryſoſtomus: *Jejuna ut non pecces; jejuna ut accipias; jejuna, ut permaneant, quæ accepiſti.*

IV. Primò itaque Jejunium tollit obices hujus Amicitiæ divinæ, qui ſunt duo, Culpa, & Pœna; præparando nos ad gratiam ſanctificantem recipiendam, & ſatisfaciendo debitis, quæ poſt peccatum admiſſum ſuperſunt. *Jejuna, quia peccâſti.* Atque ita Deus nullo honoris & authoritatis ſuæ detrimento pactis hiſce ſubſcribit, cùm quantum divinæ Juſtitiæ debetur, per Jejunium reddatur; id quod ad ami-

Amicitiam inter duos reſtituendam requiritur, ſi illam contigerit antè violari. Et verò hoc ipſum eſt, quod veros Pœnitentes inducit, ut ſe excrucient non iis tantùm, quæ redundant, quæque oblectant, ſubtractis, ſed iis quoque, ſine quibus vita vix ducitur; hâc de causâ deſiderant reddere aliquid, quo prior, Deo non obtemperandi, contumacia compenſetur. Cæli aſpectus corallium induit: ita & Pœnitentes iſti dum parte unâ contemplantur longanimem Dei patientiam, quâ pœnitentiæ tempus indulget, & ſuaviſſimam in reſipiſcentibus denuo admittendis benignitatem: parte verò alterâ conſiderant nomina, quæ temetè cum Divina Juſtitia, juſtam ad indignationem commotâ contraxerunt, pretioſam illam tantique æſtimatam contra ſemet duritiem induunt, beatámque illam ſeveritatem, quá vel ipſi cælo majori in pretio ſunt. *Jejuna, quia peccâſti.*

V. *Jejuna ut non pecces.* Non ſatis eſt Jejunio, ut Arbitri officium in pace inter Deum ac hominem reſtaurandâ impleat. Vult inſuper illam reddere firmiorem, ne tam facilè deinceps rumpatur. Fit autem iſtud, dum anima, abſtinendo, plura & robuſtiora gratiæ auxilia impetrat, quæ Gratiæ ſanctificanti ſint tanquam milites præſidiarii, eam vallo denſiore muniant, omníque ex parte vires addant. *Jejunium*, Doctoris Melliflui verba ſunt, *non ſolùm delet peccata præterita, quæ commiſimus, ſed & repellit futura, quæ committere poteramus.* *Aquila*, ſi Plinio fides, *albeſcit inediâ.* Pl. l. 10. c. 5. Sic & animæ candor, quo illam illuſtrem reddit vel Innocentia, vel Pœnitentia, magnam partem debetur Jejunio, quod hunc ipſi ſplendorem & conciliat, & conſervat. *Jejuna, quia peccâſti; jejuna, ut non pecces.*

VI. *Jejuna, ut accipias.* Majora adhuc ſunt Jejunii munera: ad amicitiam enim Deum inter, hominémque initam magìs firmandam anima magis ornatur, divinisque oculis gratior redditur, quàm ante contractam culpam fuerat. Argento multum lucis ac ſplendoris pumex addit, quo non obiter atteritur. Arte non diſſimili nos perficit, animæque ſplendorem conciliat Jejunium, dum regidè nos tractando recta cumulat promerita, quibus utique illuſtriores reddimur.

VII. Tandem *Jejuna ut permaneant, quæ accepiſti.* Parùm eſt Jejunio tantis nos donis ornâſſe; iisdem etiam ſervandis invigilat. Plantæ odoriferæ, pingue in ſolum translatæ odoris ſui ſuavitatem non diu retinent. Ita, qui corporis ſui curam ventris ingluviei credit, à qua delicatis, multíſque cibis ſaginetur, non diu ea poſſidebit bona, quibus illum Pœnitentia per jejunium ditavit. Pingui & uliginoſo in ſolo malè eſt virtuti: libentiùs in eo moratur juratus virtutis hoſtis Dæmon, de quo illud Jobi in libro legimus. *Sub* c. 40. 16. *umbra dormit, in ſecreto calami, & in locis humentibus.*

VIII. Quid multis? tanta virtus, tanta jejunii excellentia eſt, ut non inſtauret tantùm, augeat, firmet, perpetuam reddat contractam cum Deo amicitiam, ſed hominem etiam ad gradum amici intimi, Deóque in paucis chari promoveat. Adamum videbimus poſt eſum pomi vetiti, ſeu, quod idem eſt, poſt Jejunii legem violatam,
Gen. 3. 8. divinis ſe oculis ſubducere: *abſcondit ſe à facie Domini.* Moyſes è diverſo poſt Jejunium divino ſe conſpectui ſiſtit, quin & divini vultûs aſpectu
Exod. 33. 13. frui petit. *Si inveni gratiam in conſpectu tuo; oſtende mihi faciem tuam.* Quin nubis inſtar, divini Solis radiis undique colluſtratæ, tantum à ſe fulgoris diffundit, ut Populus bene paſtus ejus ne aſpectum quidem ferre poſſet. *Ne ipſum quidem Moyſen Deo paſtum, conſtanter contemplari valeret pinguior Populus*; pridem in rem noſtram ſcripſit Tertullianus. Primi, qui Stellas explorarent, motuum diverſitatem intelligerent, inter ſe diſtantiam metirentur, vim earum, virtutémque veſtigarent, Ægypti incolæ fuerunt. Excitavit nimirum eos ad laudatum hoc Aſtronomiæ ſtudium ſudum ferè ſemper, ſerenúmque iis in plagis cælum, quo fiebat, ut quoties liberet, contemplari ſidera poſſent. Audio nonnunquam ex vobis: Non eâ vos pollere facultate, ut cæleſtibus contemplandis vos poſſitis impendere, neque benefica illa gratiæ munera, quæ identidem è cælo in animas noſtras depluunt, quæque, ſi per nos non ſtaret, depluerent, hebeti veſtra acie poſſe diſpicere. Nec ad credendum ſum difficilis. Quomodo enim Cælum contemplari poſſit, quemiter & aſtra, tot exhalantur nebulæ, tot denſantur nubes, tot vapores craſſi aſcendunt, quàm multis ventris ingluvies mentem veſtram identidem offuſcat? *Iejunium mentem ſuſtentat*, ut S. Auguſtinus aſſerit. Mirum magis eſt, cum etiam Fidei jacturam non facere, qui id unum videtur habere propoſitum, ut carnem ſuam paſcat, delicatè nutriat, nihil non ei indulgeat. Qui ejusmodi ſunt, iis paulatim ipſis tenebris excœcantur, ut eorum Deus venter ſit: & tota anima in palato habitet. *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo* muſſitabant Judæi, Manna cœleſti toties ſubminiſtrato ſaturi; quibus verbis, nauſeam adſcribebant non ſenſui guſtûs, ſed ipſi animæ, quæ in ipſis non ad aliud vivere videbatur, quàm ut eos oblectaret, quæque & ipſa, jam belluina reddita, bona illis majora non repræſentabat, quàm ollas, quàm cacabos, & carnes vario jure & condimentis Ægyptiacos ad focos opiparè præparatas. Si Sanctos attenditis, quâ illi ratione aptos ſeſe, rebus divinis cognoſcendis, reddere ſtuduerint, videbitis inediam eorum fuiſſe propè perpetuam, & cùm lautiſſimè pranderent, minùs eos ſibi indulſiſſe, quàm nos, cùm jejunamus: adeò ut ipſis grave admodum, ac moleſtum fieret, cibo vitam producere, panémque ſuum amaris priùs lacrymis humectarent, quàm eo veſcerentur. *Antequam comedam*

*dam ſuſpiro, & tanquam inundantes aquæ ſic rugitus mei.*

IX. Nunc, ut in ſemitam redeamus; an non ſatis demonſtratum eſt, quanta Jejunii virtus ſit, ad primam divinæ Gratiæ & amicitiæ jacturam reſarciendam? nunc porrò non minùs illud potens eſſe ad alteram jacturam reparandam oſtendendum eſt: hanc autem diximus eſſe jacturam pleni illius in nos ipſos juris ac dominii, quod evertit ac ſuſtulit carnis adversùs ſpiritum rebellio. Hanc in rem ita loquitur S. Auguſtinus. *jejunium propriam carnem ſpiritui ſubjicit*: quod, ut quàm verè dictum ſit, cognoſcatis, advertite recuperationem amiſſi hujus dominii ac juris, ad duo illa notiſſima capita reduci: *ſuſtine & abſtine*; ut nimirum corpus noſtrum illa ferat, ſine quibus ex virtute non vivitur; & ab illis ſe abſtineat, quæcunque cum virtute pugnant. Utrumque autem bonum Jejunio facilè conſequimur. Nam ad ferendum quod attinet, ſeu ſuſtinendum, qui nimio cibo utuntur, onerariarum inſtar navium ſunt, quæ ob ingentia, quæ vehunt onera, ad pugnam ineptæ ſunt: cùm è diverſo Jejunio addicti navium ſint inſtar bellicarum, quæ præter arma & armatos vehunt nihil, & idcirco omni vento facilè circumaguntur; & ſi quacunque ex parte has quis conſideraverit, arcem referunt egregiè munitam, referunt etiam mobilem atque verſatilem, quæ fertur, quocunque res poſtulat. *Hoc genus Dæmoniorum*, Chriſtus ajebat, *non ejicitur niſi in oratione & jejunio*, Laborant hîc non parùm interpretes, ut cauſam inveniant, ob quam, præter Orationem, Jejunio potiùs opus ſit, quàm quolibet alio piarum actionum genere. Sed S. Thomas profundam, ſuôque dignam ingenio invenit. Quantò, inquit ille, anima magìs versùs Deum attollitur; tantò illa Dæmonibus fit terribilior. Hoc autem attolli ad Deum plurimùm impeditur carnis nimis abundanter paſtæ pondere, juxta illud: *Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra crapulâ & ebrietate.* Ut proinde enitatur ad Deum anima, Jejunio opus eſt, quod ſolum leviorem reddere carnem poteſt. Hâc ratione, ejus ope, anima hoſtibus formidabilis evadit, cùm contra eos pugnet robore, viribus ſuis conſuetis ſuperiore, cóſque in pudendam fugam conjiciat, illo ipſo tempore, quo, ob eluſos feliciter, quamlibet potentes exorciſmos, ſuperbiâ efferebantur: *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, niſi in Oratione & Jejuno.*

*Cajet. in hunc locum.*

*in Matt. 17.*

*Luc. 21. 34.*

X. Neque hoc ſolùm ita eſt, ſed etiam Oratio, ejusmodi in eventibus ad vincendum neceſſaria, mirum quantum virium à Jejunio mutuetur. *Bona eſt Oratio cum Jejunio*; Seni Tobiæ affirmavit Angelus. Ad expugnandam arcem opere & ſitu firmam, non eſt ſatis aggeres erigere, & murales in iis machinas locare: neceſſe inſuper eſt has machinas corbibus terrâ oppletis tegere: id enim ni fiat, priusquam muro everſo viam aggreſſuris aperiant, oppugnatæ arcis tormentis aut altiore loco detrudentur, aut obrutato adverſis pilis o-

re

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

re reddentur inutiles. Quid igitur cauſæ eſt, cur vos toties conqueramini, Orationes veſtras nihil efficere; clamare vos, nec tamen eſſe, qui reſpondeat; petere, nec tamen eſſe, qui donet; pulſare, & prodire neminem qui aperiat? quid attinet dicere Cælum ad veſtros gemitus rigere, velut ære fuſum? veſtræ machinæ muros non evertunt, quia corbibus abſtinentiæ illas non vallatis; unde hoſtes veſtri, ictus omnes eludunt, vóſque ipſi animo abjecti, nec porrò in rem præſentem intenti, tandem oppugnationem, tanquam nihil profecturam, omittitis. Cur tam facile fuit Danieli interficere Draconem, cui divinos honores tota Babylon deferebat? non aliâ de cauſâ adeò feliciter res ceſſit, quàm quia ſuperbum ille priùs Idolum dejecerat, infra quod ſe Draco ab-
Dan. 14. 27. ſcondebat. *Bel deſtruxit, & Draconem interfecit.* Eâdem arte viri Sancti uſi ſunt, & idcirco tam facili ipſi quoque negotio de hoſte ſtygio triumphârunt: aggreſſi primò ſunt Idolum, hoc eſt Corpus ſuum, ſub quo ſemper hoſtis ſtygius latitare, ſéque oppugnatu difficilem reddere conſuevit. Verùm nos, qui tam ignavi ſumus, aut timidi, ut ne ictu quidem unico Idolum hoc adoriri audeamus, ne carni noſtræ malè ſit, mirum profectò deinde non eſt, ſi tam non vinclmus Dæmonem, ut potiùs crudeli ejus ſub tyrannide lugubriter cogamur ingemiſcere. Et verò eâdem nobis ille verſutiâ imponit, quâ Draco Elephantem circumvenit: expectat enim, dum hic multâ eſcâ ſit gravis, & tum illum adoritur ac ſternit. Tentatio, quæ hominem Jejunio obarmatum oppugnat, inermis ipſa & enervis eſt. *Tentatio inermis & inefficax*; ſiquidem qui tunc pugnam ciere parat Dæmon, ſimul mox atque jejunos aſpexerit, proſternitur, aut animo cadit. *Jejunantibus nobis, Diabolus eſurit, qui noſtris ſemper ſatiatur ex culpis,* ut S. Petrus Chryſologus loquitur. Hinc etiam, ſi rectè S. Baſilius ſenſit: *Primum illud præceptum accepit Adam, ne de ligno ſcientiæ boni & mali ederet: Hoc autem Jejunii & abſtinentiæ lex eſt.* Prima è diverſa tentatio, ad hominem beatâ ſuâ ſorte dejiciendum, illa fuit, quâ ad hanc abſtinentiæ legem violandam impulſus eſt. Videmus proinde, ſi peſſimè oculati non ſumus, quàm potens nobis tuendis telum ſit Jejunium, & quàm Inferno formidatum.

XI. Obſcurum hinc porrò non eſt, quantum virium nobis Jejunium conferat ad ferenda omnia, quæcunque in arduo virtutis ſtudio & exercitatione nos premunt. Multò autem apertius eſt, quantam illud virtutem nobis tribuat ad abſtinendum omnibus, quæ nocitura ſunt: facile enim eſt animæ, ejus ope reſumere frenum, quod Appetitus, tanquam equus freni impatiens, manibus excuſſerat. Quid eſt caro noſtra Jejunio non caſtigata? Piſcis eſt nativis ſuis undis innatans: at attrita Jejunio, piſcis eſt in littoris arenis deſtitutus. Immanis ille piſcis, qui ſuo in elemento, & Tigri flumine, Tobiam, tanquam devoraturus, terruit, ubi primùm ſiccum in littus protractus eſt, palpitare

mox

mox ipſe cœpit. *Ecce piſcis immanis exivit ad devorandum eum; attraxit eum in ſiccum, & palpitare cœpit ante pedes ejus.* Perperam proinde de inteſtinis ad vitia incentivis exaggerando querimur, cùm tam non ſit arduum illis reſiſtere, & ſuperare: ſuperantur autem, ſi carnem ex delitiis & oblectamentis ſuperfluis foras protrahimus, & in ſicco abſtinentiæ littore collocamus: hic enim, poſitâ audaciâ, palpitabit ſcilicet, & abjectis armis pacem ſupplex petet. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Plerumque mortalium iniquitas nimiâ hâc ex pinguedine naſcitur, dum tantum animi illis non eſt, ut negent & ſubtrahant carni, ad quod ipſa anhelat; etſi ſervi inſtar immorigeri, quò nutritur curioſiùs & delicatiùs, tantò recalcitret inſolentiùs. *Qui delicatè à pueritia nutrit ſervum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem.* Quamquam autem ſervum hunc Dominus contumacem tunc & reſtitantem non experiatur, dum ei blanditur, ſentiet tamen poſtea, cùm occaſio ſe dederit: quando vel Legi divinæ obtemperandum fuerit, vel deſideria ſenſuum & cupiditatis mortificanda; tum enimverò caro volet, ut calcatâ Dei Lege ſui ratio habeatur, & falconis inſtar minimè famelici, ſurda erit ad vocem dominæ Rationis. *Incraſſatus, impinguatus, dilitatus dereliquit Deum factorem ſuum.* Docet idcirco S. Thomas non unius generis eſſe Jejunium: ſed aliud eſſe *jejunium jejuni*, aliud *jejunium jejunantis.* Illud, quod eſt abſtinentia cujuslibet non manducantis, quamdiu aliud non eſt, quàm ſola cibi negatio, ad nullum finem ab abſtinente ordinata, neque virtutis, neque vitii nomine venit. At è diverſo *Jejunium jejunantis* ſeu abſtinentia voluntaria, quâ quis eſcam ventri ſubtrahit honeſto fine impulſus, actus eſt, eodem Angelico teſte, tam non arbitrarius, ut naturæ etiam ipſiusmet præcepto nobis imperetur: id quod tum præcipuè uſuvenit, quando ejusmodi abſtinentia medium eſt ad impediendum peccatum, ad domandas rebelles rationi cupiditates, & ad mentem, à rerum caducarum ſordibus avulſam, cæleſtibus contemplandis idoneam efficiendam. Et quia mortalium vix ullus, ſi tamen ullus eſt, qui medio ejusmodi opus non habeat: *in multis enim offendimus omnes*, idcirco, ejusdem S. Doctoris ſententiâ, par erat ab Eccleſia certos quosdam dies Jejunio ſacrari, quibus omnes ejus filii eo uterentur. Verba ejus ſunt. *Jejunium in communi cadit ſub præcepto legis naturæ*, & ſolùm *determinatio temporis, &c. cadit ſub præcepto Juris poſitivi.*

XII. Quod igitur hac in re Animo cum Corpore bellum eſt, juſtum ſanè eſt, & immeritò iſtud conqueritur, ſi Animus hac ratione vim vi repellat. *Licet vim vi repellere.* Dum vicini domus incendio conflagrat, licet per Leges eam penitus ſubruere, ne latiùs ſerpens ſonticus ignis meas quoque ædes corripiat. Quidni igitur & animo liceat Corpus abſtinentiâ cibo-

rum inflictis verberibus, & ſimili pœnalitatum genere affligere, dum iſtud obſcœnis cupiditatum vetitarum ignibus totum exardeſcit, & jamjam in animum ipſum nocentiſſimas flammas propagat, quas tam ipſum per ſe extinguere non poteſt, ut nutriat potiùs & dilatet? Incolit quidem Animus corpus iſtud velut domum, non nego: ſed quàm ſtultum foret, ſiquis incendio abſumi ipſe mallet, quàm tectum ædium ſuarum dejicere, licèt hoc dejecto ſalvus ipſe & incolumis evadere poſſet? Si quis reponat; ſe abſque valetudinis incommodo, & magnâ ſtomachi moleſtiâ jejunare non poſſe, huic Magnus reſpondebit Gregorius: *Multò melius ſtomachum dolere, quàm mentem, & greſſus vacillare, quàm pudicitiam.* Imò præſtat valetudinem atteri; hoc enim eſt hoſti auxiliares copias tollere; eſt fame expugnare Munimentum ſuperbè contumax, quod armis plùs ſatis inſtructum, non tantùm non ſe dedit de deditione appellatum, ſed ne aſſultibus quidem cedit. *Humiliabam in jejunio animam meam.* Quoquo modo autem res ſe habeant, ſi Tertullianus rectè ſenſit, nunquam erit invenire impuram libidinem junctam Jejunio; aut ſi jungantur, Monſtrum id erit monſtrorum haud ſanè minimum, tam non diverſæ ſolùm, ſed contrariæ partes ſunt, quibus conſtitueretur. *Monſtrum haberetur libido ſine gula.* Quod plerumque contingere ſolet, id Apoſtolus indicavit, quando primam Jejunio ſociam caſtitatem dedit: *in Jejuniis, in Caſtitate, in ſcientia, in ſuavitate.* *Sine Cerere* enim *& Baccho*, juxta celebre illud D. Hieronymi effatum, *friget Venus*, hoc eſt, ut ait S. Thomas: *Per abſtinentiam cibi & potûs tepeſcit luxuria.*

*Pſ.* 34. 16.

2. *Cor.* 6. 5.

XIII. Satis, hactenus aſſerta, oſtendunt, quantum vitium animo per Jejunium accedat, & quâ ratione amiſſum carnis rebellione dominatum recuperet, cogendo ipſam, ut ferat omnia, quæcunque in virtutum uſu occurrunt dura & aſpera, & ab omnibus ſe abſtineat, quæ ipſi grata & ſuavia, ad vitia trahunt. Supereſt, ut oſtendam, etiam immortalitatis, ſeu vitæ perpetuò prorogandæ amiſſum in Paradiſo prærogativum Jus, eodem met Jejunio nobis reſtitui. Ad hoc porrò quod ſpectat, fateor equidem, nos Jejunii beneficio perpetuâ hujus vitæ uſurâ non fruituros; neq; verò id quiſquam ſapiens optaverit; cùm id non eſſet aliud, quàm quas hîc patimur, calamitates & miſerias facere ſempiternas; meretur tamen nobis vitam in Cælo, nullo ſeculorum decurſu finiendam; hanc autem præſentem eò uſque ſaltem producit, ut ſatis fermè temporis ſuppetat ad magnam promeritorum meſſem colligendam; quæ profectò ſunt unicum illud bonum, cujus obtinendi gratiâ longiora vitæ ſpatia prudenter deſiderentur. *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam:* quæ quidem Spiritus Sancti verba obſcura non ſunt. Multos omnino mortalium annonæ caritas enecat: major tamen eſt ſtrages, quam gula edit; cujus maleficio fit, ut

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ut quæ alendis nobis condita ſunt, venenum evadant nocentiſſimum; ſic ut jam non alium ferè hoſtem magis timere, & cavere oporteat, quàm cibum & eſcam nimiam. *Eòque mores ventre, ut homo maximè cibo pereat.* Neque jam certior prorogandæ vitæ ratio eſt, quàm moderatus alimentorum uſus, etiam Deo teſte: *qui abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Et verò res ipſa loquitur, Religioſis in Cœtibus, in quibus majus ſobrietatis, mortificationis, & abſtinentiæ ſtudium viget, plures numerari ſenes, eorum ferè expertes incommodorum, quæ alios, nimio cibo potúve uſos, plurima fatigant: ut ita, quæ tanto delicatulis noſtris horrori eſt, auſteritas, vitæ longiùs proferendæ ſerviat, ſicut argento, longiora in fila ducendo, ſervit anguſtia foraminis, per quod traducitur.

II.

XIV. Verùm jam diu adverto, prurire vobis linguam ad repugnandum hactenus aſſertis, méque mendacii arguendum, aut certè ſiquando hæc, quæ enarravi, prodigia Jejunii ope olim perpetrata ſunt, mutatâ hodie rerum facie, nihil ſimile ſpectari affirmatis. Nam & quædam feſtorum pervigilia, & certi quovis trimeſtri dies, & longum illud quadraginta dierum ſpatium quotannis à Jejunis exiguntur; nec tamen repetita toties abſtinentia quidquam eorum, quæ magnificè in ſpeciem jactata ſunt, efficit; non cum Deo amicitia reſtauratur, non mittitur ſub jugum rebellis Caro, non æternos annos vivimus. Non præter expectationem hæc reponitis; volebam & ipſe talia audire, ut opportuniùs vos errorem dedocerem. Haud equidem quodvis ea, quæ dixi, Jejunium efficit, ſed certum tantùm aliquod, & vulgari multò præſtantius. *Numquid tale eſt Jejunium, quod elegi?* Pſ. 58. 9. Non ergo quodlibet Deo probatum eſt Jejunium; illud tantùm placet, quod eſt conforme Prophetæ verbis, cujus ore Jejunium à Deo imperatum eſt: *Sanctificate*, inquit, *Jejunium.* Quænam autem eſt Sanctificatio iſta, quæ velut anima ſit Jejunii, ſine ipſa emortui atque exanimis? Tria ſunt, quibus ipſa abſolvitur, ſi S. Thomam 2.2.q. 81. audimus, quæque omnem Sanctita- ar. 8. tem conſtituunt, atque perficiunt: ſunt autem hæc: eſſe immune & purum à malo; eſſe conſtans in bono; & ad divinum honorem atque obſequium eſſe deſtinatum: hæc uſum & exercitationem Jejunii informant, quam alterâ hac Diſcurſûs parte docere conſtitueram.

XV. Ut ergo ſanctum ſit Jejunium, purum à malo eſſe oportet, ſeu, quod idem eſt, ab eo ſuſceptum, quem Gratia Dei amicum conſtituat. Si thus ſordibus conſpurcatum fuerit, non recreat ſuavi odore, ſed ingrato fœtore offendit. Et gratum Deo ſit illud jejunantium aliquorum Sacrificium atque oblatio, quam peccatum præcedit, comitatur & ſequitur? Neque ſanè nulli ſunt, quorum abſtinentiam noxa præcedat. Quâ enim, quæſo, ratione non pauci ad longius illud Quadrageſimæ Jejunium ſe ac-

cingunt? Præcedunt Saturnalia, eâ vitæ licentiâ tranſacta, ut omnis reliqua vita ad contractas eo tempore ſordes eluendas non ſufficiat. Hæc cùm S. Baſilii animum ſubirent, facere non poterat, quin exclamaret:
Hom. 1. de Jejun. *Non eſt per temulentiam aditus ad Jejunium, quemadmodum nec ad juſtitiam iter eſt per fraudationem. Ebrietas ad laſciviam inducit, ad Jejunium frugalitas.* Hoc, ut alibi idem S. Doctor aſſerit, perinde foret, ac priuſquam domum duceretur ſponſa, conclavia omnia concubinis implere, infami earum miniſterio venientem excipere, & habitationem eidem præparare. En cauſam, ob quam maxima illa Jejunii commoda multi non experiuntur: haud ſecus enim, ac pridie ſumendi pharmaci ventrem cibis potúque farcire, ſalubria omnia medicinæ effecta impedit, nec ſanitati, quæ quærebatur, reſtituendæ, locum facit; ita tot peccata quadraginta dierum abſtinentiæ præmittere, facit, ne quid in nos redundet utilitatis ex Jejunio à
Eccl. 34. 28. Deo imperato. *Unus ædificans, & unus deſtruens, quid prodeſt illis, niſi labor?*

XVI. Id quod tum maximè verum eſt, cùm quod præceſſit abſtinentiam peccatum, eidem individuus comes adhæret. Et tamen ferme, qui tanto peccatorum cumulo graves, initium Quadrageſimæ faciunt, eandem ſarcinam toto illo tempore non ponunt, ſed Paſchales expectant ferias, quibus ſe tandem per Confeſſionem exonerent, quam par erat toti Jejunio præmittere. Hoc eſt irrito labore multa congerere in ſaccum pertuſum: *Qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum*: cui tandem bono? Non deſunt tamen, qui hujuſce ſortis Jejunio tam ſibi divites videantur, ut ejus pretio Cœlum & Beatitatem ſempiternam ſe empturos ſperent. Non ego, inquiunt, tam omnis in Deum pietatis exors ſum, quàm nonnulli me fingunt, & alii venditant: multa religioſi animi indicia præbeo: jejuno Sabbatis, diebus Mercurii carnes non attingo; pridie feſtorum Matris Virginis, quibus id Eccleſia non jubet, gulam meam gratioribus cibis fraudo. Bene iſta: interim tamen huic ipſi veſtræ carni permittitis, quæ certâ Dei lege cunctis diebus ſunt vetita. Carnes non comeditis, nec tamen à fœdis carnis oblectamentis vel ſemel vos abſtinetis. Si uno ſolo ex indicio de ægro aliquo ferendum eſſet judicium, nullius res tam malo deſperatóque eſſent loco, ut bonam illi valetudinem non liceret augurari; vix enim unquam tot quiſpiam ſymptomatis laborat, ut unum aliquod favens indicium non ſuperſit. Sed deliraret Medicus, qui pronuntiaret de morbo, hoc ſolo conſiderato, ceteris infelicibus inſuper habitis: magìs autem inſanit Peccator, qui ad modicum illud apparens bonum, quod jejunando facit, attendens, tot noxarum, quæ abſtinentiam hanc comitantur, nullâ ratione habitâ, certam ſibi ſalutem non dubitat polliceri. *Incaſſum per abſtinentiam corpus atteritur*, reclamat magnus Gregorius, *ſi inordinatis motibus*

P. SEGNERI
Homo Christian

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*tibus dimiſſa mens vitiis diſſipatur.* Si ſubinde Abſtemii iſti Judicem Deum interrogare non verebuntur: *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti?* Audient mox idem reponentem, quod alii ejusdem furfuris Iſaiæ ore audierunt: *In die Jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra.* In ipſis Jejunii veſtri viſceribus venenum latet, quod illud inficit; voluntas nimirum veſtra ſcelerata, contumax, & adverſùs ſupremi Numinis voluntatem perduellis. Quod tale eſt Jejunium, vel nomine Jejunii indignum eſt: haud aliter ac embryo hominis, homo non dicitur. *Non dicitur homo, qui in utero exiſtens non habet completas partes hominis.* Quomodo igitur hoc monſtrum potiùs, quàm embryo Jejunii, Jejunii nomine veniat, cùm ne externam quidem Jejunii à Deo imperati ſpeciem præ ſe ferat?

XVII. Huic prævio, & comitanti Jejunium malo accedit & illud, quod ipſum ſequitur. Vix ſiquidem deſtinati abſtinentiæ dies abierunt, cùm in omnem ſe denuo licentiam multi effundunt, ſéque plùs quàm antea ingurgitant, perinde ac ſi multa commendatione digna ſit exinanitio, quæ non ad aliud ſervit, quàm ad lautiora & pinguiora prandia, aut cœnas abliguriendas. *Non laudatur in illo Jejunium, qui ad luxurioſam cœnam ſervat ventrem ſuum* (S. Auguſtini verba ſunt) *hoc enim eſt mutare voluptatem carnalem, non amputare.* Mahometi aſſeclis triginta, quot annis, dies inediâ transfigere ſolenne eſt, ſic ut ab aurora ad veſperum cibi admittant nihil. Verùm ubi primùm ſtellarum lux affulgere cœpit, tum enimverò non manducare tantùm, ſed quantum venter capit, ingerere, noctémque adeò totam in læto plurium conſortio tranſigere fas eſt. Tale ſi alicujus veſtrûm futurum eſſet Jejunium, longè illud ſobrio prandio carni gratius accideret; tam enim illo non attereretur, aut maceraretur, ut ſibi potiùs de tam pingui, poſt brevem abſtinentiam, saginâ gratularetur.

XVIII. *Sanctificate Jejunium.* Primò igitur purganda ſunt, & mundanda à malo noſtra Jejunia, ut Sancta ſint; ſubinde autem in bono firmanda. Non alio facilè indicio meliùs dignoſcitur virtus ſtabilis ac ſolida, quàm ſiquis ejus actiones alacritate & hilaritate pari efficiat. De illorum proinde Jejunio quid ſentiendum eſt, qui ſemper metuunt (ut paulò antè dicta ſatis probant) nequid ipſis moleſtiæ Jejunium faceſſat? Cras, inquiunt, imperatur abſtinentia: hodie igitur pluſculum cibi ſumendum, ne cras Jejunio ferendo pares non ſimus. Heri jejunatum eſt: hodie ergo vires amiſſæ reſtaurandæ. Enimverò juraret quis, obſidionem diuturnam eorum ventri imminere (etſi una tantùm abſtinentiæ diecula præ foribus ſit) adeò, ut S. Joannes Chryſoſtomus obſervavit, *Hom. 15. ad pop. Antioch.* ſoliciti ſunt, ut quod ſatis eſt annonæ intro vehant: ubi verò exacta eſt jejunando dies, velut ſolutâ obſidio-

ne, ad merendas, convivia & crapulas feſtinant. Toto verò, quo jejunandum eſt, tempore, non aliud crebriùs ex iis audire eſt, quàm querelas & lamenta. Dolent, tam longam eſſe Quadrageſimam, dies numerant & propè momenta, & pauculæ hebdomadæ tantùm non æternitas ipſis videntur, cujus nullus ſit finis. Ejuſmodi Jejunia Urſorum dixeris, non
*l. 87. animal. c. 7.* Chriſtianorum. Aſſerit Ariſtoteles Urſum hyemis initio quadraginta omnino diebus omni ſe eſcâ abſtinere. Toto tamen eo tempore latet, & triſti murmure ſpecum implet. Et placeant Deo Jejunia iſta coacta? Nunquam illi arriſerunt victimæ adhibitâ
*Matth. 16. 17.* vi ad aras raptatæ. *Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava:* hortatur Chriſtus: an aliâ de causâ, quàm ut exterior illa mundities & hilaritas ſit argumentum ſuâ voluntate, & libenter, non neceſſitate & coactione jejunantis? Hæc deinde promptitudo, hæc hilaritas, facient, ne quis ſectetur opiniones Doctorum, Eccleſiaſticæ Legis fines ſatis dilatantium, ne dicam occaſionem
*Boter. l. 2. dier. memor.* eos tranſiliendi præbentium. Egregiâ quidem virtute & ſcientiâ Aſceta, cùm triremi Joannis Auſtriaci veheretur, viderétque lautam illam, quam appellant, Collationem, eſuriali die, tenere ſe non potuit, quin Aulicis illis modeſtâ libertate diceret. Illuſtres viri, hoc neque cœnare eſt, neque jejunare. Et verò talia ſunt multorum Jejunia; nec Jejunia ſunt, nec cœnæ ſunt. Jejunium enim humeris ſuis excipiunt ut immane quoddam onus; ut talentem quaquà licet, & quà fortè etiam non licet, gravitatis aliquid detrahere ſatagunt; neque attendunt, Jejunium ſi pondus eſt, non plumbi, ſed auri pondus eſſe, quod tantò magis ſemper locupletet, quantò magìs onerat. Sed & illud, quam dixi promptitudo & alacritas præſtat, ne ſolicitè quis cauſas indaget, quibus Jejunii longioris obligatione ſe eximat, perinde ac ſi abſque notabili valetudinis detrimento illi parere nequeat. Mirum profectò eſt; obtemperari ſæpe Medico, cùm moderatiſſimum cibi uſum ſuadet: Eccleſiæ autem Matris non audiri imperia, cùm haud paulò tolerabiliorem cibi parſimoniam præcipit. Gulam Sanctorum Patrum aliqui comparant vulpi, quæ ut concupitam & nobilem prædam certius venetur, mortuam ſe ſimulat. Gula & ipſa, neſcio quæ Jejunii graviſſima impedimenta comminiſcitur, & *fingit laborem in præcepto.* Non hic Chriſtianorum prioribus Eccleſiæ ſeculis mos fuit. Anno ſalutis 545. *Baron.* cùm totus latè Oriens magnâ annonæ difficultate premeretur, Imperator Juſtinianus voluit Conſtantinopoli verni Jejunii tempore etiam carnes venum exponi, ut hæ aliorum ciborum, quorum inopiâ laborabatur, defectum ſupplerent. Sed tanto in populo inventus eſt nemo, qui cibis iſtis veſci vellet, & Jejunii legibus ſolvi; *ib. n.* cùm, ut Nicephorus teſtatur, fame eligerent mori mallent, quàm ſanctiſſimam il- *l. 17. c. 35.*
lam

lam legem à majoribus traditam, ad Paſchalia gaudia ſolenni illâ abſtinentiâ ſe præparandi, violare. Noſtrorum temporum Chriſtiani alio ex metallo conflati ſunt. *Fortitudo eorum diſſimilis*, ait Jeremias: non diſſimilis tantùm fortitudini antiquorum, ſed & ſuæmet fortitudini diſſimilis. Si Saturnalium tempore noctes totæ inſomnes ducendæ ſunt, ut ludis, choreis, epulis, & neſcio quibus delitiis vacetur, virium abundè eſt. At diebus eſurialibus vernis adeſſe ſacrificanti utroque poplite flexo, audire dicentem è ſuggeſtu abſque ſomno, res ſunt, quæ fieri non poſſunt; & qui hæc non poſſunt, quomodo carnium eſu abſtinebunt? omne robur evanuit. Leo tantis eſt viribus, ut ne Elephantum quidem aggredi formidet: at hic belluarum Rex viſo gallo in fugam agitur. *Fortitudo eorum diſſimilis.* Cùm autem te ipſa ea fuerit virium imbecillitas, quæ Jejunii lege ſtare non ſinat, oportet de hoc ipſo dolere, & inter jacturas numerare; non verò de eo ut prærogativo jure ſibi plaudere & gratulari. Hic Magni Gregorii ſenſus fuit, qui licèt loco illo tam ſublimi, ut inter mortales altior non detur, collocatus, ingemiſcebat tamen, quòd tot tamque contumacibus morbis laboraret, qui non eam, quâ alii ſe macerabant, abſtinentiam permitterent.

XIX. *Sanctificate Jejunium.* Tertiò deinque ad Jejunii ſanctitatem requiritur, ut Deo honorando toleretur. *Sanctificate Jejunium*, hortabatur melliſluus, *ut pura intentio, & devota oratio, divinæ illud offerat Majeſtati.* Sunt, qui jejunent ex quadam aſſuetudine, aut quòd alios domeſticos abſtinere videant, ut Cameli ſolent, quos inter ſiquis invaletudine pabulo abſtinet, multum laborandum eſt, ut eo ceteri, qui circa illum ſunt, paſcantur. Altiùs omnino tendere oportet Chriſtianum quemlibet, & finem ſpectare ſublimiorem, & eorum ſcilicet aliquem, ob quos imperata ſunt ab Eccleſia Jejunia. Hi autem, Angelici Thomæ aſſertione, tres poriſſimùm ſunt, ad quos ceteri reducuntur: *ad Concupiſcentias carnis reprimendas: ad ſatisfaciendum pro peccatis; ut mens liberiùs elevetur ad ſublima contemplanda*: quod vel maximè in Daniele Propheta patuit, cui poſt trium hebdomadarum inediam tam multa & magna Myſteria revelata ſunt. Qui inter abſtinendum à cibo unum aliquem ex enumeratis finibus mente verſabit, eóque omne ſuum ſtudium, omnem, quæ in abſtinendo eſt, moleſtiam referet, næ ille Jejunium ſuum præclarè ſanctificabit, efficiétque corpus ſuum *hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.* Viventem quidem, quia ſpiritus, liber ſervitute peccati, vivet vitâ gratiæ: Sanctam, quia in bono firmam & conſtantem; & quia modicam illam abſtinentiæ moleſtiam illuſtris virtutum chorus comitabitur: Deo placentem, ſinceræ perfectæque intentionis ſtudio, quô id unum ſpectetur,

*Serm. 4. de Quadrag.*

*S. Thom. 2. 2. q. 147. ar. 1.*

*Rom. 12. 1.*

ctetur, ut noxæ olim admiſſæ deleantur, próque iis fiat ſatis, & nullæ deinceps admittantur. *Hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.* Hujuſcemodi Jejunii qui portionem non modicam ſumpſerit, expertus diſcet, quàm non ex vano ejus fructus promiſerim, recuperatam Dei gratiam & amicitiam, edomitas animi perturbationes, & immortalitatem illâ, quam perdidimus, multò præstantiorem. Faxit bonus Deus, ut quæcunque deinceps feremus Jejunia, hac triplici ratione modóque ſanctificetur, noſtræque ejus abſtinentiæ præmium ſit beata illa cœna, quæ ſemper ſatiabit, ut nunquam nauſeam, famem tamen ſui cum ſatietate relinquat ſempiternam.

# DISCURSUS XXI.

## *De Indulgentiis.*

I. Permagna illius auri æſtimatio, permagnum pretium eſt, quod fluvii ſecum trahunt; idque non eo ſolùm ex capite, quòd, Plinio teſte, omni alio
l.33.c.4. *abſolutius aurum* eſt atque perfectius, verùm etiam quia, etſi pretioſius, labore tamen multò minore paratur: abſque eo enim, quòd mortales vivos ſe quodammodo ſubterraneis in fodinis ſepelire, ligonum palarúmque tractatione vires exhaurire, inter prædùras glebas occalleſcere, plurimis maximiſque ſe exponere periculis cogantur, ſedentibus tantùm ad flavi fluminis ripas, & propè otioſis obſequioſæ undæ charum, optatúmque munus offerunt, & tantùm non obtrudunt. Sentio me incitari ad ſacras Indulgentias beneficis hiſce undis comparandas: iſtæ ſiquidem, absque illa fori Pœnitentialis aſperitate & rigore, bonum nobis conferunt, quod tanto labore, tanto conatu alibi Fideles quærunt, plenam inquam noxarum veniam ac condonationem, omni jure ad pœnam non minùs, quàm culpam, excindo. De his proinde Indulgentiis hodie diſſerendum eſt; útque magis perſpicua evadant omnia, duas in partes diſſertationem dividemus: priore inveſtigabimus, unde ſcaturiat nobiliſſimum illud aurum, arena illa pretioſa, quam Indulgentiæ, tanquam liberales fluminum aquæ, in ſinum quodammodo nobis ingerunt? Poſteriore viam ac rationem explorabimus, qui quàm maximas hinc opes parare poſſimus.

II. Duo nobis impedimento ſunt, quò minùs cæleſtis patriæ beatitate potiamur, Culpa ac Pœna: Culpa quidem, quia pugnat cum amore Dei,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dei, qui eſt unica & perpetua Beatorum occupatio: Pœna, quia cum gaudio de Deo poſſeſſo componi non poteſt. Huic autem utrique impedimento tollendo claves ſerviunt, quarum cura primò credita eſt S. Petro, ſicut ante illum ne Sacerdotum quidem Legis Moſaicæ Princeps illas unquam acceperit; propterea quòd tunc velut trabes objectæ cœlum clauderent, ad quas cùm neque reducendas, neque amovendas claves ſervirent, non erat, quòd tunc de illis ageretur. Porrò, quæ culpam ſequitur Pœna, duplicis generis eſt: prioris, æterna eſt, cujus ſimul cum culpa gratiam Sacerdos facit dum in Sacramento ab illa abſolvit: alterius, temporaria: atque hæc etiam culpâ abolitâ, magnam ſaltem partem, luenda reſtat. Juri autem ad hanc ſuſtinendam extinguendo Indulgentiæ deſerviunt, quarum idcirco naturam rectè explicaverit, qui dixerit, Indulgentias eſſe Remiſſionem pœnæ ad certum tempus hâc vel alterâ in vita luendæ; & remiſſionem quidem, quæ nobis extra Sacramentum obtingat; non tamen omnino gratuitam (qualem quidem nulli concedere hac in Providentia, ſeu ſtatuto rerum ordine, Deo viſum eſt) ſed per modum, quod ajunt, ſubſidii charitativi: dum nimirum Eccleſia, noſtro inæſtimabili commodo, grande illud ſuum ærarium recludit, ex quo, pro arbitrio, plus minúſve depromamus, repræſentandum Deo pro nominibus, quibus nos ipſe ſibi obſtrictos habet. His ita conſtitutis, jam oportet, ut pollicitus ſum, vobis oſtendere, unde tandem exiſtat ingens ille theſaurus, ex quo Eccleſia innumeros ditet, quin tamen eum unquam exhauriat? Atque hoc demonſtrabo, ſi attentas mihi aures præbueritis.

I.

III. Illud hîc primò tenendum, actiones noſtras, & opera ſalutaria omnia, geminas dotes habere, quæ ab illis ſeparari non poſſint: Meritum, inquam, & Satisfactionem. Meritum aliud non eſt, quàm dignitas ad aliquod præmium, quam conſequitur, quiſquis rectè & ex virtute vera quidpiam agit: hæc autem ita operantis ipſius eſt propria, ut alteri eam cedere nulla ratione poſſit. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem*; ut Apoſtolus affirmat. (1. Cor. 2.) Satisfactio eſt, quâ ſigillatim expunguntur nomina, quæ tam facilè peccando contraximus. Hæc etiam aliis donari poteſt, haud aliter ac in arbitrio divitis eſt ſatisfacere nominibus, quæ egenus aliquis fecit: *Veſtra abundantia illorum ſuppleat inopiam.* (2. Cor. 8. 14.) Hinc porrò intelligere jam licet, unde profluxerint opes illæ ampliſſimæ, è quibus Eccleſia innumeris erogare poſſit, quo debitis ſuis ſatisfaciant. Conflatus nimirum theſaurus hic eſt ex actionibus ad ſatisfaciendum aptis, quas tum alii Dei amici, tum ſanctiſſima Virgo Mater, tum præcipuè Servator ipſe Jeſus in ærario Eccleſiæ reliquêre. (S. Th. 3. p. ſupp. q. 25. art. 1. in c.)

IV. Sunt etenim haud pauci ex Amicorum Dei numero, qui plus longè



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gè exolverunt Deo, cruciatibus ſuo arbitrio toleratis, doloribus morborum, ſuppliciis Tyrannorum, & laniena multò diriore, quàm ſuis pro noxis ipſi deberent. S. Joannes Servatoris Præcurſor, Matris in utero non à labe tantùm omni purgatus, ſed & tanto gratiæ cumulo donatus eſt, ut *magnus coram Domino* dici mereretur; cùm tamen hujus in oculis montes vaſtiſſimi minores ſint, quàm arenæ granum ingenti Alpium moli comparatum. Vitam tamen iſte, tantis gratiæ opibus inchoatam, duxit inter ſilvarum, & montium latebras longè aſperrimam, & procul ab omnibus humanæ vitæ ſolatiis remotam, duris prædica[illegible]laboribus exercitam, in fœdiſſimi carceris pœdore claudendam, ubi carnificis ferro innocentiſſimum reſectum eſt caput, ſaltatrici meretriculæ dono dandum. Præcurſori huic jungite agmen longè numeroſiſſimum Anachoretarũ, Virginum, Pontificum, & præcipuè ſanctiſſimorum Martyrum complures Myriadas, qui vitæ procul à peccati umbra exactæ junxerunt ardentiſſima pro Deo patiendi deſideria, illaque expleverunt alii ferarum dentibus, & unguibus objecti, conciſi alii, diſcerpti, nunc pice, nunc plumbo bulliente ſepulti. Quis autem hic non videat, quantò iſti plura rependerint, quàm deberent, quantò pluribus pro culpis ſatisfecerint, quàm ipſi unquam admiſerint? *Utinam*, ſuo in fimeto exclamare non dubitavit patientiſſimus Jobus, *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in ſtatera quaſi arena maris hæc gravior appareret.* Quod autem Job divino lumine colluſtratus de ſe affirmavit, ambiguum eſſe non poteſt, quin de ſe veriſſimè multi dicturi fuiſſent, qui, quò chariores Deo, pluribúſque ornati erant virtutibus, hoc pœnis cruciatibúſque acerbioribus ſunt exerciti. Ingens porrò iſta Satisfactionum ſumma, cùm in Cælum Beatos comitata non ſit, utpote nulli ibi uſui futura, ubi nemo quidquam debet, aut debere poteſt, Eccleſiæ ut hæredi, *ab inteſtato*, à filiis iſtis ſuis locupletiſſima relicta eſt.

Job. c. 2.

V. De Matre Virgine quid dicemus? Hæc ſanè, etſi nihil unquam divinæ Juſtitiæ debuerit, adverſorum tamen plus tulit ſola, quàm tota reliquorum Cælitum phalanx. Tam multa Virgo tulit, ut jure ac meritò à ſanctis Doctoribus Sol Martyrum ſit appellata; tantum enim, quos illa perpeſſa eſt, dolores, ſuperârunt aliorum Martyrum dolores, quantò plus lucis Sol unus à ſe diffundit, quàm numeroſiſſima omnium reliquorum ſiderum turba. Dum morienti in Cruce Filio adſtitit, tam atrox cruciatuum ſenſus fuit, quàm ardens amor, quo in illum ferebatur: unde ſicut parem amando habuit omnino neminem, ita nec patiendo: ſic, ut attonitus Propheta Jeremias, dum quærit, cum quo doloris vim illam maximam comparet, tandem mari ſimilem pronuntiârit, quod etſi fundo non careat, nemo tamen eſt, qui illum attingat. *Cui aſſimilabo te filia Jeruſalem?* Thr. 2. 14.

ſalem? *Cui exequabo te? Magna eſt velut mare contritio tua.* Tandem ſi Mariæ Matris ſanctiſſimæ cruciatus ac dolores mari jure comparati ſunt, quid de exantlatis à Filio doloribus & morte, vitam ærumnoſiſſimam ſecutâ, dicemus? An non rectè dicemus fuiſſe Oceanum vaſtiſſimum, in quem omnes fontes, omnia flumina & maria ærumnarum atque dolorum ſeſe effuderint, effecerintque abyſſum aquarum tam profundam, ut eam explorare & metiri non poſſit, niſi illud brachium, quod ſidereos orbes dimenſum eſt, brachium, inquam, Divinum. Et quamquam hæc tam nullis finibus deſcripta tormentorum perpeſſio oblata fuerit ad ſatisfaciendum pro delictis Mundi, juxta illud: *Quod non rapui, tunc exolvebam.* Quantum tamen ex ea ſupereſſe putamus, ad faciendum ſatis nominibus noſtris quibuscunque, cùm una ſola Divini illius Sanguinis guttula ſuffecitura fuiſſet ad delendam ſummam debitorum imenſum quantum majorem, & tamen modò, quidquid divinis illis in venis continebatur, ſanguinis liberaliſſimâ bonitate fuerit profuſum?

VI. En igitur divitias opéſque inæſtimabiles, quæ in Eccleſiæ theſaurum illatæ ſunt, ita ut iſte immenſus & inexhauſtus jure quàm maximo dici poſſit: *Theſaurus ſine defectione:* cùm reipſa tam non poſſit exhauriri, ut ne minui quidem poſſit, ſi ad illud attendamus, quod in eo Chriſtus de ſuo repoſuit: *ponens in theſauris abyſſos.* Hac autem ex fodina omnes illæ Indulgentiarum opes depromuntur; de quibus hodie nobis ſermo; per illas ſiquidem communicantur nobiſcum munificentiſſimè ſatisfactiones, quaſcunque Servator noſter & Parens Chriſtus JESUS, Sanctiſſima ejus, & noſtra Mater, fratréſque noſtri natu majores, Beati Cælites reliquâre. *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis;* non injuriâ miſeris nobis Deus occineret: ſeminêruntalii, vos meſſuiſtis: alii laboraverunt, vos fructibus eorum laborum gaudetis in umbra otioſi. Seminavit Chriſtus tam abundanter, ut meſſis, quamlibet ditiſſima, comparari cum ſemente nunquam poſſit; neque enim colligere unquam Deus Homo potuit, quantum vel promeritus eſt, vel quod pretii perſoluti magnitudinem exæquaret. Seminârunt Beati Cælites, parciùs quidem, quis neſcit? abundantiùs tamen, quàm eorum egeſtas requireret & indigentia. Unde nos admittimur ad gaudendum fructibus tantorum laborum, & verè de nobis affirmatur, quod hero illi ſuo ſervus nequam, tanquam auſtero nimis, exprobrabat: *Metis quod non ſeminâſti.* Hoc etiam eſt unguentum iſtud pretioſiſſimum, quod ex capite ad collum, ex collo ad membra reliqua, ex his in ipſam adeò *oram veſtimenti,* Aaronici defluit: hoc ſiquidem pretium, oblatum ad ſatisfaciendum Divinæ Juſtitiæ, à Chriſto, qui caput eſt, ad collum, quod eſt Mater Filii Dei, & ab hac nunc in hoc, nunc illud myſti-

*Clem. VI. in Extrav. Unigenitus de Pœnit. & Remiſſ.*

*Joan. 4. 38.*

*Luc. 19. 21.*

*Pſ. 132. 3.*

P. SEGNERI Homo Christian

eum Eccleſiæ membrum depluit, donec vel ad imam veſtis, quâ hæc Sponſa ornata eſt, fimbriam deſcendat.

VII. Atque hanc nobis, noſtræque indigentiæ tam bellè ſubveniiendi rationem adinvenit amor, quo noſtrarum calamitatum miſeratione tactus Chriſtus tam præſenti ope nobis ſuccurrit, ut non Sacramentorum tantùm miniſterio, ſed aliâ quoque viâ illam ſublevaret; nec tamen quidquam, Divinæ debitum Juſtitiæ, non ad extremum usque aſſem redderetur. Civili Jure cautum eſt, ut Minorum delicta puniantur mitiùs, & ætatis ac judicii imbecillitati aliquid
l. ferè ff. de Reg. Iur. condonetur. *In delictis Minorum pœna ætatis miſeratione mitigatur.* Non ita divina Lex, quæ cùm ſit æquiſſima & rectiſſima, mitigationem admittit
S. Thom. ſuppl. q. 23. ar. 2. nullam: nec tamen ſibi noſtri amor defuit; ſed rationem excogitavit admirabilem, quâ & rigori Juſtitiæ fieret ſatis, & clementiæ in miſeros locus eſſet. Juſtitiæ quidem, numerando quidquid debebatur; Clementiæ, ex alieno nobis abundè ſubminiſtrando, quod noſtro in ærario non inveniebatur: vades enim nobis dati ſunt opulentiſſimi, quorum ære noſtra nomina delerentur. Hinc Angelicus.
S. Thom. ſuppl. q. 25. ar. 1. ad 2. *Qui Indulgentias ſuſcipit, non abſolvitur ſimpliciter loquendo à debito pœnæ; ſed datur illi, unde debitum ſolvat.* Neque ſolùm divina Lex, ut Minores nos hoc in negotio tractavit, ſed ut infantes, nutricum ſugentes ubera. Ut enim, cùm infantuli iſti deteriùs habent, amarum pharmacum non ipſis, ſed nutricibus ſumendũ datur quæ, ſine infantum moleſtiâ ſalubrem ſuccum eorum in venas diffundant alimento permiſtum: ſic alii guſtârunt amara, in nos ſalutaris inde ſuccus nullo noſtro incommodo diffuſus eſt. *Pro culpa unius, alius ſponte pœnam ſuſtinuit.*

VIII. Priorum ſeculorum Fideles, cùm viribus eſſent & valetudine firmâ, non ita benignè Mater Eccleſia habuit. Plerique ſponte ſuâ mulctis graviſſimis errata ſua vindicabant, ita ut plurium annorum decurſu iiſdem ſe ſuppliciis macerarent, ut unam noxam gravem, imò & levem ſubinde eluerent. Euſebius, egregiâ vitæ ſanctimoniâ Aſceta, cùm inter audiendum neſcio quid ex Evangeliis, oculis in eos, qui in montis crepidine laborabant, ruricolas conjectis, animo ſatis præſenti non fuiſſet, ut noxæ hujus, haud ſanè magnæ, quæque noſtrum obtutum penitùs fugeret, pœnas daret, ferreâ catenâ collum adſtrixit, quæ corpus ſic deorſum traheret, ut prono in ſolum capite cœlum intueri porrò non poſſet, neque hoc unius alteriúsve diei ſupplicium fuit; quadragintа ipſos vitæ, qui ſuperfuerunt, annos ſuus ipſe captivus exegit. Ejusmodi mulctis ſeculorum antiquiorum Chriſtiani in ſemetipſos animadvertebant: nec mitioribus ferè Sacerdotum ſententiâ plectebantur, qui ſe iis reos ſiſtebant. Audiamus, quid pœnarum viro nobili, cui erat Aſtulfus nomen, non inferioris notæ, ſed amplæ ditionis domino, Stephanus

qui a-

quintus Pontifex maximus, ob cædem conjugis, quam adulterii ream cæca Zelotypia peregerat, imperârit. Optionem illi dedit, ut vel reliquum vitæ inter Monachos religioſo in clauſtro exigeret; aut ſi in ſeculo vivere mallet, omnes enumerandas pœnas ſubiret. Ne porrò conjugem alteram duceret: carnibus abſtineret, præterquam diebus Chriſto Nato & Reſurgenti ſacris: vinum ne guſtaret: balneis, conviviis, theatralibus ludis, omnibúsque animi causâ coactis cœtibus ne adeſſet: armatus ne incederet: in Eccleſia poſtremum prope januam locum occuparet; ingredientium precibus ſe demiſsè commendaret: indignum ſe ſacra Communione per omnem deinceps vitam exiſtimaret; etſi illâ ut Viatico, cùm hinc migrandum eſſet, uti liceret, ſiquidem earum, quæ imperabantur, pœnarum uſu, tanto ſe Dei munere dignum præſtitiſſet. Tandem literas ſuas Pontifex his ferè verbis claudit. Poſſem equidem his & plura & duriora imperare: ſi tamen iſta, quæ majori benignitate & clementiâ, quàm rigore & ſeveritate juſſi, fide quàm optimâ executus fueris, confido equidem, Deum facinoris hujus tui gratiam tibi facturum: ſi verò his opere ipſo perficiendis ſuperſederis, certus eſto, te laqueis Dæmonis, quibus te intricâſti, haudquaquam extricandum; tuâque te ſocrdiâ de ſalute procul dubio periclitaturum. His olim ſuppliciis cædes vindicabatur, quæ moribus hodiernis cenſeretur factum, honori ſuo, à femina læſo, tuendo neceſſarium. Neque iſtud vobiſcum reputetis velim; Pontificem iſtum ſevero ingenio virum, & humanitatis omnis expertem non ſciviſſe diſcernere pœnas à pœnis, neque quid cui Perſonæ, & cui Dignationis gradui reſponderet, prudenter ſtatuere. Tanta enim virtutis ac prudentiæ ejus fuit æſtimatio, ut Româ in Gallias, teſte Baronio, evocatus ad lites & controverſias graviſſimas, quæ extiterant, componendas, ſummiſque ibi cultus honoribus, ter ſuos ad pedes provolutum Ludovicum Pium, Imperatorem & Galliarum Regem conſpexerit.

IX. Cùm igitur peccata non publica tam acerbis olim ſuppliciis fuerint vindicata, quid illis factum putatis, quæ publica cùm eſſent, majori erant offendiculo? Hæc expiabantur non publicâ tantùm, ſed ſolenni, quam vocabant, Pœnitentiâ: nam etſi omnis ſolennis eſſet publica, non tamen omnis publica ſolennis erat. Solenni ſic defungebantur: Cinerum die Reus ad templi fores ſe ſiſtebat, ubi Præſul expectabat Sacerdotum collegio cinctus: ſiſtebat autem ſe ille indutus ſacco, pedibus nudis, crinibus reſectis, capite inclinato: ſic ingredientem præcedebat cum ſuis Antiſtes, Pſalmos, qui à Pœnitentia nomen habent, alternis recitans ad Aram usque, ubi hi abſolvebantur. Converſus dein ad Pœnitentem Epiſcopus, ſacrâ illum luſtrabat aquâ, impoſitiſque capiti ſacris cineribus, lacrymabili voce addebat, hanc ejus miſeri eſſe ſortem, quæ fuerit Adami

*c. in capite Quadrageſ. d. 50.*

ſuâ noxâ Paradiſo ejecti. Mox ad ſacros Miniſtros converſus, jubebat, ut infelicem Eccleſiâ ejicerent: hi relicto Præſule, triſti murmure illa ingeminabant verba: ***In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.*** Quibus ſignificabatur, quòd non niſi multo labore & ſudoribus impetraturus eſſet, ut divini Ferculi communione potiretur. Inde pridie Paraſceves quotannis Pœnitens ſuo à Curione reducebatur ad Eccleſiam, nec tamen divinas ad epulas conviva admittebatur, donec elapſi eſſent imperatæ pœnitentiæ anni: quibus tandem exactis ſimilibus ferè ritibus à Præſule ſuo Eccleſiæ in gremium recipiebatur: neque enim alterius, quàm Præſulis authoritate, ſolennes hæ pœnitentiæ aut decernebantur, aut laxabantur. Tantus olim publicorum delictorum horror erat ac deteſtatio, cùm utique minùs tum, quàm hodie eſſent frequentia. Dæmonum aſpectus primò vehementer eos terret, qui eos Orco evocant, ad familiare cum ipſis commercium ſtatuendum: ſed plurimum is terror uſu mitigatur. Metuo, ne idem Chriſtianis acciderit; ipſâque frequentiâ vel graviſſima delicta ſuâ deformitate indies minùs formidinis & horroris incuſſerint: quis enim eorum hodie terrore percellitur? Sed omittamus nunc iſta, & rem noſtram proſequamur.

X. Nemo, credo, facilè erit, qui non ſæculorum illorum Chriſti cultores ab animi fortitudine plurimum commendandos cenſeat, ut qui tam atrocibus ſuppliciis vel ſua ipſi delicta mulctarent, vel ab aliis imperata exequerentur. Non is hodie rerum ſtatus eſt; delicatiores paſſim ſumus. Conſcia autem ejuſce imbecillitatis Eccleſia ſapienti omnino conſilio mollioribus remediis uti, omiſſoque acriore vino, oleo tantùm miſerationum largè affuſo vulneribus noſtris mederi conſtituit; relicto quidem penes Deum jure, plenam pro admiſſis peccatis compenſationem exigendi, nobis autem adempto hanc noſtro ex peculio præſtandi onere. Ut ſagitta Elephanti corpore eximatur, optimum factu eſſe uſus docuit, multo illum oleo potare. Pari ratione Eccleſia, ut tenaciter animæ hærens culpæ telum avelleret, maximè conſultum exiſtimavit, oleum iſtud miſerationis puriſſimum præbere; quam dum erga nos tam beneficè præſtat, noſtram non tacitè nobis ſocordiam exprobrat, ſi ne tam blando quidem ac leni remedio valetudinem recuperare ſtudeamus. Hâc de cauſâ tam parcè olim diſtribuebantur Indulgentiarum gratiæ, ut iis impetrandis illorum neceſſe eſſet implorare preces, qui Chriſti, ejúſque ſanctæ fidei cauſâ, conjecti in vincula, mortem in horas opperiebantur, ut datis vinctâ manu litteris molliti Præſulum animi ſupplicibus ignoſcerent, & pœnas minùs repoſcerent; hodie verè tam beneficâ illæ manu obveniunt, ut tantùm non invitis obtrudantur. Nemo idcirco mutatam credat Eccleſiam: eadem illa, ſed mores noſtri diverſi ſunt: ac proinde haud aliter, ac cùm rerum ad victum neceſſariarû excandeſ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

deſunt pretia, publica panduntur horrea, ne egentiores fame pereant; clauſa autem manent eadem, cùm alimentorum ubique abundè eſt, ne ignavo otio populus torpeſcat; ſic Eccleſia olim tam parcè ſuos pandebat theſauros; noſtra autem ætate illos tam munificâ manu volentibus largitur: ſiquidem initio ita agendo foviſſet ſocordiam; nunc autem malignè erogando, impelleret ad deſperationem. Sic etiam Judæorum olim in Republica ſex tantùm initio Civitates Refugii nominatæ ſunt: quibus ſubinde, Joſue rebus moderante, tres aliæ trans Jordanem acceſſerunt, ut major delinquentium imbecillitas, & ad delinquendum facilitas, pietatis etiam & miſerationis plus experiretur.

XI. Quis proinde explicet, quanti fieri æſtimarique debeat Indulgentiarum iſte theſaurus, unde tam modico noſtro labore promere liceat, quod expungendis tot noſtris nominibus abundè ſit ſatis? Indicis è fodinis vix unquam aurum jam defæcatum eruitur: at fodinæ Eccleſiæ en ut purиſſimum miſerationum metallum ſæpiſſimè offerunt! quamquam etiam Indulgentiis his promerendis neceſſe ſit exequi, quæ ſupremus Promus-condus imperat opera; tam nihilominus illa parùm difficultatis habent adjunctum, ut nulla videri poſſit. Cùm Romana in Republica domini ſervos libertate donabant, moris erat, virgâ bis térve leniter humeros verberare. Quis idcirco dixerit hanc cæremoniam veriùs, quàm verberationem, quidquam de dominorum illorum lenitate detraxiſſe? Quin imò inde potiùs auctam dicendum eſt, cùm ritus iſte moneret tantùm jam liberos, quantò acerbiora verbera moderatiſſimis illis ictibus redemiſſent. Hinc etiam Eccleſiæ de benignitate plus quàm maternâ decedit nihil, licèt Indulgentiarum favori & gratiæ impetrandæ pœnas leviuſculas, unam alterámve precandi causâ adire Eccleſiam, oratione non longâ defungi, ſtipem egentibus largiri, pauculorum in hebdomada dierum jejunium imperet: imò accedit aliquid ejus miſerationi, dum iſtis exigendis nos memores facit eſſe graviſſimorum nominum, quæ Indulgentiarum beneficio ſublata ſunt. Atque hæc de prima parte, quâ propoſueram demonſtrare, quâ ex ſcaturigine ditiſſimæ & ſaluberrimæ Indulgentiarum aquæ promanent.

III.

XII. Nunc ad rationem modúmque iis potiundi accedamus. Tria autem ſunt, quæ ad quasvis Indulgentias obtinendas requiruntur. Auctoritas, ſeu poteſtas concedentis; finis eas concedendi ſanctus piúsque, & aptitudo ad acquirendas in eo, qui vult illis potiri. Poteſtas concedendi pleno ſummóque jure penès unum eſt Romanum Pontificem. Cùm enim opes largiendæ depromendæ ſint ex Eccleſiæ ærario, quo, quidquid facientibus redundat, conditur; penès

*S. Thom. quodlib. q. 8. ar. 1. in c. Clem. IV. in Extrav. Unigenitus. S. Thom. ſuppl. q. 25. ar. 4. & 5.*

eum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eum utique eſt harum opum diſtributio, penes quem hujus & ærarii & totius Reipublicæ cura eſt; quamquam is non prohibetur aliorum, quorum libuerit, ea in re miniſterio uti, ſic ut ne Ordinibus quidem ſacris initiatos eſſe oporteat, quos eam ad rem ſocios Reipublicæ Chriſtianæ Caput adſciſcit; cùm ſufficiat, quam appellant, *Poteſtas Juridictionis*; quam obtinet, quisquis à Principe negotii alicujus adminiſtrandi provinciam accipit. Cauſam deinde theſaurum hunc recludendi oportet eſſe æquam & rationi conſentaneam; cùm enim peculii, de quo agitur, ſupremum jus ac dominium penès Chriſtum Servatorem ſit, à quo totum eſt; qui Chriſti vices gerit, alios in fines diſpenſare illud non poteſt, quàm ex quibus honor ac gloria in dominum theſauri redundet: aliàs Miniſter eſſet infidus: qui, quam habet diſtribuendi poteſtatem, his ſemper conditionibus accipit, ut & tempore idoneo, & menſurâ non
12.42. arbitrariâ expendat. *Conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam, ut det illis in tempore, tritici menſuram.* Verùm hæ duæ conditiones nihil ad nos; ſufficiat proin eas indicâſſe; de tertia agamus, quæ tota noſtra eſt, modúmque ac rationem complectitur, quâ nos Indulgentiarum gratiis accipiendis parare debemus.

XIII. Primum, quod ad potiundum Indulgentiarum opibus requiritur, eſt, amicum Dei eſſe, ab eóque in gratiam receptum: quod cum peccato non ſtat. Fixum enim ratúmque manet, quod aſſerui, Indulgentiarum participationem opum inexhauſtorum, quas Beati Cœlites, Dei Mater, ipſéque Dei Filius paraverint, ad extinguendum jus pœnæ, culpâ jam condonatâ. Fieri autem non poteſt, ut acutè obſervavit Angelicus, quidquam ſalubris ſucci ex membris vivis in membrum mortuum derivari. *Membrum mortuum non ſuſcipit influentiam ab aliis vivis.* Quisquis autem noxâ lethali tenetur, in hoc myſtico Eccleſiæ corpore membrum eſt emortuum: *eſt quaſi membrum mortuum.* Fruſtrà igitur à Beatis Cœlitibus, fruſtrà à Matre Virgine, vivis ejus corporis membris, fruſtrà à Chriſto, capite utique non mortuo, Indulgentias expectat, quisquis gravi peccato obſtrictus eſt. *Ergo per Indulgentiam non ſuſcipit influentiam.* Quàm proinde ridicula ſunt illorum ſtudia, qui ad ſtationes, ad ſupplicationes, ad Indulgentias & Jubilæa, peccato ſordidi, imò mortui, currunt? volunt enim accipere favores, ad quos recipiendos planè inepti ſunt, & imparati.

XIV. Quare, ut ordine hoc in negotio procedatur, oporteret cæteris omnibus præmittere Confeſſionem. Hanc autem cùm dico, non fallam intelligo & fucatam, non, inquam, ſacrilegè mutam, qualis eorum eſt, qui etſi annis pluribus non aperiant noxam, quam præ cæteris moleſtam ſentiunt, & pudendam; tamen de Jubilæorum gratiis obtentis ſe jactitant. Delirant iſti. Sincerâ, ſuisque abſolutâ na-

numeris, non ſacrilegâ ad fructus Jubilæi conſequendos Confeſſione eſt opus. Et ab hac, inquam, oportebit initium facere, cùm exequi cogitamus, quæ à Pontifice imperata ſunt, ut tantò ſimus de Dei gratia magis ſecuri, dum cetera præſtamus. Quodſi fortè prima operum fiant à reo alicujus noxæ, ſaltem poſtremum præceptorum operum in Dei gratia, & absque peccati conſcientiâ fiat neceſſe eſt. Saltem dixi: poſtremum enim operum perficere condonatis jam noxis lege certiſſimâ & non diſpenſabili prorſus neceſſarium eſt; omnia ſic peragere, certius eſt atque ſecurius. Quæ enim à Dei inimico fiunt opera, minùs utique placent Deo, minúsque idoneos reddunt ad tam præclaros favores accipiendos, quibus conſequendis illa fiunt. *Victimæ veſtræ non placuerunt mihi;* ait ipſe ad Peccatorum quemlibet. Verum eſt, non diſplicere quidem Deo hæc opera, cùm ſint ſancta: non tamen ideò placent, *non placuerunt*: quia non ſunt peracta juſtè, ſanctéque, *juſtè, quod juſtum eſt, perſequeris.* Neque vos fugit, non id tantùm ſpectari Indulgentiis, ut, quod de pœna luendum ſupereſt, deleatur; ſed ut alii favores, aliæ gratiæ, quæ ad Indulgentiarum gratiam concedendam Pontificem impulêre, impetrentur.

XV. Hæc eadem ratio non ſolùm poſtulat, ut amicus Dei ſit, qui Indulgentiis obtinendis dat operam, ſed ut etiam, quantâ poteſt maximâ attentione perfectionéque obeat, quidquid præceptum eſt, operum. Diſcepant enim magnis utrinque ſtudiis Theologi, an hæc Indulgentiarum gratia obtineatur per actiones veniali aliqua ſatis notabili noxâ infectas: ut ſi preces funderentur animo in rem præſentem parùm intento, ſed ad alia negotia diſtracto; ſi ipſo in jejunio nimiâ gulæ aviditate excederentur temperantiæ fines; ſi in ſtipe pauperibus erogandâ vanæ gloriolæ aliquid ſubreperet, & libentiùs aliis inſpectantibus, quàm ſine arbitris alienæ inopiæ ſuccurreretur. Et quamquam ego libenter hac in controverſia opinionem magis benignam amplecterer, graviſſimos authores ſecutus, certus tamen non ſum, an ita conſtituerit ille, penes quem theſauri hujus dominium eſt pleniſſimum, cujus tantùm diſtribuendi cura ſummo Pontifici eſt commiſſa.

*Suarez 3.p.t.4. Diſp.52. ſect. 6. contra Navarr. de Indul. notab.* 19.*n.*6. *& notab.* 32.*n.*46.

XVI. Si audire placet, quod vere videtur ſimilius, hoc puto diſcrimen eſſe obſervandum. Quando, quem Pontifex Indulgentiarum largitione ſpectat, finis alius non eſt, quàm ut quidpiam obtineatur Chriſtianæ Reipublicæ ſalutare, ad quod operis ipſa ſubſtantia ſufficiat, nec interſit, quibus illud adjunctis veſtiatur; facilè inducor, ut credam, ſatis eſſe Indulgentiis obtinendis operis ſubſtantiam rémque ipſam poni; uti ſi e. g. pecunia ſubminiſtranda ſit legendo contra Religionis hoſtes militi: neque enim dubium eſt, non minùs idoneam hunc ad finem eſſe pecuniam, quæ gloriolæ aucupandæ ſtudio, quàm

quæ animo verè humili datur. E diverſo cùm ad finem Pontifici propoſitum ſubſtantia operis non ſufficit, ſed modo illud abſolutiſſimo fieri oportet, & cum adjunctis convenientibus; tum neque ſatis erit operis ponere ſubſtantiam, ſed hæc ſuis erit proprietatibus veſtienda. Ut cùm imperantur preces ad Numinis iram placandam, ad ſingularem aliquem favorem ab eo impetrandum; cùm ad hunc finem parùm idoneæ ſint preces ſine reverentia feſtinatæ, animo longè aberrante fuſæ, vero utique ſimillimum eſt, illas tam non ſufficere ad Indulgentias, quàm ad finem à Chriſti Vicario intentum obtinendum parùm idoneæ ſunt & utiles. Ut ut res ſe habeat, ratio exigit, ut quisque, quàm poteſt, certiſſimus eſſe ſtudeat, illud animo volvens, quòd quò eſt minus, quod obtinendo tam ingenti Indulgentiarum bono requiritur, tantò eſſe æquius, ut quoad ejus poteſt, omnibus numeris fiat abſolutiſſimum.

XVII. Hinc porrò tertio loco requiritur, ut ſimus quàm maximè idonei, ut theſaurum, de quo ſermo, ſummi æſtimemus; hinc enim fiet, ut non ſolùm omni accuratione & diligentiâ perficiamus, quæ imperata à Pontifice ſunt opera, ſed ut occaſionem omittamus nullam, quantumcunque poſſumus, ex eo diteſcendi. Cùm Bonifacius ejus nominis Octavus anno ſeculari Jubilæum ſolenniſſimum promulgâſſet, ex omnibus Chriſtianorum Provinciis tantus mortalium numerus Romam accurrit, ut uno ſæpe die triginta millia urbem ingrederentur, aut inde abirent: ſic ut non pauci Dæmones in SS. Petri & Pauli Eccleſiis, infeſſis migrarent corporibus, illud magnis clamoribus iterantes: geminos iſtos Apoſtolos à Deo impetrâſſe, ut è Chriſtianis longè plurimi ſervitutem, quam Orco ſerviebant, libertate, eâ rerũ opportunitate uſi, mutarent. Feriis Pentecoſtes octingenta Peregrinorum millia, & quod excedit, Romæ numerata ſunt, cùm anno ſeculi decimi quarti quinquageſimo Clemens Sextus Jubilæum indulſiſſet, ſpatio ejus deinceps promulgandi ab annis centum ad quinquaginta contracto. Æſtate autem, cùm meſſis ſuis ſingulos in agris occuparet, ducenta tamen millia aliunde adventantium die uno recenſita ſunt; quâ tantâ accurrentium multitudine factum, ut inter adeunda templa aliquammulti expirarent, ſeſe prementium turbâ ſuffocati. Superavit tamen Romam tendentium numerus omnium præteritorum ſeculorum frequentiam, quando Nicolaus Quintus anno ſeculi decimi quinti quinquageſimo omnium noxarum veniam indulſit; tum enim plures domus ſolo in tantum æquatæ ſunt, ut quæ ad Eccleſias ducebant viæ, latiores redderentur, cùm euntium & redeuntium turbæ, ut maris undæ undis colliderentur. An non iſta Indulgentiarum æſtimationem maximam demonſtrant, quam Chriſtianus orbis conceperat? quantum autem paucis ſeculis huic deceſſiſſe videtur, & quantum refrixiſſe tantus Majorum noſtrorum ardor? Nunc ipſa copia pigros nos reddit, haud aliter

anno 1300. Oderi. Rayn. in annal.

Anno 1450. Platina ... Nicol. V.

ret ac apes nimiâ mellis copiâ torpeſcunt. An non autem hoc valdè pudendum eſt? Ne iſtis quidem illecebris allici ad rem divinam & Eccleſias Chriſtiani hodie poſſunt, non ad Confeſſiones, non ad Communiones; & licèt qui ex Sodalitio Mariani, quod vocant, Roſarii ſunt, aut à Monte Carmelo appellationem ſortito, menſtrua expiatione, & Synaxi omnium pœnarum condonationem conſequi poſſent, tantâ tamen ſunt ignaviâ, ut ad hoc adduci nequeant; cùm Polypi inſtar ſuis malint carnibus fame urgente paſci, quàm eſcam alibi, paucos paſſus promovendo, quærere. Volo dicere: Malunt igne alterius vitæ ſua nomina luere, quàm tantillo hic illa labore delere. Si de lucro aliquo paucorum nummulorum, aut alterius commodi caduci, ageretur, næ illi majori ſolertiâ iſtud venarentur. Quando publicæ lætitiæ augendæ numuli aliquot è Palatii cujusdam feneſtris in infra ſtantes ſparguntur, enimverò undique accurrunt plurimi, manus tollunt, vociferantur, pileos protendunt, nullo cujusquam reſpectu; quàm poſſunt, medias per turbas accedunt proximè; & quantumcunque impulſi, compreſſi, retrò magno impetu acti, denuo in medium ſe populum inferre conantur, ubi ſecundiorem fortunam ſperant. Apparet equidem, quàm, ſi mortua non eſt, langueat certè noſtra fides, dum pro eo, quòd parem ad opes animæ colligendas diligentiam adhibeamus, etiam ſinum aperire piget, ad eas, quæ non quæſitæ ſe offerunt, excipiendas.

XVIII. Jacob Patriarcha, cùm intellexiſſet, Ægyptum abundare frumento, cujus tum gravi penuriâ laborabat Palæſtina, non ſine indignatione filios ſuos increpuit verbis, quibus non paucorum, qui me audiunt, ignaviam & ego cuperem ſtimulare: *Quare negligitis? deſcendite, & emite nobis neceſſaria, ut poſſimus vivere.* *Gen. 42. 2.* Quæ hæc, per Deum, ſocordia eſt? plenæ omnium pœnarum condonationi impetrandæ ne tantillum quidem impenditur induſtriæ, quantum modico pani lucrando impenderetur! *Quare negligitis? deſcendite, & emite.* Quid autem dico, emite? cùm ne teruntium quidem ad hanc rem comparandam de ſuo expendere neceſſe ſit. *Venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione.* *Iſ. 55. 1.* Nihil de veſtro Chriſtus exigit: quia de ſuo paratus eſt dare, quantum res poſtulat; & per veſtram ſtat voluntatem, ne quidquam ematur? Quid hoc rei eſt? Invitantur ad Nundinas populares, in quibus aliud tandem non ſit, quàm ut argentum argento, merces mercibus permutentur; & paſſim accurrunt plurimi. Invitantur ad Indulgentiarum forum, in quo totum commercii genus eſt, velle gaudere lucro ſortis alienæ; & vix eſt, qui ſe moveat. Veniet enimverò, veniet hora, quâ errorem veſtrum & cognoſcatis, & defleatis; & cùm purgantes illas in flammas abjecti videbitis luendum vobis ad extremum uſque aſſem pœnarum genere atrociſſimo, quod labore nullo expungere olim poteratis; veſtro damno jam ſapientiores clamabitis

bitis cum fatuis illis virginibus: *Date nobis de oleo veſtro*; nec tamen erit, qui det. Optabitis ut Conjux, ut filii, ut fratres veſtri, ut amici à morte veſtra ſuperſtites primâ menſis Dominicâ confeſſi, ſacro epulo reficiantur: ut Indulgentias vobis obtineant, quas viventes tam non curâſtis: ſed in irritum cadent omnia quantumvis calida vota ac ſuſpiria: Deus enim aut in pœnam veſtram ſinet, ne veſtrorum quiſpiam vos audiat, veſtríve recordetur, aut ſi permittet, ut veſtri meminerint, non permittet, ut quidquam inde in vos emolumenti redundet. An putatis, non poſſe non illum admittere, quidquid vobis in horribili illo carcere recreandis à quoquam offertur? Minimè ſanè. Quàm proinde facile eſt, ut in acerbiſſimis vos cruciatibus deſtituat, ſæviatque in vos flammis, etſi tam ſolicitè veſtri Altaria circumeant, ut tantum aquæ colligant, quod illis extinguendis ſufficiat? Magnorum Theologorum doctrina eſt, Indulgentias defunctis per modum, quod ajunt, ſuffragii applicatas nemini prodeſſe minùs, quàm iis, qui cùm viverent, exiguam earum rationem habuêre. Et meritò id quidem. Imperaverat Deus, ut aſinorum primogenita à dominis ove redimerentur; quod ſi ne iſta quidem tantò minoris pretii beſtiolâ redimere illum herus vellet, juſſit Deus aſinum illum occidi. Cui autem iratum fuiſſe Deum exiſtimatis iſtud imperantē? An beſtiæ, nullius utiq; culpæ conſciæ? haud ſanè. Indignabatur ingrato domini animo, qui præ ſe ferebat, non agnoſcere ſe benignitatem & humanitatem, quæ ipſi, eâ permutatione permiſsâ, exhibebatur. Cavete proin omni ſtudio, ne dum Deus condonationem vobis tantò majorem omnium veſtrorum nominum offert, & vos tamen ſtultiſſimè illam repudiatis, vobiſmet iraſcatur: ita ut, ſi nunc quidem interfici vos non jubet, juſſurus tamen ſit, vos longiſſimo tempore à morte ſuppliciis noviſſimis diſcruciari.

*V. Laymann. l. 5. tr. 7. c. 7. n. 3.*

*Cajet. t. 16 de indulg. q. 5. verſ. Quoad tertium.*

XIX. Præterea anne ita malè oculati eſtis, ut non perſpiciatis, non tantùm hac incredibili inertia non expungi, quæ contraxiſtis, nomina, quæ vos tamdiu in luſtricis illis ignibus morabuntur, ſed quòd ſuffuremini vobiſmet (quæ profectò jactura haud paulò major eſt) opes maximas, quibus altiorem in Cœlo gloriam pararetis? Nunquam ſiquidem Indulgentiarum vobis munera conferri poſſunt, quin unà eadémque operâ multum etiam creſcant divinæ gratiæ favores, quos fidei, pietati, tolerantiæ, religionis actibus (quos præcedere plenam veniæ condonationem mos eſt) promeremini: neque verò deſerere conditionem pœnis obnoxiam poteſtis, quin hoc ipſo Sanctitas & gratia augeatur: quâ cauſâ Clemens VI. in literis illis ſuis laudatiſſimis, quibus Indulgentiarum naturam egregiè explicat, illa Sapientis verba tanquam de iiſmet pronuntiata accipit: *Infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Erit tamen, qui ſecus opinetur, & licèt meum ſentiat

*Sap. 7.*

ſentiat in eò, quod dixi, theſaurum hunc infinitum, & inexhauſtum eſſe, quod primo loco oſtenſum eſt; itémque in eo, quod poſteriore loco aſſerui, debere nos in Indulgentiarum uſu eſſe quàm accuratiſſimos, induci tamen non poſſit, ut credat, etiam divinæ gratiæ augmentum Indulgentiis reſpondere, propterea quòd iſtæ ad ſatisfaciendum divinæ Juſtitiæ referantur, non autem ad gratiam promerendam. Sed quiſquis ita ſentit, an ignorat ille, hominem, cujus res ſub haſta vænierunt, ſi ſubinde acquirat, unde nomina apud Creditorem ad aſſem uſque extremum deleat, multò jam chariorem gratiorémque Creditori evadere, quàm eſſet, priuſquam debitis faceret ſatis? Idem in re noſtra evenit. Qui enim reddidit Deo, quidquid debebat, hoc ipſo nomine fit illi charior: cùm perfecta inter duos amicitia (ſi Ariſtoteles rectè ſenſit) nunquam coaleſcat, quamdiu unus alteri Juſtitiæ titulo tenetur: tamdiu enim inæqualitas aliqua manet, quam cum animorum perfectâ concordiâ nemo non videt ſtare haud poſſe. Videte ergo per ſalutem veſtram, quantum hâc inertiâ tam illaudatâ vobis noceatis.

XX. Imò & illud perpendite, præter hæc veſtra damna, magnam vos gloriæ cæleſti injuriam facere, quam tam nauci facitis, ut illi accelerandæ nolitis auferre obicem, qui vos ejus à poſſeſſione certò remorabitur; qualis quidem eſt omnis reatus pœnæ, quantumcunque brevis, & ſuo tempore finiendæ. Magnam inſuper injuriam Beatis infertis Cælitibus, dum tam parvi æſtimatis fructus illas præſtantiſſimos, quibus gaudere liceret tanquam hæredibus familiæ illius, in Republica Chriſtiana nobiliſſima. Ipſum etiam Chriſtum Servatorem contemptim habetis, qui ut peccata veſtra ipſe tulit, perinde ac ſi ſua forent, ita & vobis cedit Jus in ſuos cruciatus, ut his tanquam veſtris utamini: vos autem tam non magni facitis iſtum favorem, ut permutationem, quâ altera quæſtuoſior eſſe non poteſt, negligatis. Tandem Deum ipſum honore tot titulis debito privatis, dum parùm ſoliciti ſatisfacere infinitæ ejus Juſtitiæ, cui tam multa debetis, in id videmini incumbere, ne quid feratis moleſtiæ; cùm interim ratio poſtularet, ut ad illi quàm celerrimè ſatisfaciendum, opem, ac veluti ſtipem, ab omnibus totius Mundi creaturis corrogaretis, quantumvis ſexcentæ eſſent repulſæ formidandæ. Hæ porrò rationes ac cauſæ, an ſimul junctæ non permovebunt vos, ut agnoſcatis, quantum veſtrâ interſit non omittere ullam occaſionem Indulgentiis potiundi, cùm vel ſingulæ id vobis deberent perſuadere: Civili Jure ſani reputantur ſervi, qui oculis ſunt inæqualibus, dummodo ea deformitas ineptos non reddat ad defungendum ſuis miniſteriis. Ego verò morbum reputo graviſſimum, oculo eſſe pro his terrenis contemplandis ingenti, pro Cæleſtium autem aſpectu, valde exiguo: cùm fieri nulla ra-

tione poſſit, ut fidelium Dei Servorum numero comprehendantur, quicunque caduca hæc commoda oculatiſſimi diſcernunt, in cæleſtibus autem noſcendis perpetuò caligant.

XXI. Non neſcio, eorum aliquem, qui ſingulare virtutis perfectioniſque ſtudium profitentur, reponere hîc poſſe: valdè ſe mirari ea, quæ tam ſeriò inculco: verum enim eſſe, quòd parùm ipſi curæ ſit, Indulgentiâ pœnarum gaudere; ſe tamen id majorum promeritorum gratiâ facere, neque ignaviâ & inertiâ, ſed perfectionis, ſuis abſolutæ numeris, amore ad hoc impelli. Indulgentiis redimi pœnas, quas debet, quiſquis peccavit: ſe autem, qui intimè pernoſcat admiſſarum à ſe noxarum gravitatem & fœditatem, tam non abhorrere ab iſtis ſuppliciis, ut arctiſſimo potiùs illa amplexu ſtringat. Sed quisquis hoc agitur ſpiritu & inſtinctu, noverit, ſe rectò, ſaltem ſi res in ſe ſpectetur minimè agi: pugnat enim iſte cum ſenſis totius Eccleſiæ, è qua eminenti virtute ac ſanctitate homines ad fruendam aliquibus Indulgentiis itinera longiſſima ſummas inter moleſtias & incommoda emenſi ſunt, quin tamen à quoquam eo nomine vituperentur, ſed maximis potiùs laudibus extollantur. Quæro deinde ex illo, qui ita ſentientium ex numero eſt, quibus tandem ipſe pœnis expiare velit noxas à ſe admiſſas? Hujúſne, an alterius vitæ? Si pœnis hujus vitæ, quis tandem impedimento ipſi eſt, quò minùs Indulgentiis, hoc eſt, pœnis ab ipſa Deo Filio exantlatis, quæ tanto intervallo ſuos cujuſvis cruciatus ſuperant, ſua & ipſe jungat, quæcunque vult ſupplicia? An unquam expungendis nominibus obfuit auro mixto, quod erat numeratum, aurum probatiſſimum adjunxiſſe? Si pœnis vitæ alterius, hoc eſt, ferendis in igne illo luſtrico? quis tandem ille eſt, qui virtuti & ſanctimoniæ conſumius judicet diu viva & ardentia habere nomina, quibus divinæ obligatur Juſtitiæ, quæ longè velociùs liceret extinguere? Aliter plenè agendum: quisquis enim vero in Deum amore fertur, ſæpiſſime illa ingeminat: *Dimitte nobis debita noſtra:* non minùs *debita pœnæ*, quàm *culpæ*, ut ſupremis ab Eccleſiæ Senatibus non ſemel definitum eſt. Eccur autem verba iſta amantes ingeminant? ut petant à Deo veniam omnium, quæcunque minùs grata Deo facere apta ſunt; hoc malum, ſi averruncare non ſtuderent, profectò illi hac petitione ſuperſederent. Accedit, quòd prima inter vota Dei amicis ſemper fuerit, ad Dei vultum contemplandum quamprimùm admitti. *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Quomodo igitur chari ipſis eſſe poſſunt obices, qui Dei contemplationem, hoc eſt, finis ultimi quietam poſſeſſionem, remorantur? Hæc autem ſi ita ſunt, cavete, nequis vos ſpiritus mendax deludat. Talem autem eſſe judico quemlibet, qui cum Eccleſiæ moribus & uſu pugnat. Quis tam hebes eſt; ut non adver-

*Cajet. tract. 16. de Ind. q 2. Suarez. in 3. p. t. 4. diſp. 49. ſect. 5. n. 4.*

advertat, quanto conatu nos Eccleſia excitet, alliciat, impellat ad Indulgentiarum gratias procurandas? Quis igitur earum curam omittat falſo ſanctimoniæ prætextu? Relinquite hoc palliolum ſocordiæ iis, quos ſuum frigus ad conatus tam ſanctos non excitat, vobis illo nequaquam utendum eſt.

XXII. Errâſſe equidem videor, dum cunctos ad Indulgentiarum ſtudium, & lucroſiſſimam permutationem inducere conatus ſum: ſunt, qui rectiſſimè facerent, ſi cum ceteris ad finem hunc ſanctiſſimum non convenirent. Et qui tandem iſti? Pudet me illos nominare. Sunt, qui ſemper adſint, cùm proponuntur Indulgentiæ; ſed quid iſti propoſitum habent? Non aliud ſanè, quàm ut tanto beneficio utantur peſſimè, & Dei iram non tam placent, quàm irritent. Feſta aliqua lux in certa Eccleſia magnis cæremoniis tranſigitur, & ſupra ejus valvas appenditur tabella, his inſignita literis: *Indulgentia Plenaria, & omnium peccatorum condonatio.* Crederes harum loco iſtas legi: *Indultum plenarium, cujusvis generis peccata admittendi.* Adeò lucis illius ſanctitate inſana plebs abutitur. Accurrunt ex omni latè vicinia Juvenes armati, Puellæ ad omnem vanitatem excultæ: luditur, ſaltatur, ducuntur feſtivæ choreæ, & tantùm non ipſis in Cœmiteriis ſupra mortuorum oſſa ducuntur: oriuntur rixæ, rivalium jurgia, editur ingens animorum ſtrages, ſi non aliis modis, laſcivis certè dicteriis, obtutibus, nictibus, deſideriis. Et hæc ſcilicet eſt ratio Indulgentiis potiundi? Hoc, ô miſeri, non eſt contractis ſe exolvere nominibus, ſed novis ſe devincire: hoceſt, vim adhibere divinæ Juſtitiæ, ut vibret fulmina, cùm ſe deluſam ejusmodi dehoneſtamento doleat: & pro veterum nominum abolitione, & pro injuriis ſatisfactione, novæ injuriæ accumulentur. Audite eventum tragicum, & ex eo pronuntiate, an vera ego commemorem. Neapolitano in Regno, in finibus Provinciæ, *Franc. Brancat. in Relat. apud Outreman in Pæd. Chriſt. t. 1. p. 2. c. 13. ſect. 5.* quam Campum felicem dixere, mons eſt ſolitarius, qui nomen ab Eccleſia in eo ſita, Matrique Virgini dicata, mutuatur, Mons Virginis idcirco dictus. Hunc ad locum, feriis Spiritûs Sancti adventui ſacris, ad Indulgentiarum lucrum vicinis è pagis & oppidis accurrunt tam multi, ut numerum ſex millium facilè conficiant. Annus agebatur ſeculi noſtri undecimus, cùm pro annorum priorum more plurimi eò convenere, tam non pietatis, Deique & Matris ſanctiſſimæ colendæ voluntate, ut multi non vererentur magnam noctis partem inter choreas in loco conſecrato ducere, & pejora etiam, ut eventus docebit, perpetrare, ſic ut tanta morum licentiâ & impudentiâ ipſam adeò miſerationum Matrem, ibi cultam, ad iram proritarent. Media ſiquidem nocte Virgo Beatiſſima illum in montem cælo delapſa geminas manu faces geſtabat; cdmoto autem utriusque manûs miniſterio ad tabernam, aliunde adven-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

adventantibus recipiendis ſtructam, ſontico igne, totam unius cum dimidia horæ ſpatio in cineres redegit, tantâ ibi præſentium ſtrage, ut mille quingentis plures vel flamma abſumpſerit, vel ædium ruina oppreſſerit; & ne dubitare liceret, fueritne hæc irati cæli vindicta, an eventus fortuitus, ipſa Virgo Mater, dum ſuis armata facibus in montem deſcendit, quinque ſe hominibus ſpectandam obtulit, omniaque, quæ narrata ſunt, exequentem: quæ quidem Perſonæ ſtragi ſuperſtites, juratæ teſtatæ ſunt, quæ ſuiſmet oculis uſurpârant. Quamquam vel abſque his teſtibus obſcura mihi haudquaquam foret tam funeſti incendii cauſa. Solum illud dicam, quod ſacro hoc è loco reverentia narrari non vetat: repertos nimirum mortuorum in congerie viros veſtitu muliebri, & fœminas virili; ut provida illa ſeparatio, quâ illi ab his in taberna ſejungebantur, non ſufficeret ad deteſtanda eorum deſideria & vota impedienda. En quos ob fines Chriſtiani accedant loca Indulgentiis celebria! Obſervate tamen & illud, quantum Deo, & quod conſequens eſt, Matri Virgini, ac Beatis Cælitibus diſpliceant ac improbentur conventicula iſta, in quibus tam non ſedatur Divinæ Juſtitiæ ira, prioribus noxis deletis, ut aliæ & aliæ incredibili præfidentiâ perpetrentur. An uſpiam legiſtis Miſericordiæ Matrem ſcelerum vindictam poſtulâſſe? Et hîc tamen non ſolùm illam poſtulat, deſiderat, & quærit, ſed ad ejus executionem feſtinat ipſamet: & ſicut Filius ejus mitiſſimus in Templi ac prophanatores flagro animadvertit, eóſque inde ejecit, ſic illa non flagro tantùm punit manu ſuâ, ut emendentur, ſed audaces iſtos conſumit incendio, occidit, & quaſi momento in cineres reducit: nec illi ſufficit, ut alterius vitæ ignibus, quos ipſis parari novit, æternùm luant ſuum ſcelus, vult ut has ſentire hac in vita incipiant. Scio, vos tam atrocia ad delicta non progredi; illi tamen ludi, convivia, choreæ, & quæ alia indecora animo volvitis, an vobis digni ad Indulgentiarum lucra obtinenda apparatus videntur? Imò audite, quod dum Romano in Concilio, moderante illud Eugenio Pontifice, decretum eſt ac definitum. Definit autem Pontifex authoritate omnium Præſulum, qui ſacrum illum ad Cœtum convenerant; quòd omnes, quæ eo, quo dicebam, modo, ſacrum hoc ad commercium accedunt fœminæ. *Si cum minoribus venerint ad Eccleſiam peccatis, cum majoribus revertuntur.* Levia & minora ejuſmodi fœminarum peccata ſunt domeſticæ eorum intolerantiæ, garrulitates, clamores; *cum minoribus veniunt*; graviora earundem delicta ſunt, quæ obtutibus laſcivis, veſtitu illecebroſo, aſpectu inverecundo admittunt, & alios ad ſimilia admittenda pelliciunt: *cum majoribus revertuntur.* Quod autem exempli cauſâ Concilium de fœminis pronuntiavit, de viris etiam proportione quadam dici poſſe, pro diverſa eo-

rum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum conditione, non eſt ambigendum.

XXIII. Sed demus, nihil in ejuſmodi profanis conventiculis culpæ gravioris contrahi: num tamen Indulgentias lucrari intenditis, an non? ſi minùs; domi vos continete, neque aliis eſtote impedimento, qui ſacro iſti lucro inhiant. Si autem & ipſi Indulgentiam noxarum & pœnarum propoſitam habetis, an iſtum ad finem rectè vos exiſtimatis paratos, & idoneos? Ad impetrandam plenam criminum veniam dolore ac deteſtatione ſeriâ peccatorum eſt opus, & quidem omnium, ſive graviora illa ſint, ſive levia & quotidiana: neque enim, quà dolor ſe non extendit, eò ſe porrigit venia, neque pœna remitti poteſt, culpâ, ut ſuprà dicebamus, non remiſſâ, ut in damnatis res apertiſſimè patet, qui ſemper puniuntur, quia culpa eorum nunquam remittitur. Alterâ autem parte, ſi dolor iſte animum veſtrum occupâſſet, non diſpicio, quomodo non foras emicarent ejus indicia, qualia eſſent modeſtus totius corporis habitus, oculorum abſtinentia, veſtium decentia, ſilentium, & quidquid aliud cor contritum ſignificat. Leo etiam, telo vulneratus, jubam demittit, & pronis in ſolum oculis incurvus & mœſtus ingreditur, rugitu ſylvas implens; ut nemo non agnoſcat, gravi vulnere læſum eſſe, & ponere altos ſpiritus, inter ſe non differre. *Tu humiliâſti, ſicut vulneratum, ſuperbum.* Et vos tanta elatione, tanto faſtu, oculis ita effrenibus prodere vultis dolorem, qui cor veſtrum, noxarum conſcientiâ vulneret? Fruſtrà id agitis: *Anima enim*, ſi Prophetæ credimus, *quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, incedit curva & infirma: curva* corpore, *infirma* ſpiritu; quæ mutuo conſenſu ponunt ſuperbiam: unde inceſſus, quem videre eſt nonnunquam in iis, qui tamen dolentes ſe profitentur, indicio mihi eſt, doloris telum tam non penetrâſſe cordis intima, ut ne primam quidem cutem vulnerâſſe videatur. Et quamquam etiam cordis fundum penetraret, an exiſtimatis vos altera parte implere, quod Pontificiæ literæ jubent? Pontifex nunquam Indulgentiarum beneficium illi pollicetur, qui Eccleſiam quoquo modo accedit; ut etiam exteri ſolent, quos ad illam luſtrandam curioſitas invitat: pollicetur *iis, qui devotè viſitaverint.* Devotè autem viſitare, éſtne hoc modo viſitare, quo modo multi id faciunt? Sola illa, quâ non ſe abſtinent, garrulitas, meritò ſuſpicionem movet, irritam fortaſſis illam viſitationem eſſe. Quid igitur erit, ridere, videre & videri, amoribus indulgere, veſtibus, locum ſacrum dedecentibus, indui? hoc profectò magìs eſt devotionem in aliis extinguere, quàm in ſe excitare: rebus igitur veſtris ſeriò invigilate. Nimis ſemper formidanda viſa eſt tempeſtas, quæ vel benignis ſideribus ortis tam non ſedatur, ut etiam atrociùs ſæviat. Deſtinata Indulgentiis dies, eſt momentum illud propitium, quo Stellæ, Luna, Sólque ipſe Juſtitiæ noſtrum ſu-

*Baruch. 2. 28.*

ſupra Horizontem attollunt caput, & inter ſe certant, de nobis benefico influxu juvandis, opéque indigentibus ferendâ. Quare ſi ſub hoc ipſum tempus magis furunt pravarum noſtrarum propenſionum procellæ, nec ulla malaciæ affulget ſpes, quid tandem miſeri expectabimus, quàm infame naufragium? Sed procul à nobis ſit ſors tam adverſa: mutemus noſtra ſtudia, & decernamus, ſic prenſare Indulgentias, ſicut prenſari re ipſa poſtulant.

XXIV. Si porrò rationem & normam intelligere cupimus, quâ nos oporteat in rem tantam intentos eſſe, diſcamus eam ex prudentis Judithæ verbis, ſingularem ſignificantibus pietatem:
Jud. 8. *Indulgentiam ipſius fuſis lacrimis poſtulemus, & humiliemus illi animas noſtras.* Indulgentiæ iſtæ theſaurus ſunt locupletiſſimus; ut omnes nôrunt. Sunt munificentia & benignitas Deo digna, dum momento unico, non culpa tantùm, ſed & pœna planè omnis, ſiquidem illæ ſint plenariæ, aboletur, nihilque penitùs ex peccato remanet. Hanc autem beneficentiam an æquum non eſt à Deo ardentiſſimè expeti? an, ſi ille ad nos accedit propiùs, ut ipſemet laqueos noſtros ſolvat, par non eſt, nos illi prodire obviam ſpiritu, ſupplici prece, & omnibus, quæ noſtra ſunt; atque calidiſſimis lacrymis manum illam liberalem abluere, quæ tandem omnes rumpit catenas, quibus retinemur, quò minùs liberè in cælum evolemus? Hanc igitur, hanc Dei *Indulgentiam fuſis lacrymis poſtulemus*: cùm utique omnibus cordis noſtri gemitibus ſit digniſſima. Et quia non ſufficit poſtulare, ſed ad obtinendas neceſſe eſt etiam idoneum ſe reddere; *Humiliemus illi animas noſtras.* Humiliat autem & abjicit ſe, qui tanto ſe bono, perfectâ omnium nominum contractorum condonatione, indignum reputat, & hanc ſuam indignitatem verâ, non ſpiritûs tantùm, ſed & corporis humiliatione profitetur. Humiliatio & abjectio ſui exterior, interioris ſignum eſt, imò non rarò etiam cauſa. Ut enim Balſamum, quo vulnus foris inungitur, ad interiora virtute ſua & vi effectrice penetrat; ſic humiliatio, quæ externo corpori adhibetur, ad intima uſque ſpiritûs pertingit, perſuadétque, ne ſeſe efferat & extollat. His igitur ſenſis intimè imbutos deinceps accedere oportet Eccleſias, ad potiundum theſauro, tantis laboribus, tantis ærumnis à Chriſto comparato, & ſingulari clementiâ Romano à Pontifice nobis aperto, ut tam nullo negotio, tótque adjunctis favoribus, illius participes reddi poſſimus. Sit igitur his in occaſionibus veſtitus decens, oculi modeſti, lingua taciturna, & totus corporis habitus ac conformatio, qualis reum ornat, ſuarum noxarum gratiam implorantem; nihil autem faſtûs, nihil contumaciæ exterior homo ſpiret, ne delicta non tam deleantur, quàm congeminentur.

DISCUR-

# DISCURSUS XX.

## *Quàm formidanda ſit Peccatorum identidem relabentium Conditio?*

I. NOn aliorum facilè ægrorum pejore loco res ſunt, quàm eorum, qui ſibi jam reſtituti priſtinâ iterum invaletudine tentantur: idque quatuor de cauſis. Nam inprimis æger ipſe minus tum habet ad vim morbi frangendam virium: at alterâ parte morbi vis augetur & creſcit: Remedia verò minùs jam ipſa valent; & tandem Medicus mali longinquitate & contumaciâ feſſus animo cadit. Ut autem magna eſt inter corporis animique morbos proportio, ſic & inter eos, qui denuo prioris mali vi tentantur, magna eſt proportio: ac proinde non facile dictu eſt, quanto ſe periculo exponat, quàmque malè ſibi conſulat, quisquis à noxis & animæ morbis Sacerdotis ſententiâ liber, priorem mox invaletudinem contrahit. Ne igitur idem vobis quoque accidat, conſtitui rei & diſcriminis gravitatem tam vivis, quàm poſſum, vobis coloribus depingere; quatuor illa, quæ paulò antè dicebam capita, diligenter conſiderando; Ægrum inquam ipſum, Morbum redeuntem, Remedia, atque Medicum. Et quoniam negotium hoc tanti momenti eſt, quanti ullum aliud eſſe poſſit, ſi plurimorum Peccatorum conditionem attendanus, par eſt me attentione non ordinariâ audiri. De quatuor ergo his capitibus acturus, à primo ordior, & ægrum ipſum contemplor.

### I.

II. *Novum monſtri genus* (Sanctiſſimi Præſulis Salviani verba ſunt) *eadem pene omnes jugiter faciunt, quæ ſe feciſſe plangunt.* [*lib. 3. de gub.*] Antiqui etiam, funeſti cujusdam eventûs prognoſticon [*Plin. l. 17. c. 25.*] interpretabantur, ſi quando pomum dulce denuo acerbum reddebatur. Hodie prodigia iſta, quia creberrima, porrò non miramur; tantus nimirum eorum eſt numerus, qui vixdum è ſcelerum ſuorum lecto erecti, mox in illum relabantur. Ne tamen timorem cuiqum non neceſſarium incutiam, duo relabentium genera diſtinguere neceſſe eſt, & cuinam eorum tam infauſta ominer, diſcertè edicere. Primum igitur eorum genus eſt, qui cadunt quidem, poſtquam Confeſſionis beneficio ſurrexerant, ſed cadunt rariùs, cadunt cum magno animi ſenſu & exprobratione; cadunt, ſed non amittunt ſerium ſemper ſtandi deſiderium. Hos equidem ego diſſertatione hac mea non peto: ſpe potiùs bonâ plenos

Rr 2 nos

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nos illos eſſe jubeo: nam etſi negari non poſſit, quin aliquæ adhuc tenebræ animos illorum occupent, non tamen ſunt, niſi tenebræ matutinæ, quæ ſenſim rareſcunt, dum plena tandem lux affulgeat. Propoſitum igitur mihi eſt, agere hodie cum alio genere recidentium; eorum nimirum, qui vix auditâ Sacerdotis, à noxis præteritis abſolventis, ſententiâ, nullâ ſecutâ morum emendatione, priorem mox ludum repetunt, & nullo ſenſu antiquis, & vix elutis ſe ſordibus denuo conſpurcant: divinam opem ad vitanda peccata non implorant; Sacris Myſteriis crebriùs non utuntur: occaſiones periculi plenas tam non fugiunt, ut in medias potiùs non minore, quàm antea, temeritate ſe ingerant: verbo, tenebræ ſunt ſerotinæ, quæ paulatim in noctem denſiſſimam deſinunt. Hoc autem hominum genus, quod utinam rarum eſſet, dico conditione ac ſtatu eſſe planè miſerrimo, & nullis ſat lacrymis deplorando. Ut ita ſentiam, moveor primò, genere illo Confeſſionum, quibus ſe coram Sacerdote reos peragunt; quas quidem illi ſuis numeris abſolutas putant, ego autem valde metuo, ne multum ad illarum integritatem & perfectionem deſit. Unde etiam magnopere dubius hæreo, an non, dum eos relapſos & recidivos appellamus, titulos illis & nomenclationem non promeritam tribuamus. Qui enim relabi, qui morbo iterum tentari dicitur, ſupponitur priùs convaluiſſe, & aliquanto ſaltem temporis intervallo bene habuiſſe: cùm tamen non pauci hujus farinæ nunquam non ſuâ febri laborârint. S. Gregorius Nazianzenus aſſerebat, Juliano Imperatori perperam tribui cognomen Apoſtatæ, propterea quòd à fide deficere non potuerit, quem conſtet nunquam credidiſſe. Ita igitur inter relapſos, & denuo Peccatores numerari non debent, qui Juſtitiæ donum nunquam recuperaverant. Plurimùm ſanè refert, veritatem hanc quàm clariſſimè perſpicere; æquum proinde eſt, eam à me ſic demonſtrari, ut manibus propè palpari poſſit, cauſas ejus & effecta accuratè enumerando.

III. Atque ut ab his ordiar, illud inprimis pro certo habendum, nos in omnium Sacramentorum uſu, præter ſtabilem illam & permanentem gratiam, auxiliatrices quoque gratias, quas actuales appellamus, quæque opportuno tempore dantur, accipere; harum autem proprium eſt, novas vires & robur ad reſiſtendum tentationibus tribuere. Quocirca cùm tam citò, tamque nullâ morâ interpoſitâ reditur ad antiquas miſerias, argumento id equidem eſt minimè vano, nulla ejuſmodi auxilia Confeſſionis beneficio obtenta fuiſſe, atque adeò hanc ritè non fuiſſe peractam: ſi etiam ſi valida fuit (quod quidem nunc in controverſiam non vocabo) informis tamen, ut Scholæ loquuntur, fuerit, ita ut Sacramentum quidem, ſed non ejus fructus & effecta percepta ſint. Erit, qui exiſtimet, tam facilem in antiquum cœnum lapſum argumentum potiùs eſſe debere, auxilia parùm fortia, parùm potentia fuiſſe accepta;

quàm

P. SEGNERI Homo Christian

quàm omnino nulla. Hic ut errorem ſuum dedoceatur, ſciat oportet, quantumcunque exiguam gratiæ permanentis particulam cum auxilio illo opportuno, cujus radix eſt, ſufficere ad vitandas omnes planè & ſingulas noxas graves. *Qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei conſervat illum.* Cujus rei hæc eſt ratio; quòd ſi gratia ſtabilis à Charitate diſtinguitur, nunquam tamen illam non comitem habeat: hujus autem proprium eſt, Deum rebus omnino omnibus anteponere; quod idem eſt, ac nolle illum quantocunque bono creato permutare. Ita Angelicus diſertis verbis docuit. *Minima*, inquit, *gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum Legis: minima enim charitas plùs diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti.* Quicunque proinde animus hoc Charitatis dono dives eſt, aut nunquam amittit Deum, aut ſi ejus peccando jacturam facit, absque acerbo ſenſu non facit, dolétque vehementer, ſe bonum tanti à ſe æſtimatum amiſiſſe: neque enim, ſi S. Auguſtino credimus, amittitur absque dolore, quod poſſidebatur cum amore. Unde meritò prudens quisque colligat, Peccatores illos, qui bibunt iniquitatem ſicut aquam, atque adeò nullo reſpectu, nullo metu, nullo doloris ullius ſenſu, vix à noxis abſoluti, mox ſimiles contrahunt, Confeſſione illâ ſuâ in gratiam cum Deo non rediiſſe, atque adeò nec Charitatis, cetequin tam efficacis, donum recepiſſe. Quæ mortuæ ex oviculæ exuviis conditur lana, ſervari diu non poteſt, ſed deſtituta calidis illis & vivacibus ſpiritibus, quibus viget, quæ ex viventi ovicula demitur, confeſtim conſumitur. Eâdem ex causâ rectè affirmabimus has relabentium culpas naſci. Lana ſunt mortua, vitali illo & calenti deſtituta vigore, quo eorum animi donantur, qui verè Confeſſionis ope reviviſcunt, novámque vitam vivunt; & hinc tam citò eorum à peccato abſtinentia finem habet. Quin & illud accedit, quòd etſi omnis gratia, quocunque titulo & nomine collata, id habet, ut vires præſtet ad quaslibet graviores noxas vitandas, quæ tamen Sacramenti Pœnitentiæ beneficio confertur, præ quavis alia valeat ad peccata deinceps non repetenda. Cùm enim id præcipuè hujus admirandi Myſterii inſtitutione ſpectârit Deus, ut peccatum deſtruatur, ambigere non licet, quin peculiari virtute polleat, ad illud penitus enervandum, atque idcirco ſicut Baptiſmi virtute peculiare auxilium accipimus, quo dignam Chriſtiano homine vitam ordiamur; in Diviniſſimo autem Euchariſtiæ Myſterio viribus gratiæ augemur ad proficiendũ; ita Pœnitentiæ Sacramento auxiliis juvamur aptiſſimis tam ad vitam amiſſam recuperandam, quàm ad recuperatam porrò non amittendam, imò ad majores, quàm quibus antè inſtructi eramus, vires obtinendas: hinc Angelicus, *Pœnitentia, quantum eſt de ſe, habet virtutem reparandi defectus ad perfectum, & etiam promovendi in ulteriorem ſtatum.* 3.p.q.89. ar. 2. ad 2.

Si quem proinde videre contigerit, quem tanta, quanta priùs, ad peccandum impellat propenſio, tam facilè, quàm antea, voluptas irritet, quid cauſæ eſſe poteſt, ob quam magni ejus Pœnitentia æſtimetur? Meritò ſanè jubet Apoſtolus, ut diligenter attendamus, an noſtra ſit *Dilectio ſine ſimulatione*, an *Charitas non ficta*: quantò enim præſtantius hoc aurum eſt, tantò fermè ſolertiùs adulteratur. Equidem Sanctis Patribus ſolenne eſt, explodere ut umbratilem pœnitentiam tam variam & mutabilem. Hoc è numero ſunt SS. Ambroſius, Iſidorus, Bernardus, Hieronymus, Georgius, & præ ceteris S. Auguſtinus, cujus iſta ſunt verba: *Qui pectus ſuum tundit, & non corrigit, peccata ſolidat, non tollit.* Juſtiſſimus igitur, & haudquaquam aniliter anxius metus eſt, quo de Confeſſionibus recidivorum horumce ambigimus, cùm nunquam efficiant, ad quod efficiendum ab ipſo Deo ſunt inſtitutæ; cùm tamen non obſcurè S. Thomas aſſerat: *Gratia Sacramentalis addit ſuper gratiam communiter dictam, quoddam divinum auxilium ad conſequendum Sacramenti finem.*

*Rom. 11.*
*1. Cor. 6.*
*3. p. q. 62. ar. 2.*

IV. Eandem veritatem affirmant etiam hujuſce mutabilitatis, & inconſtantiæ cauſæ. Quid enim, ſi vera dicere lubet, facit, ut ægros prior invaletudo occupet? an non prioris quædam mali reliquiæ, quæ intimis viſceribus adhæſerant? *Quæ relinquuntur in morbis, recidivos facere ſolent.* Non diſparem in re noſtra cauſam inveniemus. Reditur non rarò ad priora delicta perpetranda, quia voluntas nondum exuerat affectum ad illa. Nonnemo plurium annorum ſpatio fœdis amoribus implicitus vivit, & tamen ſemel ſaltem quotannis, ſub Paſchales ferias, animum noxii exonerat. Quid autem? an ille, quoties ſacrum Arbitrum accedit, ſemper animum penitùs avellit ab objecto perperam amato? an averſatur mulierculam, unicum vitæ tam perditæ incitamentum? Nihil minùs: amat enim eam tam obnoxiè, quàm priùs. Hinc perinde, ac antea, urit eum ſollicitus metus, ne alteri ipſa animum & amorem addicat: hinc in illam acerbè invehitur, nec verberibus ſemper abſtinet, cùm paulò curioſiùs rivalem intuetur: ſuccurrit ejus indigentiæ; juvat in litibus & negotiis: ſi Sacrum Oratorem audit, metuit, ne ante actæ vitæ pudor & pœnitudo ſubeat: ſi noxas confeſſione eluit, optat, ne illam Sacerdos increpet, ne terreat: quid multis? triſtius illi accidere nihil poſſet, quàm ſi audire deberet, ſe ab ea certò deſerendum. Et hoc ſit verè ac ſincerè converti? Eſt mentiri Deo; aliud nihil. *Inimici Domini mentiti ſunt ei.* Lupus cùm in tenebris prædæ ſuæ inhiat, ſicubi ceſpitet, & ſtrepitum excitet, incautum pedem admordet. Crederet quis, itineris luſcepti eum pœnitere; ſed aliter res habet; nec enim relegit iter, nec rapiendi prædámque devorandi deſiderium ponit: ſolùm dolet, quòd minùs curæ adhibuerit ad prædas agendas; ſed periculo ſe expoſuerit, ne ictibus malè mulctatus prædam non cupitam auferret. Enim verò perſuaſiſſi-

*Hipp. l. 2. Aph. 12.*
*Pſ. 10. 16.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſiſſimum vobis volo non aliam ſæpe eſſe eorum, de quibus nobis ſermo, pœnitentiam: dum enim vel maximè angi cruciarique ob admiſſa videntur, adhuc vel impuris ſuis amoribus æſtuant, vel ardent vindictæ deſiderio, vel rei alienæ cupiditate flagrant, prout hoc, illóve flagitio hærebant impliciti. *Plerumque*, Sancto Gregorio teſte, *mali ita inutiliter compunguntur ad juſtitiam, ſicut plerumque boni tentantur ad culpam*: quibus verbis id innuit S, Doctor: quòd haud ſecus, ac Sancti, cùm graves ad noxas Dæmonum invitamentis impelluntur, videntur ſibi voluntate ipsâ veritis illis objectis delectari, licèt re ipsâ haudquaquam aſſentiantur; ita Peccatores dolere ſibi videantur, cùm delicta aperiunt, etſi revera non doleant; cùm velint voluntate non integrâ, non abſolutâ, ſed dimidiatâ & mancâ; quam qualis fuerit, ſatis eorum opera loquuntur. Siquidem ut is, qui ad illicita cogitando provocatur, argumento ſatis certo judicare poteſt, ſe aſſenſum non eſſe, ſi ad opus ipſum pertractus & inductus nunquam eſt; ſic, quem gratia ad deſerendum peccatum invitat, nec tamen ipſe id unquam deſerit, jure longè optimo judicabit, ſe excitanti gratiæ non eſſe aſſenſum; timebitque meritò, ne ſibi noxarum, etiam confitenti, gratia facta non ſit; propterea quòd conſtet hanc non fieri, niſi iis, qui toto animo, totâ voluntate ad Deum redeunt, non verò, qui partem alteram creato alicui bono affixam tenent: *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Videtur proinde divino quoque coram tribunali fieri id, quod lex humana ſtatuit; ut nimirum Paſchalibus feriis vinculis ſolvantur Rei, niſi tamen certis quibusdam flagitiis aſſueverint: *Diebus Paſchalibus* l. Nemo.
*Carcerati liberantur, niſi peccare ſint aſ-* §. hic
*ſueti.* Crediderim & ego ex hoc re- ergo C. de
labi ſolitorum grege multos quidem Epiſc.
hoc tempore abſolvi, ſolvi autem op- aud.
pidò paucos.

V. Verùm, ut cum hujusmodi ſortis hominibus quàm humaniſſimè agam, ſimúlque rem demonſtrem clariùs: dabo iis, Confeſſiones eorum nullo vitio laborare: non idcirco non miſeranda eſt eorum conditio; cùm ſummæ plenum difficultatis maneat emendandæ vitæ negotium, &, quod conſequens eſt, magno adhuc ſalus expoſita periculo. Et ad vitam quidem corrigendam quod ſpectat, ſi tam variam tamque inſtabilem eorum indolem attendamus, ad priora ſemper reſpicientem, absque prodigio, & magno quidem, non eſt quòd quidquam ſperent. *Quieſcite agere perver-* Iſa. 1. 16.
*sè*: per Iſaiam Deus monet; & ſubinde addit: *& ſi fuerint peccata veſtra* 18.
*ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* Hæc porrò verba indicant, Deum Medici inſtar, ſalutem ægri ardentiſſimè deſiderantis, ſe geſſiſſe. Conſtat autem, nullius membri plagam curari poſſe, niſi illud quieſcat à motu. *Oportet*, Galeno teſte, *membrum, quod debet ſanari, conſiſtere in quiete*: eâque causâ pulmonum vulnera ſanari non poſſunt: quia illi ſemper ſe motitant, nec unquam quieſcunt. Quomodo igitur ſanari poſſint Recidivi noſtri,

quo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quorum mens nunquam quieta, tranſit à peccato ad pœnitentiam, à pœnitentia ad peccatum? Qui emendari vult, conſilium illud, de quo paulò antè, audiat oportet: *Quieſcite agere perversè.* Abrumpat pravam illam aſſuetudinem; Dei amicitiam aliquanto ſaltem tempore retineat; redeat ad ſacrum tribunal antè, quàm denuo cadat: tum enimverò animus, quamlibet fœdis ſordibus intimè imbutus, ut ne lana quidem ullum colorem imbibere tenaciùs poſſit, nive tamen evadet mundior, atque candidior; *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur.*

VI. Verùm hoc ipſum eſt, quod Recidivi negligunt; emendare vitam. Expaveſco, cùm illarum divi-

*Prov. 18. apud Salaz.* ni Spiritûs vocum memini: *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Interpretum non pauci loco *profundum* legunt, & intelligunt *centrum*: Recidivi autem in peccato ſuo non ſecus, ac in centro morantur.

*Ariſt. l. 1. de Cœlo.* Id res quælibet à centro habet, ut in eo quieſcat, & conſervetur: idémque Recidivi à peccato habent: *Impius, cùm in centrum venerit peccatorum, contemnit*: perinde ſuaviter in delictorum ſuorum fœditatibus quieſcunt, ac ſi nunquam Innocentiæ ſto-

*Eccl. 8. 14.* lam commaculâſſent. *Sunt Impii, qui ita ſecuri ſunt, quaſi Juſtorum facta habeant.* Qui primùm navi per mare vehitur, ſi vel modicæ procellæ navim agitent, turbari mox in ſe omnia, & ſûs déque agi experitur. At qui navigationi diu aſſuevit, vix in graviſſimis tempeſtatibus tantillum commovetur. Sic qui procul ab omni noxa vitam aliquamdiu egit, ſi quando ſiniſtro caſu peccatum aliquod admiſit, mox animi quietem perdit, curis, metu, angoribus horrendùm exagitatur: ubi autem idem in peccato diu hæſerit, & ipſa aſſuetudine horrorem exuerit, vix aliquo tandem ſenſu horrendorum etiam ſacrilegiorum tangitur. Prô! quietem Peccatorum funeſtam, ô ignaviam, ô ſomnum, vere mortis principium! cum Jona dormire, dum in momenta naufragium imminet? Quæ hic vitæ emendandæ ſpes, dum ſenſus miſeriæ propriæ eſt nullus, nullus pudor, dum in ſceleribus delitiæ quæruntur, ex iiſdem gloria expectatur, atque ita hoc in centro non quies tantùm invenitur, ſed & conſervatio ſperatur? *Impius cùm in centrum venerit peccatorum, contemnit.* Non vereor dicere, quòd, etiamſi infelices iſti de vita emendanda ſeriò cœperint cogitare, Dæmon rideat & inſultet; cùm præclarè noverit, quàm nullis ſint, ad propoſita executioni mandanda, robore & viribus. Cùm ſemel Galbæ Imperatori nuntiatum eſſet, Vitellium ſeditionem moliri; nihil eſt, ajebat, quod metuamus: Vitellius immanis eſt helluo: quid ab ejuſmodi homine formidemus? Quid Orcus ab helluonibus iſtis formidet, qui graviſſima ſcelera, ne præmanſa quidem, integra devorant & glutiunt, quin unquam exaturentur? Inepti illi planè ſunt, dicet Dæmon, qui rem tantam aggrediantur & perficiant, quanta eſt, ruptis omnibus vinculis, ſervitute meâ ſe eximere. Fugiunt illi

illi omni conatu, quidquid difficile, quidquid arduum eſt; & tantis repente ſint animis, ut effrenes ſuos impetus pervincere ac domare velint, ac poſſint? Nunquam non inhiant novis voluptatibus, novis oblectamentis; & momento mox unico omnem libidinem averſentur, & execrentur? Et verò res ipſa docet, tam eos, qui velut rapto vivere, & ex alieno diteſcere aſſueverunt, quàm qui multo tempore fœdis amoribus, & illicito conſortio impliciti hæſerunt, mori priùs, quàm ſeriò hæc vitia emendent; Gryphis non abſimiles, qui, quam aliquando unguibus arripuerint, prædam, eâ tenacitate retinent, ut eximi aliter, quàm amputatis unguibus, non poſſit. Si juſtiſſimus Deus vult, ut inſatiabilis quidam Euclio deſinat tandem inopum ſanguinem ſugere; ut Laſcivus aliquis ac ſalax, omnibus latè vicinis pravitate exempli porrò non ſit offendiculo, gladium prehendat neceſſe eſt, & non ungues tantùm grypho ejusmodi, ſed vitam ipſam amputet. Efficere ut mores mutet, nimis arduum negotium eſt.

VII. At ſi tam arduum, támque difficile eſt emendationis morum negotium, non minoris molis erit negotium ſalutis, quam ex operibus factisq; pendere Deus voluit. *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet*: Nam etſi Deus nunquam non paratus ſit, conferre nobis maxima illa bona, quæ poſt mortalem hanc vitam in Cælo pollicitus eſt, illud tamen lege non diſpenſabili exigit, ut ad illa mortali hàc in vitâ nos paremus, & reddamus capaces, ſanctiſſimis ſuis legibus ad amuſſim implendis, ut ſic & illa ſperemus firmiùs (tanquam bona, quæ dantur titulo, quem dicunt, oneroſo) & majori cum dignitate ſubinde illa poſſideamus. Atque ita is plerumque Recidivorum iſtorum, qui tam ſæpe, támque lubrico caſu à Gratiæ ſtatu in peccatum relabuntur, finis eſt, qui eorum eſſe ſolet, qui crebrò animi deliquium pati ſolent; ut ſcilicet, quod Medici obſervârunt, repentè, cùm nil tale metuunt, vivere deſinant. Nam *Hipp.*
& hi fermè eo in ſtatu hinc migrant, *ſect. 2.*
quo nunquam ſe abituros exiſtimabant; *Aphor.*
ſuis nimirum illis delictis *4.*
impliciti, quæ ſibi ita familiaria reddiderunt, ut eorum propria videri poſſent: *In peccato veſtro moriemini.* *Ioan. 8. 21.*

## II.

VIII. Utinam ſaltem, cùm proſtratis adeò, afflictisque viribus ægri iſti ſint, tempore leniretur inteſtinum malum, & vim nocendi amitteret! ſed hoc omnium deterrimum eſt, quòd iſtud nova potiùs indies incrementa ſumat. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* *Pſ. 73. 23.* Sceleratorum hominū calamitates à duplici inimicorum claſſe proveniunt: prima eſt inimicorum domeſticorum, carnis inquam, & appetitionum effrenium: altera externorum, ſeu foris oppugnantium, Mundi, inquam, ac Dæmonis. Hoc autem cùm ita ſit, non poteſt non indies mali vis creſcere, cùm ſemper robuſtiores fiant, qui ſanitatem eorum & valetudinem oppugnant. Nam primò Cupiditates & Appetitiones belluinæ,

quò crebriùs guſtant ſuas illecebras, tantò illa ſitiunt vehementiùs, & alia ex aliis excogitant, quibus perpetuus quodammodo fiat amatarum voluptatum uſus, nec unquam ſicca ſint à tam grato liquore labra. Videre erit aliquem, qui nunquam adhuc obſcœnas voluptates delibârit, dies, quin & hebdomadas, exigere, quin vel cogitatio illi turpis moleſta ſit: cùm interim, his fœditatibus aſſuetus, ne nocturnam quidem quietem his moleſtiis liberam exigat, cùm modò hanc, modò illam venari ſibi videatur, & laqueos tendere, quibus illam, ut innocentum columbulam, implicet. Quamquam enim ſemper animales facultates noſtræ ad repugnantia rationi trahant, nunquam tamen ferociores ſunt, quàm cùm identidem rumpunt habenas, & velut liberæ quacunque libet vagari ſinuntur. Tum enim plus & poſſunt, & ſternaciores redduntur, neque ampliùs ulla ratiòne ſubjectæ eſſe, aut parere dignantur.

IX. Ad alteram inimicorum claſſem quod pertinet, quos externos diximus, iſtorum quoque rabies, & Recidivis nocendi cupiditas creſcit. Id quod egregiè parabola illa Evangelica, de Dæmone ædibus pulſo, ſed cum ſeptem aliis, ſe nequioribus, reduce, ut magìs ſtabilis eſſet habitatio, ob oculos ponit. *Aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.* Qui ex carcere, dum cuſtos negligentiùs agit, profugus, ſubinde ex fuga retrahitur, ſi eidem, cui priùs, denuo includatur ergaſtulo, multò jam obſervatur attentiùs, nec facilè laxior ei fit carcer, aut libertatis plus tribuitur, ne denuo fugam capeſſat. His autem Dæmonum oppugnationibus ſemper magìs obnoxii ſunt, qui crebrò relabuntur; cùm animus eorum caducis his bonis tenaciter admodum adhæreſcat, & pravæ propenſiones toties iteratis delictis maxima ſumant incrementa. Non omnibus terrarum partibus ventorum vis æquali furore dominatur. Ubi cavernæ multæ ſunt, ibi experientia docuit, & ſæpe, & multùm ventos furere. Nec diſpar tentationum eſt ratio; alii crebriùs & vehementiùs; alii rariùs & mitiùs iis impetuntur: nemo ſæpiùs, nemo acriùs, quàm quorum animus, velut in cavernis, plurimas fovet noxias & peſtilentes exhalationes. Hi enim ut aptiores ſunt, qui in malum non leni impetu ferantur, ita hoſtium impetus longè crebriùs experiuntur.

Luc. 19. 26.

X. Sed omiſſis his omnibus, indolem tantùm & naturam peccatorum, quæ Recidivi admittunt, perpendamus, ut certiùs agnoſcamus, quanta incrementa morbi, quo laborant, in dies ſumat. Omne peccatum, ut admiſſum à creatura viliſſima, ſummus quidam Dei ſummi boni contemptus eſt, & vilipenſio: ut autem admittitur à creaturâ plurimis maximiſque beneficiis affectâ, animi ſummè ingrati argumentum eſt. *Filios enutrivi & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me.* Utroque autem iſto ex capite longè graviſſima efficiuntur ſæpe relabentium peccata: unde neceſſe eſt, mali quoque, quo premuntur, magni-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gnitudinem plurimùm augeri. Et quidem ſi animum ingratum conſideremus, quærit S. Thomas, quodnam peccatum gravius ſit altero ac fœdius? an quod admittit is, qui eatenus ſingulari Dei beneficio à labe immunis permanſit; an verò illud, quod admittit alius, qui gratiam Pœnitentiâ recuperatam denuo perdit? reſpondet autem, graviorem eſſe culpam cadentis poſt gratiam, pœnitudine ſeriâ iterum obtenta, propterea, quòd iſta longè turpiorem animi ingrati notam inurat. *Multò magis contemnitur Dei bonitas, ſi poſt remiſſionem prioris peccati, ſecundò peccatum iteretur; quantò majus eſt beneficium peccatum remittere, quàm Peccatorem ſubſtinere.* Nec his contentus S. Doctor, addit non diu pòſt: *Peccata dimiſſa per Pœnitentiam, redire dicuntur, in quantum reatus eorum, ratione ingratitudinis, virtualiter continetur in peccato ſequenti.* Qui autem, poſt repetitas iterum, iterùmque Confeſſiones, redeunt ad peccata jam toties deleta perpetranda, fermè non de alio ſe, quàm poſtremo illo, quod admiſerunt, ſcelere accuſant & dolent: ſed falluntur illi ſplendidè: cùm non ultimam hanc tantùm noxam, ſed priores adeò omnes deteſtari oporteat; hæ enim ſuo modo cunctæ in poſteriore peccato revixerunt, & veneni aliquid in illud refuderunt; in hoc Baſiliſco non diſſimiles, de quo Solinus: *Vis nocendi ne mortuo quidem deeſt.* Et verò non aliter Deus tam crebros relapſus intuetur: atque hinc nova, jam dimiſſis, ſcelera addere, perinde videtur, ac montes imponere montibus, altitudine tantâ, tàmque ſtupendâ, ut ipſas nonnunquam nubes vertice ſuperent. *Delicta noſtra creverunt uſque adnubes.* [margin: 1. Eſd. 9. 6.]

XI. Neque minùs altero ex capite mali vis in relabentium peccatis augetur, ut nimirum Dei contemptum complectuntur, qui profectò ſemper major efficitur. Contemptui enim, in repetitis delictis, habetur non ſola Dei præcipientis voluntas, ut fit in primo peccato; ſed ipſa etiam ſpernitur Gratia, quâ prior noxa dimiſſa eſt; & toties ſpernitur, quoties poſt veniam repetitur. Inſuper haud ſanè parùm contemptûs magnitudini accedit ex comparatione. Qui Deum deſerit, ut Dæmoni iterum ſe addicat, poſtquam deſeruerat Dæmonem, ut Deum ſequeretur, videtur, ut Tertullianus obſervavit, ferre ſententiam, quòd præſtet ſervire Diabolo, quàm Deo; dum & hanc, & illam ſervitutē expertus, recedit tamē ab obſequio Dei, ut ad Dæmonis famulatum remigret: *Comparationem videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & judicatò pronuntiâſſe eum meliorem, cujus ſe rurſus eſſe maluerit.* [margin: de Pœnit. n. 5.] Quàm graviter autem & indignè, tam inſanum judicium propudioſè contemptus Deus juſtiſſimè feret? Grave eſt omne crimen læſæ Majeſtatis, quo urbs aliqua temerè ſe obſtinxerit. Vix tamen eſt Princeps tam à clementiâ alienus, qui primò delinquentibus civibus non parcat: at ſi ſimili ſcelere contumaces aliqui ſecundò Principem offenderint, vix ullus eſt, à quo ſperari venia

Sſ 2 etiam

etiam tum poſſit; et à Deo ſibi illam toties perfidi ſemper promittant? Ninive illa magna, quæ pœnitens criminum ſuorum veniam ſemel conſecuta eſt, cùm ſubinde ingrata iisdem ſe fœditatibus inquinâſſet, everſa tandem eſt à Deo, ſtrage tam luculentâ, ut longiſſimo tempore præſidenter peccantibus exemplo eſſe potuerit. An non igitur veriſſimum eſt, ægrum, antiquo malo toties iterum tentatum, non ſolùm viribus magis magisque deſtitui ſed etiam è diverſo vim morbi malignitatémque indies augeſcere?

III.

XII. Sed age: an non ſaltem tam miſero, tam pleno diſcriminis ſtatui aliquod remedium erit ſuper? Verùm hoc ipſum eſt, quod majorem ſapienti timorem merito incutiat: ipſa ſiquidem remedia ſemper minùs poſſunt. Commune hoc eſt omnibus, quas natura hominum morbis providit, medicinis, minùs in eo efficere, qui illis frequentiùs utitur: certè eò nonnunquam venitur, ut & vim, & nomen medicaminum amittant. *Omnium medicaminum vires debiliores in aſſuetis deprehenduntur: in nonnullis etiam omnino inertes: ideo non debent poni inter medicamina.* Aliter omnino ſe res habet in medicamentis, de quibus animæ noſtræ proſpexit Deus: horum enim quò uſus frequentior, hoc etiam eſt ſalubrior; quò autem rariùs quis illis utitur, hoc minùs eorum in ſe vim experitur: non medicaminum ipſorum, horum enim virtus nunquam non æqualis eſt, ſed utentis vitio, qui

*Theoph. hiſt plant. 9. c. 8.*

minùs paratus ea adhibet. Unde qui raro Confeſſionis, raro S. Communionis Myſteriis utitur, tam parum ex his fructûs capit, ut Medicamentorum rationem in ipſo amiſiſſe dici poſſint. Atque hoc ex numero ferme Recidivi eſſe conſueverunt, qui, deſtinato & certo conſilio, quàm poſſunt rariſſimè ſacris his in fontibus ſuas eluere ſordes ſtudent, propterea quòd eò redacti ſint, ut has etiam amet & amplectantur: *Amplexati ſunt ſtercora*: & paucorum illorum momentorum vitam, quibus immunes ſordibus degunt, miſeram & minimè jucundam exiſtimant. Nec plus emolumenti huic hominum generi afferunt alia præſidia externa, Hortationum, Concionum, minarum; quia fallaciſſimâ ſecuritate deluſi omnem metum, vel ut anxie religioſum, vel ut planè ſuperfluum, excutiunt. Qui phreneſi laborant, ſi multùm tremant, parum abſunt à ſanitate recuperanda. *Phreneticæ affectiones vehementer tremulæ deſinunt*: teſte Hippocrate. Qui proin in ipſa pravarum ſuarum affectionū phreneſi trepidat, qui æternos ignes, vindicem Deum, aut ſi non aliud, hominum dicteria & exprobrationes meruit, ſatis hoc ipſo oſtendit, non valde remotam eſſe ſuæ ſanitatis ſpem. At ubi è diverſo omnis timoris expers, dum vitam ducit hominis Reprobi, tam beatitatis æternæ ſecurus vivit, ac ſi jam tū illâ frueretur, nō Confeſſarii, non Superiorum, non Concionatorum, imò ne amicorum quidem monita admittere ad aures vult, ſed ut ſuperſtitioſè anxia ridet, quæ vel ini-

*Hippocr. ... prædict.*

vitus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vitus aliquando audit; quibus demum remediis medebitur ſuæ inſaniæ, hicque tantò funeſtiore, quantò tranquilliùs amarâ, ſtultitiâ liberabitur? *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari: iracundia enim animoſitatis illius, ſubverſio illius eſt*: ita Eccleſiaſticus edixit.

XIII. Nec tamen hoc malorum ſummum eſt: deterrimum eſt, quòd non tantùm utilitatis nihil, ſed plurimum damni ex his remediis accipiant. *Meliùs erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato*: quæ eſt S. Petri ſententia: cujus rationem indicâſſe videtur S. Paulus iis verbis. *Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, &c. proferens autem ſpinas, ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima*; quòd perinde eſt ac dicere: Animam illam, quæ crebris à Deo àuxiliis excitata ad gerendum ſalutis negotium, tamen iis abuſa eſt, Reprobis accenſeri (Peccatoribus nimirum illis, qui omni Dei gratiâ deſtituti ſunt) & parùm abeſſe à maledicto; illâ nimirum ſententiâ terribili, quam in Judicio cujusque privato feret, & in communi illo aſſirmabit Chriſtus: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Verbis meis fidem faciet noſtræ ætatis hiſtoria. Paucis abhinc annis, in pago propè urbem Burgundiæ Divionem, illuſtri vir ſanguine peccatis identidem iteratis deplorandæ huic, quâ de nobis ſermo, Recidivorum claſſi meruerat accenſeri. Tandem invaletudine haud levi tentatus, ne tum quidem inducere in animum potuit, ut noxas Sacerdoti aperiret: Cùm repentè in velis, quæ lecto prætexebantur, grandioribus literis exarata hæc legit verba: *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt.* Æger pro eo, quòd his verbis ad animi ſui curam excitaretur, ſuſpicari cœpit, Parochi arte ſcriptum & ibi appenſum fuiſſe, in quo hæc legebantur, ſchediaſma, ut hoc terriculamento ad Confeſſionem pelliceretur: fremere proinde, increpare, minari, quòd mille in fruſta curaturus eſſet conſcindi vela, niſi inviſum illud ſchediaſma tollerent. Interim neque Curio, neque domeſticorum quisquam vel literulam videbat: ut tamen quieſceret æger, ſublatis, quæ priùs pependerant, velis, alterius generis alia ſubſtituerunt; cùm ecce his inſcriptas legit has voces, *Quæretis me, & non invenietis.* Quis non exiſtimâſſet, his vocibus perculſum ægrum rediturum ad ſe, & deluendis ſincera Confeſſione noxis cogitaturum? Sed ille etiam contumacior, non quievit, donec & his velis ſublatis alia appenderentur. Sed hæc appendere aliud non fuit, quàm ferale & nigrum erigere vexillum, ſupremæ ſtragis & internecionis prodromum, quale olim victores, ad terrorem, de victorum erigere conſueverant. His ergo in cortinis hæ voces ſcriptæ legebantur. *In peccato veſtro moriemini.* Et mox vivere infelix deſiit; ædes autem ipſæ tantò impetu conquaſſatæ ſunt, ut funditus everti viderentur: cadaver ex oculis ita ſublatum, ut pars ipſius nulla de-

inceps viſa ſit, tanto omnium, qui aderant, horrore, ut vidua cum filiabus Monacharum Tereſianarum, filius verò bonorum hæres, Religioſorum, quos Cappucinos dicunt, Cœtibus aggregati reliquam in iis vitam egerint. Obſervare hîc eſt, nihil profeciſſe ad Recidivum hunc emendandum remedia non tantùm ſummo cum amore, ſed etiam non absque prodigio oblata: deinde hæc ipſa remedia, hæc monita neglecta impuliſſe Deum ad ſeveriùs, & publico aliorum exemplo animadvertendum in hominem tam obfirmatè contumacem. *Meliùs* proinde etiam huic *erat non cognoſcere veritatem.* Quis ergo explicet, quàm infelix ac miſera eorum ſit Peccatorum conditio, quibus expedit neſcire, expedit non audire, non accipere à Deo auxilia? S. Auguſtinus, ut gravitatem & turpitudinem ſuperbiæ explicaret, eâ demum ratione id ſibi rectiſſimè conſecuturus videbatur, ſi diceret; expedire Virgini ſuperbæ, jacturam pudicitiæ facere, ut inde lucrū captet Humilitatis. Quibus autem ego argumentis clariùs demonſtrare potero miſerandam infeliciſſimorum Recidiviorum conditionem, quàm ſi oſtendam; optabilius ejuſmodi hominum generi futurum fuiſſe, ſi nunquam deſerto lecto ſanitatem recepiſſent, quàm ut, poſtquam ſurrexerant, in illum denuo relaberentur?

IV.

XIV. Cùm igitur & æger ipſe, & morbi ratio, & medicamenta vix quidquam ſperare nos permittant, ſuper eſt, ut periti & felicis Medici arti confidamus. Cùm autem Medicus hic alius non ſit, quàm ipſe Deus, ſi hic totâ ſuâ peritiâ uti velit, dubium non eſt, quin momento ſalutem reddere ægro poſſit, etſi de illo jam fuerit conclamatum: ſed ex eo pendet negotium, an placeat illi remediis uti, quibus plerumque, & ſecundùm communes Providentiæ ſuæ leges uti ſolet, an verò nobiliora quæque & præſtantiora ex Omnipotentiæ ſuæ theſauro, de promere. Solet autem ferè, cùm longinquior ſit morbus, fatigari & languidior reddi Medicus: aſſeruit Eccleſiaſticus, *Languor prolixior gravat Medicum.* (Eccl. 10. 11.) Quod ſi fit, etiam cùm morbus non aliquâ ægri culpâ accerſitus eſt, quid tum credendum eſt fieri, cùm illum æger ſuâ ſponte conſcivit? Non dubito pronuntiare: Deum, ſecutum morem ſe cum ejuſmodi hominibus gerendi conſuetum, eos deſerturum. (Jer. 51.) *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata; derelinquamus eam.* Ita per Vates ſuos denuntiavit: quin etſi denique clamarent miſeri, opémque poſcerent, profitetur, ſe, juſtâ motum irâ & indignatione, ob diabolicam eorum proterviam, non auditurum, nec calamitatem miſeraturum. *Facta eſt indignatio magna à Domino Exercituum, ſicut locutus eſt. & non audierunt; ſic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus.* Hæc autem ſi ita ſunt, quid jam etiam in Medico, & ejus ope ſpei? Non juvabit, non juvabit bis miſeros Deus, tum quia ita ſe facturum recepit

pit, tum quia juſtiſſimum eſt, ut ita faciat. Et eſt id juſtum, quia hac ratione & puniuntur Mali, & ſervantur Boni. Puniuntur Mali, quia ſic habentur, ut promeriti ſunt. Moyſes dum ex Sinai montis jugo redibat ad ſuos, vidit illos execrandæ Idololatriæ deditos, & fregit, quas à Deo acceperat, tabulas: nec enim æquum erat, ut ii, qui Legem tam juſtam, támque ſanctam, impiè prævaricabantur, illam de cælo allatam, ipſiúsque Dei exaratam digito intuerentur. Et quomodo æquum erit, ut tandem amabiliſſimæ, & longanimis Dei Patientiæ fructibus gaudeant, qui illâ perpetuò contumaciter abuſi ſunt? Non ita fiet. *Sicut locu us eſt Deus, & non audierunt; ſic clamabunt, & non exaudiam.* Sic autem reos puniendo, eâdem operâ ſervat Bonos & Electos quorum emolumenta magis illi cordi ſunt, ut debent, quàm illorum infelicium. Siquidem dum vident Juſti miſerabiles iſtos, in momento, ex quo æternitas pendet, à Dei Juſtitia deſeri, ſalutari periculi metu officium faciunt, ne & ipſos in tanto diſcrimine deſeri contingat: ſic dum Reis ſe Juſtum exhibet, Bonus ac Miſericors eſt erga Inſontes. *Bonorum ſalutem cuſtodit, qui malos punit.* Quare ſi Medicus palàm pronuntiat, ſe relapſos iſtos porrò non curaturum, & ſi ita fieri æquum eſt, ne ægrum ſanando, plures ſanos animet ad morbum amandum; patet inanem eſſe & illam ſpem, quæ maxima erat in Medici arte ac peritiâ. Unde ſi æger ipſe debilior indies redditur, ſi mali vis augetur & creſcit, ſi Medicina virtutem ſanandi, Medicus autem tam diuturno malo & ſponte accerſito feſſus, faſtidióque plenus, voluntatem porrò juvandi amittit, neceſſarium eſt, ſemper periculum mortis evadere majus, imò mortem certam.

XV. Enimverò, dicetis, næ tu præclarum colliges Diſſertationis hujus tuæ fructum; omnium nimirum audientium extremam deſperationem. Sed parciùs iſta. Neque enim ego de omni relabentium ſorte ſic auguror, ſed de illa tantùm, quam pridem deſcripſi, eorum ſcilicet, qui nunquam vitam emendant, nec unquam uti re ipſa volunt mediis, quibus ſanari poſſent. Horum autem è numero confido equidem neminem eſſe eorum, qui me audiunt: unde quæ à me in medium allata ſunt, non ad deſperationem, ſad ad vitam emendandam vos impellant oportet; ne tandem incurii, tali, qualem deſcripſi, & morbo & morti reddamini obnoxii. Quodſi etiam non deeſſet hoc loco, qui miſeram illam & deplorandam ad claſſem pertineret, fatebor, hæc omnia, quæ dixi, ipſum tangere; ſiquidem vivere deinceps velit, ut ad hanc diem vixit; ſed ſi ſeriò cupiat tantum diſcrimen evitare, non deeſſe pro illo remedia. Dixi tamen, ſi ſeriò velit; quantò enim altiores radices egit malum, ejúsque cauſa, tantò oportet magis firmam ac ſeriam eſſe recuperandæ ſanitatis voluntatem. Remedium autem hoc eſt, quod Deus ipſe ſuggeſſit ore Concionatoris, quo nobiliorem Orbis non habuit. S. Joannes Baptiſta,

piſta, quem Verbi ſui vocem Deus eſſe voluit (*Ego vox clamantis in deſerto*) cùm hâc ipſa de re diſſeruiſſet, de qua nos hodie, de maximâ nimirum, quam obſtinati Peccatores experiuntur, ſeriæ & efficacis converſionis arduitate, ſic eos compellando: *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?* ſubinde oſtendere voluit, nec iſtos quidem omni malorum ſuorum remedio deſtitutos eſſe, ſiquidem in animum inducant eo re ipſâ uti; útque, quod illud eſſet, aperiret, ita concluſit: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham.* Hoc ipſum & ego omnibus, ſed iis maximè Peccatoribus inculco, quorum tam plena periculi cauſa eſt & de quibus agimus: *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*: non frondes, inquam, non flores; quia hi veſtrum ad finem haudquaquam ſufficiunt: non verba, non promiſſiones; ſola res, ſola opera negotium abſolvunt. *Ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham.* Ne mihi deinceps occinatis, *Chriſtiani ſumus: non condidit nos Deus, ut æternùm damnet: ſalvos nos vult.* Quæ hæc verborum eſt temeritas? Quid dicitis? An ſufficit viti, ne igni in pabulum cedat, non in ſaltu, ſed media in vinea eſſe plantatam? ſi ſterilis fuerit, in cineres abibit, ſive in vinea plantata fuerit, ſive in ſilva, & aliarum arborum frugiferarum ſocietas ad nihil ſerviet, niſi ut obſtinatæ ſterilitatis turpitudo magìs appareat. Non nego, vitem ejusmodi à vineæ domino non ideo fœcundo illo in ſolo eſſe plantatam, ut flammarum eſca ſit: ſi tamen illa locum tam ſalubrem fruſtrà perrexerit occupare, procul dubio abjiciet, & jam nunc, nequa dein in abjicienda mora ſit, ad illam reſecandam expeditus culte eſt. *Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt.* Quare, *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Luc. 3. 8.

Ibid. 9.

XVI. An ambigitis, quinam ſint illi fructus digni? non alii ſanè, quàm tres illi, de quibus, cùm de Pœnitentia diſſereremus, actum eſt, Eleemoſyna, inquam, Jejunium & Oratio. Et Eleemoſynam quidem ſcimus etiam ſuaſam Nabuchodonoſori Regi à Propheta, cùm eidem denuntiaſſet pœnam haud ſanè mitem, & inauditam: exilium, inquam, ab omni humano conſortio, & vitam ferarum in latebris belluæ inſtar agendam: *Peccata tua*, ajebat ſacer Vates, *eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Sequatur, quiquis ſibi cum Rege hoc metuit, & ipſe hoc conſilium; ſit munificus in egenos, & Deum quoque erga ſe benignum experietur: miſereat illum calamitatum alienarum; & Deum quoque tanget miſeratio malorum, quæ ipſe patitur. Sed illius vos meminiſſe velim; vaſtum incendium pauculis guttulis non extingui: atque adeò ad ſatisfaciendum divinæ Juſtitiæ fruſtum panis prandenti reſiduum non ſufficere. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*: facite, ut inter cumulum peccatorum, quæ admiſiſtis, & inter numerum & pondus nummorum, quos erogatis, ſit quædam proportio. Si cujus ea eſt inopia, ut tam beneficus in

Dan. 4.

egenos eſſe non poſſit, is ſe ad opera miſericordiæ ſpiritualia, quæ dicimus, vertat: caveat, ne unquam de aliena fama detrahentibus ſe jungat; illud potiùs, quà poteſt, arte ac ſtudio curet, ut cujus exiſtimationem alii verbis lædunt, eam ipſe tueatur, aut detrahentes increpando, aut ad alia ſermonem avertendo: juvet conſiliis eos, à quibus conſulitur; imò etiam cùm non conſulitur: moneat, doceat, conetur induſtriâ, quantâ poteſt, maximâ, ne, in quæ ipſe lapſus eſt, delicta alii incidant; maximè ſiqui ipſius curæ crediti ſunt. Nihil profectò rectiùs aget aliqua Materfamiliâs, quæ olim exempli aliis pravitate nocuerat, quàm ſi ſolicitè filias, ſi filios cuſtodierit, ne libertas & licentia major, in eas, in quas ipſa cecidit, vorigines eos præcipites agat. Idem de Patrefamiliâs dixero. *Semen meum ſerviet ipſi.* Dicat cum Pſalte Regio. Si tam miſer ego fui, ut anni Juventutis meæ Dei obſequio non impenderentur, conabor ſaltem efficere, ut qui ex me geniti fuerint, nemini unquam alteri, quàm Deo, ſerviant.

XVII. Alterum Pœnitentiæ fructum Jejunium eſſe dixi: & hoc nomine venit, quidquid corpori moleſtū atque acerbum eſt. Tribunal Divinæ Juſtitiæ, & Tribunal Pœnitentiæ præventionis mutuæ jure utantur; ſic ut quam prior divina Juſtitia cauſam tractare cœperit, huic eadem finem imponat: & viciſſim. *Si nosmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur:* ſtrectè Apoſtolus pronuntiavit. Qui pœnas prior à ſe repetierit, ab hoc Deus alias non repetet. Quodſi muneris ratio, virium imbecillitas, aut quæ alia vera cauſa non permiſerit, ut huic Jejunio quis ſe impenſiùs addicat, ea ſectetur, quæ aliquantò minùs ſunt aſpera: viſat loca religione aliquâ inclita, utatur flagro, adeat Eccleſias, pias alias actiones obeat; aut saltem abſtineat animi relaxationibus non neceſſariis, ſic ut cùm alii ludo, choreis, ſpectaculis indulgent, in tabernis perpotant, domi ipſe ſuæ coronam Virgini Matri quietus texat. Curandum etiam hac in re, ut numero delictorum fructus iſti pœnitentiæ reſpondeant: toties ergo, quoties quis vetitis dedit operam, toties conceſſis abſtineat. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

XVIII. Tertius tandem fructus eſt Oratio, fructuum ceterorum facilè princeps, eorúmque velut anima. Meminiſſe vos volo, Peccatorem longâ peccandi aſſuetudine implicitum tam miſerâ non ratò conditione eſſe, ut alia ferè conſequendæ ſalutis via aut ratio ipſi non ſuperſit, quàm ut intimo animi ſenſu preces ad Deum fundat, ſuæque illi animæ negotium commendet. *Facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ.* Hoc igitur etiam, & hoc præcipuè remedio malis veſtris ſuccurrite: ſed illud curæ vobis inprimis ſit, ut ſicut illud & reliquis utilius, & magìs neceſſarium eſt, ita ſtudio & accuratione majore peragatur, quò ſit fructus dignus. Non igitur ſatis eſt, flexo uno poplite, oculis in omnos partes liberè evagantibus, Virgini Matri corollam dimidiam



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

texere; oportet, ut tenax & robuſtum malum veſtrum eſt, ita & uſum hujus remedii conſtantem eſſe, ut vires illius enervet. Manè, veſperi, interdiu identidem à Deo flagitare triumphatricem illam gratiam, quâ ſine nulla unquam ſequetur morum emendatio, & quod conſequens eſt, ſine qua actum eſt de ſalute. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Hoc modo, qui vitæ ſuæ rationes conſtanter compoſuerit, ne dubitet, quin ſanandus ſit, & ſi cor ejus vel ſaxum duritie æquarer, ne tum quidem ambigat; *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Deus potentiſſimus non ſolùm vincet durum illud ſaxum, & ſtatuam ex illo pulcherrimam faciet, ſed illi quoque inſpirabit ſpiritum ſuum divinum, & filium ſuum dilectum efformabit, hæredem Cæli; qualem ego quemlibet opto; optare autem haud ſanè poſſem, ſi verbis meis non abſterrerem ab illa via, quæ ſic à Deo abducit, ut ſimul ducat in exitium ſempiternum.

# DISCURSUS XXIII.

## *De Extremæ Unctionis Sacramento.*

VT auri, ſic & amicitiæ præſtantia ac pretium neſcitur, ſi ad lapidem ſuum lydium probata non fuerit. Omnium autem ſapientûm judicio Lydius amicitiæ lapis ſunt adverſa, quæ cùm ingruunt, nec tamen amicus amicum deſerit, tum enimverò illius fides tanta eſt, ut ſatis æſtimari non poſſit.
Eccl. 8. 15. *Amico fideli nulla eſt comparatio.* Atque hinc rectiſſimè arguemus, qualis quámque fidelis amicus ſit amabiliſſimus noſter Servator, qui fide optimâ pollicetur, ſe omnia inter adverſa, inter ærumnas quaslibet, & fortunam quantumcunque ſiniſtram, non diſceſſurum à nobis, ſed adfuturum auxilio opportuno, & omni nobis neceſſario
Pſ. 9. 10. ac utili favore. *Adjutor in opportunitatibus.* Non eſt autem tempus, non eſt hora, quâ magis alienâ ope nobis opus ſit, quàm illud momentum, quo hinc migrandum eſt. *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me;* (Pſ. 70. 9.) ſupplex & anxius rogabat Rex ille ſanctiſſimus. Et verò, Auditores, ſperare vos optimè jubeo: non deſeret vos, non deſeret momento illo periculoſiſſimo Deus. Significo enim vobis, quòd pro illo ipſo momento Amicorum omnium fideliſſimus Sacramentum in Eccleſia ſua reliquerit, cujus, pretioſiſſimo Dei ſanguine parati, virtute in nos tranſfundatur vigor admirabilis, quo toti velut reviviſcamus. Veriſſima eſſe, quæ aſſero, duo affirmabunt, de quibus jam nunc agam. Oppugnatio inquam illa multiplex, quâ ſub mortis momentum

tum petemur; & auxilium, quod illi vincendæ in Unctionis extremæ Sacramento, cujus natura hac occaſione explicabitur, nobis à Deo paratum eſt.

I.

II. Triplex hoſtium genus eſt, qui velut arctiſſimo fœdere inter ſe nexi miſeram noſtram animam jamjam abituram aggredientur, & ferociùs quidem atque obſtinatiùs, quàm unquam in reliqua vita ſimus experti: Mors cum magno dolorum agmine; Conſcientia cum exprobrationibus, & Dæmon cum omni ſua arte ac ſuggeſtionibus. Hoſtium iſtorum vel ſinguli valde tum metuendi eſſent: facile proin eſt judicare, quàm formidabiles futuri ſint omnes inter ſe conjuncti.

III. Prima igitur eâ in oppugnatione Mors eſt, quæ antequam ipſa ſuperveniat, turmas velut levioris armaturæ præmittit, febres, dolores, animi defectiones & aberrationes. Harum miniſterio exteriora quodammodo arcis munimenta occupat, dúmque corpus in lectum abjicit, animum non in anguſtias tantùm, ſed in agonem difficillimum conjicit. Arduum ſanè, arduum tunc eſt, rectè & ex ratione agere! quantâ tunc ope indigemus, ut ea præſtemus, quæ verum Chriſtianum decent, cùm vix illa poſſimus, quæ hominis ſunt! Equidem ne ad illa quidem, quæ magis cum brutis communia ſunt, ægro virium ſatis eſt, ad dormiendum inquam, comedendum, corpus movendum: quomodo igitur abundè erit illi roboris ac ſpirituum neceſſariorum ad illas operationes, quæ omnium ut ſublimiſſimæ, ita & difficillimæ ſunt? Ferme tum ita debilitatum, ita exhauſtum corpus eſt, ut ægerrimè ad aliud intendere animus poſſit, quàm ad eos, quos patitur, dolores. Ille Sunamitidis filius, jamjam expiraturus, non aliud loqui, non cogitare poterat, quàm acerbiſſimos, quos ſentiebat, capitis dolores. *Caput meum doleo,* 4. Reg. 4.
*caput meum doleo.* Nec alia multo- 19.
rum ægrorum conditio eſt, qui, quidquid ſuprà eſt ſpiritûs, totum dant cogitando & loquendo de malis, quæ ſentiunt, de ſiti, de omnium rerum nauſeâ; atque hoc rerum ſtatu migrat anima. *Caput meum doleo, caput meum doleo, & mortuus eſt.* O quàm igitur formidanda eſt prima hæc aggreſſio, quanta neceſſitas auxilii, quâ
illam fortiter ſuſtineamus! *Circumde-* Pſ. 114. 3.
*derunt me dolores mortis* (ajebat David) *pericula inferni invenerunt me.* Dolores mortis circumdederunt, & quid effecerunt? Ita concuſſerunt, ita malè habuerunt corpus meum, ut animæ perdendæ ſit periculum; omnino; *Pericula Inferni invenerunt me.* Malè enim metuo, ne hoſtis, occupatis jam munimentis his externis arcem ipſam cordis invadat, eámque omni jam deſtitutam præſidio ſuam in poteſtatem redigat. Non procul igitur mortis dolores à periculis Inferni abſunt: tum enim, exhauſtis adeò viribus, defficile eſt audire, difficile confiteri, difficile ſeriò dolere, difficile providere, difficile oppugnanti magnis animis ſe opponere. *Non ſalu-*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*taria verba loqui* ( S. Baſilii verba ſunt ) *non audire commode poteris, non liberè confiteri, non cum adverſariis decertare.* Et verò cùm vel ſola mortis memoria compluribus tam amara ſit, qualis, quæſo, mors ipſa præſens erit? Amaræ ſunt & ſalſæ undæ, quæ maris ſuperficiem occupant; ſed illæ, quæ in fundo, multò ſanè amariores. Sic & mors, amara eſt, cùm ſola etiam cogitatione, velut in ſuperficie, libatur: in fundo, hoc eſt non procul remotam, ſed proximam, jamjamque abſorbendam, qualem eſſe arbitremur?

IV. Jam enimverò mirum dictu eſt, quàm opportunè ad primum hunc impetum & irruptionem ferendam Servator nobis vires & robur ſubminiſtret, medio, quod dixi, Extremæ Unctionis Sacramento. Primò ſiquidem confertur nobis illo robur grande ad leviùs ferendos morbi dolores & cruciatus, leniendámque mortis amaritiem: in cujus rei ſignum viſum eſt Deo Sacramenti hujus materiam eligere Oleum, cui proprium eſt, vires languentium membrorum reſtaurare ( quâ ipsâ causâ tam frequens illius uſus olim inter pugiles erat ) dolores aut auferre, aut mitigare: ut idcirco tam variis modis in vulnerum curâ adhibeatur. Atque hoc Eccleſia petit, cùm Oleum hunc in finem conſecrat: petit enim, ut ſit efficax omnibus utentibus; *ad evacuandos omnes dolores. & omnes infirmitates.* Quæ poſtrema verba alium ſacræ hujus Unctionis fructum indicant, ſanitatem videlicet corporis, ſi hæc animæ ſaluti conducat. Si aliquam conducat: neque enim exiſtimandum eſt, ſacro huic Oleo ineſſe vim naturalem ſanandi morbos quoſlibet: cùm aliud re ipſa non ſit, quàm purus ex olivis expreſſus liquor: ſed quam vim habet, à Deo habet, atque adeò rationi conſentaneam. Non vult autem ratio, ut qui aliquid facit, id aſſequatur, quod ſecundo loco per hoc opus intenditur, cum damno & jacturâ finis primarii. Non ſemper igitur ſanctiſſimi hujus Olei uſu ſanitas corporis reparatur, ſed tum ſolùm reparatur, cùm ita animæ ſaluti expedit; dummodo parte aliâ æger ipſe obicem nullum ponat fidei, fiduciæ, aut alterius ad Sacramenti fructum percipiendum requiſiti defectu. Id non Angelicus duntaxat, ſed certiſſimo oraculo Tridentinum ipſum Concilium affirmavit, inſtitutam extremam Unctionem, non tantùm ut æger *morbi incommoda leviùs ferat, ſed etiam ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequatur.*

S.Th. ſup. pl. q. 29. ar. 4.

Conc. Trid. ... 4. c. 2. de Ext. ...

V. Hinc diſcere licet, quantam ſibiipſis, atque etiam huic ſaluberrimo Sacramento injuriam illi ægri faciant, qui ægrè adducuntur, ut illo uti velint, inani perſuaſione deluſi, extremum inunctis dein certò moriendum. Proh! Inſcitiam, in populo Chriſtiano minimè ferendam! Et tamen hac in re liberis etiam Parentes conſentiunt, qui neſcio quomodo extremo hoc in diſcrimine, è Parentibus in hoſtes mutati, nolunt, ut antè ſacræ Unctionis fiat mentio, quàm anima jam extremis in labris hæreat. Cur iſtud, per Deum?

Si

Si Unctio iſta repellit potiùs & arcet, quàm advocat mortem? An non videntiſti, quantum etiam corporis ſanitati obſint, qui ad ultimum uſque momentum ſaluberrimam hanc Unctionem differunt, ad quam ſatis eſt, mortem prudenter timeri poſſe, non autem neceſſe eſt, periculum eſſe proximum, aut ampliùs non vitabile? Rem eò adducunt, ut manifeſto planè miraculo opus ſit ad reſtituendam ſanitatem. Nec tamen eum in finem Sacramentum iſtud à Deo paratum eſt; paratum eſt reddendæ ſanitati, etſi non unicè aut præcipuè, ſed tum, cùm mortem prohibere beneficium quidem ac gratia ſingularis eſt, ſed non magnum atque evidens prodigium. Quamquam autem hæc procraſtinatio & noxia & ſtulta eſt, multò tamen eſt deterius, quòd illi ipſi familiares ac domeſtici, qui procul ædibus & agri lecto habent Sacerdotem extremùm inuncturum, aniculam tamen aliquam vocare non horreant, quæ neſcio quibus ſuperſtitioſis ritibus ſic valetudinem corpori reddere conetur, ut animam certò occidat. Sed huc Chriſti cultores ducit modica fides, & tenuis admodum rerum divinarum notitia, quâ inſtituti ſunt; haud aliter, ac ſi crepera lux imminentem proximè noctem portenderet.

VI. Certos interim eſſe vos volo, Dilectiſſimi, Sacramentum hoc Unctionis, mira quædam non in Anima duntaxat, verùm etiam in corpore efficere, & quidem ſive hanc caducam, ſive immortalem alteram vitam attendamus. In hac etenim, ſut dicebam, ſanitatem nonnunquam reddit; ſemper autem tam ad morbi incommoda quàm mortem ipſam leniùs ac fortiùs ferendam vires tribuit. Ad immortalem verò vitam plurimùm confert, dum corpus noſtrum conſecrando, præparat illud ad beatitatem æternùm manſuram, quam redivivum unà cum Anima poſſidebit. Quamquam autem & alia duo, Baptiſmi ac Confirmationis Sacramenta, corpus noſtrum quodammodo ſacrant, dum illud ungunt; non tamen conſecratio illa tam latè pertinet, quàm hæc Unctionis extremæ; cùm in illis una duntaxat frons, in hac verò plura membra, & præcipua planè ſenſationum organa omnia inungantur, in quibus facultates illæ tres, quas Cognoſcitivam, Appetitivam & Motivam appellant, ſedem ſuam habent. Ungitur ergo facultas, quæ cognoſcendo facem præfert ad actiones omnes, dum quinque illi unguntur ſenſus, per quos, ut januas, cogitationes planè omnes mentem ſubeunt: appetitiva, quæ actiones illas imperat, ungitur in lumbis, in quibus ſedem ejus Docti collocant: Motiva autem facultas, quæ imperatas exequitur, tum potiſſimùm ungitur, cùm pedes, motûs inſtrumentum præcipuum, ſacro illo Oleo illinuntur. Quamquam ſatis eſt ſola quinque illorum ſenſuum organa illini, ut Sacramenti hujus fructus percipiantur: hi ſiquidem ſunt illi, ex quibus ſubinde tanquam radice pullulat, quidquid contra rationis imperium ductúmque admittimus: conſtat autem, etſi Medici non ſemper illud

*S. Thom. ſuppl. q. 32. ar. 6.*

lud ungant membrum, in quo vim ſuam morbus exerit, illud tamen ſemper illini, in quo mali radix hærere creditur. Atque ita apparet, quomodo, cùm Sacramentum hoc Unctionis miniſtratur, totum quodammodo corpus conſecretur, fiátque idoneum animæ per omne deinceps ævum beatæ domicilium. Etſi proin eundem ad finem alia etiam Sacramenta aliquid conferant; non tamen ita propè, ut Extrema Unctio, Corpus ad Gloriam præparant. *In Extrema Unctione* (quæ eſt doctrina S. Thomæ) *præparatur homo, ut recipiat immediatè gloriam:* qui idem S. Doctor advertit, veteri in Lege adumbratam quidem fuiſſe ſacram hanc Unctionem, in quantum ſanitatem reſtaurat, qui eſt fructus ejus minùs præſtans, nec primò intentus (nam & illa in Lege multa fiebant à Sacerdotibus, quibus ſimilem poteſtatem ſibi factam oſtendebant) non tamen fuit adumbrata, ut efficit fructum ſuum principem ac nobiliſſimum, qui eſt, abſque medio aptum reddere hominem, in corpore perinde, ac animâ, ad fruendum æternâ Gloriâ; neque enim ad hanc in Lege illa quiſquam pertingebat. *Non erat tempus adhuc perveniendi ad Gloriam.* Negari proinde non poteſt, quin providentiſſimus Deus adverſùs mortem, & omnes, quæ hanc anteire ſolent, malorum phalanges, de opportuno nobis auxilio præſidióque proſpexerit. *Adjutor in opportunitatibus.*

*S. Th. 3. p. q. 65. ar. 1. ad 4.*

*S. Thom. ſuppl. q. 19. ar. 1. ad 2.*

II.

VII. Progrediamur nunc ad aggreſſionem alteram, non minùs formidandam, quia animam oppugnat Conſcientia, & quidem modis pluribus; exprobrando, arguendo, cruciando. Et principiò quidem exprobrat præterita. Mercatori alicui, poſt mille curas, labores, angoreſque miſerrimum naufragium paſſo, ſi cogitabundus, futuríque ſolicitus aſſiſtet in littore, acerbius accidere nihil poteſt, quàm ſiquis velut inſultans ex eo quærat; Ubi jam merces, ubi tot laborum fructus & lucra ſunt? At hoc ipſum ex jamjam morituro quærit Conſcientia: *Quem fructum habuiſti tunc in illis, in quibus nunc erubeſcis?* Rom. 6. Vixiſti, inquit, dies lætos; nullas non ſenſibus illecebras, nullas non delitias indulſiſti: nonne? vitæ portionem maximam ac nobiliſſimam dediſti negotiis vitæ caducæ, lucris & commodis perituris: quo tuo bono? quo pretio nunc emeres, ſi venalia uſpiam eſſent, opera ex virtute acta? quantum auri argentíque appenderes nunc pro horula temporis unica, cujus annos & luſtra, tanquam rem nullius momenti ac pretii, ſolebas prodigere? *Quem fructum habuiſti?* Tantòque acerbiora erunt animo hæc convitia, quòd verbulum non occurrat, quod reponat. *Non habebunt in die agnitionis allocutionem.* Sap. 3. Spiritus Sanctus hoc loco diem mortis *diem agnitionis* appellat: nunc ſiquidem, Auditores, dies ignorantiæ ſunt: neſcimus veri, quid peccatum, neſcimus, quid Dei judicium, quid ſit æternùm pereundi diſcrimen: plena nocte ſunt omnia. At ubi hinc migrandum eſt, tum rareſcunt tenebræ, & veritates, quæ velut

velut denſâ in nocte latebant, paulatim ad affulgentem tantiſper alterius vitæ lucem videri incipiunt: ſicque eadem noſtra, quæ Talparum ſors eſt, quas ajunt, tum demum, quos clauſos ſuis in cavernis oculos habuerant, aperire, cùm eorum porrò, fugiente animâ, uſus eſſe nullus poteſt. Gemino & nos oculo inſtructi ſumus; Rationis naturalis uno, Fidei altero: utrumque haud ſanè pauci, in ſua lucra & caduca commoda defoſſi, aperiunt nunquam, niſi cùm jam hinc abeundum eſt: tunc eos Conſcientia vel invitis recludit, & acerbè exprobrat delitias, quibus indulſerunt, & delicta, quæ earundem gratiâ admiſerunt.

VIII. Nemo in animum inducat, eos è Chriſtianorum numero, qui nunc ſuarum aſpectu culparum penitùs non terrentur, ne illo quidem fatali tempore terrendos. Expaveſcent, enimverò, expaveſcent. Exercitus, cujus milites palantes per agros oberrant, terroris nihil incutit: at ſuos tributus in ordines, & in aciem explicatus, vincere priùs, quàm pugnare incipit; tantum vel aſpectanti timoris exprimit. Talem aciem & Conſcientia momento illo ante oculos ſtatuet. *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Tum enim facultati imaginatrici totum peccatorum planè omnium exercitum, in ordines tributum, & velut luſtrandum, objiciet. An non Anima ſolum hunc ad intuitum, nullis dum accuſationibus auditis, penitùs hærebit attonita?

IX. Nec accuſat nos tunc ſolummodo Conſcientia, damnat etiam; certè Judicem illum ſupremum, meritâ in nos indignatione concitatum, jamjámque ad ſententiam ferendam accinctum proponit. Sapienter profectò ſanctiſſimus Rex David peccata Pſ.17.5. ſua Torrentes, quàm Fluvios appellare maluit: *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Fluvii ſiquidem non æſtate minùs, quàm hyeme, quâ ceteroquin calidioribus in Regionibus pluviarum vis ingens decidit, aquis abundant: at Torrentes non rarò æſtate ſiccis pedibus calcantur innoxii: licèt hieme tot undas vehant, ut earum impetu naviculæ, pontes, & ipſi iter agentes ſæpe abripiantur. *Torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Cùm integra nobis conſtat valetudo, æſtatem vivimus. Quid tunc incommodi affert, uno ſe peccato fœdâſſe? eluemus illud Paſchali lavacro. Complura centena admiſiſſe quid damni affert? expoſuimus illa Sacerdoti, ſalva res eſt. En Torrentem ſiccum & aridum! vado illum transmittere labor erit nullus. Sed alia aliàs rerum facies erit. Hibernum tempus, S. Ambroſio aſſentiente, ultimi morbi tempus eſt; quo Torrentes iſti tantam aquarum molem, tanto ſtrepitu & impetu rapiunt, ut de transmittendis illis ſine pernitie vel Gygantes deſperent. Aliæ tum cogitationes animum pulſant, aliæ audiuntur voces. An aliqua mihi obtinendæ à Deo veniæ ſpes? Omnéſne noxas fide integrâ Sacerdoti aperui? Animine latebras,

quâ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quâ par erat diligentiâ, ſemper excuſſi? Dolor, cetera, quæ præcedunt ſententiam, an talia ſemper fuere, qualia oportebat? quid me, heu quid paulò pòſt fiet? S. Indiarum Apoſtolus Franciſcus Xaverius in Epiſtolarum ſuarum unâ teſtatur; eos demum, cùm ad extrema venitur, ægerrimè excitari ad fiduciam de divina Bonitate concipiendam, qui ejusdem præfidentiâ ſani ampliùs peccare aſſueverant. Nunc peccatorum fœditas, gravitas, numerus non attenduntur, non curantur. Tunc autem mutatâ ſcenâ, rerúmque facie, judicia etiam & ſenſa noſtra mutantur.

X. Heu, quæ proin eſſet noſtra calamitas, niſi adversùs hoc quoque diſcrimen Servator nos noſter obar-
*Hierogl. l. 35.* mâſſet! Pierius ſcripſit, Oleum in furentis Oceani undas effuſum tempeſtates ſedare. Fides hujus rei ſit penes Authorem: at de Extremæ Unctionis Oleo hoc citra controverſiam verum eſt: hoc ſiquidem quamlibet horribiles tempeſtates mitigat, & optatam tandem animo affert tranquillitatem. Cùm enim omnis metus ac terror, cùm omnis planè tempeſtas à peccato ſit; hoc autem Sacramentum plurimum adversùs peccatum poſſit, conſequens eſt, ut compeſcere ventos omnes ac turbines poſ-
*S. Thom. 3. p. q. 65. ar. 1.* ſit, à quibus tempeſtas mota eſt. Triplici ratione, ſi rectè ſenſit Angelicus, peccatum beata hæc Unctio delet: primò, abolendo maculam ipſam culpæ; ſecundò, pœnæ ſubeundæ reatum diminuendo; tandem ipſas etiam plantæ hujus venenatæ vibras evellendo, penitúsque ab ima radice extirpando.

XI. Primò igitur hæc Unctio culpæ reatum delet inſuſcipiente, ut illud Jacobi Apoſtoli verba docent: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Hujus enim Sacramenti beneficio Gratia Sanctificans infunditur, quæ peccatum perimit; redditurque animæ venuſtas, quæ Dei ſponſam decet. Quare ſi æger lethalis noxæ vinculo teneretur, quæ etiam cogitanti in mentem non veniſſet, Sacramenti hujus virtute deleretur; ſi modò æger, antequam ritè inungeretur, omnes à ſe admiſſas noxas imperfecto ſaltem doloris genere eſſet deteſtatus. Neque verò rarum eſt, unum aliquod, aut plura delicta occulta deliteſcere, & quamvis animam gravent, atque commaculent, fugere tamen conſcientiam, in ea potiſſimùm, cui moritori obnoxii ſunt, perturbatione, aut non ſuo vultu apparere, ſed ut levia oſtendi, quæ re ipſa gravia ſint: accedunt denſæ illæ nebulæ, quas animo peccatum offundit, quæque tam divinæ lucis, quàm propriam tenebrarum conſpectum prohibent: quâ de re ita acutè S. Auguſtinus: *Sicut tenebræ oculos, ita delicta mentem claudunt, nec ſinunt lucem videre, nec ſe.* Interim ſuperna Hieruſalem, ita munda eſt, ut in illam macula & labes, quantumvis minima, ingredi non ſinatur: quantò magis inde fœdæ labes & ulcera exulabunt? *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Evenit autem ſanè quàm crebrò, ut æger omni jam ſentiendi facultate deſtitutus,

ce-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cæcus, ſurdus, mutus, alio, quàm Extremæ hujus Unctionis præſidio, juvari non poſſit: tum equidem illa, gravium etiam, quæ remanſerant, delictorum maculas abſtergit; quin & levium, quæ quidem æger aut tum, aut antea, vero dolore fuerit deteſtatus. Atque ita Sacramentum iſtud animam mundando, plenè perfectéque ad Gloriam, Deique conſpectum idoneam, ut ſuperiùs innuebam, efficit, & velut coronidem reliquis ad eam diem perceptis Sacramentis imponit, eadémque, ſi dicere fas eſt, perficit. Ter Davidem Regem ſolenni ritu inunctum legimus. Primùm in ædibus paternis: atque hæc unctio, illius erat Symbolum, quâ nova in Lege ſacro fonte abluti illinuntur, & tanquam filii Dei, hæredes Regni conſtituuntur. Dein in Hebron, cùm ſolam Domum Juda gubernandam ſuſcepit: quam unctionem multiplices ac pugnæ ſecutæ ſunt, quibus Regnum ab aliorum vi aut inſidiis vindicavit, ſibique victor aſſeruit: hæc unctio adumbrabat illam, qua in Confirmatione ungimur: cùm vires ac robur ſubminiſtret ad vexationes inſectationésque tam Fidei, quàm morum cauſâ fortiter ſuperandas. Tertiò iterum unctus eſt in Hebron, cùm præter Judæ poſteros ceteræ quoque totius populi Iſraëlitici Tribus Regem eum veneratæ ſunt, nullis jam inſidiis, nulla vi oppugnandum. Hoc ſymbolo Unctio Extrema referebatur, quam pax ac tranquillitas excipit, quâ anima æternùm in cælo regnat.

XII. Eadem Gratiæ ſanctitas alterum quoque beatæ æternitatis obicem, reatum inquam pœnæ, amovet; dum vel partem ejus abolet, aut totum, ſiquidem æger Sacramento hoc munitus ſuam divinæ ſic adaptet voluntatē, ut penitùs penitúsq; illi reſpondeat.

XIII. Denique & reliquias peccati quaſcunque extinguit, dum imbecillæ ac miſeræ menti vires ſuppeditat; etſi non penitùs eradicet pravas illas propenſiones, quas repetita toties delicta poſt ſe reliquerunt.

XIV. Verè igitur Sacramenti hujus ope ponunt Tempeſtates ac procellæ, quas Conſcientia ciet, ipſúmque, Solis inſtar benefici, radiis ſuis diſſipat tetros vapores, quos tot peccatorum memoria exhalârat, ſurſúmque deorſum verterat in mente omnia. Hactenus dicta Tridentini Patres paucis complexi ſunt. *Res etenim*, in- *Seſſ. 14.*
quiunt, *hæc gratia eſt Spiritus Sancti:* *de Extr.*
*cujus Unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc ex-* *Unct. c. 2.*
*pianda, ac peccati reliquias abſtergit; & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando.*

III.

XV. Tertia ſupereſt conſideranda oppugnatio, quâ extremo illo tempore animum hominis Dæmon aggreditur, vehementiſſimè eum tentando, & ad defectionem à Deo ſolicitando; & qualia nobis hanc ad pugnam parata ſint Extremâ in Unctione præſidia. Quamquam autem oppugnatio hæc externa eſt, utpote quâ nos oppugnat hoſtis non domeſticus, multis tamen illa nominibus plurimùm for-

midanda eſt: & primò quidem ob iram jurati hujus & acerbiſſimi no- 3. Eth. c. 8. ſtri inimici. Ira, Philoſopho teſte, vires valde auget, & robuſtos ac validos reddit, qui re vera tales non ſunt, dum cordibus quamlibèt formidoloſis ignem ſubminiſtrat, & quidquid ad manum eſt, furoris ſui facit inſtrumentum. Hâc autem furoris plenâ contra nos irâ Dæmon nunquam non ardet, tanquam contra imagines Dei, in quem incredibili ipſe odio fertur. Creſcit illa nihilominus mirum quantum, & exardeſcit præquam aliàs ſub tempus, quod ſolum illi ad nocendum Apoc. 12. 12. nobis ſupereſt: *Deſcendit ad vos Diabolus habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus ſupereſt.* Sunt hæc Divini Spiritus verba, quibus nos hortatur, ut ſemper quidem Leonem hunc furentem, Sathanam, fugiamus, aut nos adversùs ejus vim obarmemus; nunquam tamen majore ſtudio & vigilantiâ, quàm ſub extremas mortalis noſtræ vitæ horas: has enim cùm ſolas ſupereſſe noverit, quibus pernitiem noſtram moliri poſſit, quidquid livor & rabies poteſt, id omne tunc exerit; *Sciens, quòd modicum tempus habet.* Cùm militibus victoribus una ſolùm dies conceditur ad prædas ex capta urbe agendas, ô miſeros cives! Quid enim tam barbarum, tam immane, tam crudele eſt, quod miles non audeat, cùm ſæva avaritia proſpicit, nõ fore tempus aliàs rapiendi, quod tunc non rapuerit? Non aliter res noſtra ſe habet: proſpicit enim Infernus, ſe, ſi moribundam animam tum non rapiat, ſine ſpe aliàs ſibi per omne deinceps ævum ipſam vindicandi, ungues ipſius ac retia evaſuram. Quæ qui modò non experitur vim iſtam tantam, oppugnationémque Dæmonum, non ſibi perſuadeat, ne extremo quidem illo tempore experturum. Qui urbem obequitat, hipperâ quibuscunque mercibus refertiſſimâ, ut vix equus ferendo ſit, Exactores & vectigalium redemptores moleſtos non experitur, & ne aſſem quidem pendere cogitur: at ubi portas exiturus propiùs acceſſerit, tum enimverò prodeunt vexatores illi importuni, oculis, manibus explorant omnia, ſarcinas excutiunt, & in eo toti ſunt, ut ſi qua admiſſa fraus eſt, eam detegant. Ita & vos obambulatis fortaſſis nunc vaſti hujus Mundi plateas, viasque, nec ſentitis moleſtiſſimas illas anguſtias, & irrequietas ad defectionem à Dei legibus ſuggeſtiones; quia nondum propinqui eſtis portæ, quâ hinc exeundum eſt in vitam & Mundum alterum. Sed expectate horam illam, quâ abitum paratis, & experiemini, an tum ſtygii iſti exactores aliquam quietis partem capturi ſint? an non intima & arcaniſſima animi veſtri ſurſum deorſum, & omnem in partem verſuri, ut deprehendant, an quidquam mercium vetitarum hinc auferre paretis? Dicent effrontes. Hoc delictum in Pœnitentiæ tribunali aperuiſti nunquam: iſtud narrâſti quidem, ſed ſpecie peccati non explicatâ: illâ tibi in Confeſſione dolor requiſitus defuit: aliàs emendationis propoſitum deſideratum eſt; illud aliud peccatum faſſus es; ſed occaſionem illius de-

P. SEGNERI
Homo Cristian[us]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

denuo admittendi proximam vitare
non decreveras: emendationem pro-
miſiſti; ſed mox reverſus es ad vomi-
tum. An non experientia docet, Dæ-
mones tam moleſtos eſſe ac importu-
nos, ut ne illos quidem hinc abire quie-
tos ſinant, qui nullas gerunt ſarcinas?
Quid illis ergo futurum exiſtimemus,
qui gerunt graves? Cùm ex Stygio e-
juſmodi hoſpite aliquando quærere-
tur: an ulla tam exaggerata, tam ſub-
limis ſit cujusquam animæ ſanctimo-
nia, ut ſpem illius ſeducendæ omnem
Orcus amittat? Reſpondit linguâ ho-
minis, quem inſederat; nullam eſſe:
ſed ipſos ad ultimum uſque momen-
tum ab ejus latere non diſcedere, eâ ni-
xos fiduciâ, quòd, ſi non aliâ, ſuperbiæ
ſaltem tentatione impetere eam poſ-
ſint, & vel ipſo rectè factorum pondere
mergere, atque in exitium præcipitare.
Hinc arguat quiſque, quid non pro eo
ſibi vindicando hoſtes iſti capitaliſſimi
acturi ſint, qui multis aliquando vitiis
implicitus vixit?

XVI. Creſcit etiam eo ex capite ju-
ſtus horum inimicorum timor, quòd
non unus tantùm aliquis miſerorum il-
lorum ſpirituum moribundum oppu-
gnaturus ſit, ſed quòd cohortes & le-
giones integræ ad id ex Orco emerſu-
ræ. Populi ad orientem ſolem ſiti,
cùm bella gerunt, militum numero
prævalent: qui ad Septentrionem, va-
ſtorum corporum mole; qui medias
terras incolunt, ingenio & verſutiâ
præſtant. An non igitur ille Exercitus
præ aliis omnibus eſſet formidan-
dus, qui conſtaret militibus nume-
ro plurimis, corporum robore
validiſſimis, ingenio & verſutiâ
præſtantiſſimis? Talis autem eſt exer-
citus, quem ad oppugnandum quem-
cunque moribundum Lucifer Orco e-
ducit, & circum ejus lectum, velut ad
obſidendum, collocat. Narravit
nonnemo in literis ad S. Auguſtinum
exaratis, audiſſe ſe ex ore hominis, qui
meritis S. Hieronymi revixerat, hæc
verba: cùm parùm jam à vitæ termi-
no abeſſem, tantus Stygiorum ſpiri-
tuum numerus in eo, quo jacebam, cu-
bili ſpectandum ſe obtulit, ut *præ* *In ep. S.*
*multitudine omnino dinumerari non poſ-* *Cyr. Hier*
*ſent.* Addidit præterea, quemlibet *ad S. Au-*
eorum fuiſſe formâ ſanè quàm horribi- *guſt.*
li, eóſque certatim laboraſſe, ut in de-
ſperationem primò, mox in Infernum
infelicem præcipitarent. Quid ſenti-
tis, AA. de multitudine hac magna?
Nonne ſi vel muſcarũ eſſet, & metûs,
& moleſtiæ creare ſatis poſſet? Quid
erit ergo tantus numerus Dæmonum
furentium & vinculis exemptorum?
Etiam locuſtarum numeroſa acies tan-
tam non ſemel agris vaſtitatem intulit,
quantam ne militum quidem rabies
inferre potuiſſet.

XVII. Addamus numero robur,
quo Dæmones pollent, partim naturæ
ſuæ, quæ noſtram tanto intervallo ſu-
perat, beneficio; partim audaciâ, ex
tot jam è nobis obtentis victoriis im-
menſum auctâ. Scythæ, ferociſſima & *Juſtin. l.*
bello nata Gens, cùm audiſſent ſervos *20.*
ſuos ſeditioſos arma dominis movere
velle, obviam iis egreſſi ſunt, non ferro
& telis, ſed virgis manus armati: quas
cùm toties experti ſervi vidiſſent, con-
ciderunt mox animis, & dominorum ſe
arbitrio permiſerunt. Simili adversùs
animas, quas ramniu ſuo mancipatas



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

obſequio habuere, authoritate Dæmones valent. Solùm memoriæ ſuggerendo conditionem illam, & ſigna pudendæ ſervitutis, quam tanto illæ tempore ſervierunt; ſolùm excitando phantaſma, quo repræſentetur res olim perperam & impenſiùs amata, in præſens illam adducunt diſcrimen, ne victa manus det.

XVIII. Plus tamen, quàm numerus, plus quàm vires, meritò quem terreat Dæmonum verſutia. Hæc ſtrages edit maximas: adversùs hanc ergo de armis
Eph. 6. 11. proſpiciendum ſolertiùs. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adversùs inſidias Diaboli.* Apoſtoli verba ſunt. Feſtinate, feſtinate, induite, quæ Deus providit, arma, ne inimici ejus, & veſtri, inſidiis deluſi ſuccumbatis. Quin potiùs dicit Apoſtolus, & jubet aſſumi arma, quibus adversùs vim, & fortitudinem hoſtis ſe tueantur? Plus enim arma contra vim, quàm contra inſidias valent. Non ita ille, ſed *adversùs inſidias*, inquit, ut indicet, id quod maximè ab hoc hoſte timendum, præcavendúmque ſit, non vim, ſed inſidias eſſe: nihil magìs formidandum, quàm ſubtilium tentationum verſutiam, cùm quidquid habet & callet fraudum nequiſſimus hoſtis, extremis illis momentis congeminet, ut nos perdat; mordicus, ſi ſors illi faveat, ſerpentis inſtar, calcaneum extrema, inquam, vitæ momenta apprehendendo. *Tu*
Gen. 3. 5. *inſidiaberis calcaneo ejus.*

XIX. Negari igitur nequit, quin cunctis his ex capitibus valde metuendæ ſint Dæmonum eo rerum articulo oppugnationes: & ſicut Naucleri non alios magìs pavent fluctus, quàm qui navim jamjam portum ſubituram aſpirant; haud aliter tartareæ iſtæ aggreſſiones non aliàs juſtiùs timentur, quàm cùm jam navim ad littus appellere cogitamus. Ne vobis terrefaciendis hæc ego ultra verum augere videar, audite ipſamet ſanctiſſimæ Tridentinæ Synodi verba. *Nullum tempus eſt, quo Adverſarius noſter vehementiùs omnes ſuæ verſutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitùs, & à fiducia etiam, ſi poſſit, divinæ miſericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ proſpicit.* Quod ſi ita ſe habet, bonâ veſtrâ veniâ liceat mihi hinc arguere, quàm illi ſalutem ſuam oderint, qui non ante ſuprema hæc momenta cogitant integrè perfectéque noxas ſuas confiteri, ablata ſuis dominis reſtituere, turpe commercium abrumpere, redire in gratiam cum iis, quos jam diu habent inimicos; qui, inquam, tunc armorum volunt abſtergere rubiginem, cùm illis contra hoſtem utendum eſt; nec antè rectè vivendi artem diſcere, quàm cùm porrò vivere non licet. Sed omittamus nunc iſtos, ne longiùs à ſemita recedimus.

XX. Adversùs oppugnationem tam formidandam providentiſſimus Deus Cæleſti planè præſidio nos obfirmavit. Ut enim vitæ hujus curſum auſpicatos confeſtim præpotenti Baptiſmi auxilio juvat ad mores Chriſti legibus conformandos, ne malè Chriſtiani dicamur; ita hinc migraturos ſimili Unctionis Extremæ adjutorio validos reddit, ad vitam rectè inchoatam non pejùs finiendam. *Deus extremæ Un-*

*ctionis*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ſtionis Sacramento, extremum vitæ, tanquam fortiſſimo præſidio munivit:* ut Tridentinum loco paulò antè citato loquitur. Hâc de causâ Unctio iſta Sacramentum ſpei appellatum eſt; & oleum, tanquam ejus materia, ſapienter admodum electum: hujus enim liquoris proprium eſt, cùm in extima tantùm corporis parte illitum eſt, ad intima uſque penetrare, ſic ut ad ipſas uſque oſſium medullas pervadat, ad vires vel reſtaurandas, vel conferendas: *Intravit ſicut oleum in oſſibus ejus.* Robur igitur, quo per ſacram Unctionem à Deo donamur, poſitum eſt maximè in certis quibusdam gratiæ ſuæ auxiliis & inſpirationibus quibusdam ſingulari ratione ſervientibus ad finem, ob quem inſtituta eſt; atque adeò perquam accommodis ad contemnendos omnes furores, & eludendas omnes fraudes Stygiarum machinationum. Non eſt proinde, quòd animo cadamus AA. ob aggreſſiones illas, quibus oppugnare nos Infernus poteſt; cùm conſtet non minores eſſe vires hoc præſidio nobis conceſſas ad vincendum, quàm ſit vis tanti licet exercitûs ad oppugnandum. *Nolite timere: plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis.* At qui ſunt plures iſti, qui pro nobis ſtant? Sunt, ſi ita res poſtulet, cohortes legionésque beatorum illorum Spirituum, ſuavi quodammodo Unctionis odore attractorum; cùm longè ſuaviùs hæc Cælo fragret, quàm omnia nobis aromata noſtra & unguenta. Neque lectiſſimis his cohortibus ſuus Ductor deerit: Certè S. Maria Ogniacenſis Jacobo Cardinali de Vitriaco, animi ſui arbitro, teſtata eſt ipſummet ſe Chriſtum ſpectâſſe magna Divorum Divarúmque cohorte cinctum, præſentem, cùm æger quiſpiam ſacro Oleo inungeretur ad luctam ultimam, addidiſſe illi animos, excitâſſe ad intimum de admiſſis dolorem, procúlque ab eo ſuâ præſentiâ Dæmonum agmina habuiſſe. Si tot & tales pro nobis pugnant, cur de victoria dubitemus? Quin opto, ut in hujus rei argumentum, priuſquam hinc pedem efferamus, tenerrimo animi ſenſu grates agamus Servatori noſtro hac de victoria, tam non dubiè ejus ope & viribus obtinendâ. *Deo autem gratias, qui dabit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* 1.Cor.15. 57. O victoriam ſanè præclaram, ſi hâc Dei beneficio vincimus! Hanc ſiquidem excipit æterna pax nullo unquam deinceps turbanda bello; quæ ſub ultima vitæ momenta inchoata, in beatiſſimo æternitatis regno ſic erit noſtra, ut quocunque obtutum vertere placuerit, aut quocunque pedem movere, non aliud occurſurum nobis ſit, quàm beata pax. *Poſuit fines tuos pacem.* Pſ. 147. 14. Et dignus non ſit Servator amantiſſimus Jeſus, ut ab hoc momento in agendas gratias, vel ob ſolam tantæ victoriæ ſpem nobis factam, effundamur?

XXI. Atque id maximè, quia ejus meritis obventura illa nobis eſt: *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Et ſic quò plus illa dignationis honoriſque nobis confert, tantò illam magis decet nobis eſſe pretioſam. Contemplemur tantiſper Servatoris noſtri ſummam in nos Bonitatem, ac Benignitatem, & quàm indigni ſint Chriſtiano-

rum, quod gerunt, nomine ingratiſſimi illi, qui tam non colliqueſcunt amore, cùm Chriſti nomen ad aures allabitur, ut etiam eo nominando leviſſimâ quâque causâ & occaſione bilem ſuam exonerent. Audiamus, quid quantúmque beneficii in nos ſolo tantùm Sacramentorum miniſterio Chriſtus diffundat. Vix natis balneum apparat, quo peccati lepram, nobiſcum natam, abſtergamus; multò utique antiquis Ægypti Regibus feliciores: nam etſi his, leprâ, iis in terris frequentiſſimâ, infectis ampliſſimum paratum eſſet humani cruoris balneum, ſubditis eorum funeſtum; nobis tamen Chriſtus, longè regio iſto nobilius lavacrum inſtruit, quo turpiſſimam illam, & nemini noſtrûm vitabilem originarii peccati lepram ac maculas eluamus: hoc ſiquidem non cujusquam alterius cæde aut vulneribus, ſed ipſius tantùm Chriſti Dei Hominis puriſſimo ſanguine conſtat. Creſcimus ſubinde, & ex infantiæ tenebris emerſis rationis lux oboritur, cùm Animæ noſtræ robur majus idem Servator Confirmationis ope tribuit, & plus illi gratiæ confert, quàm in Baptiſmo contulerat. Verùm cùm vel tot adjutos præſidiis non rarò depravatæ naturæ cupiditas novis plagis ac vulneribus peſſimè mulctet, his quoque præſanandis cæleſte Sacramenti Pœnitentiæ balſamum Chriſti amor ſubminiſtrat; quin ut creſcentibus & porrò victuris alimonia non deſit, non jam manna, angelicâ in nubibus coctû induſtriâ, ſed ſe ipſum Angelorum Dominus in diviniſſimo Euchariſtiæ Sacramento nobis in cibum offert. Tandem quia ultima ſub vitæ noſtræ momenta agendum nobis eſt negotium, ex quo plus pendet, quàm explicare poſſimus, en promptum ad illud ritè, & noſtro bono gerendum, Extremæ Unctionis Sacramentum: hujus ſiquidem ope perficitur tandem Imago Chriſti Jeſu Filii Deo, qualem eſſe oportet quemlibet à Deo ad gloriam electum: quâ causâ Tridentina Synodus Sacramentum hoc dixit: *Conſummationem totius vitæ Chriſtianæ.* An autem tot, támque præclara amoris tenerrimi effecta digna non ſunt, quæ & agnoſcantur profundiſſimè, & pro quibus gratiæ, quàm fieri poteſt maximæ rependantur? *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

Plin. l. 26. c. 1.

S. Th. 3. p. q. 72. ar. 1.

XXII. Neque verò abſque labore hæc à Chriſto parta eſt victoria. S. Auguſtini ſententia eſt, Chriſtum Servatorem, cùm Jordanis aquas ingreſſus eſt, ut illis à Præcurſore ſanctiſſimo ablueretur, omnes omnino aquas conſecrâſſe, virtutémque iis contuliſſe, quâ hodie pollent, novam animabus hominum vitam tribuendi. Niſi fallor, affirmari etiam proportione quadam poteſt, Chriſtum tot noctes inſomnes in Oliveti monte ducendo, ſuíſque arbores illas, olei feraces, lacrymis irrigando, maximè verò ſudore illo ſanguineo, quem pridie acerbiſſimæ mortis ſuæ illo in horto profudit, humectando, oleum quoque conſecrâſſe, quo poſtmodum extremùm eramus inungendi, & contra ultima pericula idoneis præſidiis inſtruendi. Robur igitur illud, quo ad ferendos morbi acerbos

de Temp. S. Au- Ser. …

S. Th. 3. p. q. 66. ar. 3. ad 4.

hos dolores & damna munimur, ſtetit Chriſto, graviſſimo tœdio, triſtitiâ, & angore, quæ illo in horto pertulit: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Vires autem, de quibus nobis contra peccatum proſpectum eſt, & valetudo, quâ omnes animi morbi ſanantur, tolerantiâ moleſti noxarum noſtrarum ponderis, Chriſti humeris impoſiti, reſtituta nobis ſunt; quod quidem pondus tam grave fuit, ut humi Servatorem noſtrum proſterneret. *Procidit ſuper terram.* Animus denique & fortitudo, quibus vel ipſi Orco extremis illis momentis oppugnanti terribiles & invicti reddimur, extremâ Chriſti imbecillitate & ſudore ſanguinis ſtetit. *Factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Prorumpamus igitur denuo in verba iſta: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Et quoniam dolorum, quos in horto Chriſtus exantlavit, memini, quidni liceat mihi hinc vos docere induſtriam perquam ſalutarem, quâ uſi olim maximo veſtro commodo Sacramentum iſtud adhibeatis?

XXIII. Cogitet proin quis, ſe morbi vi jam ad extrema deductum videre Sacerdotem, qui ipſum ultimam ad luctam inuncturus acceſſerit. Hunc Dei Miniſtrum oportet admittere & excipere illâ reverentiâ & demiſſione, quâ Chriſtus miſſum ab æterno Patre ad ſe in horto confortandum, cæleſtem Genium excepit. *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum.* Et profectò Angeli inſtar Sacerdos ille advenıat, cùm pacem etiam primis mox illis verbis precetur: *Pax huic domui,* ut nimirum Animam ægri dignum reddat Deo domiciliũ, qui ibi habitare non vult, unde pax exulat: *Factus eſt in pa-* Pſ.75.3.
*ce locus ejus.* Tum imaginetur ſibi Sacerdotem ſacro illo liquore inungentem oculos; ipſe autem, ut ſacerdotali huic unctioni reſpondeat, veniam à Deo omnium noxarum petat, quas oculorum tam lubricorum miniſterio admiſit. Medici centum & ampliùs oculorum morbos numerant: nemo tamen ambigat, quin plura ſint, quæ per oculos in animam noſtram redundant mala, morbique; ſeriò igitur quiſque flagitet, omnium iſtorum ſibi delictorum gratiam fieri. Ab oculis ad aures illinendas Sacerdos tranſit. Hîc in memoriam ſibi quis revocet, quoties has aures patulas habuerit ad Mundi nugas & ſermocinationes, clauſas verò Deo loquẽti, animi Arbitro increpanti, Curioni jubenti, majoribus ſalutaria monentibus: peitâque demiſſè veniâ, ſanitatem à Deo ſibi reſtitui roget. Mox nares ſacro Oleo Sacerdos ungit: is autem, qui ungendus eſt, ſupplex à Deo poſtulet gratiam, quâ fiat *odor vitæ in vitam*; ſi, dum exem- 2. Cor. 2,
pli aliis pravitate nocuit, ante hac po- 16.
tiùs factus erat *odor mortis in mortem.* Dum ad os ungendum acceditur, quantam dolendi materiam ſubminiſtrant tot in cibo potúque ſumendo, tot cum aliis converſando perpetrata peccata! Manuum pedúmque Unctio revocet in memoriam, quidquid his inſtrumentis vel ambulando per vias peccatorum difficiles, vel exequendo, quæ malè decreta erant, admiſſum eſt,

ex

excitetúrque animus ad miſerationem divinam implorandam. Tandem dum lumbos inungi quis cogitat, omnes deteſtetur fœdas libidines, quibus ut frueretur, tum ceterorum ſenſuum infido miniſterio & operâ, tum Tactûs maximè uſus eſt, cujus maleficio dum à capite ferè ad calcem plagis ſe peſſimè affectum agnoſcit, omnium earum curationem à Deo efflictim expoſcat. Qui ita Sacramento huic ſpiritualiter, ut dicimus, recipiendo aſſueverit, non dubitet, quin ſubinde Sacramentaliter illo quàm ſaluberrimè uſurus ſit, cùm fructus, hoc ex Myſterio percipiendus, non parùm ab ejuſmodi, quas indicavi, precibus pendeat.

XXIV. Quod dixi, mirum videri nemini debet. Si enim ullius Sacramenti conſtitutivum, quo perficiatur, quódque abeſſe non poſſit, eſt oratio, hujus ſanè maximè Sacramenti eſt. Non enim alio ullo in Sacramento verborum formula profertur velut à ſuppliciter petente; nam in ceteris tantùm, quid fiat, indicatur. Non dicit igitur Sacerdos inungens (quod ſcimus fieri ab abſolvente confeſſum) abſolvo te ab omnibus peccatis, quæ oculis, auribus, linguâ &c. admiſiſti: dicit, nec ſi velit Sacramentum perficere, dicere aliter poteſt, *Indulgeat tibi Dominus*. Quod quidem Chriſtus ita fieri juſſit, quia cùm tunc æger eo ſtatu ſit, ut à foro humano tranſiturus ſit ad forum divinum, Eccleſia illum precibus his proſequitur, & divinæ ſic eum miſerationis Tribunali commendat, à quo uno jam ſperare ille gratiam & clementiam poſſit. Sed illud hâc precandi formulâ præcipiendâ ſpectatum eſt, ut ſciremus, vim omnem Sacramenti hujus tribuendam orationi cum Unctione junctæ; quam quidem orationis cum Unctione concordiam Jacobus Apoſtolus verbis illis diſertiſſimis indicavit. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, & Oratio fidei ſalvabit Infirmum.* Et quamquam omnia Sacramenta divinæ Miſerationis opera ſunt, advertere tamen eſt, in nullo mentionem illius diſertè & explicitis verbis fieri, præterquam in iſto; & crebriùs quidem, toties nimirum, quoties aliud ægri membrum inungitur: Poſt hæc enim verba; *Per iſtam Unctionem*, mox additur, *& ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti* &c. Et quâ iſtud causâ, niſi ut diſcamus, morituriens aliud nonupereſſe, niſi ut miſer in brachia miſericordiſſimi Dei ſe projiciat? Atque iſtud eſt, ad quod & ego vos adhortor, ut aſſueſcatis quotidie eo affectu ad hanc Dei miſerationem confugere, quo cuperetis in ejus Sacramenti uſu in Deum ferri; id enixè ſemper rogantes, ne ſacro hoc myſterio non munitos vos hinc migare contingat.

Jac. 5. v. 14.

S. Thom. Suppl. q. 29.

XXV. S. Malachias Epiſcopus Hybernus, cùm moræ aliquid traxiſſet ad nobilem fœminam ungendam, eam ſubinde jam mortuam reperit. Intimè is eventus S. Præſuli doluit; nec quievit antè, quàm defunctæ vitam ad tantum ſaltem temporis impetraret, dum illam ritè inungeret. Etſi nec ad ferendos morbi dolores, morte jam abruptos,

raptos, nec ad conſcientiæ ſedandos tumultus, nec ad pugnam cum hoſtibus ſtygiis ſervitura porrò fœminæ Unctio eſſet. Satis erat viro Sanctiſſimo, prodeſſe illam poſſe tum ad peccati reliquias abolendas, tum ad gratiæ augmentum conferendum: hunc ad finem vitâ mortuæ impetravit, hunc ad finem redivivam unxit, ſatis gnarus, quantum profuturæ illi eſſent preces, pro ea inter ungendum fuſæ: *Et unxit eam nihilominus, ſciens in hoc Sacramento remitti peccata, quòd oratio fidei ſalvet infirmum.* Quantum igitur ſolicitos vos eſſe convenit, ne hujus expertes Sacramenti alteram in vitam abeatis, cùm non hæc tantùm, ſed multò plura, quæ à me in medium allata ſunt, emolumenta ex eo in vos ſint redundatura?

*S. Bern. in vit. S. Malach.*

# DISCURSUS XXIV.

## *De Sacramento Ordinis.*

1. PArùm familiares illi ſunt Evangelicæ Hiſtoriæ codices, qui nunquam in iis legit; Eccleſiam, Chriſti in terris Regnum eſſe, in illis certè hoc nomine ſæpiſſime compellatur. Porrò in Regno non ſatis eſt eſſe Populum, qui pareat & ſubſit; ſed etiam Proceres eſſe neceſſe eſt, qui aliis præſint & imperent; atque hos inter varios eſſe dignationis gradus, alium alio ſuperiorem, quorum ex inæqualitate pulcherrima illa reſultet harmonia in Republica, quæ qualisque in artificioſo concentu Muſico ex vocum diverſitate reſultat. Non poſſunt proin in Eccleſiæ Regno, quod Legibus utique ſapientiſſimis Hominem indura Dei Sapientia temperavit, diverſi iſti gradus abeſſe: quidquid enim ſapienter conſtitutum eſt, in eo ordo rerum nunquam deſideratur. *Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt.* Ordo iſte Ordinis maximè Sacramento conſtituitur: hoc ſiquidem varios ſibi Deus miniſtros eligit, eóſque ex Laicorum, quos dicimus, numero extractos, per minores primò, dein majores ſacratioreſq; gradus provehit, dum denique ad majorem humanâ conditione Sacerdotum dignationē attollat. His deinde utitur tanquam canalibus, per quos divina ſua in nos munera derivet: tanquam Matribus, per quas nos lactet; Magiſtris, per quos erudiat; Interpretibus, per quos voluntatem nobis ſuam, cùm minùs, certis in caſibus, perſpecta eſt, manifeſtet. Non equidem absq; timore de dignitate tam ſublimi hodie diſſeram, non cum illis quidem, qui ad illam jam evecti ſunt; cùm ab his potiùs me doceri par ſit; ſed cum iis, qui ad eandē aſpirant, hæc duo non parvi utiq; emolumenti oſtenſurus: Sacerdotalis dignationis, ad quam anhelant, faſtigium; & gradus, per quos ad illud eniti debet, quisquis temerè non vult eniti. Priùs illud aggrediamur.

13.

I.

II. Cùm Eccleſiæ Miniſtri muneris ſui dignitate Angelos antecellant, morum autem, & vitæ puritate infra illos eſſe non debeant, abs re non erit, tres quoque eorum diſtinguere Hierarchias. Prima ac princeps, Deo viciniſſima, eſt *Sacerdotum*, qui Euchariſticum Patri æterno Sacrificium, tam charum illi acceptúmque, offerunt; altera ſic Deo vicina, ut à cæteris tamen hominibus Chriſtianis non nimiùm recedat, Diaconos ac Subdiaconos complectitur; qui primò quidem Sacerdoti ſacrificanti adſunt, deinde autem cum populo divinæ
*S. Thom. in 4. dist. 24. q. 2. ar. 1.* Euchariſtiæ munera participant. Tertia tandem eorum, qui parùm à reliquo Chriſtianorum cœtu elevati minoribus duntaxat Ordinibus initiantur; quorum quidem quatuor ſunt. Primus Acolythorum, ad quos pertinet materiam conficiendæ Euchariſtiæ illis porrigere, qui propiùs Sacerdoti facienti ad Aram ſerviunt: ſecundus Oſtiariorum, quorum eſt, procul à ſacris liminibus eos arcere, qui ſua incredulitate ineptos ſe reddunt, ut præſentes Sacrificio adſtent: quò pertinent omnes fidei in Chriſtum expertes: tertius Lectorum, quibus id incumbit, ut necdum ſatis inſtitutos in iis, quæ ad fidem divinorum Myſteriorum pertinent, ampliùs ſua voce erudiant; quos quidem Catechumenos dicimus. Exorciſtarum eſt, infelicibus illis ſuccurrere, & adjutricem manum porrigere, qui etſi ſatis inſtituti, ab infernis tamen ſpiritibus infeſtati, tam non poſſunt mentem ad rem illam, quæ à Sacrificante peragitur, applicare, ut alios potiùs, qui toti illi intendunt, avocent ac diſturbent. Cunctos hoſce per gradus, Tridentinorum Patrum ſententiâ, par eſt ad Sacerdotii faſtigium aſcendi. Et quamquam non pauca ſuppeterent, quæ ſingulis hiſce de Gradibus dicerem, vóſque eorum & amore & æſtimatione accenderem, quia tamen ad hæc excurrere per tempus minùs vacabit, de ſolo Sacerdotio, ad quod gradus cæteri ordinantur, loqui propoſitum eſt: de quo illud inprimis docebo, quanto in honore ac veneratione id ſemper fuerit, deinde quanto honore ipſum ac reverentiâ dignum re ipſa exſtat.

III. Nulla propè eſt fuitque ſub ſole Natio, quæ non ſummis honoribus Sacerdotes coluerit. Non deſunt vel hodie Populi, quibus vile ſit aurum, delitiæ faſtiditæ, Scientiæ ignotæ, libri nullo in pretio. At ſi hiſtorias percurramus omnes, vix inveniemus Gentem tam barbaram, tam inhumanam, quæ in eo cum cæteris non conſcentiat, ut Sacerdotes aliquos velit, quóſque elegerit, honoret: adeò ut ferè facilius ſit invenire aliquod Mundi clima, quod Sol radiis ſuis nunquam illuſtret, quàm in quo nullum alicujus Religionis extet veſtigium: ita & pronius erit reperire homines planè excordes, quàm ſine Perſonis Numini alicui ſacris, atque ideo magno in pretio habitis. Ut ab Ethnicis ducamus initium; Cardinalis *Ann. 57* Baronius ſuis in Annalibus multa ex pri-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

primis inde ſeculis ejuſce rei adfert ſpecimina. Et primò quidem quicunque Regiâ, iidem & Sacerdotali ſupra cæteros dignatione eminere debebant: imò inter Æthiopas, quorum Rex Sacerdotii expers erat, eò ſe Sacerdotum porrigebat authoritas, ut ipſos, cùm viſum eſſet, Reges throno dejicere ſuo poſſent: ſi verò de plebe alicui Sacerdos dixiſſet; non placet Diis, ut porrò inter mortales ſis: Miſer ille ſuâ ſe confeſtim interimebat manu, cùm præclarius ac præſtabilius exiſtimaret mori Sacerdotis juſſis obtemperando, quàm illius ingratiis deinceps vivere. Veteribus Germanis id ſolenne erat, ut nemo Judicis ſententiâ reus peragi, & è medio tolli poſſet, niſi ſententiam Sacerdos, Dei Vicarius, ratam habuiſſet. Et verò non Barbari tantùm, & ab humanitatis officiis longiùs aberrantes Populi, ſed tultiſſimi quique, & Romani adeò ipſi, tantum poteſtatis ac Juris Sacerdotibus contulerant, ut vel Conſulum ſupremo Magiſtratui Sacerdotes imperarent, quin & Leges abrogare, aliaſque ferre poſſent: & ſi quando in jus vocati comparuiſſent, verbis eorum tantum pondus erat, ut non juratis certa fides adhiberetur, perinde ac ſi mera Oracula funderent: unde, quæ ab aliis, à Sacerdotibus nunquam exigebantur juramenta. Tantis honoribus Sacerdotum genus colebant Populi, etſi falſorum tantùm Numinum Miniſtri eſſent: colebant autem occultâ illâ naturæ propenſione inducti, quâ omnes impellimur ad altè ſentiendum de Divinitate, atque adeò ad Miniſtros ejus honorandos. Quid proinde honoris mereri cenſendi ſunt, qui ſupremi, veríque Numinis legitimi Sacerdotes ſunt? Vetuerat in Lege veteri Deus, ne unquam Sacerdotum Princeps cuiquam non Sacerdoti aperiret caput, quacunque ille dignitate præfulgeret; ſed ut in faſtigii ſui argumentum, etſi omni reverentiæ & cultûs genere affectus ipſe eſſet, nullo tamen ſimili officiorum genere reſpondere deberet, ſic ut ne mortuis quidem proximis agnatis illacrymari illi liceret, imò ne obtutu quidem illos dignari. Non vereri autem, aut aſpernari quemquam, etiam inferioris dignationis Sacerdotem, ſententiæ ab eo latæ repugnare, ab eo appellare, piaculum reputabatur tam grave, quod Dei imperio morte eſſet piandum. Unde in Deuteronomio ita ſtatuit. Siqua lis, ſiqua controverſia vos inter orta fuerit, quæ tam ſit implicita, ut viâ ordinariâ decidi nequeat, ad Sacerdotes rem deferetis; & rei totius ſtatu cum fide enarrato, quidquid illi juſſerint, exequemini: *Qui autem* (Sacri Scriptoris verba ſunt) *ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille, cunctúſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbiâ.* Quamquam tota Sacerdotum Legis ſcriptæ dignitas erat, quòd dignitatem Sacerdotum Legis Gratiæ adumbrarent; haud aliter ac victimæ, quas ipſi mactabant, umbra erant incruenti illius Sacrificii, quod Chriſtus erat inſtituturus. Ex quo pronum erit colligere, quid honoris veris exhi-

*Lev.21.*

*Deut.17.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bere Sacerdotibus par ſit, ſi umbratiles illi tanto digni viſi ſunt.

IV. Equidem illuſtri ſanctitate viri ac fœminæ, qui intimè nôrant gradûs hujus celſitudinem, præclara hujus ſuæ æſtimationis nobis reliquerunt
*S. Athan. in vita.* argumenta. S. Antonius, ipſis etiam ſummis Monarchis tam pretioſus, ut felices ſe exiſtimarent, ſiquâ eos epiſtolâ dignaretur, vel feris venerabilis, quæ promptæ ejus audiebant imperia; formidatus infernis ſpiritibus, omnium Ægypti Monachorum honoratiſſimus Parens, adoratus Magiſter, cùm tamen obvium haberet Sacerdotem, mox, etiam publicis in viis, provolutus in genua, non aſſurgebat priùs, quàm reverenti oſculo manum libâſſet, illúmque ad ſibi bene precandum induxiſſet.
*S. Anton. p. 3. tit. 23. c. 14.* S. Catharina Senenſis etſi oſcula manibus Sacerdotum non imprimebat, nec enim id ſibi arrogare audebat, ſolo tamen imprimebat oſcula, quod Sacerdos calcârat, séque beatam prædicabat. Seraphicus autem ille Franciſcus, præterquam quòd induci nunquam potuit, ut inter Sacerdotes cooptari ſe pateretur, dicere ſolebat; ſe Angelo & Sacerdoti unà euntibus obvium factum, priùs Sacerdotem, quàm Angelum reveriturum.
*San. Jure p. 3. c. 10. ſect. 16.* Nec id mirum: nam id & ipſi Angeli factitant. Recenſet S. Franciſcus Saleſius, Canonicum aliquem ſummæ ædis ſuæ, rarâ virum ſanctimoniâ, crebrò Angelū, cujus curæ creditus erat, aſpectabilem habuiſſe. Hunc priusquam Cliens ſuus Sacerdos initiaretur, cùm ad januam aliquam ventum erat, præire ſolitum, nec unquam dextrum illi latus ceſſiſſe: ſubinde cùm Sacerdotii is ad dignitatem promotus eſſet, ſequi ſemper, dum per januam ibatur, & quacunque iret, ſiniſtrum latus occupare obſervatum. Quæ ſatis oſtendunt, quanto jure S. Gregorius Nanzianzenus ſcripſerit: *Sacerdotium ipſi Angeli quoq; veneratione proſequuntur.* Sed & hoc admiratione caret: cùm abundè conſtet, quid honoris ipſe ſupremus Mundi Monarcha huic dignitati habuerit; hunc autem Beatos Cœlites æmulatum quid mirum? Aulicorum eſt, Principis ſui facta imitari. Meminiſſe nos convenit, Christum Servatorem poſtremâ
*S. Thom. [illegible]* illâ ſuâ in Cœnâ, ut palàm omnibus faceret, quanti gradum illum æſtimaret, ad quem mox evecturus erat Apoſtolos, Sacerdotes illos initiando, utque ſuo nos exemplo ad dignitatem hanc æſtimandam provocaret, ſurrexiſſe à menſâ, præcinxiſſe ſe linteo, effudiſſe aquam in pelvim, ante pedes eorum procubuiſſe, & illiſmet manibus, quæ Solem & ſidera finxiſſe dici poſſunt, pedum illuviem abſterſiſſe. Et cuiquam è Chriſti ſectatoribus arduum ſit, illos venerari, quos Sapientia æterna tam ſtupendâ ſui abjectione honoratos, & tantopere exaltatos voluit?

V. Hactenus ex umbra magnæ hujus Pyramidis altitudinem dimenſi ſumus; Sacerdotii inquam præſtantiam & ſublimitatem ex iis collegimus, quæ velut umbra illam ſequuntur; æſtimatio nimirum & honor ab aliis exhibitus. Quanta autem tum videbitur, ſi alio metiendi genere ipſam mo-

lem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lem propriâ & propiore menſurâ exploraverimus? Perpendendum igitur eſt, Sacerdotium inter homines non eſſe Titulum honoris, velut commodorum, qui, cùm libuerit, repeti poſſit. Nec enim Sacerdotes fiunt ſicut Reges, electione, acceptatione, aut approbatione, ſed conſecratione, quâ initiati Deo ſacrantur; & quidem ſigilli cujusdam, quod characterem dicimus, occultâ licèt & ſpirituali, verâ tamen conſignatione, cujus virtute Sacerdotalis dignatio indelebile quid, & æternum eſt. Qui primi ac celſiſſimi ſunt inter mortales dignationum gradus, fermè dicuntur conferri per omne reliquæ vitæ tempus. Sæpe tamen, qui ſubjectis Populis atque Exercitibus Monarcharum nomine præfuerant, gradu dejecti, & exuti inſignibus, vix inter ſervos dein locum invenêre. Huic fortunæ, favoriſque humani ludibrio Sacerdotum Dignitas ſubjecta non eſt. Nullæ non mortalium modò, ſed nè Cælitum quidem opes ac potentia tantæ ſunt, ut Chriſto, Sacerdoti in æternùm, aliquando inſitum innexúmque, avellere denuo valeant. *Tu es Sacerdos in æternum.* Si maritus aliquis mortuus ad vitam rediret, ſuperſtitis licèt conjugis maritus jam non eſſet: Dominus ædium, redivivus, earum jam Dominus non foret: nec Princeps urbium ac Provinciarum, quibus jura dabat, Princeps ac Dominus: omnes enim iſti tituli, omnia hæc jura, nexus omnes cum vita abrumpuntur, abolentur, nec ex tempore tranſeunt ad æternitatem. At Sacerdos redivivus eodem quo ante mortem dignationis gradu præfulgeret; cùm animæ altè impreſſum ſui honoris ac muneris ſigillum retineat.

VI. Nec tituli tantùm, ſed & opes omnes ac potentia Regum ac Principum externum quid ſunt, & cum nominibus ac titulis auferri poſſunt. Non ita poteſtas Sacerdotum, quæ & ipſa æterna, & animæ intimè affixa eſt, nihil ab hominum tantùm appellatione proveniens, aut pendens. *Idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti*: ut S. Paulus loquitur. *2. Cor. 3. 6.* Utque profundiùs huic velut abyſſo immergamur, attendamus geminam Sacerdotis poteſtatem, utramque humanâ multò majorem: prima eſt in Corpus Chriſti Myſticum, hoc eſt, ejus Eccleſiam; altera ſublimior, in ipſum verum ac proprium Servatoris Chriſti Jeſu Corpus, ſanctiſſimam videlicet Euchariſtiam.

VII. Ad primam quod ſpectat, *Quæcunque*, inquit Chriſtus, *ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo.* *Matth. 18. 18.* Quibus verbis ſignificatur ſublimis illa poteſtas, quæ Sacerdotum cuilibet confertur, dimittendi & retinendi peccata; ſtatuendi pœnas, eáſque condonandi. Vos AA. verborum horum pondus magni non æſtimatis, quia quid ſibi illa velint, non perpenditis; nec mirabilis vobis videtur poteſtas, quæ tã multis communis eſt. Aliàs & vos, cùm manum Sacerdos tollit ad Reum à noxis abſolvendum, exclamaretis attoniti, *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* *Luc. 5. 21.*

*Deus?* Multóq; major vos teneret, admiratio, ſi animæ veſtræ obtutu penetrare liceret animũ & cor Peccatoris à peccatis abſoluti, ad ſpectandum, quæ in eo momento peragitur, ſtupendam metamorphoſin. Si noſtrûm quis tantum poſſet, ut obviam habens ſervorum Æthiopum turmam, graviſſimis vulneribus ſauciam, pronuntiaret; Ego vos omnes liberos conſtituo; móxque ramperentur catenæ, & in fruſta abirent compedes: mox adderet: Ego vos candidos facio: & confeſtim his dictis, illi nive candidiores efficerentur: dein ſubjungeret; Sano vos: & miſerorum illorum plagæ momento curarentur, rediretque priſtinus in membra vigor, vita, ſanitas, color: an huic tantæ virtuti ac potentiæ alia in terris comparari quoquo modo poſſet? An non hominem hunc homine longè ſuperiorem, & divinum, cælóque lapſum omnes pronuntiarent? At ſanè cùm Sacerdos ait: *Ego te abſolvo:* dubitare non licet, quin ille prodigia his longè majora patret: imò majora illis, quæ alio quocunque in genere ſanctiſſimi quique patrârunt. Quid proportionis eſt inter vulnera Animæ & corporis? Quid eſt fœditas & ater Æthiopis color, collatus cum turpitudine illa monſtroſa Peccatoris in oculis Dei, quâ vel ipſos Dæmones adæquat? Quid catenæ, vincula & compedes Servorum, comparata vinculis Peccatorum? magis hæc inter ſe differunt, quàm ſubtiliſſima aranearum fila, à
Job. 41. 24. funibus nauticis craſſiſſimis. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei:* Nos quoque in re noſtra dicere poſſumus. Non eſt poſt Divinam, non in terris tantùm, ſed ne in Cælo quidem, poteſtas, quæ huic Sacerdotii poteſtati comparetur.

VIII. Ut res iſthæc velut oculis clariùs perſpiciatur, fingite animo, Juvenem aliquem denſis in tenebris à Rivalibus ſuis in agro graviſſimè ſauciari. Humi infelix ſternitur, & quaquaverſum oculis perluſtrans omnia, videt neminem: clamat & nemo audit: conatur ſurgere, & fugientibus viribus humi graviùs affligitur. Interim è vulneribus ſanguinis non guttæ, ſed rivi profluunt: & ſubeunte animum miſerrimâ totius ante actæ vitæ ſcenâ, iratam deſuper & minitabundam contemplatur Dei Juſtitiam: intus oblatrantem, & accuſantem implacabiliter audit Conſcientiam; infra ſe apertum, & anxiè expectantem intuetur infernum: unde attonitus, tremebundus, & ſingultiens modum non invenit, viamque, qua imminentem jamjam æternam pœnam ſubterfugiat. Tranſeant tunc illas per oras potentiſſimi quique Orbis Monarchæ; nemo eorum tantarum eſt opum ut rumpere poſſit vincula, quibus infelix illa anima innodatur. Tranſeant Cælites omnes: ne illi quidem quidquam poſſunt. Vertat ſe infelix ad Beatorum ſpirituum novena agmina, ſingulorum propitiam imploret dexteram: non tamen vel ſinguli, vel univerſi, non Angeli, non Poteſtates, non Cherubini, non Seraphini, ſolvere vinctum poſſunt; rogare tantùm poſſunt, ut ſolvatur.

Non

Non Virginum Candor, non Martyrum ſanguis, non Anachoretarum rigor, non Prophetarum ſcientia, non fides Patriarcharum, quódque caput eſt, ne ipſa quidem omnium hominum Angelorúmque Regina, Dei ſponſa & Mater, atque Univerſi Imperatrix, per omnes ſuas miſerationes adjurata, quantumcunque orando rogandóque plurimùm poſſit, ſuâque incredibili erga miſeros pietate etiam velit, ſolvere ſupplicem poſſunt; ut ſolvatur, rogare tantùm poſſunt. Interim Sacerdos aliquis, alia omnia cogitans, ſuóque pergens itinere, eò defertur, audit ejulatus, accedit propiùs, videt præſens vulnerati periculum, motúsque miſeratione, jacentem ad dolorem de peccatis excitat, ſpe bonâ implet; mox attollens dexteram, ait; *Ego te abſolvo à peccatis tuis.* Dictum, factum, cadunt compedes; cadunt omnia, adamantina quamvìs, vincula, quæ miſerum opprimebant: iratus Deus placatur, & exertum ad vindictam gladium recondit: fugiunt ſpe ſua deluſi Dæmones; ignes illi æterni & inſatiabiles extinguuntur: Infernus, qui animam hanc jam propè propiùs devoraverat, fauces apertas claudere, & plaudenti multúmque gratulanti Cælo prædam tam nobilem cedere cogitur. Tantùm poteſt Sacerdos Chriſtianus: & ſi tantum poteſt, an non jure vobis videtur dicendus quidam terrarum Deus, cùm in iis, quæ agit, nemini meliùs, quàm Deo Cæli, poſſit comparari?

IX. Tam autem hæc non eſt ſuprema Sacerdotis poteſtas, ut vix æſtimari mereatur, ſi alteri conferatur, quam quisque à Chriſto in Corpus ejus non Myſticum, ſed verum accipit, ut illud tribus verbis conficere, manducare, aliis diſtribuere, & Patri Cæleſti in Altari, ſalutis noſtræ lytrum, offerre & immolare poſſit. Hìc enimverò non ſolùm verba linguam, ſed & cogitationes animum deficiunt. Obſtupuit Natura luce illâ omnibus deinceps ſeculis admirandâ & memorabili, quâ Joſue Solem ſtitit, tanquam otioſum trium horarum ſpatio, victoriæ ſuæ ſpectatorem. Obſtupuiſſet autem vehementiùs, ſi Joſue non ſtitiſſet modò, ſed & de Cælo in terras devocâſſet illum ſiderum Principem. Quid tamen id eſſet, ſi cum eo conferatur, quod Sacerdotes faciunt, Deum ipſum è Cælo in Altare deſcendere jubendo? ídque toties, quoties collubitum eſt; inſtaurando prodigium, non Ducis Joſue, ſed Virginalis Uteri, qui ſplendidiſſimis illis Nuptiis, quibus Diviniſſimus Agnus Humanæ naturæ ſibi deſponſæ copulatus eſt, thalamum præbuit. Meritò tanquam ſideratus hìc exclamat M. Gregorius: *O veneranda Sacerdotum Dignitas, in quorum manibus, velut in Utero Virginis, Filius Dei incarnatur!* Si Doctores Sancti Euchariſtiam appellant Extenſionem Incarnationis, quam demum potentiam eſſe dicemus illam, quæ miracula tam inuſitata, quotidiana reddit ac vulgaria, quia tam multis communia? Maximè ſi & illud in animũ revocemus, Virginem Matrem non alterius, quàm meritoriæ (ſi tamen & iſtud) cauſæ rationem

*apud Gabr. Biel, lect. 4. in cant.*

nem habuiſſe in eo, quòd ejus in Utero Verbum carnem noſtram induere voluerit: Sacerdotes effectrices cauſæ ſunt; faciunt enim, ut eorum in manus deſcendat; idque ratione efficiendi tam efficaci, ut ſi Chriſti Servatoris Corpus alicubi in Mundo non eſſet, eâ tum produceretur. Melchiſedecum Paulus Apoſtolus Dei Filio ſimilem dixit: *aſſimilatus eſt Filio Dei*; propterea quòd Deo Panem & Vinum obtulerit, noſtri Sacrificii ſymbolá: De noſtris ergo Sacerdotibus quid dicemus, qui non Symbola & umbram, ſed rem ipſam ac Veritatem quotidie offerunt, dum ſacrificant Chriſti corpus? An non & illi ſimiles erunt Filio Dei?

*Gabr. in Cant. l. 40. & 46. Scot. in 4. diſt. 10. q. 4. Leſſ. de Perfect. div. l. 12. n. 121.*

X. Enimverò Sacerdos non ſolùm loquitur, tanquam ſi ipſe Chriſtus eſſet, dicendo Corpus ſuum, ſanguinem ſuum, quod revera eſt Corpus & Sanguis Chriſti Jeſu; ſed & ita cum Chriſto Domino agit, ut eo ſuperior, & non tantùm illi ſimilis, videri poſſit. Nunquam lego illa ipſa verba, quibus Apoſtolus, ad Hebræos ſcribens, meminit Benedictionis, quâ Melchiſedech Abrahamo bene precatus eſt, quin ſacro horrore perfundar; dum ſimul mentem ſubit ritus ab Eccleſia in Sacrificio Miſſæ peragendo imperatus. Affirmat autem Apoſtolus non precari bene, niſi ſuperiorem inferiori: *Sine ulla contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur.* Alterâ autē parte, quando Sacerdos prolatis jam arcanis illis verbis verè præſens habet in Altari Chriſti Servatoris Corpus, ſæpius tamen illi benedicit, Crucis figuram manu efformando; quo modo apparet, Chriſtum ut Victimam ſuâmet voluntate oblatam, ſuo ſe Sacerdoti ut ſubditum præſentem ſiſtere, illique, tanquam Miniſtro ſuo, quiddam in ſe, tanquam Superiori, juris tribuere; unde vult, ut hic ipſi, tanquam inferiori, benedicat. Mirum ſane eſt, Sacerdotis manum, dum rem tam magnam molitur, non obrigeſcere! *Super hoc privilegio ſtupet Cœlum, horret Infernus, contremiſcit Diabolus, & veneratur Angelica Celſitudo.* Poſſumus & nos cum S. Auguſtino hic exclamare.

XI. En ſublimitatem Sacerdotalis dignationis, quantum quidem illam hebetis admodum intellectûs noſtri acie metiri poſſumus. Dicat jam qui vult, an honore, quo afficitur, dignus ſit, & an porrò homo dici debeat, qui ſupra hominum conditionem evectus eſt? *Ex hominibus aſſumptus.* Si non erravit S. Dionyſius, *Qui Sacerdotem dicit, auguſtiorem, prorſusque divinum virum inſinuat.* Atque hinc quisque veſtrûm diſcat, quo cultu & reverentiâ obſervari debeat illorum quilibet, ob unam ſolamque, quâ eminet, dignationem. Demus, eſſe, cujus vita non reſpondeat gradûs ſanctitati; an idcirco plenis ille buccis dehoneſtandus eſt, & palàm omnium ludibriis proſtituendus, cujus labes vel proprio ſanguine tegere oporteret? Etſi ædes aliqua ſacra corruat, non tamen idcirco locus, quo ſteterat, profanus redditur. Ita Leges affirmant: *Dirutis ædibus ſacris, ſi... area...*

*area manet ſacra.* Ita & ego in re noſtra dicam. Si aliud præterea in Sacerdote ſacrum non remaneret, præter unum Characterem dignationis illis ſuæ humanâ majoris, an id ſatis non eſſet, ut toti Mundo etiamnum eſſet venerabilis? Sed relinquamus nunc iſtud quod à ſcopo noſtro facilè nos abduceret, & ad alterum ex propoſitis punctum, ſeu partem accedamus, ut conſideremus; quibus gradibus eniti oporteat ad tantum faſtigium eum, qui quidem ita aſcendere cupit, ut non ſuo aſcenſu quærat, unde præceps ruat. Ut multa paucis complectar, dŭo tantùm dicam: primum eſt, ut accedat nemo, nemo ad hunc apicem aſpiret, niſi à Deo non obſcurè vocatus: alterum, ut priusquam tantum oneris ſubeat, experiatur, an humeris ſit illi ferendo paribus ſatisque validis.

## II.

XII. Primò igitur neceſſarium eſt, ut quis non ineat iter tam arduum, niſi ad id ſe audierit invitari: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Errant, qui exiſtimant, cunctos, qui initiari deſiderant, à Deo ad eum honoris gradum vocari. Alii ſiquidem vocantur, alii repelluntur. S. Auguſtinus dignum admiratione diſcrimen obſervavit in repulſa, quâ Chriſtus à ſui imitatione & ſequela repulit aliquem, qui ſponte ſe illi Diſcipulum obtulit; & in invitatione, quâ alium reſtitantem ad ſui imitationem pertraxit. *Sequar te, quocunque ieris*, dixerat ille ad Chriſtum Servatorem: at Chriſtus hoc ejus ſtudium non probans, *vulpes*, inquit, *foveas habent, & volucres Cœli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet.* At mox cùm alium videret Juvenem alia omnia cogitantem, *Sequere me*, dixit: Juvenis autem etſi vocantem non ſprevit, inducias tamen petiit; tantillum ſaltem moræ precatus, dum patrem ſuum defunctum tumulo inferret. Et quamquam juſtæ & rationi conſonæ viderentur eæ preces, non annuit tamen Chriſtus, ſed juſſit, ut relicto aliis volentibus veſpillonis munere, ipſe Evangelii prædicationi animum applicaret. *Sine, ut mortui ſepliant mortuos ſuos; tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Quæ obſecro, pergit S. Doctor, diverſitatis hujus cauſa alia, quàm quòd poſterior iſte verè à Deo vocatus erat ad ſequendum Chriſtum; alter verò non à Deo ſed Ambitionis & Avaritiæ pravo ſtudio erat impulſus? Ambitionis quidem, cùm illa oculis ejus obverſaretur gloria, & major indies opinio, quam homines de Servatoris diſcipulis, ob patrata ab eorum Magiſtro prodigia, conceperant: Avaritiæ autem, cùm adverteret, plurimum quotidie, aliorum beneficentiâ, in eos eleemoſynæ conferri. Alterum è diverſo, cùm ad ſequendum Chriſtum non humanis rationibus, ſed ſolâ ejus invitantis voce excitaretur, par non erat vel tantillo tempore differre id, ad quod invitabatur. Atque ita hodiedum Chriſtus facere aſſolet. Nonnullos eorum, qui Sacros ad Ordines anhelant, ſuis ad id ipſe inſtinctibus & internis ſtimulis agit: alios

alios autem̃, qui ſua ſponte currunt, repellit, & importuna eorum ſtudia minimè probat: id quod in magnete etiam obſervare eſt; nam & hic latere uno ferrum ad ſe avidè trahit, altero à ſe repellit: trahit ad ſe, cùm polum ſuum fide bona reſpicit; repellit à ſe, cùm contrario motu ad polum oppoſitum fertur.

XIII. Erit, qui dubitet, quâ tandem ratione diſcerni poſſit, vocet, an non vocet Deus; Gratiane, an commodorum amor proprius invitet? huic ego reſpondeo: primam veras à falſis vocationibus diſcernendi rationem eſſe, ut quis attendat ad cauſam moventem, quâ ad tanti momenti negotium inducitur, & ad capeſſendum manus, quod vel Seraphinos ſuâ arduitate terreret, ſi carnem noſtræ non abſimilem induerent. Eſſe enim Sacerdotem, aliud non eſt, quàm à toto Mundo diviſum, omni malo liberum, aliis longè, quàm vulgò homines
*Eccl. 45. 4.* ſoleant, ſenſis præditum. *Elegit eum ex omni carne.* Eſſe Sacerdotem, eſt
*S. Thom. ſuppl. q. 35. ar. 1. ad 2.* eſſe conſtitutum Mediatorem inter Deum & homines; tanquam Deo quidem minorem, hominibus autem majorem, & medium inter hos ac il-
*Hebr. 5. 1.* lum. *Pro hominibus conſtitutum in iis, quæ ſunt ad Deum.* Dicat jam Candidatorum Sacerdotii aliquis: an ille talia cogitat, cùm initiari deſiderat? an aliis ad id cauſis agitur? an non commodorum ſuorum ſtudio? vanis deſideriis, gloriolæ, majoriſque venerationis cupiditate? an non id ſpectat, ut commodiùs vivat & lautiùs? ut avarè congerere plura poſſit, majúsque hoc in gradu, quàm alibi, rei familiaris augmentum ſperare? familiæ ſuæ opes ac ſplendorem comparare, ut hac ratione Cælum ipſum terræ ſerviat, & gradus ille ac dignitas, quæ in Eccleſia ſit, ſublimiſſima, bis loco ſit, familiæ altiùs aſſurgere volenti? Si hæc hisque ſimilia trahunt aliquem dubium omnino nullum eſt, non trahi eum à Chriſto, ſed rejici: quem enim ejusmodi homo ad polum abjectorum bonorum, deſideriorúmque ſe vertit, rectà ille opponitur, totóque plane cælo diſtat ab illo polo, quem divina Chriſti dogmata ſpectare nos jubent; hæc ſiquidem docent contemnere vaniſſimam illam gloriolæ auram, illa commoda, illa opum incrementa, quæ ut largiùs fluant, ejusmodi temerarii non dubitant ipſum adeò, ut ſic loquar, Sacerdotium prælo & torculari ſubjicere. Prima igitur, minimèque fallax explorandi ratio, ſuóne quis nutu, an Dei arbitrio & vocatione ad faſtigium hoc ac culmen enitatur, eſt, diligenter obſervare, quæ tandem ſint voces, quibus ad rem tantam invitatur?

XIV. Altera, quæ primam firmet, norma ac regula, ad quam vocatio examinetur, eſt Oratio. Periculosè navigant, qui vehuntur à Navarcho, qui ſidera conſulere vel nolit, vel nequeat. *Os meum non interrogaſtis.* Etiam qui terreſtri itinere pergit, ſæpe Stellis viæ ducibus indiget; maximè, cùm dubiæ, cùm vaſtæ deſertæque ſunt ſemitæ, per quas eundum eſt, quales ſunt notiſſimæ illæ Lybiæ arenæ. Et quomodo mari pergentibus impa-
nè

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nè ſit, ſiderum curſum neſcire? Quid hoc verborum involucro indicare volo? Non aliud, quàm quòd humanis etiam in negotiis, ut ſecuri conſiſtamus, Deum precibus conſulere oporteat. *Ne innitaris prudentiæ tuæ: in omnibus viis tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos.* Quantò igitur id amplius neceſſarium erit in negotiis, quæ ad Deum, & animæ ſalutem ſpectant? In his providentiæ noſtræ, S. Scripturæ phraſi, non incertæ tantùm ſunt, ſed planè deficiunt. Quàm igitur rationi conſentaneum, in his divinum lumen, divinam opem quanto maximo conatu ac voluntate petere? Sic proinde in re quoque noſtrâ agendum. Siquis invitatur, ut Eccleſiaſticum in Ordinem, & inter Dei miniſtros cooptari ſe curet, ad Cælum attollat oculos; inde lumen petat; Deum vehementer etiam atque etiam roget, ne in re, quæ tam multa poſt ſe trahit, hallucinari ipſum ſinat; cùm fieri poſſit, ut ex eo aut æterna cujusque ſalus, aut exitium pendeat ſempiternum. Non raro ſemitæ tam ſunt implicitæ intricatæque, duces tam infidi, animi noſtri ſenſa motúsque tam reconditi, ut aliud nobis filum, quo ex tam multiplici fallacique Labyrintho egrediamur, non offeratur, quàm Oratio. *Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Hoc autem medio qui uſus fuerit, prudenter felicem rerum ſuarum exitum ſperare poterit. Et ſi ſalus alicujus pendet à mediis, quorum ope divina benignitas ſalvum illum vult, tunc de non admiſſo in electione errore ſatis ſecuro eſſe licebit, ſi attentæ conſiderationi, & cum prudentibus conſultationi, preces etiam non tepidas junxerit. *Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus*, ut S. Petrus haudquaquam fruſtrà monet. 1. Pet. 4. 7.

XV. Neque eſt, quod quiſquam metuat, ne plùs, quàm res poſtulat, ſit ſolicitus: nullo jure id timet. Si plures etiam annos in deliberanda re tanta poſuiſſet, non eſſet cenſendus, malè tempus perdidiſſe. Belli Imperatorum nonnemo perquam celebris, cùm interrogaretur; cur tandem, poſtquam ſtatutum fuerat, prælio cum hoſte decernere, hæreret tamen cogitabundus, & pugnæ ſignum dare moraretur? ſapiénter reſpondit; quia ſemel duntaxat hìc erratur. Væ autem illi, qui neglectis, quas propoſui, non aberrandi regulis ac conſiliis temerè Altari propior fieri auſus fuerit. *Externus, qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur.* Militaribus etiam Legibus olim cautum erat; nequis Caſtra, niſi per portam, ingrederetur: qui ſuperato vallo muróve intrâſſet, capite plectebatur. *Si quis vallum tranſcendat, aut per murum caſtra ingrediatur, capite punitur.* Quid fiet proin (ſi Chriſtus ſupremus Imperator, ſimilem militibus ſuis legem tulerit, eâque ſtare fixum ratúmque habuerit) quid fiet, inquam illo, qui ingreſſus fuerit non per divinæ vocationis portam, ſed ex latere, per vallum murúmve, violatis ſcilicet Eccleſiæ legibus, quas aſpirantibus ad ſublimem Sacerdotii gradum illa tulit; vel de Patrimonio,

*l. deſertorem §. in bello. ff. de re milit.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

per ſubornatos teſtes, falſa aſſerendo, vel ad alia teſtanda ſcribarum publicorum fidem corrumpendo? Huc tamen etiam impellit avaritia, quæ interim ſuis velis tegit oculos tam eorum, qui perperam ejusmodi patrimonium fingunt, quàm qui illo tam malè utuntur; ne ſua ipſi damna miſeri ament.

XVI. Rem exemplum affirmet, Henricus II. Imperator, cùm etiamnum puer ab Epheborum aliquo ſiphunculum argenteum dono accepiſſet, quo ludibundus aquam evibraret, plurimum eo munere delectatus, Ephebo donanti Epiſcopatum promiſit, ſi ſe ad Imperii ſupremum culmen unquam evehi contingeret. Electus ſubinde eſt Imperator Henricus, & ephebus ille
Anno ad Sacras Infulas promotus. Verùm
1047. cùm Henricum non diu pòſt gravis invaletudo proſtraviſſet, triduum integrũ lethali agone cum hoſtibus conflictabatur, ſenſibus ferè deſtitutus. Ubi tandem ægrè ad ſeſe rediit, faſſus eſt, toto illo triduo hoſtes ſuos aliud egiſſe nihil, quàm ut ex ſiphunculo, illo olim dono accepto, vivas in ipſum flammas vibrarent; quas tandem Juvenis formoſiſſimus apparens affuſâ ex calice aquâ omnes extinxiſſet. Juvenis hic fuit S. Laurentius M. cui Henricus paulò antè aureum calicem dono obtulerat; Is autem non ſolùm ignem, quem Dæmones ejus corpori aſperſerant, totum extinxit, ſed ſanitatem etiam ægro reſtituit. Ubi convaluit Imperator, Præſulum cœtum coëgit, qui tam puerili causâ promotum Epiſcopum loco ac dignitate denuo moveret: quà quidem re majus illi beneficium contulit, quàm cùm ad gradum meriti ſuperiorem promovit: hac enim ratione ſuſtulit impedimentum, quo miſer pedes implicitos habebat; quamdiu quidem veſtes, Pontificiæ dignitatis inſignia, per terram raptabat. Favores alii, qui cum propriæ ſalutis diſcrimine conjuncti ſunt, ſunt favores re vera crudeles, atque adeò non veri, ſed imaginarii falsique. Diſcipulus ille, qui Petrum in ædes Pontificis introduxit, nocte Magiſtri ſui atrociſſimam necem antecedente, quantò majus illi præſtitiſſet obſequium, ſi eum expuliſſet toto Palatio cum dicto: Apage, tu piſcibus capiendis da operam, quam artem hactenus ſectitabas: quid ſordido Piſcatori cum Pontifice? Optanda ſanè Petro, præ admiſſione, hæc fuiſſet ejectio: hic enim meliùs longè conſultum illi fuiſſet, & remora occaſio, quæ infelicem ad trinam Magiſtri ſui abnegationem & ejurationem induxit. Et verò tantum animi nunquam non deberet eſſe illi, qui vel de patrimonio falſum teſtimonium, vel ſimilem non abſque Dei offenſa favorem rogatus, facilè agnoſcit, quem talia petere non pudeat, plus equidem illum ad Sacerdotii dignitatem afferre cupiditatis, quàm meritorum. Verum favorem, gratiámque hujus farinæ hominibus ille præſtaret, qui eos induceret, ut manuum potiùs ſuarum labore vivere, & procul adorare dignitatem illam ut Reginam, quàm ut ſponſam brachiis amplecti & ſtringere, mallent.

XVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XVII. Illud magìs dolendum, quòd Genitores ipſi, qui judicii ætatiſq; maturitate certiùs cognoſcere vera filiorum emolumenta poſſent, &, quam iis debent, charitate ſtudioſiùs procurare, non ſemel, præquam ullus alius, eos impellant, quin & authoritate imperióque adigant ad Sacros Ordines ambiendos, quos nôrunt & literarum, & veræ in Deum pietatis exortes, moribus crudos, & pluribus inſuper pravis aſſuetudinibus, ad alia omnia, quàm quæ Eccleſiaſticum decent, propenſos. Neque alio hac in re conſultore utuntur, quàm miſeranda lucelli & emolumenti alicujus ſpe; ne ſolus ſit Judas, qui pluris num̃os, quàm Chriſtum æſtimârit. Et tamen, etſi cæci ſint, manibus tamen palpare poſſunt, ſic obtenta, cum Dei injuriâ, Eccleſiæ bona non aliud tandem familiis afferre commodum, quàm quod reti nimia piſcium multitudo, quæ illo mille partibus lacero atque diſrupto, non abundantem tantùm & copioſam, ſed juſtam quoque Piſcatori prædam aufert. Quamquam, etſi Eccleſiæ bona idonea forent ad familias locupletandas, an æquum tandem eſt rebus Deo ſacris in propria com̃oda abuti? Si S. Dionyſius rectè ſenſit, Templa ſunt propter Altaria, Altaria propter Sacerdotes; Sacerdotes propter Sacrificia, Sacrificia propter Deũ. Sed malè conſulti Genitores iſti, toto rerum ordine perverſo, id obſtinato animo volunt, ut Templa, Altaria, Sacerdotes, Sacrificia, quin ipſe Deus, ad hoc ſerviant, ut eorum cognatio & familia ſupra cæteras caput attollat. Utinam deinceps ſaltem rem tam abſonam machinetur nemo! ſiquis tamen hoc è numero eſt, qui tam pudenda adhuc agitat conſilia, Patris ille titulo ac juri renuntiet priùs, &, qualis eſt, Carnificem dici ſe curet. Quodſi quem filiorum veſtrorum indole, ingenio, pietate in Superos ejusmodi videritis, ut Eccleſiæ ornamento futurum judicetis, id agite, ut quanto maximo ſtudio eum educetis in ſancto Dei timore, tanquam ad grande illud officium, divino ejus in conſpectu aſſiſtendi, deſtinatum: cavete ſedulò, ne quod illi cum aliis pravorum morum adoleſcentibus ſit commercium (certè plurimum prodeſſe iis, qui ad ſacras Aras aſpirant, agere cum Innocentibus, Regius Propheta cenſuit: *Lavabo inter Innocentes manus meas, & circumdabo Altare tuum Domine*) *Pſ.25.6.* & probatiſſimi illum Magiſtri diſciplinæ maturè committite. Galenus, ut quis in curandorum humanorum corporum peritiâ evadat eximius, primo loco id curandum aſſerit, ut perito Medico Magiſtro utatur. *Lib. de conſt. Art. Med.* Quantò magìs rectiúsque id ipſum deſiderabitur, ut quis in animarum curâ, quæ Sacerdotibus incumbit, magna cum commendatione verſari poſſit?

XVIII. Alterum, quod agendum priùs eſt, quàm quis ad ſublime Sacerdotii culmen aſcendere moliatur, eſt, ut dicebam, capere ſui ſpecimen, illis ſtudendo moribus vivere, quos Clericis Canonum decreta præſcribunt, priusquam indiſſolubili nexu ad eam vitæ rationem quis ſe obliget. S. Baſilium ajunt ante Sacerdotium ita vi-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

xiſſe, ut jam tum Sacerdos dici poſſet: *Sacerdos etiam ante initium Sacerdotii fuit.* Sic de eo Gregorius Theologus aſſirmavit: Quod utinam dici de nobis omnibus poſſet, quicunque hoc charactere inſignimur! O quæ Eccleſiæ foret felicitas! Sed alii re vera mores cogunt nos Hieronymi reſtaurare lacrymas & querelas; dum cernimus non ſemel, eum, qui heri Chriſtiani dignitatem vitâ malè tuebatur, hodie Sacerdotem, nec de grege illum, ſuperbire. *Heri Catechumenus, hodie Pontifex: veſpere in Circo, manè in Altario.* Heri in ſaltantium choro, hodie in Altaris miniſterio, heri inter ludentes, tripudiantes, compotantes, eorũ approbando ſtudia, & fortaſſis etiam frequentando, hodie ſe oſtentat, ut Sanctificator populi, coram ipſo in genua provoluti. Quæ tandem hâc major inveniri poteſt ordinis perverſitas? Qui Cappucinorum ſacram in familiam adoptari deſiderat, priusquam aſpero illo & horrido ſacco ſe veſtiat, explorat, an nudis in aſſeribus ſomnum capere, jejunare, flagris ſe cædere, media nocte ſomnum abrumpere poſſit; ut experientia diſcat, an pares gravi Ordinis oneri, & rigidis ejus inſtitutis vires afferat. Cur ergo alter ille Juvenis, qui cogitat ducere vitam, ſi non tam aſperam, ſanctam certè, & non carnis, ſed Spiritûs effatis conformem, qualem eſſe oportet Sacerdotis cujuslibet, non & ipſe priùs experitur, quid poſſit, & priusquam voti religione ac nexu Caſtitatem Deo publicè promittit, an eam illibatam ſervare valeat, aliquanti temporis uſu explorat? Sunt, qui Juventutem exigant in magna morum ſtæque licentia; mox nulla pravarum propenſionum, plurium annorum iteratis ſæpius lapſibus contractarum, ratione habitâ, feſtinant ad humeros illi ſupponendos oneri, cui ferendo plures viri ſanctiſſimi ſemper ſe impares exiſtimârunt. Inde fit poſtmodum, ut vitiis ab adoleſcentia aſſueti nunquam deinceps ſe emendent, maneantque ægri incurabiles. *Deſiit eſſe remedio locus, ubi, quæ fuerunt vitia, mores fiunt.* Prudentiæ ſanè Chriſtianæ non eſt, rem tam inconſultò ac temerè aggredi: dare ventis vela, provehi in altum, omnium ſe tempeſtatum diſcriminibus permittere, nec tamen antè artem didiciſſe nauticam, aut ne unam prope littus cymbulam remo gubernâſſe. Meritò Romanis veteribus id laudi datum, quòd priusquam claſſem armatam adversùs Pœnos & Afros educerent, in Naumachia ſiæ maritimæ pugnæ ſimulacra ediderint; quæque deſignabant animo facta vaſto in mari, iisdem intra anguſtiores limites præluſerint. Quid autem dicam ſentiámve, dum video aliquos accinctos, ut initiati ſolenni ſe promiſſione Deo obligent ad caſtè deinceps vivendum, qui tamen ad id usque temporis non didicere, quomodo obviam ire tentationibus, quomodo eas frangere & eludere oporteat, audaces concupiſcentiæ impetus refrenando compeſcendóque? Hoc ſanè eſt inter Oceani undas, procellas, tempeſtates velle triumphare, & Myoparonis ad clavum ſedere, antequam vel tantillæ

Orat. 20.

Sen. Ep. [illegible]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tillæ ſcaphulæ per foſſam canalémque, nullis expoſitum ventis ducendæ quis præfuerit, illiúsve curſum fuerit moderatus.

XIX. Illud autem quantum probrum foret, quantum dedecus, ſiqui Clericorum Ordini jam adſcripti, cúmque in finem educati, ut Sacerdotum numerum augeant, fas ſibi exiſtimarent habenas laxiores ſuæ libidini permittere, quàm ulli alii Juvenes permittant; eáque perſuaſione imbuti indulgerent amoribus, choreis intereſſent, cósque dicteriis perſtringerent, qui in hæc Juventutis, plena periculi, oblectamenta, & coruptelas invehuntur? An in animum inducere quiſquam poſſet, non ignorare ipſos, quæ quantáque ſit Sacerdotalis, ad quam aſpirant, dignationis celſitudo, quódque ad illam absque temeritate eniti ipſi poſſint? Atque utinam non ita ſe res haberet, & non illi ipſiſſimi, qui tantas in ſpes aluntur, præquam ulli alii, immorigeri, petulantes, petulci, &, ſi non aliud, domi perinde, ac in templis, modeſtiæ ac reverentiæ omnis obliti viderentur! Amurathes Turcarum Imperator, cùm nimio vini, ſuæ ſuperſtitionis legibus interdicti, uſu gravem ſibi morbum conſciſſe, voto ſe Prophetæ ſuo Mahometo obſtrinxit omni deinceps vino abſtinendi; nec eo contentus, violandi denuo voti metu vitra ſimul omnia cryſtallina, quibus ad bibendum erat uſus, frangi juſſit. Pro vida hæc barbari & alieni à fide hominis cura ruborem non exprimat iis è Chriſtianorum numero, qui cum literis amatoriis in ſinu, cum amaſiæ imagine, reſponſis, muneribus, tæniis, & neſcio quibus familiaritatis parùm caſtæ mnemoſynis, ſolicitè in ſcrinio cuſtoditis, non verentur feſtinare ad promittendam Deo in facie Eccleſiæ caſtitatem, ſeque ad eam voti religione obligandos? Quæ tandem iſta audacia, quæ inconſulta temeritas eſt? Toties voluptatum calici labra admoviſſe, & illo non diffracto, palàm profiteri, quòd ab illo deinceps labra æternùm abſtinere decretum ſit?

XX. Claudamus Diſcurſum hunc egregio & omnibus profuturo S. Gregorii monito: *Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat; virtutibus vacuus, nec coactus accedat.* Qui virium ſatis ad ferendum grave Sacerdotii onus habere ſibi videbitur, admoveat humeros, invitus tamen & renitens, *coactus ad regimen veniat.* S. Marcus eremi incola pollicem ſibi amputavit, ne ſacris initiari poſſet. Abbas Mutues, cùm invitus initiatus eſſet, ne ſemel quidem Sacrum facere auſus eſt, & incruentam Deo hoſtiam litare: unde olim indignum Sacerdotali gradu exiſtimabant, qui volens ac lubens initiari ſe eſſet paſſus. *Profectò indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.* Quiſquis autem frequentium prolapſionum experientiâ virium ſuarum perſpectam habet imbecillitatem, nulla ratione induci ſe ſinat ad humeros oneri ſubjiciendos: *virtutibus vacuus, nec coactus accedat.* Nemo ſe purget: *Ita parens meus jubet.* Neque enim parens tuus funes ullos habet, quibus te denuo inferni ex barathro extrahat, ſi in illud ob vitam Sacerdotali in gradu

*L. ſi quemquam C. de Epiſc. & Cleric.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

du, vel Laico pudendam, præceps actus fueris. Fuit nonnemo, qui Alexandro M. promitteret, ex vaſta montis Atho mole ſtatuam fingere, quæ Alexandrum ipſum ad amuſſim referret. Faceſſere hic hominem juſſit, cum dicto: ridiculum fore, ſi hominem, qualis ipſe foret, puſillæ ſtaturæ, mons tam vaſtus referret. Vos quoque, ſi ſapitis, ſtaturæ veſtræ humilitatem cum excelſitate divini Sacerdotii comparate; cúmque tam nullam inter utrumque agnoveritis proportionem, non permittite quoquo modo, id vobis imponi, cui ferendo vix eſſet grandis ille Angelus, qui cùm uno pede terram calcaret, alterum procul in mare extenderat. Etſi qui triplici votorum nexu ſe Deo in aliqua Sacra familia obſtringunt, majus virtutis perfectioniſque ſtudium videantur profiteri, quàm quilibet vulgaris Sacerdos, propterea quòd magis ad intimam cum Deo unionem, quâ ſanctitas conſtituitur, vota illa diſponant; docet tamen S. Thomas, Conditionem Sacerdotis ſublimiorem eſſe, quàm ſit hominis Religioſi, propterea quòd ille deſtinatus ſit ad miniſterium, quo aliud ſublimius in terris nullum eſt. Atque hinc ſtatûs ſui ratione Sacerdotem quemlibet ad majus ſanctimoniæ ſtudium obligari, quàm obligetur Religioſus non Sacerdos; & quod hinc conſequens eſt, peccatum idem, ſi paria ſint cætera, in Sacerdote quolibet gravius cenſendum, quàm in Religioſo, qui Sacerdos non ſit: *Unde graviùs peccat* (S. Doctoris verba ſunt) *cæteris paribus, Clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, ſi aliquid contrarium ſanctitati agat, quàm alius Religioſus, qui non habet ordinem ſacrum.* Attendant igitur, quàm altam turrim ædificare eos oporteat, qui Sacerdotes eſſe volunt, dum vel Religioſos vitæ ſanctitate ſuperare debent. Et non audient hortantem Chriſtum? *Quis volens turrim ædificare, non ſedens priùs computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habeat ad perficiendum!* Ubi porrò iis, quæ dicebam, præmiſſis, ſtatuerit quis Sacerdotio initiari, non omittat & illa adhibere media, quibus ſe ad tanti momenti rem accuratiùs præparet. Abdat inprimis ſe ſacram in ſolitudinem, ibique procul ab interpellantibus aliquot dierum ſpatio, quantâ poteſt diligentiâ, perpendat, quàm ſit neceſſarium omnes Animæ labes, initâ totius vitæ ratione, & Confeſſione à primis annis repetitâ, eluere, eámque tot jam nominibus, & beneficiis Creationis, Redemptionis, Conſervationis, atque nunc demum plenæ Conſecrationis, Deo devotam, deinceps ſacrilegè non repetere aut auferre. Antequam mundiſſimus ille cæleſtis Mannæ cibus in terram in deſerto effunderetur, prodigioſus quidam ventus ſiccabat, mundabatque totam, eámque ad dignè excipiendum panem Angelorum præparabat. Non diſſimili vento opus eſt, qui animam Sacerdotis præparet ad panem Angelicum, tantò vetere illo, qui hunc noſtrum adumbrabat tantùm, nobiliorem, præſtantiorémque, quotidie excipiendum, manibúſque tractandum. Vento opus eſt, qui quidquid humiditatis ex rerum conditarum minùs ordinato amore ſuper-

*S. Th. 2. 2. q. 184. ar. 8.*

*Luc. 14. 28.*

pereſt, exſiccet penitùs, ſic ut Sacerdos omnibus Mundi curis, ut decet, liber, Deo totus adhæreat. Ita præparatus accedere ad Sacrificandum poterit: curandum tamen deinceps, ne unquam ponat ſolicitum illum metũ, non reſpondendi omni vitæ ſuæ genere magnis illis, quibus ſe dignatione tum celsâ admittendâ obſtrinxit, obligationibus. Corallium medio ſtatu eſſe non ſolet: aut herba eſt, aut in lapidem obdureſcit. Ita & Sacerdos, aut mollis penitùs ac flexilis eſt, devotionis in Deum ardore, ſi grandi ſuo debito reſpondet: aut ſi Dei donis malè utitur, obſtinatione planè obduratur. His cogitationibus, his ſenſis altè imbutus, quiſquis initiari ſe patietur, ſacrisque Altaribus admoveri, næ ille confidere poterit, ſuo ſe miniſterio pariturum Cælo lætitiam, Eccleſiæ ſolatium, ſibi multisque aliis ſalutem, illique haud abſimilem Domino futurum, cujus vice, in munere tam honorifico, in terris fungitur. *Aſſimilatus eſt Filio Dei.*

# DISCURSUS XXV.

## *De Matrimonii Sacramento.*

1. CUm potentiſſimus Deus producto jam Mundo ad hominem condendũ accederet, non totum uno quaſi niſu abſolvit; ſed è limo primùm velut ſtatuam effinxit; dein divini oris ſui flatu animã illi inſpiravit & vitam. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Non diverſam proportione quadam rationem idem Deus in ſtatuendo Matrimonii Sacramento ſecutus eſt. Matrimonium primò ſtatim ratum eſſe firmúmque ipſemet voluit. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Quis hoc neget? Quid tamen Matrimonium, his firmatum legibus, erat, niſi ex limo ſtatua? Quid, inquam, niſi contractus, nihil penitùs ultra contractus civiles ceteros ſpecialis perfectionis ſortitus, & intra naturæ ordinem relictus? quo ſtatu res manſerunt, donec naturam hominis Dei Verbum induit. Tunc enim Deus Homo divino quodã Spiritu luteam hanc velut maſſam animavit; & Matrimoniũ ad Sacramenti dignitatem extulit. Atque adeò non minùs differunt inter ſe contractus Matrimonii in Lege veteri, & contractus Matrimonii in Lege gratiæ, quàm cretacea illa & exanimis Adami figura, ab Adamo ſpiritu & vitâ donato. Utraque in cõditione Adamus Dei opus fuit: in prima quidem opus luteum; in altera verò Conditoris ſui viva & perfecta imago. Non eſt igitur ambigendum, quin rectè Chriſti Sectatoribus Apoſtolus præceperit, ut Matrimoniũ honoravent: *Honorabile connubium in* Hebr. 13.

*omnibus*. Mihi idcirco aliud non incumbit, niſi ut modum vobis oſtendam, quo, quem Apoſtolus exigit, Chriſtianorum nuptiis honor exhibeatur, ut Servatoris noſtri, qui Sacramenti dignatione illas tam illuſtres reddidit fini& nos reſpondeamus, eundémque ad ſcopum referamus omnia. Id quod hac diſſertatione mihi propoſitum eſt, ſiquidem attentis animis docentem audieritis. Conjugium equidem honore dignum eſt in omnibus, quæ ad ipſum ſpectant, in iis, inquam, omnibus, quæ antecedunt, in iis deinde, quæ comitantur, ac denique in iis, quæ conſequuntur: *in omnibus*. Quod cùm ita ſit, tribus his, quæ dixi, reſpondentes totidem Diſſertationis hujus partes eſſe volo, ut accuratè non minùs quàm diſtinctè rem omnem pertractemus.

I.

II. Primò itaque honorabile eſt Conjugium in eo, quod præcedere oportet; in fine ſcilicet debito ſanctè ſpectando, & in prudenti mediorum ad eundem finem optione. Si quæramus ex nubili aliqua Puella, quid ipſam impellat ad Conjugium quamprimùm ineundum? Reponet illa; ut loco ſit aliquo inter homines, ut maternæ tandem ferulæ & diſciplinæ ſe eximat, ut ipſa familiæ caput ſit. Itáne fines iſti Sacramenti dignitatem & ſanctitatem non dehoneſtant? An non hoc quoque eſt velle, ut Cælum terræ famuletur? Ut illud hujus ſuis in operibus tantùm emolumenta ſpectet? Igitur nefas eſt, tam humilia, tam abjecta Chriſtianis Sponſis eſſe propoſita, cùm inter ſe contrahunt. Hoc ſpectent oportet, ut eo res ipſorum ſtatu ſint, in quo certùs ſalutem conſequatur: qualem quidem multis eſſe ſtatum conjugij extra controverſiam eſt. Quin, monente S. Auguſtino, Sponſis id ſatis eſſe non debet, ut ſua tantùm, etiam vera, emolumenta quærant; debent etiam velle prodeſſe bono publico: cùm Reipublicæ totius humani generis, maximè autem Eccleſiaſticæ & Sacræ causâ, inſtitutum ſit conjugium, quæ hac viâ alios identidem aliósque ſubditos nanciſcitur, quos ſuo Magiſterio Cælo maturos & idoneos efficiat. Sponſi igitur Chriſtiani mutui illius conſenſûs cauſam rogati, hanc maximè reponere deberent; ut novos Chriſto, novos Eccleſiæ ſubditos gignant; utque ſobolem propagent, quæ etiam futuro ævo Deum revereatur, ei ſerviat, & cùm ipſis metoolim in patria eundem amet, glorificet, eóque per omnem deinceps æternitatem fruatur. *Hæc eſſe debet piorum Conjugum intentio, ut regenerationi generatio præparetur.* S. Aug. l. 4. in Julian.

III. At quàm pauci tam nobilem ad ſcopum collimant! Rem magnam præſtare videntur, ſi non una & ſola ſenſibilis voluptas ipſis propoſita ſit, & tam non ultra humanam conditionem Chriſtiani ſe Conjuges attollunt, ut prope infra brutalem ſe abjiciant. Invenire ſanè eſt non unum par ejuſmodi Conjugum, qui nihil animo ſpectent contrahendo ſublimius, quam cujus vel bruta ſint capacia. Ubi hodie eſt, qui cum Tobia affirmare verè poſſit; c. 4.

poſſit: *Tu Domine ſcis, quia non luxuriæ cauſâ accipio Saram conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſecula?* Plerique ad hæc ſublimia in re tam gravi mentis oculos ne attollunt quidem; non aliâ magis cauſâ, quàm quia vilis ac neglecta ſua illis eſt anima: unde ipſa in hiſce deliberationibus non auditur; etſi non alterius magis quàm ejus res agatur. Priſcorum Philoſophorum aliqui Animam hominis pauxillum Aquæ eſſe dixerunt: alii aëreis, alii igneis particulis formatam ſomniabant: qui tamen tam abjectè de ea ſentiret, ut craſſis terræ atomis coagulatam deliraret, inventus eſt nemo. Ex tam vili tamen elemento compactam non pauci Chriſtianorum videntur exiſtimare: certè ut lutum ac terram eam conſiderant, ut lutum calcant, & manſuris ac æternis ejus bonis utilitatem, aut voluptatulam quamlibet exilem, ex terrâ natam, incredibili ſtultitiâ anteponunt.

IV. Cùm autem circa finem errator tam turpiter, mediorum electio ſanior eſſe non poteſt. Pergamus igitur, & quæramus ex earum aliquâ, quæ ad Nuptias anhelant, quibus ipſa mediis ad finem hunc ſuum pertingere laboret? Equidem, ſi nondum depuduit, pigebit illam reſpondere, tam ſibi conſcia eſt, non facere ad ſanctitatem Matrimonii ea, quibus ipſa utitur: atque utinam non cum illâ aperta fronte pugnarent! Utitur certè verborum licentiâ, oculorum inverecundiâ, precum importunitate & impudentiâ, quin, ô probrum! prompto in facinus pudendum conſenſu. Puella nubilis jure ſuo agere videtur, ſi domi aſſidua ſit ad feneſtras, in Templo oculis in omnem partem vaga; ſi riſum in vultu, nuditatem non in facie duntaxat, ſed in brachiis, humeris, ſinu præ ſe ferat; perinde ac ſi Uxor oculorum duntaxat æſtimatione, ut res quælibet viliſſimæ, non juſti ponderis examine, eſſet comparanda. Interim, ut maritum ipſa inveniat, nihil ſe præter fas agere putat, ſi vitæ ſuæ licentiâ toti populo ſit offendiculo; nec advertit, idem ſe agere, quod venator, qui ut è ſilva Damulam proliceret, totam incendio ſilvam vaſtaret. Non hæc ſunt media, quibus Sacramenti dignatione potiri oporteat. Sola ad rem faciunt, verecundia, honeſtatis amor, publici fuga, quæ præcipuè caſtam, & dignam amari puellam commendant.

V. Vellem ſanè, non ultra proceſſiſſet malum. Honeſti conjugii procurandi ſpecie invaluit hodie Chriſtianos inter Juvenes abuſus, quem ne Alcorani quidem Diſcipuli hactenus tolerârunt: licentia nimirum nullis limitibus coërcita agendi converſandique cum ſexu diſpari, ſine arbitris; Ille huic, hæc illi loquitur familiaritate intima, ordiuntur contractus, & tantùm non jam ut Conjuges convivunt. Tertullianus de eo loquens, qui illibatam tueri pudicitiam velit, cum funambulo illum confert: ut illam ob oculos ponat curam ſtudiúmque, quò quiſque conari debet, ne carnis ſuæ cupiditatíſque pondere medio & æquilibrio dimotus alterutro ex latere

præceps ruat. Quantò autem majori jure nos dicemus in re noſtra, debere noſtrates Juvenes eſſe *Funambulios pudicitiæ*? Si Puella Juvenem, ſi Juvenis Puellam amare cœperit, quanta arte, quanta attentione eſt opus ad greſſum quemlibet, ne fallente veſtigio uterque præceps ruat, aut nativo ſenſuum pondere, aut eo, quod amor addidit, è medio dimotus? Amoris nomine, ſi S. Thomæ credimus, quævis ſæpe malè ordinata animi affectio venit; hic enim omnibus imperat, eásque poſt ſe rapit, non aliter ac princeps in horologâ machinâ rota minores ceteras: unde cui cum Amore pugnandum eſt, rem ſibi cum toto pravarum propenſionum agmine eſſe ſentiet. Quid agent igitur, ingemino, quid agent Hic & Illa eo in rerum ſtatu, ne ruant? Quotieſcunque plateas obambulans incido in ejuſmodi Juvenum par, qui ad domûs oſtium confabulantur malè cauti, rident, nec obiter tantùm, ita me affici ſentio, ut qui artis rudem funi inambulare videt, cui momentis propè ſingulis animus occinit: *Nunc cadit*. Quid igitur erit, ſi etiam hodierno more ſine arbitris familiariſſimè ſimul verſentur? Quomodo hæc conjunctio graviſſimum morum honeſtati vulnus infligere non poteſt? Aqua ſtagnans mixta fluviatili potantibus perquam inſalubris eſt. Faxit igitur bonus Deus, ne & hæc diverſi ſexus Juvenum eâdem ex vicinia commixtio, conjugii ſpe permiſſa, potum non faciat Chriſti Servatoris noſtri palato tam inſipidum ingratúmque, ut ne fel quidem vino mixtum in Calvariæ jugo magis inſipidum fuerit. *Vinum cum felle mixtum.*

*Hippocr. lib. de aër aq.*

VI. Non deſunt, qui exiſtiment; his artibus, & amore pronubo conciliata connubia præ ceteris eſſe felicia; cùm pergant deinConjuges mutuo ſe amore proſequi quoad vixerint. At ego hanc opinionem non ſequor: aliter enim me ſentire docuit magiſtra experientia, quæ ſæpe oſtendit, iis, qui tam ardenter mutuò amârant, accidere, quod ebriis. *Sæpe* ebriis, teſte Philoſopho, *una res videtur multiplex*: neque, priusquam exhalent crapulam, vel diſcernere paulò remotiora, vel nnmerare ſine errore valent. *Non poſſunt videre objecta remota, nec illa numerare*. At ubi digeſſêre vinum, quod vaporum ſuorum fumo illas oculis nebulas offuderat, quæ priùs non poterant, nunc ad unguem diſcernunt. Idem amore ebriis evenit. Putant amatam ſibi puellam, omnis generis dotibus, mille aliis potiorem eſſe. At ubi eam duxerint, & amoris ille fervor tepuerit, pulſis jam nebulis & judicii acie illuſtratâ, errorem agnoſcunt, quando jam corrigi non poteſt. Vident quæ tali ex connubio ſecutura ſunt, omnia, quæ antea velut remota diſpicere nequibant: numerant tunc fructus, qui naſcituri ſunt peſſimi, ad unum omnes, cùm priùs ne obiter quidem eoſdem numerare valuerint.

*Sect. 3. Probl.*

VII. Felices proin Puellæ, quæ non his artibus maritos quærunt, nec hâc ingrediuntur ſemitâ, quòd ritâ magis, hoc magis lutulentâ! lætari illæ poterunt, quâ hinc migrandum erit horâ, cùm opes ingentes conſiderabunt,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quas annis illis lubricis cumulârunt, quibus earum ſociæ, ſolitudinem exoſæ, animarum in publiao jacturam fecerunt. Ridebuntur, non nego, modeſtæ iſtæ & ſolitariæ, nec tacitè ruſticitatis arguentur, dum tam communia cæteris pereundi pericula cautè declinant. Sed quid irriſiones iſtæ, quid acerba nocent dicteria, dum ſancta iſta ruſticitas tantas ipſis utilitates parit? Apum aliquæ ſilvas habitant, viſu etiam deformes; mel interim conficiunt ſuaviſſimum, & multò abundantius, quàm domeſticæ aliæ & bellulæ.

VIII. De iis poſtea quid dicam, qui, nequis obex nuptias turbet, multo antè tempore mutuâ ſe promiſſione obligant? Non vereor dicere, hos quoque uno tantùm gradu abeſſe ab exitio. Augetur ſiquidem conventione hàc mutuâ confidentiâ, & præmaturâ, ſenſûsque illecebris extortâ perſuaſione, ut ſuam aſpicit Juvenis puellam, quæ ſua nondum eſt, & forſitan nunquam erit. Sed quid intereſt? Ubi voluptas arbitrum agit, tanquam meſſoriâ falce fertur ſententia: *Omnino*, inquit ille, *meæ es: ſpopondi tibi & obligavit fidem, &, ut obligavi, ſic ſervabo.* Prô ingens rationis pondus! Si ita ratiocinari licet, etiam Cinerum die rectè Paſchalem Agnum manducabis, quia lapſo ſacri Jejunii tempore, quò minùs id facias, prohibebit nemo. *Væ terræ*, Dei verba ſunt, *cujus Principes mane comedunt*! An non autem & iſti tot horis prandium anticipant?

IX. Hæc autem Juvenum peccata, niſi vehementer fallor, plurimas miſeris calamitates accerſunt, duabus maximè de cauſis. Harum prima eſt, quòd ſic nimis quàm citò amiſſo Dei timore facillimo negotio ab his ad alia delicta admittenda proficiant; & pudor ſemel cum uno amante deperditus, ſenſim etiam cum pluribus perdatur. Atque ſic hæc ſchola nonnunquam maximè infames proſtibulis meretrices educat. Axiomatis inter Vinitores dignitatem obtinet aſſertio, quæ affirmat, nihil perinde noxium eſſe vitibus, quàm ſi illis adhuc flores ferentibus denſæ pluviæ cadant. *Plin. l. 17. c. 24.* Puella Matrimonio apta, vitis eſt, quæ jamjam Virginitatis florem mutatura eſt ſobolis Deo educandæ fertilitate. Hanc ergo vitem, ſi ſub hoc ipſum florum matureſcentium tempus non pluvia modò, ſed nocentiſſima grando percutiat, quis ſcit, an unquam reliquâ vitâ caſtos fructus latura ſit? Et verò, ſi uſpiam, hìc miſerorum Juvenum cupiditas cæcam ſe eſſe demonſtrat. Si quis enim ex eorum aliquo quærat; honeſtamne & virtutis amantem Conjugem, an impudicam malit? Honeſtam utique & pudicam, reſpondebit. At talem qui optat, cur ipſe, quam eligit, impudicam & honeſtatis contemptricem facit? Sanè cùm eam ducet publicè, honeſtam duxiſſe dici non poterit. Ubi autem non honeſtam domum duxerit, quomodo de fide ejus ſecurus eſſe poterit? Qui ſuam vineam, patefactâ per ſepem laceratam viâ, ingreditur, quomodo tutus eſſe poteſt, ne & fures eâdem, quâ ipſe progreſſus eſt viâ, maximo vineæ damno, ſubſequantur!

 X. Al-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

X. Altera calamitatum iſtarum cauſa eſt, quia pro eo, quòd ad Sacramentum Matrimonii præparare ſe rectè factis Candidati iſti deberent, pravis ſe onerant, quæ Gratiæ, quam ritè paratis, aut ſaltem non malè paratis daturus erat Deus, plurimum detrahunt. Quod in iis multò maximè locum habet, qui aut malè conſultâ verecundiâ, aut quâ aliâ causâ, priùs quàm Matrimonium contrahant, ratúmque habeant, Sacerdoti non aperiunt delicta tum, cùm adhuc Sponſi eſſent, admiſſa. Hi ſiquidem neque tunc, cùm mutuo aſſenſu connubium perficitur, Sacramenti gratiam, peccatorum obice impeditam, accipiunt, neque ullo fortaſſis pòſt tempore; cùm non deſint, qui ſentiant, cetera, præter Baptiſmum, Sacramenta, fictè, ut loquuntur, ſuſcepta, Gratiam remoto ſubinde obice porrò non conferre. Satis proin patet, quantum ſibi damni inferant hi, Dei timore deſtituti, & improvidi ſponſi! Eâ causâ Matrimonii Sacramentum in Eccleſiâ Deus Homo inſtituit, ut Conjugi utrique medio illo Gratia conferretur, quâ & ſe mutuò conſtanter amarent, & proprio Numine liberos ſuſciperent, educaréntque dociles, pudicos, verecundos, obedientes; & ipſi præmaturâ ſuâ ſalacitate aut magnam partem hæc ſibi auxilia imminuunt, aut omnino præpediunt. Purgant ſe ſubinde cum dicto; nimiam Amoris vim malorum horum cauſam extitiſſe. Aliter omnino ſe res habet. Quid enim plus obeſſe quantumlibet odium poſſet? Non ſemel Infernus quidem ullum habet Cacodæmonem, qui tantum miſeræ maléque conſultæ Puellæ nocuerit, quantum illi obfuit perditè amantis, & ſtultè adorantis protervia.

*Sot in 4. diſt. 6. q. 1. ar. 5. Vaſq. 3. p. Diſp. 161. c. 2. S. Thom. ſuppl. q. 42. ar. 3.*

XI. Quod tum maximè verum eſt, ſi, quod ſæpe accidit, nequam Juvenis, non feriò, ſed fictè fraudulentérque ſpopondit, eo tantùm fine, ut tum ſedam ſuam libidinem exaturaret, tergum mox deluſæ obverſurus, Mulo non abſimilis, qui poſtquam avenam devoravit, vannum calcibus impetit. Sunt qui amoris æſtu tantùm non conflagrare videntur, donec poſt multas verborum & pollicitationum blanditias, ſublatâ malè perſuaſis margaritâ, ſuo mox vacuas conchas in litore deſerunt, jacturam ſuam nullo jam fructu deplorantes. Fœdus bufo diductis, quantum patet, palpebris, utroque oculo, velut amore captus muſtelam intuetur: ſed omnes illæ blanditiæ in funeſtam ingluviem deſinunt, quâ ille hanc devorat. Id quod frequenter male cautis illis Puellis accidit, quæ aliarum damno ſapere nolunt, ſed malunt aliàs infelicium ſorte reddi cautiores. Illacrymantur ſubinde miſerabiles, proditæ & derelictæ malis ſuis, planéque afflictæ exclamant. *Prorſus mihi perſuaſeram, ſincerè, & optima fide me ſponſam electam: neque enim aliàs nunquam votis ejus obſecundâſſem.* O Dementes! Malè pellem licitamini Leonis nondum capti!

XII. Quare ſi eo deinceps, quo oportet, loco Matrimonium habere cupitis (*Honorabile connubium in omnibus*)



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

aliis vobis eam in rem mediis utendum eſt, quæ ab hucusque ad hibitis plurimùm differunt: ea autem potiſſimùm ſunt, Oratio, & Obedientia. Ethnici olim non alio facilè in negotio Deorum ſuorum opem exquirebant ſolertiùs, quam dum de ducenda Conjuge agebatur: at Chriſti aſſeclæ, Religionis, quam profitentur, obliti nihil oſcitantiùs curant, minúsque Dei eam in rem opem implorant. *Domus, & divitiæ dantur à parentibus; à Domino autem propriè Uxor prudens.* Dotem liberalem dare tibi poterit homo, at non Conjugem bonam. Hæc propriè verèque Dei donum eſt, qui ſolus novit, quid tibi expediat. Neque enim ſufficit, fœminam, quam ducturus es, in ſe bonam eſſe; neceſſe eſt eam tibi, tuisque commodis aptam eſſe; atque idoneam. Septuaginta ſiquidem Interpretes voculam addunt, quæ rem belliſſimè explicat, &, quem citavimus locum, ita reddunt: *à Domino aptatur mulier viro.* Fœminam, quam ducturus es, veſtis inſtar eſſe oportet, corpori uſquequaque accommodatæ, quæ neque curta ſit nimiùm, ut totum tegat; nec æquo longior, ne pedes implicet. Ejusmodi autem veſtem corpori ad amuſſim reſpondentem nemo rectiùs, quàm Deus adaptârit. *A Domino aptatur mulier viro.* Qui officinam ingreditur, ubi venales proponuntur veſtes, quæ interpolatæ novarum ſpeciem referunt, optabit ex iis ſibi aliquam, quam & novam exiſtimabit, ſibique planè accommodatam; etſi nec nova ſit, nec corpori concinnè aptetur. Sic qui ſuo aut alterius hominis arbitrio Conjugem legerit, ſæpe oculorũ inſido teſtimonio deceptus, inveniet nec genio, nec moribus ſibi probatam. Deus verò, ubi Conjugem ipſe dederit, dabit talem, quam uſu ipſo probet quis ſibi velut ad amuſſim commenſam, ſic ut aptior altera obvenire non potuiſſe videatur; ita prorſus, ut peritus artifex veſtem corpori commetitur, nequid uſpiam minùs concinnum aptùmque appareat. Talem qui accipit Conjugem, megnum à Deo donum accipit. *Mulier bona, pars bona.* Si enim refert plurimùm ad vitam ex virtute ducendam ſocio uti virtutis ſtudioſo, quantũ intererit, Conjugem ſortiri bonam, quæ comes erit, dum vixerit, individua? Non exiguus earum eſt Conjugum numerus, quarum conſortio mariti pravam vitam in meliorem commutârunt: ſicut aliæ malæ etiam non paucos bonos perverterunt. Vitis vicina Taxo ſterileſcit; vicina olivæ, ſapidiores ſuaviorésque uvas gignit. Invenire autem bonam, ardui negotii res eſt, & in qua omnis ferme humana prudentia caliget. Proinde ſicut qui iter faciunt, ubi nulla eos, trita aliorum veſtigiis, ſemita ad optatum locum dirigit, ſideribus utuntur ducibus, & illa ſedulò conſulunt; ita quem nulla humana ſolertia immunem ab errore præſtat, Deum conſulat, oportet: Non eſt idcirco cuiquam optanda priùs uxor, quàm Deum precibus & diu, & multùm fatigârit, magnæ Matris opem implorârit, locum aliquem multa religione inclitum adierit, Calitum favorem

*Corn. in Eccl. c. 26. n. 3.*

ſibi

ſibi conciliârit, egenos liberali ſtipe juverit, hiſque artibus ac factis ſua in Eccl. 26. 3. vota Deum flexerit. *Pars bona, mulier bona dabitur viro pro factis bonis*: non Juveni malis artibus, & ſtudiis uxorem quærenti: huic enim talis obveniet, qualem ejus opera merentur: bonam habebit, qui bona præſtiterit; *pro factis bonis*: cujus generis qui multa exercitârit, provocabit ſuas ad nuptias Jeſum & Mariam, quæ ſuâ illis præſentiâ plurimum felicitatis Ioan. 2. 8. afferent: *Erat Mater Ieſu ibi; vocatus autem eſt & Ieſus.*

XIII. Meliore adhuc hac in re ſorte utetur, qui Orationi junxerit Obedientiam, Majorum nutui & imperiis præſtandam: hâc enim multò maximè faventem quis ſuis commodis Dei Providentiam experietur; cùm Ille ſecundis libenter ſucceſſibus eorum coronet negotia, qui ad parendū prompti ſunt. Abuſus eſt non ferendus, id quod multis hodie uſitatiſſimum eſt: ut priùs inter ſe Sponſi Juvenes paciſcantur, Parentes autem non niſi de promiſſis ratis certos faciant. Eſt hic fons graviſſimarum inter familias diſſenſionum, turpium in moribus facinorum, dum diverſa â filiis genitores ſentiunt, nec permittere volunt, ut quam ipſi legerint, ducant: idque ſæpe non abſque cauſa. Juvenes ſiquidem improvidæ juventutis vitio oculos duntaxat conſultores adhibent; non minùs inconſultè, quàm qui domum empturus, ſolùm qualis illa foris appareat, exploraret. Parens, quem anni & experientia cautiorem reddiderunt, hæc conjugii fœdera reſpuit: quia de puellæ educatione & moribus, genio & dotibus accuratè certior redditus, providet ſibi in ædes introducendam Tigrim, pulchram illam quidem & maculis ad oculorum illecebras diſtinctam, ſed ferocem. Sive autem prudenti duſi ratione, ſive nullâ, Parentes ſeſe ejuſcemodi ſtudiis opponant, illud longè certiſſimum eſt, ſuadere æquitatem ac prudentiam, ne liberi in tam gravi negotio Parentum conſilia negligant, neve ſuo ipſi arbitrio rem totam gerant, ſiquidem fortunatos ſuorum conſiliorum exitus, & beatam conjugii ſocietatem à Deo expectant. Quando ſacræ literæ de Liberorum nuptiis loquuntur, non Liberis, ſed Parentibus earum curam attribuunt. *Trade filiam* Eccl. 7. 27. *& grande opus feceris, & homini ſenſato da illam.* Nec aliter, ac Eccleſiaſticus, ea de re ſcribit Apoſtolus, & Patris eſſe indicat, filiæ maritum quærere. *Qui* 1. Cor. 7. 38. *Matrimonio jungit Virginem ſuam, bene facit.* Unde conſequens eſt, quòd, etſi Liberorum in arbitrio poſitum ſit, jungere ſe, cui maluerint; nec teneantur ſubire jugum, quod nolint, aut Parentum ad id imperio cogi poſſint: ferme tamen, ut ſecundi ſint horum fœderum eventus, multùm conducet, ſi Parentum petantur & audiantur conſilia, nec contra eorum ſenſa ac judicia quidquam decernatur; niſi quando palàm appareret, pravis eos ſtudiis duci, ut non niſi repugnante ratione iis poſſet obtemperari. P. Sanches. l. 4. de Matrim. diſp. 23. Saltem antequam promiſſa firment, tenentur Liberi Parentes conſulere; id enim negligere non poſſunt, quin mortaliter peccent.

cent in obſervantiam, quam illis certò debent: penès eos tamen eſt, auditis Parentibus, facere, quod viſum fuerit: maximè ſi antequam ad Parentes res deferretur, re ipsâ, nulli alligata conditioni, promiſſa interceſſiſſent: tum enim his omnino ſtandum eſt.

XIV. Juvat afferre hiſtoriam, quæ malè cautis Juvenibus frenum injiciat, ne temerè promittant, quod poſtea nollent; & ſtimulos admoveat, ad præſtanda cum fide, quæ promiſerint. In Saxonia Puella quædam Juveni ſponſam ſe addixit, his additis dictis: *Si alteri præter te nupſero, Dæmon me rapiat.* Verùm ut ferrum candens ceræ inſtar molle eſt atque tractabile, durum & intractabile cùm obſtrixerit; ſic amoris illo æſtu deferveſcente, Puella, à ſe penitùs diverſa, nullo ſuæ execrationis vel metu, vel memoriâ, nupſit alteri. Ventum eſt ſolennes ad Nuptias, & poſt lautas epulas ad Choreas, miſeræ ſponſæ planè funeſtas; imò plus quàm funebres. Duo ſiquidem mali Dæmones aliunde adventantium Juvenum formam mentiti adfuere, factâque ſaltandi copiâ ſponſam, velut honoris causâ, accepere mediam, & poſt non multos in orbitam ſaltus, infelicem, ut accipitres cupitam prædam, ſublatam in auras ſecum aſportavere. Facile eſt cogitare, quo hæc aliorum præſentium terrore ſint geſta, quàm repentè mutata in planctum cythara. Auxit horrorem, quòd altero mox die, ſub horam eandem, iidem, qui heri Juvenes denuo ſe ſtiterint, veſtes, annulos, monilia, omnémque mundum Puellæ muliebrem referentes; quo omni ad pedes dolentis & attonitæ Matris abjecto; Rebus his, ajebant, neſcimus quid agamus: tu eas tibi habe, nobis ſatis eſt, Filiæ tuæ Animam nobis vindicâſſe. Atque his dictis videri deſierunt. Rectiùs utique miſeranda hæc egiſſet Puella, ſi, quærendi mariti curâ matri relictâ, fidem tam temerè alteri non obligâſſet, cujus violatio æternæ ipſi felicitatis jacturâ, nunquam reparandâ, ſtetit: cùm Progenitorum ſecuta conſilium & hortamenta, beatâ tranquillitate hâc perinde ac alterâ in vitâ potiri potuiſſet: hæc enim proprius obedientiæ fructus eſſe conſuevit.

## II.

XV. Si porrò tam ſancta, tamque honorabilia eſſe oportet, quæ Matrimonium antecedunt, quantò magis talia eſſe convenit, quæ comitantur? *Honorabile connubium in omnibus.* Res hæc vel tacente me loquitur. Satis enim eſt dicere, ſponſos dum in Templo, Parocho ac teſtibus præſentibus, mutuo conſenſu jus in corpus ſuum alter alteri tradunt, Sacramentum ſuſcipere. Neque enim in obſcuro eſt, quantam res tam ſancta animi puritatem deſideret. Unde ſi quo ſiniſtro caſu, aut ætatis, aut occaſionis illecebris, aut aſtu Dæmonis contaminati ſponſi eſſent, antè ſaltem, quàm ſolenni inter ſe ritu contrahant, labem animi omnem accuratâ Confeſſione eluant, & in gratiam cum Deo redire ſtudeant; id ni fecerint, fœdiſſimo ſe ſacri-

ſacrilegio, in ipſa Matrimonii ſuſceptione, conſpurcaturi. Leonem feminam ajunt, ſiquando cum Pardo congreſſa fuerit, non antè ad Leonem maritum redire, quàm fluminis aquis ſe totam probè abluerit. Et tantum reverentiæ Deo anima Chriſtiana non habeat? Quin immò non maculæ tantùm abſtergendæ ſunt, ſed curandum, ut magna quoque animi religioſi teneritudine accedatur: quam ad rem, niſi fallor, plurimum conducet, obtutum primò in Deum, Matrimonio præſentem, defigere.

XVI. Si, quod res eſt, dicere volumus, neque Sacerdos, neque Eccleſia, indiſſolubili illo nexu Conjuges inter ſe conjungunt; ſed hoc Deus ipſe præſtat: *Mulier, quam dediſti mihi.* Si enim Conjugem Marito daret Eccleſia, eôsque inter ſe necteret, ſolvere & ipſa nodum poſſet, & facere, ne, qui fuerant, porrò ſint Conjuges. Hoc cùm ipſa non poſſit, nec unquam exolvere hoc vinculo ligatos, ſolus nimirum Deus ligat, quos & ſolvere poteſt: Unde illud; *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Deus igitur hujus veſtri connubii arbiter eſt; ille conjunctionem illam arctiſſimam perficit; ille Nuptiarum veſtrarum verus Paranymphus eſt; & ſicut omnium oculis aſpectabilis Nuptiis illis in Cana adfuit, ita omnium Chriſtianorum Nuptiis non aſpectabilis adſtat. Hanc equidem cogitationem par eſſet excitare in vobis ſenſum pietatis tenerum, & omnium actuum geſtumque compoſitionem religioſam, dum res iſta minimè profana geritur; quæ quidem pietas ac reverentia creſcet, ſi oculos in vos ipſos conjicere non neglexeritis. Vos ſiquidem, ô Conjuges, vos eſtis, qui Sacramentum ita ſuſcipitis, ut illud etiam ipſi mutuò vobis miniſtretis: vos, non alium, ejus Miniſtrum Deus conſtituit.

XVII. Nunquam deinceps per omnem fortaſſis vitam res tam ſacra veſtro miniſterio peragetur. Fieri quidem poſſet, ut veſtrûm alicui, nullo alio, ad id muneris deſtinato, miniſtro præſente, ſacro lavacro infantulus aliquis de vita periclitans eſſet abluendus: quo quidem caſu Miniſter is eſſet neceſſarii illius Sacramenti: non tamen eſſet Miniſter eum in finem peculiariter electus à Deo, & ad quem ordinario munere ejus Sacramenti collatio pertineret, ſed quem Deus ultima in neceſſitate, & præſenti infantis periculo, nō repudiaret. Non ita res in Matrimonio ſe habet; hujus enim Miniſtri ordinarii ſunt Conjuges, ſic ut alium Deus admittat neminem, cujus miniſterio gratiam, eo Sacramento quæſitam, accipere poſſint. Sacerdos tum Miniſtrum non agit, ſed Eccleſiæ nomine eas partes obit, quas in contractu, qui Reipublicæ nomine illi adeſt, aliàs rato nō habendo; quoniam expedit Reipublicæ, magni momenti res clanculum & ſine arbitris non geri: At Conjuges cum formam non minùs, quàm materiam hujus Sacramenti ſuggerant, non tam partem in eo maximam, quàm totum efficere dicendi ſunt.

Laym. [illegible] tr. 10. p. 2. c. [illegible] n. 2.

XVIII. Atq; ut creſcat in vobis magni hujus Myſterii æſtimatio perinde,

ac

ac veneratio, in universá quoq; Eccleſiam curioſum obtutum defigite; quæ in hoc veſtro connubio illius agnoſcit connubii perfectam imaginem, quo Chriſtus eam Dei filius ſibi deſpondit; expectátque inde novam ſobolem, è vobis naſcituram, quâ Animarum fidelium, & ejus gloriæ ſervientium numerus augeatur, & in ſera ſecula propagetur. Utinam Conjuges Chriſtiani, dum nexu illo tam ſacro, quàm arcto inter ſe vinciuntur, ad hæc, hisque ſimilia, quæ fide Magiſtrâ docentur, mentis oculos attollerent! næ illorum Matrimonia, ut eſſe debent honorabilia in his, quæ antecedunt, talia etiam forent in his, quæ comitantur; quæque ſequuntur; ad quæ jam nunc tranſimus.

III.

XIX. Hanc rem duobus monitis, quæ vobis ſuggero, abſolvo. Quid autem dico, ſuggero? Suggeſſerunt illi gemini & Magni Eccleſiæ Magiſtri Petrus & Paulus, iiſque complexi ſunt, quidquid hoc in genere dici poteſt: ut ſcilicet Conjux Conjugem honoret, atque amet. *Viri* (ſic S. Petrus maritos affatur) *quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem.* Maritus Conjugis caput eſt; negari id nequit; illius enim eſt hanc regere. At non ideò verum eſt, uxorem Mariti ſervam eſſe & mancipium, ut tractare illam pro arbitrio poſſit. Agnovit etiam Philoſophus, inter ſubjectionem, quâ ſervus hero, & quâ uxor marito ſubjicitur, latiſſimum patere diſcrimen: ac propterea Maritus non debet velle eſſe Caput dominandi ambitione, ac faſtu, ſed providendi curâ ac miſeratione, quod quidem more ſuo Auguſtinus pulcherrimè his verbis expreſſit: *Non principandi* L. 19. de
*ſuperbiâ, ſed providendi miſericordiâ.* Civit.
Atque hæc cauſa fuit, cur Deus mulie- c. 14.
rem è viri coſta effinxerit, ut oſtenderet, ipſam debere eſſe ſociam, minorem licet: ſi enim mancipium fingere eam voluiſſet, utique ex aliquo humerorum, aut pedum oſſe eam formâſſet. Non ego vobis hîc illos imitandos propono, quibus uxores volentibus imperant: procul ab hac abſum ſtultitiâ. Væ familæ illi, in qua colus
enſi jus dicit! Lepidum quid de Sa- L. 12 var.
ciorum Gente Ælianus narrat. A- hiſt. c. 38
pud hos cùm ſponſus ſponſam domum duceret, ubi ejus limen attigerant, luctabantur inter ſe non ad ſpeciem; qui enim vincebat, ad hunc dominandi illos intra parietes jus ſtabile, velut præmium fortitudinis, pertinebat. Non deſunt hodie Mariti, qui ante luctam manus uxori dant: *& Mulie-*
*res dominatæ ſunt eis.* Hoc autem eſt Iſ. 3. 12.
pervertere ſtatutum à Deo rerum ordinem, qui viro fœminam, tanquam animo & conſilio inferiorem, ſubjectam voluit. Hinc S. Ignatius Martyr vult, ut Chriſtianorum Conjuges, ea veneratione Maritos ſuos proſequantur, ut ne nomine quidem illos ſuo compellare audeant, id quod in Sara quoque S. Petrus notavit, quæ Abrahamum Domini appellatione
dignabatur. *Dominum eum vocans.* 1. Pet. 5.
Ab hac porrò mutuâ reverentiâ & ho- 6.
nore ſanè quàm longè abſunt illi Conjuges, qui tam fœdis identidem ſe a-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gnominibus appellitant, ut ne in proſtibulis quidem fœdiora audiri contingat. Perpendant iſti, ſe mutuo hoc contemptu & indignâ tractandi ratione non ſe tantùm, ſed Sacramentum, quin Deum ipſum, Sacramenti & nexûs illius ſacri cauſam, ut diximus, principem, contemnere ac dehoneſtare. Et quid tali in Schola Liberi diſcent? Diſcent nimirum & ipſi ſe mutuò ejusmodi verbis injurioſis ac contumelioſis petere: diſcent, ubi grandiuſculi evaſerint, Parentes ipſos non aliter habere, nec reverentiùs, quàm ipſi ſe mutuò habent; nec verebuntur, quidquid injuriarum eorum ex ore audierant, malè dociles totum ipſis in faciem regerere; inſigni enimverò pul-
*2. Eſd.* cherrimi exempli fructu. Filii He-
13. bræorum Matre Azotide nati, non Hebrâ, ſed maternâ Azoticâ linguâ & idiomate loquebantur: quia nimirum hac crebrò loquentes Parentes audierant.

XX. Etſi porrò reverentiæ hujus parens amor eſt, quo ſe Conjuges proſequuntur, viciſſim tamen illa amori huic conſervando augendóque plurimum ſerviet; unde minimè jam arduum erit alteri etiam obtemperare monito, quo Conjuges amare ſe invicem jubentur, ſiquidem felix ac bea-
*ad Eph.* tum ſuum eſſe conjugium velint. *Viri*
*5. 25.* *diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus Eccleſiam.* Nobilem enimverò Ideam amoris Chriſtianis Conjugibus Paulus proponit: *Sicut Chriſtus Eccleſiam*: eáque re id procul dubio vult, ut & ſanctus, & perpetuus ac ſtabilis ad finem usque hic amor ſit. Alii uxorem amant tantùm, dum ætate floret & formâ: unde dicere de ſe iſti poſſunt, duos ſe dies in omni vitâ jucundiſſimas expertos eſſe; primam, quâ Conjugem duxerunt; alteram, quâ eandem extulerunt. Amoris hujus exempla non pauca vel inter Ethnicos invenire eſt; altiùs proin aſſurgat animus Hominum Chriſtianorum neceſſe eſt, qui probè meminiſſe debent præceptiſſimi divini: *Uxorem adoleſcentiæ tuæ ne deſpexeris.* Quo jubentur, non faſtidire conjuges anus, quas juvenculas adamaverant. Et non ſenectus tantùm, ſed & morbi, egeſtas, & quidquid aliud inviſam ingratamque reddere conjugem poteſt, extinguere nunquam debet, quem maritus conjugi debet, amorem; ſiquidem imitari vult amorem, quo Chriſtus fertur in Eccleſiam, ſemper quidem charam, amatamque, ſed chariorem nunquam, quàm cum graviſſimis preſſam ærumnis vidit: *Viri, diligite Uxores veſtras, ſicut Chriſtus Eccleſiam.* Et ô beatam Rempublicam Chriſtianam, ſi quo principio, eodem ſemper deinceps Chriſtiani Conjuges ſe amore & affectu complecterentur! Sed verſutiſſimus Hoſtis Dæmon, qui arte ignem animavit, cùm ardor eſſet profanus; eâdem extinguit, cùm jam ignes non eſſent, niſi Sacri: ſic ut nefarius hic ſpiritus fontis illius dominus eſſe videatur, cujus aquæ tam accendere ſolebant facem extinctam, quàm extinguebant accenſam. Et tamen Legum oraculo Uxor eſt Marito *Socia* *L. adverſus C. de crim. expil. hæredit.*
*rei humanæ atque divinæ.* Quin ſi SS. Literas audire, earúmque verbis ſtare volumus, oportet Conjugum unanimem

fieri animam, ſpiritum unum. Quâ cauſâ Malachias dixit: *Nonne unus fecit, & reſiduum ſpiritus ejus eſt?* Hôc reſiduum ſpiritûs S. Joannes Chryſoſtomus exiſtimat eſſe Conjugem; perinde ac ſi Deus, ſancti hujus Doctoris opinione, partem aliquam ſpiritûs vitalis Viro, reſiduum autem ejus Uxori dederit. Unde pergit idem Propheta. *Cuſtodite ergo ſpiritum veſtrum*, id eſt, ut Interpretes hunc locum accipiunt, cuſtodite veſtram uxorem.

XXI. Quàm ergo atrociter contra officii ſui Leges delinquunt viri illi tantùm non in belluas mutati, qui uxores ut hoſtes habent? *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Hæc fuit magna illa ac princeps Matrimonii lex, Adami ore à Deo initio ſtatim Mundi conditi promulgata. Eam ad amuſſim implevit Chriſtus Deus Homo, de quo præcipuè, tum Adamus loquebatur. Chriſtus enim, cùm carnem noſtram aſſumeret, certo quodam modo, S. Auguſtini ſententiâ, *Patrem reliquit*, ut ſervum indueret; *reliquit Matrem*, cùm ad patiendum moriendumque pro peccatoribus ſe conferret; idque totum eo fine, ut *adhæreret uxori ſuæ* Eccleſiæ. Si autem noſtra ſpectemus Matrimonia, Legis hujus uſus & obſervatio ad uxores potiùs, quàm maritos pertinere videtur. Vir ut uxorem ducat, nec Patrem fermè, nec Matrem, nec domum deſerit, in qua natus eſt: deſerit autem iſta omnia Uxor, quæ maritum ſequitur. Fecit igitur Uxor (ita S. Joannes Chryſoſtomus maritum alloquitur) quod te facere par erat, & Parentes deſeruit, ut tuæ ſe fidei crederet, ea ſpe nixa, fore, ut quod ſupererat vitæ, in pace tranſigeret, & tecum juncta beatâ tandem perennitate potiretur. At tu pro eo, quòd Parentum loco illi ſis, quos amore tui inducta reliquit, perinde erga illam te geris, ac nauticæ in triremi turbæ præfectus, nunc verbis, nunc verberibus peſſimè miſeram mulctando. Quantùm, prô Superi! hac immanitate tua abominabilem te Deo facis! qui ſi præcipit, ut vel inimicos tractemus clementer & humaniter, quanto ampliùs expoſcet à marito, ut pari modo habeat miſellam illam, à Deo ſibi donatam, ab Eccleſia commendatam, quamque ipſe præſente, & arbitro Parocho pollicitus eſt habiturum vitæ ſociam, non ſervam, & mancipium?

XXII. Neque verò admitto frigidam illam excuſationem, quâ quis aſſerat, ſe jam ampliùs ferendo non eſſe. Quid enim? An non, ſi tam delicato eſt ſtomacho, ut digerere nihil poſſit, neque quidquam, quod alii peccent, tolerare, præſtabat ſe ſolo vivere, nec individuam vitæ cum alia ſocietatem inire? Qui capite eſt cereo, radiis ſolaribus ne ſe exponat. Noſſe debebat illud, quod non illepidè de femina Philoſophus ille dixit, dum fœminam appellavit *Malum neceſſarium*: nam etſi hæc malum aliquod ſit, absque eo tamen familia non ſtat. Procul tamen etiam ab eo abſum, ut mutos vos ſurdóſque velim ad omnia Conjugum veſtrarum errata: corrigendæ ſunt, ſed



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non inſanis clamoribus, non verborum acerbitate, non injuriarum dicteriorúmque acervatione. Sic delinquentem monere, perinde foret, ac luto immergere manum, ut faciem alterius laves. Subinde altùm omnia diſſimulanda ſunt, ne ſeveritas importuna malum exaſperet: quisquis enim ſibi perſuadet, ſe vi, flecti neſciâ, nihil tandem non extorturum, diſcet tandem, invitis canibus venationem nullo fructu ſucceſsúque inſtitui.

XXIII. Errant & in hoc Mariti, quòd jus & æquitatem ſemper pro ſe ſtare arbitrentur, cùm ſæpe Uxor non malè ſentiat, etiam cùm alia à marito ſentit: & quamquam fermè mulier nec providentiâ, nec conſilio plus quàm maritus valeat, non uni tamen marito carò ſtetit Conjugis conſilium non audiſſe. Henricus Secundus Galliarum Rex in ludis ac decurſionibus equeſtribus, quæ in Margaritæ Sororis nuptijs maximo Equitum nobiliſſimorum concurſu dabantur, plures æmulos magnâ ſuâ gloriâ devicerat, ſed non minore fermè periculo. Rogavit proin plus æquo audentem Regina, vellet potiùs deinceps ſpectator adeſſe ejuſmodi certaminum & periculorum, quàm illis ſuam deinceps Majeſtatem objicere. Sed Henricus laudis ac gloriæ appetentior, quàm cautior, iterùm per ſubmiſſos nuncios monenti reſponderi juſſit: *Adhuc ſemel, & non ampliùs.* Vates videri potuit. Rurſus enim certamen cum Equite aliquo auſus, diffractæ lanceæ fragmento, per non bene clauſæ caſſidis hiatum in oculum vi magna impacto, tam non leviter vulneratus eſt, ut doloris vi, ſpaſmo accedente, paucos poſt dies vitam extorſerit. Tanto ſtetit huic Principi ſapienter hortanti Conjugi non obtemperâſſe. Nec rarum hoc eſt, etiam plebejis aut privatis in familijs, ut neglecta cautæ Conjugis conſilia, diſſuadentis aliquam litem, certum quoddam commercium, & mercaturæ ſocietatem improbantis, dehortantis à ſpondendo pro alio, exitium ac perniciem familiæ acccerſant.

XXIV. Igitur, finit Apoſtolus; *Unusquiſque uxorem ſuam, ſicut ſe ipſum, diligat: Uxor autem timeat virum ſuum.* Debet nimirum Uxoris in Conjugem amor etiam ad reverentiam uſque proficere; cùm maritum illa ut vivam, à Deo ſibi datam, vitæ morúmque normam obſervare debeat. Quod vel ipſos Ethnicos non latuit; unde Philoſophus. *Exiſtimare debet mulier mores viri eſſe legem vitæ ſuæ, impoſitam ſibi à Deo per conjunctionem Matrimonij.* (l. 1. Oeconom. 12.) Deſipiūt profectò idcirco illæ, quæ mala omnia precantur ijs, quorum operá initus, perfectúsq; eſt contractus connubialis. Nec rectiùs illæ ſapiunt, quæ omnis diſſenſionis cauſam in unū ſemper maritum rejiciunt. Si, quā eſſe deberet, prudentiâ ac tolerantiâ Conjunx eſſet, ſi non maledictis certaret & execrationibus, ſed Deo precibus cauſam ſuam ſtudioſè commendaret, næ illa tandem maritum lucraretur, ut ſuos tam multæ aliæ virtute inclitæ lucratæ ſunt. Sunt, qui dicant, Taurum ferocem olivæ alligatum (Dard. l. 1. 45)

gan-

manſueſcere. Quæ pacem domi amat, genium mariti pernoſcere curet, eique obſecundare. Sic, qui Elephantis regendis præſunt, nunquam candidis veſtibus induuntur, propterea, quòd hunc colorem belluæ iſtæ horreant: qui autem bubalos regunt, rubei coloris veſtes procul habent, cùm iſtius coloris aſpectu beſtias has efferari conſtet. Eſt aliqua, quæ nec rixari, nec exprobrare ſuo marito delicta ceſſet, & expectat, ut maritus ſe emendet. Faciliùs equidem ventos reti cõcluderis, quàm ut convitiando maritum reſipiſcere doceatis. Increpando reddetis deteriorem, quem fuſæ ad Deum preces, tolerantia, manſuetudo nullo negotio corrigerent. Quam penulam calente ſole ſponte quis abjiceret, frigidua ſpirante à Septentrionibus vento quàm arctiſſimè ſibi idem aſtringet: ſic quas maritus deſereret familiaritates, ſi uxor modum in monendo haberet; frequentantur & retinentur contumaciùs, cùm illa modum neſcit, & acerbè tantùm increpat. Sed ad finem accedamus.

XXV. Duplicis conditionis eos intueor, qui me audiunt. Alij jam ſunt Conjuges: alij Matrimonia meditantur. Illis jam integrum non eſt præſtare, quæ Conjugij pactis præmittenda dixi. Supereſt proinde, ut ad ea animũ applicent, quæ conſequuntur, hàcque ratione ſua honorent connubia. Inſuper ſi ad ineunda hæc inducti ſunt cauſis & rationibus humanis tantùm, aut medijs uſi ſunt parùm idoneis, quin & peccaminoſis, eorum ſequantur exemplum, qui ædes inſtabili ſolo inædificârunt: hi enim alia jaciunt fundamẽta, & firmius ſolum ſubjiciunt. Ad Deũ ſe vertant, eóſq; de Matrimonio ſenſus induant pios ſanctóſque, quibus ad hanc diem carebãt. Ante omnia curæ ipſis ſit, deteſtari, quidquid antè, quàm ratum eſſet Conjugium, peccârunt: arcanum hoc eſt, quo pax atque concordia, diu aliquâ ex familia exules, reduci poſſunt. Quidquid enim ſiniſtri ejusmodi Conjugibus accidit, fructus ſunt illius poteſtatis, quam malus Dæmon inde uſque à Matrimonio inito in eos obtinuit. *Qui Conjugia ita ſuſcipiunt, ut Deum à ſe, & ſua mente excludant, habet poteſtatem Dæmonium ſupra eos.* [Tob. 6. 37.] Verba hæc ſunt, quibus Deus nos erudit Raphaëlis Archangeli ore, quantum ſibi noceant, qui à peccato connubia ordiuntur. Neceſſe igitur eſt admiſſi mali retractatione, dolore ac pœnitudine verâ, precibus ad Deum, piarúmq; actionum conſtantiâ & aſſiduitate mali radicem aggredi, deſtruendo, quidquid de peccato ſupereſt, & diſſenſionis ac diſcordiarum ſpiritui auferẽdo, quidquid illi juris competebat ex noxis, quæ in contractu admiſſæ fuerant.

XXVI. Altera conditio eſt eorum, qui nullodum nexu devincti ſunt. Hi, cùm contrahendi connubij opportunitas fuerit, rebus ſuis diligenter invigilent, nec dubitent, quin ex modo & adjunctis, quæ in contractu iſthoc obſervabunt, magnam partem pendeat & reliquæ deinceps vitæ, atque etiam ſalutis æternæ negotium. Glorietur ſponſa, ſi & ipſa cum illa alia dicere Deo poſſit: *Conſenſi ſuſcipere virum* [Tob. 3. 18.]

*cum timore tuo.* Si nimirum non ipſa prior maritum quærat, non prior invitis, aut inſciis parentibus ſe deſpondeat. Si Majorum arbitrium non ad ſuum inflectat, ſed illorum ipſa ſequatur: *Conſenſi.* Et ſi is conſenſus cum Dei timore conjunctus ſit, *cum timore tuo.* Si ante ratum connubium illa familiaritas cautè declinata, quæ tam facilè animum inficit; ſi itum ad Matrimonium in Eccleſiæ oculis perficiendum eo fine, eâ fide, eâ reverentiâ, quas functio tam ſancta exigebat: ſi denique nexu illo intimo jam contracto vixerit cum marito unanimis planè & concors, cedendo, ubi æquitas ſinebat, mariti voluntati *Cum timore Dei.* Hac ratione tam ſanctâ quicunque connubio juncti fuerint, dubitare non debent, quin eorum ad Nuptias vocatus Jeſus adfuerit, iisdémque bene precatus ſit, quarum quidem precum virtute vitam hanc mortalem tranquillè ſanctéque exigent, conſummatam perfectamque beatitatem in immortali illa feliciſſimè, Chriſto jam aſpectabili formâ bene precante, conſecuturi.

# DISCURSUS XXVI.

## *De criminis Adulterii fœditate.*

I. HAud quaquam temerè locutus eſt magnus Propheta Nathan, cùm Davidi Regi patrati Adulterii deformitatem ob oculos poſiturus, appoſitiſſima illa in Parabola, de ove ab opulento hoſpite pauperi ablata, ad cœnam adventanti peregrè amico parandam, crimen illud fœdiſſimum cum furto comparavit. Nam & Adulter fur eſt, & fur inſignis; dum non rem, ſed honorem aufert alteri; nec domeſticam turbat quietem ac pacem effringendo ciſtas, claves adulterando, ſed prolem illegitimam in familiam intrudendo: nec naturæ tantùm legibus, ut fures bonorum caducorum, ſeſe opponit, ſed ipſas adeò gratiæ Leges conculcat; profanando Sacramentum, quod præ ceteris magnum dicere Apoſtolo placuit: *Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto, & in Eccleſia.* Quare ſi uſus obtinuit, ut furem, ſi aliter non licet, clamoribus inſequantur, qui jacturam paſſi ſunt; *Tenete furem, tenete furẽ,* vociferantes; jure etiam meritiſſimo iisdem vocibus contra adulterum clamabitur: *Tenete furem, mactate furem.* Conſtitui hodie palàm facere, quòd ad condemnandum adulterum, ita contentiſſima voce clament, Ratio intra ipſum, circa ipſum Leges, & ſupra ipſum Deus ipſemet. Id quod profectò ſufficere debet, ut effrontes hi fures ſeſe à furtis iſtis abſtineant; cùm & lupi ſæpe agnellum, dentibus jam prehenſum, excidere ſinant, cùm

2. Reg. 12.

Epheſ. 5. 32.

tùm magnis à tergo clamoribus paſtores inſtant, Lupum, Lupum ingeminantes.

I.

II. In ipſo igitur adulteri animo, ante omnes, clamat Ratio, ſuo illo notiſſimo oraculo, quo totum inter homines commercium nititur: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quod effatum etſi animo cujusque altiſſimè & indelebili charactere inſculptum eſt, Severus tamen Imperator aureis literis conclavis ſui foribus inſcribi juſſ. Hocipſum tamen furum iſtorum ex corde, perinde ac memoriâ, planè eraſum videtur. Si enim ex eorum aliquo quæramus: An carum tibi eſſet, ſiquis alius conjugali tuo thoro violato, te, tuamque familiam probro non [illegible]onii afficeret? Si quidem reſponderit, carum id ſibi fore; deſeramus hominem; ingenui enim porro habet nihil. At ſi negaverit, palamque edixerit; æquiore ſe animo centum plagas laturum, quàm ejusmodi dedecus; qui tandem fieri poteſt, ut animum ipſe inducat ad admittendam, & inferendam tam inſignem, tamque probè ab ipſomet inferente cognitam, injuriam atque probrum? Quomodo non horrore totus obrigeſcit? *Quid hic reſpondere poſſint lubrici mariti, non video* (digna notari S. Zenonis verba ſunt) *qui quod pati nolunt, libenter efficiunt.*

III. Phyſici aſſerunt, omne animal venenatum, ſi quando alio etiam venenato animali veſcatur, fieri veneratiſſimum, cùm hoc cibo peſtis peſte cumuletur. Id quod in re quoque noſtra accidit. Impudicitia ſeipsâ ſerpens eſt omnino peſtifer; quis neſcit? Sed cùm Impudicitia Injuſtitiæ jungitur, tanquam ſerpens gemino paſtus veneno, innato, & devorato, quis explicet, quantò evadat nocentior? Videat proinde adulter, quàm multos uno velut dente lædat: furatur enim Matrimonio, furatur liberis, furatur familiis, Reipublicæ, Naturæ, Eccleſiæ, Deo. Matrimonio quidem, illius nexûs violando fidem, quem ſola ceteroquin ſolvere mors poteſt: Liberis autem, legitimis illegitimos permiſcendo; Familiis, inſerendo alieno natos ſanguine; Reipublicæ, incertum faciendo, quis quâ ſtirpe ſit progenitus; Naturæ, pervertendo illum ordinem, quo ipſa jam inde à principio unam uni deſtinavit; Eccleſiæ, illud dehoneſtando connubium, cui ipſa ſolenni ritu bene precata eſt: Deo tandem, illi illudendo vinculo, quo Deus ipſe Conjuges inter ſe devinxit. Verè ergo magnus fur eſt adulter, imò omni fure deterior, ſi rectè pronuntiavit Chryſoſtomus: *Adulterium latrocinium eſt; imò* *Hom. 3.*
*omni latrocinio gravior transgreſſio.* *in 1. ad*

IV. Auget hanc Adulterii turpitu- *Theſſa-*
dinem, quòd ſit furtum admiſſum à *lon.*
locuplete. Si egenus fame adactus tollit alteri, quo famem ſedet, non deeſt, qui aliquo usque excuſet, & miſeri vicem doleat. *Furatur enim,* *Prov. 6.*
*ut eſurientem impleat animam*: ſed *30.*
qui panem furatur, cùm plenam illo peram circumferat; indignus eſt, quem alius miſeretur. Non ego hîc affirmârim, non eſſe dignum vindicis

P. SEGNERI Homo Christian[illegible]

Dei pœnâ Juvenem, nullodum connubii vinculo innexum, ſi vetitæ cupiditati ſuccubuerit, & libidini; noſtro tamen res intelligendi more videtur aliquâ dignus miſeratione, ſi fame, quâ torquetur, voluptatum impulſus induci ſe patiatur ad paſcendum ſe cibo non conceſſo. Quid autem noxæ ſuæ prætexet maritus, cui, cùm domi ſit, quod comedat, alieno tamen famem pellit? Imò, ſi Philo non erravit, tantò minùs purgari poteſt, ſine miſeratione judicandus ac puniendus, quòd generis humani hoſtis publicus, ſuam tantùm ad libidinem implendam tam grave illi damnum intulerit. Philonis verba ſunt. *Adulteri capite plectendi, ut publici hoſtes humani generis.* (Lib. de ſpecial. leg.) Ita contra hos infelices Ratio vociferatur, ſuóque in conſcientiæ tribunali, ſi cætera ſilerent omnia, non tacitè ſuam illis fœditatem exprobrat: *Qui committit Adulterium, etiamſi nullum habeat accuſatorem, non deſinit tamen intus ſeipſum accuſare*: (hom. de Laz.) ut inquit Os aureum. Sed nec circa ipſos Leges ſilent, quibus undique quodammodo circumdantur.

V. Et quidem primò Leges Cæſareæ in Codice mortis ſententiam contra adulterum ferunt: & licèt Authentica rigorem hunc Codicis temperârit, quantum ad Uxorem attinet, & ſexûs debilitatem miſerata, capitis pœnam virgarum & carceris pœnâ mutârit, hæc tamen clementia ad maritos non ſe porrigit, ſed quoad ipſos priore illa Lege ſtandum eſt. Quare ſi noſtris hodie moribus Legum ſtatuta ſervarentur, ut fures publicè morte multantur, ita alieni thori violatores eodem punirentur ſupplicio; tantóque id magis, quo gravius eſt flagitium, nec gravius tantùm, ſed quod quàm facilè perpetratur, tam non facilè reſcitur; atque ideò frœno indiget potentiore.

VI. Si à Cæſareis legibus transferimus ad Pontificias, etſi Eccleſia ut benigna Mater ſanguinis pœnâ adulteros non puniat, punit tamen pœnâ, quæ naturâ ſuâ multò eſt atrocior; Excommunicatione videlicet, & à fidelium conſortio ac numero ſegregatione. (c. in l. [illegible] de Adulter.) Neque eſt, quòd quis exiſtimet, priſcorum ſeculorum Chriſtianos legibus quidem & ſtatutis pugnâſſe contra hujus farinæ homulos, ſed ſtatutam iis pœnam re ipſa exactam non fuiſſe. Procul id à vero abeſt. Et inprimis quidem beatis illis ſeculis tam procul erant à tam abominanda labe, qui Chriſti ſequacium nomine cenſebantur, ut Tertullianus non dubitârit Ethnicis, omnem Chriſtianos calumniandi occaſionem ſedulò venantibus, in faciem dicere; *Chriſtianum uxori ſuæ ſoli maſculum naſci*. (Apolog. c. 4.) Quin eò antiquiſſimus hic Doctor progreſſus eſt, ut aſſereret, tam abominandi flagitii reo ſpem veniæ, etiam à Deo quacunque pœnitudine obtinendæ, ſupereſſe nullam. Quod etſi planè falſum eſt, & certo fidei dogmati repugnat, ſatis tamen probat, quàm deteſtabile illâ ætate viſum ſit Adulterii crimen. Certum omnino eſt, hâc doctrinâ velut lacte tenerum Chriſti gregem Apoſtolos imbuiſſe, in-

inſtillâſſeque illi ſummum omnis libidinis, maximè autem Adulterii horrorem: adeò ut S. Clemens, Petri Apoſtoli & Diſcipulus & Succeſſor referat tanquam ſententiam S. Petri, id quod in Decretum Gratianus retulit: *Quid in omnibus peccatis Adulterio gravius?* Quòd ſi tamen, quæ hominum imbecillitas eſt, è Chriſtianorum numero tam enorme ſcelus aliquando nonnemo admitteret, volebant Apoſtoli, ut publico aliquo pœnitentiæ genere omnis ille credentium cœtus, ex quo erat, qui deliquerat, tale probrum eluere conaretur. Quò videtur alluſiſſe Paulus, cùm ad Corinthios ſcripſit, admirans, quòd eorum in numero toleraretur adulter, & inceſtuoſus quidem, nullo publici doloris argumento, quaſi magis illi ſibi in cæterorum placerent innocentiâ, quàm in hujus culpâ diſplicerent. *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis; ut tollatur de medio veſtrûm, qui hoc opus fecit?* Quæ Apoſtoli verba anſam dederunt Chryſoſtomo, ut iiſde argueret, quis tum tanti criminis horror eſſet. *Unus erat*, ait S. Doctor; *& tantùm gemebat Paulus, tanquam tota perdita Civitate.*

VII. Hæc autem cùm ita ſint, quis jam mirabitur, graviſſimas illas pœnas, quæ de hoc ſcelere illa ætate ſumebantur? Legere illas eſt in Canonibus Pœnitentialibus S. Baſilii, can. 58. Duplo major erat adulteri, quàm fornicarii pœna; atque ita quindecim ille annorum ſpatio ſanctiſſimorum Myſteriorum uſu arcebatur. Primis quatuor annis ad Eccleſiæ fores ſtare ſolebat, cum lacrymis aliorum Fidelium preces implorans, quibus veniam delicti impetrarent. *Quatuor annis erit deſlens.* Proximo quinquennio Eccleſiæ illi patebat aditus, ſed non niſi cùm verba ad populum fierent. *Quinque erit audiens.* Mox aliis quatuor annis ſic intereſſe licebat rei divinæ, ut tamen inter Pœnitentes locum occuparet. *Quatuor erit ſubſtratus.* Ultimo denique biennio cæterorum quidem favorum Eccleſiæ gratiarúmque particeps eſſe poterat, at non ſanctiſſimæ Communionis. *In duobus conſiſtens ſine Communione.* Temporis longinquitati pœnarum reſpondebat aſperitas: toto enim intermedio tempore crebris per hebdomadam jejuniis, variis aliis in cinere & cilicio pœnalibus operibus, longis precibus ſeſe Pœnitentes affligebant, quod ſuprà pluribus, ad noſtræ ætatis tam mollis ac delicatæ in tot peccatis pudorem, memini me enarrare. Quis jam vobis ſenſus eſt, AA. An ſæculorum decurſu aliquid hujus flagitii fœditati deceſſit? An minùs jam à ſceleribus noſtris abhorret Deus? An miſſis Cœlo, ritéque obſignatis tabulis Deus hominibus permiſit, ut arbitrio jam ſuo viverent, legibus omnibus ſoluti? Fortaſſis, dum antiqua Religionis noſtræ ſecula cum hoc noſtro contuli, non defuit, cui ſuſpicio oboriretur, quæcunque de antiquis dicta ſunt, à me conficta, nihil in receſſu habere veritatis: quomodo enim fieri aliàs potuiſſet, ut ſcelus olim tam abominabile ſic hodie



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

invaleſceret, ut jam non inter peccata, ſed inter urbanitatis officia videatur numerari? *Et quaſi decentiſſimum ſponſaliorum genus, Adulterium.* (Sen. l. 1. de Benef. c. 9.)

VIII. Sæpe omnino animum meum ſubiit cogitatio, quî tandem fieri potuerit, ut nota paſſim Adulteria alicubi nullis pœnis vindicentur? licèt Nationes omnes (quantum quidem ex Hiſtoriis conſtat) concordibus ſtudiis peſtem hanc exitialem ſint abominatæ, latis legibus ſeveriſſimis, quarum ope omne humanum genus illâ penitùs liberarent. Si lubeat animo per tres illas olim cognitas Mundi ſublunaris partes peregrinari, itérque occipiamus ab Aſia, inveniemus ibi Piſidas Adulterium ignominiâ publicâ punire ſolitos, dum ejus reos omnium ſibilis publicè proponebant; etſi gens alia nulla mitiùs in hujus furfuris homines animadverteret. Certè Inſulæ Tenedi Inquilini Adulterum perinde ac Adulteram plectebant capite; quo eodem ſupplicio ſcelus hoc Arabes mulctabant. (Strabo l. 16.) Judæi initiò in illos vivicomburio ſæviebant: (Gen. 38.) quam poſtea pœnam Deus ipſe publicâ ab omni populo facienda lapidatione mutavit. *In lege autem Moyſes mandavit hujusmodi lapidare.* (Lev. 10.) Parthi non aliud flagitium atrociùs puniebant. *Nulla delicta Adulterio graviùs vindicabant.* (Iuſt. l. 4.) Si lubet ex Aſia transmittere in Africam, Leptæi adulterum tribus conſequentibus diebus per vias publicas circumducebant ab omnibus explodendum; (Heraclit. in Polit. Cæl. l. 21. c. ult.) adulteræ autem in foro proſtabant irriſæ, diſcinctæ, centonibus obvolutæ. Seſoſtris Ægypti Rex tam multas aliquando adulteras vivas combuſſit, ut locus, quo hoc de iis ſupplicium ſumptum eſt, exinde perpetuò Terra ſacra ſit appellatus; unde execrabiles Ægyptiis evaſere adulteri. Neque aliter de iis Europæi populi ſentiebant. Cretenſes Adulteros coronâ dehoneſtabant lanea, quâ mollem, effeminatúmque eorum animum deſignabant, quo eſſent inducti ad alienum thalamum violandum: ſic autem mulctati, perpetuâ notari infamiâ, non ad negotia, non ad Magiſtratus publicos gerendos unquam ampliùs admittebantur. Simili publico dedecore Cumani, adulteras infames reddebant. Romani permittebant Maritis, ut quo maximè vellent, probri publici, vel mortis, ſupplicio in adulteras conjuges animadverterent. Vandali crimen iſtud legibus tam ſeveris plectebant, ut Salvianus exiſtimârit, in præmium juſtæ ſeveritatis eos tam multis támque illuſtribus victoriis à Deo donatos fuiſſe, eóſque potiſſimùm adhibitos, qui enſem, parcere neſcium ſtringerent ad reſecanda tam multa putrida, & fœdo hoc laſciviæ contagio infecta Romanæ Reipublicæ membra. Nec Germani Veteres mitiùs cum hoc hominum genere agebant, unde Tacito teſte, *Pauciſſima in tam numeroſa gente Adulteria.* Illud autem præ ceteris admirandum, quòd Spartanos inter inauditum prope hoc crimen eſſet. Unde ab hoſpite aliquo rogatus Spartæ civis, quæ eorum legibus ſtatuta eſſet adultero pœna? Reſpondit: Damnatur ad quærendum tam vaſtæ mo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

molis taurum, ut hîc cis montem Taygetum conſiſtens, collum ad aquam è flumine Eurota, trans eundem montem manante, bibendam porrigat. Miratus hoſpes reſponſi inſolentiam, quando, inquit, unquam inter omnia armenta tam prodigioſæ magnitudinis taurum invenire erit? Sed nec Spartanus ſegnior; quando, repoſuit, unquam in urbe noſtra adulterum erit reperire?

IX. Nimis prolixum foret in medium adducere, quidquid hanc in rem Regnorum Annales memorant. Quomodo igitur fieri potuit, ut in populo moribus tam culto, diſciplinis ſcientiiſque omnibus erudito, qualis eſt utique populus Chriſtianus, liberam velut quaquaverſum commeandi facultatem nanciſceretur flagitium, qualem nec inter agreſtes planè ac barbaras nationes olim obtinere potuit? Sic ut publicè conſtet, huic marito ſuam eſſe pellicem, huic uxori venalem pudicitiam, quin tamen quiſquam idcirco ſe moveat, quiſquam miretur? Et cùm oviculâ aliquâ furto ſubſectâ æris campani ſigno ad arma cives vocentur, Proditorem tam nefarium, & rei tantò pretioſioris furem, non habere, qui accuſet? Enimverò hæc animo volvens, & tantæ turpitudinis pravitate offenſus quieſcere non poteram, usque dum in illa
13. Divi Pauli verba legendo incidi: *Adulteros judicabit Deus.* Et mox animum turbatum ad quietem compoſui. Deus igitur, Apoſtolo teſte, judicabit adulteros; perinde ac ſi dicere is voluiſſet, Nemo miretur, ſi Tribunalium hodie in hoc crimine vindicando ſegnitiem obſervârit; cauſa hæc jam ad ſupremum Dei tribunal pertinet. Vos, ô Judices, videtur Deus dicere, adulteros judicare vel non vultis, vel neſcitis; ſinite, non ego officio deero: ſciam ego ponderare ſceleris atrocitatem, ſciam etiam punire. *Adulteros judicabit Deus.*

III.

X. Atque ita ad illud in re præſenti pervenimus, quod eſt potiſſimum; ut nimirum probè intelligamus, non argui tantùm adulteros intus à criminis conſcientiâ, non tantùm foris à legum decretis, ſed multò maximè deſuper à Deo, qui tanti facinoris deformitatem gravitatémque duobus potiſſimum modis manifeſtet: verbis nimirum, quibus illam exprimat; pœnis, quibus in reos ſæviat. Verba ſi audire lubet, nunc ille ſuos per nuntios & interpretes Adulterium appellat, peccatum grave.
*Induxiſti ſuper me, & ſuper Regnum meum peccatum grave.* Gen. 20. 9.
Aliàs peccatum maximum. *Nefas eſt & iniquitas maxima.* Job. 34. 11.
Iterum non tantùm peccatum magnum, & maximum, ſed etiam profundum: *Profundè peccaverunt, ſicut in diebus Gabaa*; Oſea 9. 9.
perinde ac ſi culpa hæc omnes habeat dimenſiones malitiæ, ſitque tam alta, ut pertingat usque ad Cœlum; tam profunda, ut pertingat usque ad abyſſum. Atque his vocibus in divini Tribunalis actis flagitium hoc deſignatur. Conferamus nunc Cœli idioma cum idiomate eorum, quo infames iſti quotidie utuntur. Deus appellat Adulterium peccatum



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

grave, maximum, profundum: iſti inter minora, quæ admittat homo, numerant; vocant humanæ imbecillitatis effectum, rem, quæ minùs advertenti, minùs cauto accidat, ſubitam, non proviſam, nihil. Ecquis autem inter tam diverſa ſentientes fallitur? An Deus, Sapientia infinita, an miſeri iſti bis cœci, ignorantiâ & affectu pravo? Non latuit Deum, tantum fore in mortalibus pecuniæ amorem, ut furtum inter maxima mortalium delicta ſint numeraturi: hinc iſtâ ipſâ comparatione utitur, ut minùs notam Adulterii gravitatem ob oculos ponat.
Prov. 6. 32. *Non grandis eſt culpa*, inquit, *cùm quis furatus fuerit &c. qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam.* Quæ quidem verba non ita accipienda ſunt, quòd furari non ſit grave peccatum: ſed quod furtum Adulterio comparatum, & injuria per illud, pérque hoc illata ſe habeant, ut ſtagnum aliquod vaſtiſſimo comparatum Oceano, cui collata omnis aquarum colluvies ſemper eſt modica. Hinc veriſimilis redditur Philonis aſſertio, affirmantis, Adulterium inter omnia delicta, quibus alteri fit injuria, peſſimum videri, perinde ac ſi è cunctis trahat, inque ſe diffundat, quidquid maximè peſtiferum eſt, ut fiat inde totum quoddam omnibus aliis peſtilentius. Ab homicidio quidem mutuatur diviſionem, à detractione dehoneſtamentum, à furto uſurpationem: unde adulter non unum, ſed plura ſimul præcepta violare cenſendus eſt, & totius Legis ſtragem edere actu unico luculentiſſimam.

XI. Hucusque cauſæ contra adulteros in divino Tribunali agitatæ ſeriè audivimus: audiamus nunc ſententiam. Proteſtatur divina Juſtitia ſe à conſceleratis his tam graviter læſam, ut de pœna infligenda ne dubitare quidem ſinat. *Saturavi eos, & mœchati ſunt; unusquisque ad uxorem proximi ſui hinniebat; nunquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus, & in gente tali non ulciſcetur Anima mea?* Jer. 5. Audite, qui verborum energiâ indignationem ſuam hoc in negotio Deus prodat. Multa, inquit, ipſis contuli beneficia, multa commoda, rerum omnium copiam providi. *Saturavi eos.* Ipſi autem fertilium annorum abuſi redditibus eos in pretium fœdiſſimarum verterunt libidinum, ſtultarum & vilium muliercularum animas muneribus emendo: *& mœchati ſunt.* Inſuper ubi vel inopia, vel quæ alia cauſa & obex impediit, quo minùs libidines ſuas explerent, ſaltem deſideriis impuriſſimis peccârunt, & tanquam effrenes & ſalaces equi emiſſarii viſâ alterius conjuge hinniebant. *Unusquisque ad uxorem proximi ſui hinniebat.* Et hanc ſcelerum licentiam credat quis fore impunitam, perinde ac ſi ego cœcus illam non videam, aut ſeveriſſimè eandem vindicare non oporteat? *Nunquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus?* Fallitur ſanè; nimium quantum enim animus meus ab hiſce fœditatibus abhorret.

XII. Quibus autem tandem pœnis Deus animadvertet in hoſce abominabiles? Animadvertet acerbiſſimis in animam & corpus ſuppliciis. Ad

cor-

corpus quod ſpectat, punientur adulteri infamiâ æternâ & indelebili. *Turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur.* Permittet ſiquidem Deus, ut turpitudines ejusmodi, quæ ad eam diem non alios modò, ſed ipſum adeò animi & conſcientiæ arbitrum ſolerter celabantur, notæ fiant omnibus; aut certè ut alius non absque auctario inurat familiæ & thoro adulteri dedecus, quo ipſe alienum thorum dehoneſtârat: id quod David Rex expertus eſt; cui pro Uxore, quam Uriæ nefariè abſtulerat, momento unico, quotquot habebat, ſublatæ ſunt Conjuges; nec ablatæ tantùm, ſed in ſpectantis populi oculis à proprio filio Abſalone fœdiſſimè inceſtatæ. *Tu feciſti abſconditè; ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël.* Punit deinde Deus in ſobole, immaturâ morte eam ſubducendo: *Filii adulterorum in conſummatione erunt, & ab iniquo thoro ſemen exterminabitur.* Imò in ſeros quandoque Nepotes Pœnam Deus extendit, facitque, ut poſteri luant effrenem Majorum ſuorum audaciam. *Non recedet gladius de domo tua usque in ſempiternum*: quod ipſum ſupplicii genus Davidi denuntiari juſſit Deus.

XIII. Sed parva ſunt iſta. Plus mihi horroris incutiunt verba, quæ ſuas animæ pœnas decernunt, quæ Prophetæ ora Deus promulgavit: *Derelinquam populum meum, & recedam ab eis, quia omnes adulteri ſunt.* En deſero, ait Jeremias, populum meum, neque eum ampliùs meum agnoſcam, cùm nemo non ex eis Adulterio pollutus ſit. Non fugiet autem vos, id Prophetis in more poſitum fuiſſe, vaticinari futura non tantùm linguâ & ore, ſed etiam operibus eam in rem factis; atque idcirco hæc Jeremiæ ab adulteris ſeceſſio, ſeceſſionem illam & derelictionem ſignificat, quâ Deus adulteros eſt deſerturus. *Derelinquam populum meum & recedam ab eis.* Quem attonare hæ minæ non poſſint? Quid formidandum magìs intentare Deus poteſt, quàm iſtud. Deſeram vos; recedam à vobis; nil mihi vobiſcum erit? Si anima irata foret corpori, gravius comminari ipſi nihil poſſet, quam ſi & ipſa diceret: migrabo. Perinde enim id eſſet, ac: Me ſine, omni vi, virtute ac vitâ deſtitutum, mox vermium eſca eris, nec diu pòſt frigidum in cinerem ſubſides. *Derelinquam populum meum, & recedam ab eis.*

XIV. Si minùs perſpicua, quæ modò adduxi, Dei verba viderentur, illa in memoriam revocate, quæ paulò antè alium in finem retuli. *Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam.* Prov. 6. 30. Attentis adeſte animis: volo, ut non conſulto ullo alio horum verborum Interprete, vos, veſtræ tantùm rationis & judicii adminiculo, interpretemini terribilem hanc divinæ Juſtitiæ ſententiam. Adulter, inquit Deus, ſuâ ſtoliditate animam ſuam perdet. Omni curâ effati hujus ſenſum rimamini, ut eum ſubinde mihi exponere noveritis. Non equidem exiſtimo vos hac ſpeculatione fatigandos. Amantiſſimi Auditores

tores

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tores, perpendite tantiſper, quod dicitur, *Qui adulter eſt, perdet Animam ſuam.* Non vilem laciniam, non chirothecam, non bovem, aut equum, ſed animam perdet: hâc autem amiſsâ, quid erit porrò, quod amittat? cum hac, fit jactura omnis omnino boni. An enim, qui ſemel eam amiſerit, fundo iterum extrahet, ut nonnunquam merces ſævientibus procellis in undas abjectæ, redditâ mari malaciâ, & ventis ponentibus, non infeliciter recuperantur? Vana eſt omnis ejusmodi ſpes; naufragium, quo perit anima, æternum eſt: neque enim tempeſtatem, quâ ejus jactura facta eſt, ulla aut malacia, aut ſerenitas per omne deinceps ævum excipiet. Si dixerit quis: quovis peccato gravi Animæ jacturam fieri: quid hoc inprimis adulterum juvat, quódve ipſi ſolatium afferre poteſt? Deinde, etſi amittatur quavis lethali noxâ Anima, non tamen tam facili negotio amittitur. Adulter delinquendo planè inſanit; & idcirco tantò ille faciliùs animam perdet, quantò proniùs eſt jacturam fieri ab inſano, quàm à ſolerti & cauto. Hinc notate, non fruſtra à Deo dici: *Qui adulter eſt, propter cordis inopiam perdet Animam ſuam.* Vult enim, ut animum ad hoc advertamus; Adulterum non peccare libidinis ac Concupiſcentiæ æſtu impulſum: hunc enim ſedare poſſet citra peccatum, ſi maritus eſt; aut ſi non maritus, minore ſaltem peccati genere. In transverſum miſer agitur *cordis inopiâ*; quæ facit, ut ſtultè æſtimet aquas furtivas palàm manantibus dulciores eſſe. *Adulter præ dementia ſola in peccati voraginem corruit:* S. Joannes Chryſoſtomus loquitur. Quid igitur promittere nobis de illo poſſumus? Alius, quem inſana libido non perinde dementavit, minore negotio ad ſe redibit. Adulterum autem, quem rationis uſu ſua cupiditas omnino privavit, facilè ſuam calamitatem agniturum quis ſperet! An non videre licet, quàm ille apertiſſimis ſe periculis exponat, quin ad illa advertat? Imò quoties etiam eum illa videt, ſtultiſſimâ fiduciâ contemnit ac negligit, quin, quâ eſt dementiâ, occurrit illis, eáque ipſe irritat: verè ergo *propter cordis inopiam perdit Animam ſuam.* Audire ex ore Dei fulmen ſententiæ tam formidabilis, ſatis non erit, ut inſanire deſinant, quicunque ad hanc diem perditè phrenetici delirârunt? Heu! nimis! nimis quàm verum eſt, id hodie nequaquam ſufficere.

XV. Super hæc omnia illud etiam altè in animum demittite, omnes, quas huc usque attulimus, minas intentatas eſſe à Deo in Lege veteri, tum ſcilicet, cùm Matrimonium quiddam contractu civili majus non erat, ſed in hoc naturæ ordine relictum. Quid ergo fieri par eſt, in Republica Chriſtiana, in qua ad altiſſimam Sacramenti dignationem Matrimonium evectum videmus? Quantò major eſt injuria, quâ Sacerdos læditur, illâ, quæ infertur homini profano, tantò major eſt injuria hodie illata Matrimonio, quàm illata Matrimonio Legis antiquæ: *Sacramentum hoc magnum*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*gnum eſt*: Apoſtoli verba ſunt: *ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Hæ quoque voces, AA. non obiter & curſim ponderandæ ſunt: quidquid enim à me huc usque in Adulterii deteſtationem dictum eſt; videbitis, propè nihil eſſe, comparatione eorum, quæ dicenda ſuperſunt. *Sacramentum hoc magnum eſt.* Triplici potiſſimùm ex capite res aliqua magna dici poteſt: vel quià magno ab artifice, architecto, aut Authore perfecta: aut materiæ, quâ conſtat, pretio; & formæ, quam ars induxit, præſtantiâ: aut finis denique, ad quem refertur, nobilitate. Ita triplici hoc ex capite magnum dictum eſt Templum Salomonis; & majori fundamento magnum vocat Apoſtolus Sacramentum Matrimonii. Author ſiquidem & Architectus Deus ipſe eſt: *Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto.* Stupendus ille nexus & Unio, quam appellamus, Hypoſtatica tam eſt ſanctiſſimæ Chriſti Humanitati glorioſa, ut is in ſingulis propè Chriſtianorum ædibus relinquere voluerit vivam ejus imaginem in mirabili connubii nexu, qui maritum conjugi tam arctè adſtringit, ut fiant quodammodo idem. *Erunt duo in carne una.* Fecit proinde id Matrimonio Chriſtus, quod magnus quispiam Monarcha faceret, cui volupe eſſet, ſuâmet dexterâ hortum excolere. Inventam is in nemore ſylveſtrem arborem principio transfert in hortum, deinde ipſemet ramuſculum fertilem inſerit eo artificio, ut nobilitata illo arbor fructus ferat vel regali menſâ digniſſimos. Ita Chriſtus, cùm inveniſſet Matrimonium velut ſylveſtri, contractûs civilis tantùm, conditione, in Eccleſiæ illud ſuæ hortum primò transtulit; mox gratiæ ſuæ ramum ipſemet illi inſeruit, ut fructus tali ex planta deinceps naſcituri ipſam Dei in Cœlo menſam implere poſſent. Quàm igitur indignè, graviſſimâque ſuâ cum moleſtiâ ferret Princeps, hortenſis ejusmodi culturæ amans, ſiquem è ſuis videret ſubditis viridarium ingreſſum, quidquid ipſe tantâ ſolertiâ inſeviſſet, contemptim & nequiter frangere atq; deſtruere: tam indignè, tantâque cum moleſtia, & verò etiam non paulò graviore, feret Chriſtus, cùm videbit, quæ injuriæ Matrimonio ſuâ in Eccleſiâ inferantur. Et ne hoc quidem ſeriò ponderâſſe ſatis ſit conſceleratis his, ut ſalubri horrore percellantur? Non eſt homo tam ab omni humanitate & officio alienus, ut magni artificis opus non æſtimet, & deſtruere non vereatur. Et hoc adulterorum infame genus, tam inhumanum ſit atque barbarum, ut artificis potentiſſimi opera fœdare, deformare, omni decore ſpoliare non horreat atque reformidet?

XVI. Addamus nunc Artificis & Architecti excellentiæ, materiæ & formæ pretium atque præſtantiam, & patebit iterum, quanto jure Apoſtolus dixerit, *Sacramentum hoc magnum eſt.* Materia aliorum Sacramentorum fermè eſt res animâ carens, & inſenſata: pauxillum aquæ in Baptiſmo: modicum Olei in Extrema Unctione; Oleum & Balſamum in Confirmatione:

P. SEGNERI Homo Christianus

ne: atque eadem ferè eſt aliorum ratio. At in Matrimonio, plurium Theologorum ſententiâ, Materiæ vicem obeunt ipſa Conjugum corpora, primò tanta divinæ manus arte efformata; ſubinde ſacri lavacri miniſterio à Sacerdote ſanctificata, Confirmationis Myſterio ab Epiſcopo conſecrata, tanquam S. Spiritûs Templa, tanquam Jeſu Chriſti membra, tanquam animæ, quæ viva Dei imago eſt, inſtrumenta. Quis igitur ſenſus nobis ſit de Adulteris, & gravi, quo Sacramentum hoc dedecorant, injuriâ ac contemptu, materiâ tam ſacrâ abutendo, ut ex ea fœdiſſimæ voluptatulæ ſuccum exprimant? Sunt mulierculæ aliquæ, quæ aquâ ad ritus quoſdam ſuos ſuperſtitioſos utuntur; nec iſtæ extra culpam ſunt. Noxam autem longè graviorem contrahunt impiæ illæ ſagæ, quæ ſuperſtitioſis ſuis uſibus quærunt aquam ex Infantium Baptiſmo reſiduam. Impietas hæc eſt mille rogis digna. Nec tamen huic valdè diſſimilis eſt, ſi verum fateri volumus, impietas Adulteri Chriſtiani, dum ad fines ſuos turpiſſimos illomet conjugis corpore utitur, quod fuerat materia Sacramenti, & Sacramenti tam magni. *Sacramentum hoc magnum eſt.*

XVII. Sed quid dico, quod fuerat? Oportebat potiùs dicere, quod eſt. Neque enim Matrimonium tantùm Sacramentum eſt, dum re ipſa contrahitur, Parocho ac teſtibus præſentibus, ſed eam rationem etiam deinceps habet, cùm jam contractus ille, ritu ſolemni initus, eſſe deſiit. Valdè cupio, vos probè aſſequi, quod dico; animum igitur diligenter advertite. Aqua illa, quam tingendo Infanti Sacerdos adhibuit, Baptiſmo peracto materia hujus Sacramenti eſſe non pergit; quia jam non ampliùs ſignificat ablutionem illam & emundationem, quâ animus originariâ noxâ Baptiſmi miniſterio purgatur: atque hâc causâ Baptiſmus dicitur eſſe Sacramentum tranſiens, quod in ipſo uſu conſiſtat, non permanens, quod etiam miniſterio illo peracto permaneret. At Conjugum corpora, quoad per mortem non ſeparantur, pergunt ſemper ſignificare grande illud Myſterium, de quo mox plura, & cui ſignificando Matrimonii Sacramentum eſt inſtitutum; atque adeò etiam deſponſatione pridem tranſactâ, Conjugum Corpora retinent rationem Symboli & ſigni ſacri hujus Magni Myſterii, non aliter ac ſpecies in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, non in Conſecratione tantùm, ſed hac etiam perfectâ, Symbolum manent, & ſignum ſacrum refectionis illius internæ & ſpiritualis, quâ reficitur Anima. Si quis enim ex me quærat, quid ſit Uxor? reſpondebo eſſe feminam Sacramento ſacratam: & ſi quærat, quid ſit Maritus? dicam, eſſe virum Sacramento ſacratum: & ſi quærat, quid ſit Conjux uterque? iterum dicam, eſſe geminum Symbolum & ſignum admirandorum Fidei noſtræ Myſteriorum. Ex quo pronum eſt arguere, quàm horrendum ſcelus ſit Adulterium, dum Materiam tam ſacram profanat, & profanat modo tam abominabili, ut ſi vel umbris aliquis ſen-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſenſus eſſet, tam fœdi facinoris pudore ſuffunderentur. Hâcque ipsâ cauſâ Cæſareæ perinde ac Pontificiæ Leges Adulteros appellant ſacrilegos. Codex Theodoſianus eos vocat *Sacrilegos nuptiarum*: & ut in tales vult animadverti pœnâ Parricidarum, vivicomburio, inquam, aut corporis vivi in ſaccum inſuti ſubmerſione in mare. Siricius etiam Papa aſſerit, d *Conjugalis fidei violationem apud Fideles cujusdam ſacrilegii inſtar eſſe*: cùm ſit rei ſacræ, corporis nimirum Sacramento conſecrati profanatio, quæ procul dubio fœditati Adulterii, ab homine non fideli perpetrati, ſingularem quandam, ac novam addit turpitudinem.

XVIII. Maximè autem Sacramentum hoc magnum eſt ex finis nobilitate, qui eſt, Myſterium ſublimiſſimum ſignificare. Meminiſſe vos oportet, quatuor Sacramenta præ reliquis magna vocari: Baptiſmum inquam, Confirmationem, Euchariſtiam, Matrimonium. Magnus eſt Baptiſmus magnitudine effectorum; penitus enim extinguit culpam, & reliquorum omnium Sacramentorum eſt janua. Confirmationem magnam facit Miniſter, qui lege ordinariâ ſolus eſt Epiſcopus. Euchariſtia magna eſt rebus contentis; cùm non gratiam tantùm, ſed ipſum adeò omnis gratiæ Authorem & fontem, Chriſtum Jeſum contineat. Matrimonium magnum eſt re ſignificata; hæc enim eſt inauditum illud & ineffabile Myſterium, quod infinita Dei excogitavit Sapientia, Bonitas voluit, Omnipotentia perfecit: Symbolum, inquam, eſt Unionis illius, quâ Verbum æternum Sanctiſſimæ ſuæ humanitati conjunctum eſt: unde non eſt ſignum ſanctitatis cujusdam accidentalis, ſed ſubſtantialis, quâ ſanctificata eſt humana natura connubio illo, quod ipſam inter, & Filium Dei in Puriſſimæ Virginis utero initum eſt illo memento, quo attonitis rei novitate Angelis, Archangelis, & toto illo celſiſſimorum Spirituum cœtu, Verbum, Patris è ſinu ſe demittens, carnem humanam induit. *Verbum Caro factum eſt.* Quis veſter eſt ſenſus de Myſterio tam admirando, cui præcipuè ſignificando Chriſtianæ Legis connubia deſtinata ſunt? Præcipuè dixi: nam & alias duas ſublimes & admirandas conjunctiones ſignificant. Illam inprimis, quâ Eccleſiæ Chriſtus deſponſus eſt. Hanc enim Matrimonio ſignificari ipſa affirmat Eccleſia, dum ita orat: *Deus, qui tam excellenti Myſterio conjugalem copulam conſecrâſti, ut Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum præſignares in fœdere nuptiarum.* Alteram deinde, quâ Deus Animæ cuilibet, ſuæ gratiæ munere donatæ, unitur ac jungitur: quam ipſe deſponſationem illis Prophetæ verbis pollicitus eſt: *Sponſabo te mihi in juſtitia, in judicio, & in miſericordia.* Atque hæc ſingula & omnia, omnem admirationem excedentia, Myſteria profanat, qui violatæ fidei conjugalis eſt reus.

XIX. Nunc igitur denuo à vobis peto, ut, ſi tantum vobis eſt animi, edisſeratis mihi, quantam ad deformitatem, quantam ad enormitatem pu-

*Corn. à Lap. in Epiſt. Epheſ. c. 5. 37.*

*Orat. in Miſſ. pro ſponſo & ſponſa.*

*Oſeæ 2. 19.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

teris pertingere ſcelus, cujus juſtum horrorem incutere vobis hodie laboro, ejúſque clarâ notitiâ mentes veſtras imbuere? Quisquis literas, manu Principis exaratas, ſuo munitas ſignaculo, aperit, omnium, quæ iis continentur, arcanorum v[iol]ator eſt. Quæ igitur arcana ille non violabit, qui fidem frangit Matrimonii, cujus mirabili nexu, ſuâ voluntate & arbitrio, Deus Myſteria, omni veneratione ſuperiora, ſignificare conſtituit? Quare ſi Adulterij crimen, cùm ſolam contra naturæ legem pugnabat, tam nihilominus execrabile Deo erat, ut Prophetarum ſuorum ore illud, ut jam ex me audiſtis, vocaret Magnum, Maximum, Profundum, séque illud in corpore atque Animâ, in ipſam usque extremam pernitiem illa præcipitando, vindicaturum comminaretur: *Qui adulter eſt, perdet animam ſuam*: quanto nunc odio ac deteſtatione feretur in ejusmodi flagitium Deus, cùm jam repugnet etiam Legi gratiæ, cùm profanet Sacramentum tam magnum, & Myſteria dehoneſtet, tam omni humani intellectûs acie ſuperiora, ut ipſi etiam Supremi beatæ Patriæ Spiritus in eorum contemplatione attoniti hæreant & ſtupefacti? Si tum, cùm hujus, in quo vos alloquor, templi parietes ſtruebantur, temeraria aliqua manus eos auſa eſſet diruere, licèt ipſi Deo domus pararetur, gravi ſanè illa ſe ſcelere polluiſſet. At quantò atrocius id crimen foret, ſi hodie quis ſolo æquare conaretur muros iſtos, jam ſolenni ritu conſecratos, & in quibus verè Deus habitat, ſuâque illos Majeſtate ex omni parte implet? Non aliter noſtra ſe res habet. Matrimonium principio rudis quædam & imperfecta erat fabrica, Dei honori deſtinata: nunc verò Templi inſtar eſt, Sacramenti ritibus conſecrati, & præclaris illis, quæ enarratæ ſunt, dotibus ac prærogativis ornati. Quod igitur ſcelus erit illud conminare, cui ſe periculo, cui exitio exponet, qui tantum facinus auſus fuerit?

XX. Interim peſſimi iſtius furfuris homuli, indies magis occæcati, & Deum, & cum Deo animam ſuam non curantes, ſatis habent, ſi turpitudo eorum humanos oculos lateat. *Qui* Eccl. 23.
*transgreditur lectum ſuum, contemnens* 25.
*in animam ſuam, & dicens: Quis me videt? &c. Et non intelligit, quia omnia videt oculus illius.* O verè inſanos, & tantùm non omni fidei lumine deſtitutos! Enimverò ad reſtituendam iis ſanam mentem neceſſe foret, poſſe illis ob oculos ponere, quid in altero ipſos Mundo expectet, ſi in hoc impunè inſaniunt. Audiant igitur. Narrant Annales Familiæ S. Dominici, Illuſtriſſimo ſanguine Matronam peſſimè à Conjuge ſuo haberi ſolitam, propterea quòd is pellicem aliquam perditè amaret. Infelix, cùm diu graviſſimam injuriam æquo animo tuliſſet, longinquitate tandem & atrocitate victa, eò redacta eſt dementiæ, ut cùm aliud non occurreret, quo vindictam marito acerbè dolituram ſumeret, ſtatuerit & ipſa turpem amaſium quærere. Hac cogitatione occupata, dum cubitum concedit, quòd tum animi

ſui

ſui decreto executioni mandando tempus non ſuppeteret, obdormiſcit. Viſa tum eſt ſibi inferorum ad carcerem abripi, & præcipuè invitari, ut adulterorum ibi horrenda ſupplicia contemplaretur. Vidit igitur hos, thori loco, furnis injectos ardentibus, in quibus eos complexi Dracones viſu horridi tam arctè ſtringebant, ut expedire ſe nullo conatu valerent: cùm interim monſtra hæc faucibus exhalarent ardentis ſulphuris flumina, quibus totum infelicium corpus involvebatur: cùm autem hi, majorem in rabiem acti, miſerrimam ſuam ſortem execrabantur, tum iidem Dracones, velut lenimen aliquod acerbiſſimis cruciatibus allaturi, nunc pice; nunc plumbo liquefacto eos aſpergebant; quorum guttæ, cùm oſſium intima penetrarent, immani ipſi vociferatione infernum obſurdeſcere cogebant. Spectabat attonita furnos iſtos Matrona, cùm unum videt flammis ardentiſſimis ſuccenſum, ſed vacuum etiamnum: cúmque rogaret, cui ille pararetur, intellexit, Marito illum ſuo deſtinatum ob infandas, quâ ipſam, & Matrimonium dehoneſtabat, turpitudines & injurias. Tanta tum illam ſubiit infelicis miſeratio, ut odii, quo in illum flagrare cœperat, oblita, in lacrymas effunderetur, ſicque toto corpore contremiſceret, ut tremor iſte ſoporem excuteret. Tum ſuam dolens fatuitatem, reliquâ omni nocte ſtultæ ſuæ illacrymata eſt deliberationi, neque jam de vindicta ſumenda, ſed de emendando, perfido ad eam diem, marito ſuo ſeriò cogitavit. Vix illuxerat, cùm S. Dominicum acceſſit, ab eôque increpita & Deo iterum conciliata, malorum ſuorum remedium accepit coronam precatoriam, illam ipſam, quam Vir Sanctus ſuo ferebat ſuſpenſam è cingulo: accipe iſtam, ajebat Divus, & mariti tui dormientis capiti ſubjice. Obſecuta ſuadenti eſt Matrona: Marito autem eadem, quæ priùs uxori ſpectra objecta ſunt, ſic ut ille & loco & pœnis ſibi paratis, ſuæque perfidiæ debitis, vehementer conſternatus, ad S. Dominicum & ipſe recurrerit; cujus conſiliis monitiſque erectus, animum & mores mutavit, & ea deinceps conſenſione ac tranquillitate Conjugi convixit, ut ſubinde cùm unum cor, anima una viventibus fuerit, ne in morte quidem dividerentur, ſed uterq; eodem die, quin & horâ defunctus eodem etiam tumulo conderetur. Prodigiosâ ejuſmodi Coronâ ſacris hodie Judicibus opus foret ad reducendos in ſemitam errones iſtos. Utinam eorum oculis objicerentur illæ flammæ, illa incendia, Dracones, pix, plumbum, & quæ alia ipſos alterâ in vita manent, ſuppliciorum inſtrumenta! Equidem ſi non tanto, quanto ipſi mali Dæmones, odio animam ſuam proſequerentur, tandem aliqua eos periclitantis miſeratio tangeret.

XXI. Sed quid opus videre, ſi certiores nos de futuris illis pœnis reddit Fides, quàm omnis oculorum experientia reddere poſſet? *Nolite errare*, Apoſtoli verba ſunt, *Adulteri Regnum Dei non poſſidebunt*. Nolite vos ipſos AA. in fraudem inducere, creden-

dendo infrunitis veſtris cupiditatibus, parùm in Adulterio mali eſſe. *Nolite errare.* Mendacii vos arguit Natura, quæ, ut criminis hujus horrorem nobis altè ingeneraret, ipſis etiam brutis fecit abominandum. Unde Elephantes, Cervi, Columbæ, Coturnices, Leones, fidem compari, ut ſic dicam, intactam ſervant: & ſi quod brutorum eſt genus, quod hoc inſtinctu non agatur, nocentiſſimum & maximè peſtiferum eſt, ut de ſerpentibus inprimis memorant. Cùm naturâ, etiam Ratio mendacii vos convincit, quæ notis argumentisque minimè fallacibus oſtendit, magis & atrociùs Jus alienum lædere adulteros, quàm illud lædunt prædones publici: *Nolite errare.* Si hîc falli contingat, non ab alio, ſed à vobis ipſis fallimini. Certè, ſi vultis, nullo negotio intelligitis, ut monuit S. Joannes Chryſoſtomus, quàm vos uxoribus veſtris perfidiam inultam eſſe non ſinitis; tam vos veſtra delicta impunè non laturos; ſi alienas Conjuges ad fidem Maritis frangendam inducatis: & ſicut vos excuſationes nullas admittitis probri ac perfidiæ, quâ vos Conjuges veſtræ irritant, ita nec Deum in ſimili ſanctiſſimorum fœdorum violatione ullas admiſſurum. Neque verò ſatis eſt dicere, ut S. Auguſtinus inculcat, Ego vir ſum; ita mihi collubitum eſt. Nam vel ideo qui Vir eſt, animo maſculo cupiditates ſuas effrenes coërcere & domare debet. Verba S. Doctoris ſunt: *Propterea magis debent illicitas concupiſcentias viriliter frenare, quia viri ſunt.* Et quamquam, ut obſervavit S. Thomas, major eſt uxoris perfidæ culpa, ſi prolis ratio habeatur, quàm mariti; quod tamen ad fidem mutuò datam, & ad Sacramentum pertinet, par utrobique culpa eſt: quantum autem ad ipſum turpe facinus, magìs peccat maritus, quàm uxor; cùm hæc ratione & vi intelligendi minore valeat, quàm maritus.

*S. Aug. l. 2. de Ad. ult. c. 8.*

*S. Thom. ſuppl. q. 62. a. 4. ad 3.*

XXII. Repeto igitur; *Nolite errare.* Nolite injecto oculis pulvere vos ipſos excæcare, & parvi tantam perfidiam facere. Non eadem Dei, quæ veſtra ſenſa ſunt: disertè enim profitetur, ſe tam perditum hominum genus in ſuum beatitatis Regnum non admiſſurum. *Adulteri Regnum Dei non poſſidebunt.* Regnum eſt, & idcirco tam turpi notatis infamiâ non eſt paratum. Regnum eſt, & ideo non dabitur tam mollibus & effeminatis. Regnum eſt, & ideò neceſſe eſt, ut quis illo potiatur, non certare tantùm, ſed certare, donec hoſtis ſuccumbat. *Qui vicerit, poſſidebit hæc.* Regnum eſt, quod ſibi vindicârunt tam multiplici pœnarum genere Confeſſores; tam copioſo ſanguine Martyres, tantâ puritate Virgines: vos proinde judicate ipſi, an iis jure dandum ſit, qui voluptatis; non fruendæ, ſed permutandæ causâ, in animum inducunt, injuriam Deo & contumeliam tantam inferre, quantam explicare conatus ſum, ſatis autem explicare nullis verbis poſſum?

*Apoc. 21. 7.*

DI-

# DISCURSUS XXVII.

## *Reprehenditur nimiæ Amatoriarum levitatum libertas.*

I. ETſi amorem mutuum conciliando licentia, Juvenibus hodie familiaris, & conſuetudo quædam intima, connubii contrahendi colore, Mundo coæva eſſe videatur, utpote nixa, & nata ex propenſione illa à natura ingenita, quâ vir feminæ, & femina viri ſocietatem ambit; quia tamen extra honeſti limites multi quotidie vagantur longiùs, & incauti modum tenere neſciunt, non aliud illa hodie videtur cenſeri poſſe, quàm recèns in Inferni ſenatu excogitatum artificium, & machina, quâ innumerabiles animæ in pernitiem impellantur. Atque adeò quamquam mihi non dubiè præſagit animus, me Juvenum horúmce odium incurſurum, hanc eorum licentiam & procacitatem vituperando, multóque fortaſſe magìs concitaturum contra me illas matres, quæ nonnunquam filias ſuas primæ ad ſtultam hanc agendi, converſandique libertatem provocant: nihilominus, ut vobis commodem, diſplicere penſi non habeo. Propoſitum proinde mihi eſt, cauſam hodie agere contra perverſum amoris mutui conciliandi morem, eúmque coloribus illis depingere, quibus, qualis eſt, talis vobis appareat: furia inquam aliqua, Orco ad incautæ Juventutis certiſſimum exitium emerſa.

II. Triplex autem totâ hâc in cauſâ peccati genus agnoſco: damnum inprimis, quod divino honori pravo hoc ſe mutuò depereundi more auſertur: deinde damnum, quo ſingulæ animæ afficiuntur; & tandem damna totis familiis irrogata. Initium ducamus ab iis aberrationibus, quæ notiores ſunt, & ab his ſenſim ad occultiores progrediamur.

I.

III. Magìs autem vulgò perſpecta ſunt detrimenta, quibus totis familiis nocetur: atque hæc, qui dicere vult, quod res eſt, fateatur oportet eſſe ingentia; cùm nulla alia ſit machina, quæ pacem quietémque earum tam certò perturbet. Priusquam Puella aliqua amare occipiat, nihil illâ eſt obedientius: aſpectus matris torvior, facit, ut toto corpore contremiſcat: imperiis omnibus paret promptiſſimè, conſilia amplectitur, & ne verbulo quidem parentibus obmurmurat. Incipiat hæc deperire aliquem Juvenem: mox cum effreni iſto amore Dæmon animum miſeræ videbitur occupáſſe. Cùm deinceps mater negotium aliquod imperârit, ſi quàm decentiſſimè reſpon-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

reſponderit, dicet: *Tu ipſamet illud conſice.* Et cùm paulò ante nutu regi poſſet, jam nec verberibus ad officium compelli poteſt. Nec Patris jam, nec Fratrum rationem habet ullam; ſed vel ingratiis eorum cœptum pergit ludum ludere, & amare externum aliquem, oblita teneri ejus affectûs, quem erga domeſticos cum lacte ſuxerat: & ſicut ferrum omiſſo centro terræ, quò naturâ fertur, illi ſeſe lapidi admovet, eique adhæreſcit arctiſſimè, ad quem ſuus illud trahit genius; non aliter iſtæ congenitum exutæ amorem, quo in Parentes & agnatos ferebantur, alium, ad quem cœcus animi impetus inclinat, & peregrinum, planéque intruſum videntur induere.

IV. Ubi & illud acceſſerit, ut Puella amet Juvenem, quem agnati averſentur (ut ſanè quàm crebrò accidit) quis explicet, quantam ad indignationem ingratus hic amor domum totam commoveat? Diem totam non aliud ferè intra illos parietes audire eſt, quàm ſiniſtros de illo Juvene ſermones, ut ejus tandem faſtidium incautam adoleſcentulam ſubeat: vituperantur ejus majores & agnati: protrahuntur denuo ſepulta oblivione dedecora; imò ipſis ex tumulis eruuntur mortua pridem & cadaveroſa, noxia exempli pravitate delicta. *Neſcis*, ait ad filiam mater, *quàm infami ex ſtirpe prognatus ſit Juvenis, quem tam perditè amas: quod ſuæ familiæ probrum intulerit mater, quin & Matris genitor?* Atque ita linguâ magis exacutâ, quàm ullus culter tonſorius eſſe poſſit, ut ab homine inviſo filiam abſtrahat, & omnem connubii unquam contrahendi ſpem adimat, plurium familiarum bonam famam dilaniat, & maledico ſuo ore plura illis infligit vulnera, quàm protulerit verba. Nec tamen ſic quidquam proficitur: pergit enim Puella amare, ut priùs, nec mutat animum: clam cum eo agit, & ſi res poſtulet, ne nocturno quidem tempore è ſtrato ſe proripere dubitat, ut arbitrio illi ſuo loquatur, tanto majore pudicitiæ periculo, quò iſta tenebras magìs exoſa eſt. Sed ita eſt; omnis amor, quem vel ſenſile aliquod, vel obſcœnum bonum accendit, cùm in materia exardeſcat craſſa ac terrea, noſtro ſimillimus igni, nunquam comburit, quin etiam fuligine inficiat.

V. Anne igitur mos, qui Juvenes tam protervos efficit, qui Parentes à Liberis, Liberos à Parentibus alienat; qui debitam Majoribus obſervantiam tollit; qui animo & ſanguine conjunctiſſimos ut hoſtes obarmat: qui toties ſæpe inclitas familias internecinis odiis committit, an, inquam, mos iſte Chriſtianos inter ſummâ cum diſſimulatione toleretur? S. Thomæ doctrina eſt, artes illas, quæ naturâ quidem ſuâ noxiæ ac pravæ non ſunt, ſi tamen multi illis in Republica abutantur, extirpandas eſſe, idque vel Ethnicos ſolo rationis lumine dictante agnoviſſe. *Si operibus* (verba S. Doctoris ſunt) *aliquibus cujus artis plurics aliqui malè uterentur, quamvis de ſe non ſint illicita, ſunt tamen per officium Principis à civitate extirpanda, ſecundùm documenta Platonis.* Et vos pro eo, quòd evellatis veſtrâ è familia morem tantorum malorum fon-

fontem, illum ut æquum defenditis; quin ut neceſſarium, ſtudioſè promovetis? Quantumvis, ut modò ex Angelico audivimus, mos iſte depereundi amandique vetitus non eſſet, & ex ſe malus, ſufficit, ut quàm longiſſimè amandetur, ſcire, quòd illo quàm plurimi peſſimè abutantur.

II.

VI. Hactenus tamen cauſa lentis paſſibus procedit; quorum enim hucuſque mentionem feci, peccata tam ſunt perſpicua, ut ipſa per ſe loquantur. Occultiora, etſi non magìs rara, illa ſunt, quibus delira hæc amoris conciliandi licentia, ſublatâ familiarum concordiâ, etiam animabus perniciem affert. Quid eſt, AA. aliquem deperire? Aliud non eſt, quàm videndi ſe facultate privare. Tam eſt arduum, amori in animo locum dare, & non inde eâdem operâ pellere Rationem, ut hoc conari perinde ſit, ac velle ſapere in ebrietate. *Siquis in amore modum tenere velit, idem eſt, ac ſi cum ratione velit inſanire:* dixit magnus quidam SS. Literarum Interpres, quem ſuâ ætate Mundi ſtuporem appellârunt. Et verò fœmina honeſtatis & pudoris antea amans ac ſtudioſa, poſtquam hunc violavit, miratur ipſa ſe, nec aſſequi poteſt, quomodo ita delirare potuerit, ut tam turpiter conſciſceret, quod tantopere in aliis damnaverat. Sed hoc eſt amore capi. Conchylia tam ſolicitè theſaurum ſuo in ſinu natum cuſtodiunt, ut niſi piſcator in eo tollendo ſit cautiſſimus, digitos furacis manus ita arctè ſtringant, ut amputent etiam. Et tamen, quod ferè ſupra fidem eſt, ſi tantillum unges, ſinum ipſa aperiunt, & piſcantis manibus theſaurum exponunt. Ita & multæ infelices animæ ſe habent.

VII. Puella aliqua, capta amore adoleſcentis, ſuâ conditione longè inferioris, tantum eâ re timorem parenti incuſſerat, ut ipſe eam cuſtodire, & cautiſſimè obſervare vellet, eâque causâ in cubili, quod ſuo contiguum erat, ſomnum capere juberet. Sed quid effrenis animi impetus non audet? Denſiſſimis mediæ noctis tenebris ſuam Puella feneſtram aperiebat, & per trabem longam quidem, ſed minimè latam, quæ à cubiculi muro ad porticum è regione ſitam porrigebatur, quæ tum ædificabatur, ſola, nullo nixa fulcro, ſpatium hoc intermedium percurrebat, diſcrimine tam manifeſto, quod vel deſperatum à facinore revocaret; apertoque amanti oſtio, cum illo pro arbitrio ſuo agebat: donec tandem in facinore deprehenſa, rogatáque, quomodo per trabem adeò anguſtam, per quam aſſuetus ſimilibus periculis faber murarius claro die incedere formidaret, in tenebris deſcendere non timuerit? Aliud non repoſuit, quàm: Amor cœcus eſt. Sed ſi labi te deorſum contigiſſet, quid factum eſſet honore tuo, imò quid miſerâ animâ tuâ? Repoſuit denuò: Amor cœcus eſt. Si parens in flagranti te deprehendiſſet, an non mortem protervæ intuliſſet? Hoc iterũ unum reſpondit: Amor cœcus eſt. Atq; hoc reſponſo, quo ſapientius reddere delira antea mulier non potuiſſet, ſatis deplorandã illam manifeſtabat cœcitatem, quâ la-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

borat animus effreni & infrunito impetu in tranſverſum actus, & quæ conſpectum adimit jacturæ honoris, periculi vitæ, ſtragis animæ, & inferni ante oculos ſuos aperti : nec aliud videre ſinit, quàm amatam voluptatem.

VIII. An fortaſſis ingenua indoles, ad honeſtatem ſuopte pondere propenſa, & recta educatio aggeres ſunt, qui ſuum intra alveum aquarum furentium molem abundè coërceant? Minimè id quidem : cùm uſus & experientia doceant, in animo eatenus puro atque innocuo pravi amoris vi ſtragem multò majorem edi. Non eſt colot illò nigrior, qui ex combuſto ebore conficitur. Ita & res noſtræ ſe habent. Quò erat antea malitiæ omnis magìs expers, quantò candidior animus, tantò dein evadit tetrior, cùm orcinus hic in eo ignis exarſit. Etſi enim amor omnis nimius, modum non teneat, & impetu agatur, id tamen de eo maximè verum eſt, quo amatur perſona, ante quam non ſit amata altera. Tum enim, vel quia animus talium inclinationum tyrannidem nunquam expertus minùs terretur, vel quia nunquam ejusmodi aggreſſiones paſſus, modum & rationem neſcit, quibus illas eludat aut vincat; aut quæcunque alia ſit ejus rei cauſa, uſus certè docet, primos hos affectus, ubi cor alicujus occupant, cuncta in eo sùs déque vertere. Accedit, quòd cùm tenera in ætate nequitia diſcitur, magnum ſit periculum, ne unquam ſeria emendatio conſequatur : indéque fit, ut primus ille amor non annos tantùm minùs maturos, ſed & ætatem maturam ac decrepitam damnis ingentibus afficiat. Teneram Amygdalarum arbuſculam, ſi dentibus voracis capræ arrodatur, nulla cultorum diligentia valet emendare : ſemper pro dulcibus amaros fructus gignit.

IX. Erit, qui exiſtimet, nihil porrò à me afferri poſſe in rem præſentem, de tam feraci malorum origine. Sed luculenter is fallitur. Ad aliud ergo delictorum genus pergo, quod animas eorum perdit, qui deliro huic amori ſe prædam fieri ſinunt. Sæpe ut nuntii non deſint, qui inter amantas legationibus fungantur: qui occaſiones procurent; qui tegant noxiam familiaritatem; amicitia cum hominibus contrahitur planè nequam ac perverſis: neque tantùm domi ſublegitur, quod eos in fide & obſequio contineat (id enim quamvis non exiguum malum eſſet, parvum tamen in comparatione eorum, quæ dicam, cenſeri poteſt) ſed diſcuntur ritus ſuperſtitioſi, artes & arcana amorem conciliandi, aut ejus animum, qui jam cœperat amantem faſtidire, prioribus flammis ſuccendendi: aut etiam efficiendi, ne unquam deinceps amare deſinat. Atque, ita non priùs ſubinde negotium malè inchoatum abſolvitur, quàm Dæmon ipſe, non jam clam, ſed palàm, lenonem agere jubeatur, & fœdam ac probroſam voluptatulam procurare.

X. Præterea quàm pronum eſt tranſire ab amore ad odium, & à laſcivia ad crudelitatem? Vix erunt aliquæ inter homines inimicitiæ, quæ originē ſuam deliro huic, quem deteſtor, amo-

ti non debeant. Primus certè amoris hujus effrenis partus eſt æmulatio & Zelotypia, quæ facillimo negotio Juvenes inter ſe comittit; armis eos nocturno tempore cingit, ad rivalem quærendum incitat, & mille rixis anſam præbet: hinc cædes ſequi pronum eſt, neſcias, cujus ſorte infeliciore, ejúsne qui occidit, an ejus qui occiditur. *Furore amoris nihil eſt vehementius*; quod Legum effatum eſt. Tam concitatus, tamque amens amoris impuri eſt impetus, ut hucusq; nullum inventum ſit frenum, quo ſatis ille regi poſſit: temerarios efficit, qui vel umbras timebant; & manſuetiſſimum quemque penitùs efferat. Camelo nulla belluarum manſuetior eſt; libidinis tamen ardore tantam audaciam induit, ut vel cum Leonibus certare non horreat. Si quando autem ad injurias & cædes delirus amor non permovet, concipitur tamen, & fovetur animo, contra rivales rancor tam pertinax, æſtibus odii toties repetitis, támque vehementibus, ut nemo facilè ferre ſententiam poſſit, plúsne illi numero, an atrocitate noceant. Non narro hìc ego res in Utopia geri ſolitas: teſtes veſtros oculos appello, qui toties plus vident, quàm ego eloqui valeam: cùm non ſemel videritis ſtultæ unius Puellæ gratiâ obſtinatiſſimos nunc cædium, nunc odiorum & indignationum ignes ſuccendi. Rex Daniæ Hadingus, cùm urbem Duram oppugnâſſet, ejus mœnia tam firma reperit, ut de iis evertendis ſpem omnem poneret: ut autem vinceret ingenio, quod vi & robore non poterat, multas columbas mares, quæ ex urbe in ſubjectos agros avolabant, capi juſſit; quibus cùm funiculum ſulphure oblitum infra alas alligâſſet, ſub crepuſculum veſpertinum, accenſo funiculo, cunctas dimiſit. Nec ſuo ſolertia eventu caruit: columbæ enim paucarum horarum intervallo præſtiterunt, quod armatus miles plurium menſium ſpatio non potuit. Cùm enim ſua ad columbaria revolâſſent, ignem primò nidis, dein domibus ipſis admoverunt, quæ cùm ligno omnes ſtructæ eſſent, incendiúmque locis pluribus & remotis ortum, omnem ejus reſtinguendi ipſósque adeò incolas voracibus è flammis eripiendi facultatem civibus ademerunt. Hoc ſtratagema in mentem mihi illud revocavit, quo tandem Dæmon nos vincit & expugnat. Videt ille Chriſtianorum urbes, oppida, arces, pagos, villas ita Fide, & Sacramentis probè munita eſſe, ita ſtrenuè à Concionatoribus, & Sacerdotibus aliis defenſa, ut expugnare illa omnino non poſſit. Ab armis proin ad dolos verſus, columbis utitur, ad incendium laſciviæ excitandum, & totas regiones vaſtandas. Occulti aliquid amoris in animo caſti antea Juvenis, aut Puellæ honeſtiſſimæ accendit; & modicus ille funiculus, concupiſcentiæ ſulphure illitus, indomiti affectûs & occaſionis vi accenſus, ad maximum incendium propagandum ſufficit. *Quid mali eſt, ſi Juvenis, ſi Puella amare incipiant?* Quæritis vos ex me: at ego viciſſim quæro ex vobis: quid mali eſt, tantillum ſulphuris ſub columbæ alâ? Parùm ſanè, ſi non inflammetur; plu-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rimum autem, ubi ignem conceperit. Ab amore tranſitur ad obtutum; ab obtutu ad verbulum unicum: non diu pôſt ſubobſcœnum quid profertur; mox & ridetur; deinde etiam geſtibus aliquid ſibi amantes ſignificant, nec quidquam ulteriùs. Tandem ignis hic modicus totam abſque remedio animam in cineres redigit; propagatur in totas domos incendium; conflagrant oppida, referta inquilinis; omnes plateæ viæque peſſimi exempli factis ſcatent, & nihil jam ſupereſt, præter laceras Chriſtianæ Fidei reliquias cum vita belluina. Eſt hic columbinus ille ac innocens Amor; quidem vos illum vobis fingitis. An ita & deinceps judicabitis!

XI. Non neſcio, quæ hactenus commemoravi amoris effecta, & enormitates, quantò ſunt in ſe graviores, hoc minùs terroris aliquibus ex hoc numero allaturas, cùm ſuos amores longè ab iis abeſſe exiſtiment. Verùm num ignorant illi, mala quædam ſenſim gigni, nec ſe, niſi ſerò admodum, foris prodere; at cùm ſe produnt denique, jam tum eſſe immedicabilia? Et idcirco etiam atque etiam vehementer vos hortor, ut illud timeatis, quod parum hucuſque vobis perſpectum fuit. Hâc causâ alia præterea vobis delicta retegam, quibus ſi animi veſtri immunes fuerint, næ ego illos ter fortunatos pronuntiabo. Iſta autem delicta & culpæ, ſunt cogitationes pravæ, & alienarum culparum non vitabilia irritamenta. Quod ad cogitationes attinet: refert Scaliger, araneum ſe vidiſſe tam efficaci veneno præditum, ut

*Hippocr. lib. de Affect. inter.*

cryſtallum, quam pertranſibat, diffregerit. Huic araneo ſimilem non malè affirmabimus cogitationem pravam; quæ ſi oberrare in corde noſtro liberè permittatur, facit, ut plura in fruſta iſtud diſſiliat. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Alterâ autem parte quis ſibi perſuadere poteſt, Juvenem genio excitato, & Puellam indole non lentâ agere inter ſe, diu, quoties, & ubicunque collibitum fuerit, cum arbitris, & ſine illis, in agris, in ſilvulis & nemoribus; quin plurimæ eorum animos ejuſmodi cogitationes ſubeant, atque his illi tacitè ſaltem, in animo aſſentiantur, cùm neque erubeſcere debeant, nec reprehenſionem metuere; imò vix ipſi ſuam perniciem advertant? *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant?* Ita Spiritus S. loquitur, tanquam de re utique uſu ipſo diſſicillimâ.

*Matth. 5. 28.*

*Prov. 6. 27.*

XII. Tantóque magis cogitationes ejuſmodi timendæ ſunt; quia non ſolis peccatur deſideriis; ſatis eſt complacere ſibi in tali re, & oblectari; ſic enim jam admittitur illa culpa, quam delectationem moroſam dicimus, à mora, quâ circa illam voluntas deliberando moratur. Atque hæc delectatio non immeritò dici poteſt latens ſub undis ſcopulus, in quem, quæ non impingit navis, felix profectò eſt, ſi majore, quàm par eſt, licentiâ, vela pravæ ſuæ propenſioni pandit. Nam etſi neuter amantium tum quidem peccato ſe fœdare deſideret; objicitur tamen frequenter admodum eorum menti oble-

ctatio,

ſtatio, quâ olim Conjuges frui innocenter poterunt: interim iſtud animo non pertractant, quâ par eſſet, curâ, oblectationem illam in eo, quo tum ſunt, ſtatu divina ipſis lege eſſe vetitá. Eâ prorſus ratione, quâ facto ipſo peccatur, peccatur & deſiderio. Neque tamen ad hoc amantes mentem advertunt. Unde hæc Juvenum delicta crediderim comparari poſſe illi admirandæ fulminum forti, quæ gladium conſumunt, vaginâ illæsâ. Puella illa poſt ejusmodi cogitationis annutum virgo planéque etiamnum pudica videtur non minùs, quàm antè. Sed aliter ſe res habet; cùm in oculis Dei, qui cordium intima rimatur, illa non ſit niſi buſtum pudicitiæ atque caſtitatis, in pulveres ac cinerem redactæ. Interim Parentes ingeminant: *Quid mali eſt Juvenibus innocens hoc oblectationis genus permittere? Satis eſt, ſi ex oculis Puellam abire non ſinamus; ſed vigiles utroque illam lumine obſervemus.* At ſi vel Argi fueritis, & centum oculis ſobolem veſtram cuſtodiatis, nunquam animum aut veſtræ filiæ, aut ejus, qui eam ſuis ſibi obſequiis demeretur, introſpicietis. Hanc autem abyſſum quamdiu oculorum acie non pervaditis, nec receſſus illos, qui vel eorum, intra quos ſunt, obtutum non rarò effugiunt, ne dicam alienum, idonei hac in cauſa judices non eſtis, nec aſſerere ſine errandi periculo poteſtis, Juvenes veſtros perverſos non eſſe, nec quidquam culpæ in mutuo hoc eorum amore admitti; etſi alii ſine Numinis injuriâ fortaſſis illi indulgeant,

XIII. Sed demus, eſſe unum aliquem, aut unam, quæ etſi minùs cauta, ſic tamen imperare ſuis noverit affectibus, tantámque tueri puritatem, ut neque deſiderio, neque oblectatione voluntariâ animum ullo modo inquinet; num idcirco tuta erit? Minimè enimverò; alius enim adhuc ſcopulus latet, quem non minùs difficile ſit declinare. Theologorum doctrina eſt, feminam, quæ certò nôrit ſe amari pravo fine, lethali ſe noxâ obſtringere, ſi neq; neceſſitate, neque juſtâ aliquâ causâ ſpectandam ſeſe de induſtria amantis oculis objiciat; licèt id ipſa non ſpectet, nec intendat, ut alterum in ſui amorem pelliciat. Non ſatis eſt hìc dicere: *Si perverſo fine ipſe ducitur, meâ non intereſt, ipſe viderit: ego quidem malo non aſſentior.* Nulla eſt hæc excuſatio: irritatur enim ad ſcelus alter, etſi non rectà, obliquè tamen; atque ita ejus culpâ proritans inficitur. Siquis, cùm vehementior aſpirat ventus, in agro ſuo veprium ſarmentorúmque congeriem ſuccenderit, & favillæ incendii quaquaverſum ſparſæ alienas ſegetes, aut arbuſta corripuerint, an admittetur excuſatio, ſi dixerit, ſe aliud ſpectâſſe nihil, quàm ut ſteriles & noxias ſpinas igne abſumeret, quod ſuo in ſolo nemo façere prohibeatur? Oportebat enim alterius etiam periculum antevertere. Nec aliâ Deus amuſſi, aut normâ utetur erga illam Puellam; quæ cùm ſe perditè à ſuo amaſio diligi ſciret, non ſolùm ex ejus aſpectu ſe non ſubduxit, ſed eum certo conſilio quæſivit, & fortaſſis etiam annutu & geſtibus exhibita

 ſibi

ſibi amoris ſigna probavit. Si ignis in miſeri illius animo exarſerit, damni compenſatio à Puella, tanquam incendiariâ, poſtulabitur: quamquam enim illa aliud ſpectaret nihil, quàm aliquam, de ſe innocuam, animi relaxationem; noverat tamen, pravæ propenſionis ſtatu & impetu ſlammas in cor proximi propagari, & totam, quæ re ipſa dein conſequitur, cladem minitari. *Qui occaſionem præſtat, damnum feciſſe videtur.* Quin nec illud eſt infrequens, ut Puella, quæ amari deſiderat, & blandis promiſſis alliciatur, & donis invitetur, & mille modis ad flagitium irritetur: cùm tamen illa nunquam deſinat, cum ejusmodi procis agere, & mutuum erga illos amorem profiteri, nixa animi illo ſuo propoſito, quo decrevit in facinus non conſentire: nec tamen miſera providet, ſe, licèt ſuâ ex parte aſſenſus non adſit, ream tamen conſtitui culparum omnium, quas proci iſti in ipſa ad ſcelus ſolicitaadâ admittunt.

*l. qui occidit. ff. ad Leg. Aquil.*

XIV. Dictis meis fidem faciet eventus ſanè quàm prodigioſus. In Aragoniæ Regno Puellam, Alexandram nomine, rivales duo tam obnoxiè deperibant, ut cœco in illam amore ad ſingulare ſe certamen provocarent; quod tam infeliciter cecidit, ut mutuis confecti vulneribus ambo occiderint. Perlatus celeriter eſt funeſti eventûs nuntius ad agnatos, qui tantâ iracundiâ & vindictæ cupiditate exarſerunt, ut numeroſo armatorum coacto agmine ad Alexandræ ædes feſtinarent, ulturi geminam cædem, unius ipſius causâ perpetratam, Et quamquam Puella fores diligenter obſeràrat, parùm tamen id valuit, cùm armati portâ vi patefactâ deorſum per ſcalam raptam Alexandram multis ictibus vulneràrint. Cùm ergo miſera cerneret vitæ ſervandæ ſpem ſibi nullam ſupereſſe, quibus poterat vocibus ingeminare cœpit. *Date ſaltem delicta confitendi ſpatium:* ut animæ proſpiceret, cùm actum eſſet de corpore. Verùm latronum unus, ceteris immitior atque crudelior, tam nullâ eſt miſeratione ad hos ejulatus commotus, ut nudato, quem ex latere pendulum geſtabat, cultro, & Alexandræ capite capillis prehenſo: Serum eſt, dixerit, jam noxas velle conſiteri, ô ſcelerata: & cum dicto caput à cervice reſecuit, ſicque cruorem ſtillans, majori actus rabie, vicinum in puteum abjecit. Actum erat per omnem æternitatem de ſalute Alexandræ, niſi ejus ad opem Virgo Sanctiſſima feſtinàſſet; cujus ſe Puella cultui ſuas inter vanitates non negligenter addixerat, crebrò Angelicæ ſalutationis verba ad globulos precatorios decurrens. Divina ſiquidem Mater S. Dominico videndam ſe præbuit, juſſitque, ut ad Alexandræ confeſſionem excipiendam properaret. Adfuit ille, ſed aliquot duntaxat à cæde diebus. Nihilominus cùm nomine ſuo caput fide non dubiâ compellâſſet, illud è putei fundo ad marginem ſublatum revixit, ſic ut ſuas Alexandra noxas enarreret, earùmque veniâ donaretur. Subinde ad Divum converſa; addicenda, inquit, eram æternis inferorum rogis, non quòd ipſa peccato conſen-

ſerim

ſerim, ſed quia utriuſque rivalis delictorũ participem me reddideram, dum æmulationis hujus mutuæ & Zelotypiæ conſcia, familiaris tamen utrique eſſe non deſtiti; & quamquam Admirabilis Matris beneficio confeſſionis obeundæ gratiam obtinuerim, ſicque infernis pœnis liberata ſim, manent me tamen ſeptem ſeculorum in flammis purgantibus ſupplicia, niſi adjutricem mihi dexteram ſtudioſi Deiparæ Clientes, coronæ ejus recitatione porrexerint, méque illis incendiis citiùs exemerint. An non abundè hæc loquitur hiſtoria, non ſufficere, ſi Puella aliqua dicere poſſit? *Ego pravis ſtudiis non ago; non aſſentior, non cedo.* Niſi alienis ſe culpis onerare malit, opus eſt majore, quàm fieri poſſit ſtudio, eos fugere, qui vel verbis, vel nutibus produnt pravos ſuos fines, & impuros amores: aliàs paſcere tantùm aliena incendia, ridere, jocari, ſe oblectare, aut etiam alienis ſe oculis ſtudiosè objicere, abundè ſufficit, ut rea ſit, quæ flagitium ceteroquin conſtanter recuſat.

III.

XV. Tertium tandem cauſæ hujus bene longæ caput, complectitur illa delicta, quæ è diametro pugnant cum honore divino, quæ inter primo loco ponenda eſt jactura omnis teneri in Deum affectûs. Jaſpis igne concepto omnem ſuã vim ac virtutem deperdit. Par eſt animæ conditio. Quamprimum ardere incipit amore iſto, non laſcivo tantùm, ſed ſenſili, omnium mox bonorum, omnis virtutis jacturam facit; ſalubres & ſanctæ cogitationes locum ampliùs non inveniunt; ſanctè piéque decreta omittuntur; creber ſacrorum Myſteriorum uſus negligitur; aut ſi is continuatur, non alio ferè id fine fit, quàm ne domeſtici deterius quid ſuſpicari incipiant: Templa mutantur in forum garrulitatis profanæ, obtutuum, & annutuum impurorum; feſti Deo Diviſque dies vertuntur in ſolennitates Sathanæ. Ponderate hæc mea verba, & invenietis vero plus quàm conſentanea; cùm doceat experientia, quidquid ferè vel locis ſacris, vel tempore ſancto, cùm præquàm aliàs colendo Deo navari opera deberet, peccatur, totum ex hoc pravo amorem conciliandi abuſu naſci ac progigni.

XVI. Accedit, quòd nonnunquam ſtulti iſti amantes tanto ſe affectu complectantur, ut hoc in amore ultimam ſuam & ſupremam beatitatem finémque conſtituant: quod tum Theologorum ſententiâ contingit, quando ita ſe amantes iſti habent, ut amorem hunc ponere non velint, etſi cum Dei injuriâ & offensâ ſit conjunctus. Teſtatur Tertullianus, fuiſſe ſuâ ætate, qui ſacris undis tingi nollent, ne poſtmodum & profanis Idolorum feſtis abſtinere, & quæ tum dabantur, ſpectaculis non intereſſe obligarentur. Malè metuo, ne & hodie non deſint, qui, ſi ſacro Lavacro abluti, nuntium laſcivis his conventiculis, & amandi pravæ aſſuetudini remittere deberent, ablutione hac ſuperſederent: & poſt elutas his undis ſordes paterentur ſe potiùs Sanctiſſimorum Myſteriorum uſu privari, fidelium Cœtu moveri



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

veri & ejici, Eccleſiæ ſibi aditu inter-
dici, quàm amare & ſaltare deſine-
rent. Et non eſt hoc, non majori ſo-
lùm affectûs teneritudine, ſed æſtima-
tione etiam & appretiatione, complecti
rem creatam, quàm ipſum ejus Con-
ditorem Deum, qui hunc tamen æſti-
mationis amorem ſibi impendi voluit
Luc. 10. verbis illis? *Diliges Dominum Deum*
27. *tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima*
*tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex o-*
*mni mente tuâ.* Meritò Poëtæ, ut a-
moris hujus vim explicarent, Idolola-
triæ nomine compellârunt: cùm ni-
mis quàm pronum ſit, in re perditè a-
matâ felicitatem ſuam ultimam pone-
re, quod perinde eſt, ac illi coronam,
ſupremæ excellentiæ Symbolum, im-
ponere, & tanquam ſuum Numen ad-
orare. Falcones, etſi totas volucres
depaſcantur, cor tamen intactum re-
linquunt. Aliter Dæmon aſſolet:
cor ipſi præ omnibus aliis in homine
ſapit; & hoc ille devorare conatur in
his, quæ deteſtor, oblectamentis; quæ
etſi mala in ſe non forent, peſſima ta-
men ſunt nimio illo, quo multi ea ſe-
ctantur, affectu ac ſtudio, quæ ſum-
mo cum Dei contemptu conjuncta
ſunt; cùm ipſi ultimi finis, & boni no-
ſtri ſummi rationem tollere conentur,
& rem conditam in ſupremi Monar-
2. Tim. 3. chæ ſolio reponant. *Voluptatum a-*
*matores magis, quàm Dei.* Anne igi-
tur mos iſte, qui familias totas pertur-
bat, animas in exitium præcipitat, Di-
vini Nominis honori tantopere ad-
verſatur, defendetur etiam poſthac,
ut permiſſus, retineatur ut laudabilis;
& non potiùs evellatur & eradicetur
ſtirpitus, tanquam Juventuti ſummè
noxius ac peſtilens? quod de illo fuit
judicium S. Cypriani, dum appellavit
*Ruinam melioris ætatis.*

XVII. Quid reponent quæſo ad ra-
tiones has & argumenta tam potenti
utriuſque ſexûs Juvenes? An dicent,
ſe non timere, ne modum non teneant,
& tam extra recti honeſtique limites
vagentur? Ingens ſanè iſta temeritas
eſt, quæ apertè prodit, quàm parvi fiat
decorum & honeſtas; & quàm per-
verſè de ſuis viribus anima præſumat:
unde hoc ipſo ex capite digna eſt, ut
Dei gratiâ & adjutorio deſtituatur, ac
miſerè perire ſinatur. Ita ſe quon-
dam etiam purgare ſolitus eſt Pelagi-
us, impuræ ſectæ Anteſignanus, ut
quidem S. Hieronymus in ejus con-
futatione meminit. *Alii*, ajebat ſu-
perbiſſimus homuncio, *clauſi cellis tor-*
*quentur deſideriis. Ego etiamſi mulie-*
*rum vallor agminibus, nullam habeo con-*
*cupiſcentiam.* Deſiit tandem, ut juſto
Dei judicio fieri aſſolet, ſuperba hæc
præſidentia in infamem impudicitiæ
lapſum; habuitque miſer eoſdem
turpitudinis, quos errorum ſuorum,
imitatores & ſequaces. Quid eſt hoc,
dicere: *Non timeo*, dum Sanctiſſimi
quique trepidant; &, licèt carnem
circumferant jejuniis debilem & ex-
hauſtam; animum verò in carne fra-
gili Deo plenum, ad occaſionis cu-
juslibet lubricæ occurſum ſalubri
horrore conſternantur? Quid eſt
dicere: *non metuo?* An neſcitis, ma-
lum Dæmonem cum vulpe mortu-
um ſe fingere, ut volucres prædetur?
Verſutiſſimus Alaſtor, cùm quis ejuſ-
modi

modi amoris mutui oblectamentis principio ſe dedit, quieſcit altùm, nec ad illicita provocando quietem turbat, ſatis gnarus, eâ re animadverſâ facilè contingere poſſe, ut quis continuò nuntium ejusmodi diverticulis remittat; verùm ubi animum ſui fiduciâ & ſecuritate implevit, nihil minus opinantem vehementi tentatione oppugnat, & proſternit. Non metuis? & quâ fiduciâ? Negare equidem nemo poteſt, quin iſta abominabilis agendi amandique licentia Juvenes ac Puellas ſaltem exponat præſentiſſimo periculo in aliquas ex iis, quas paulò antè recenſui, culpas prolabendi; & cùm id ita ſit, quâ tandem prudentiâ perſuadere quis ſibi poteſt, dormiturum ſe diu cum vipera in ſinu, quin unquam ejus dentibus admordeatur? *Quem ſæpe tranſit caſus, aliquando invenit.* Toties in puteum deſcendit ſitula, dum tandem in eo ſubmerſa hæreat.

XVIII. Dicetis igitur denique: vos penſi non habere, fœdari aliquo peccato; dum interim jucundè vivatis ac hilariter. Sic tandem dicitis, quod res eſt: neque enim voluptatis ſtudium minùs poteſt dementare hominis animum, quàm id poſſit vinum nimium potatum, ſic ut præſenti tantùm ille oblectamento ſe dedat, nullâ futurorum curâ. *Fornicatio & ebrietas auferunt cor.* Verùm attentos hic vos ego velim: non enim diu pòſt, ubi crapulam hanc noxiam edormiveritis, purgato à vaporibus peſtilentibus cerebro, orietur denuo rationis lumen, & in inferni abyſſo fatebimini, longè vos à verâ ſemitâ abertâſſe. *Ergo erravimus à via veritatis.* Sap. 5. 6. Hæc autem erroris confeſſio non ad medendum malo, ſed ad illud puniendum ſerviet. Et verò quantus eorum eſt numerus, qui hoc ipſo, quo vos alloquor, momento, ardent in illis Inferni acerbiſſimis ignibus, & execrantur amores ſuos, execrantur delicta, voluptatulas, & permiſſa ſibi tam pernitioſa oblectamenta! Faxit autem bonus Deus, ne quisquam eorum, qui me modò audiunt, ejusmodi olim queſtubus, nullo fructu, indulgere cogatur! Quanta calamitas ac miſeria foret, ſi Puella ex his aliqua, quæ ſibi nunc gratulatur, quòd amare & amari quærat, quin Deus quoquomodo offendatur, quin ullo honeſtas probro notetur; lapſa poſtmodum, & mille culpis inquinata, execrari olim in profundo Inferni deberet illam horam, quâ primum affici cœpit erga illum Juvenem; quâ in ipſum oculos defixit curioſiùs; quâ alloquenti reſpondit, ſibique ejus ſtudia ac benevolentiam probari oſtendit? Tum enimverò agnoſceret, an ſine offenſa Numinis indulgere liceat hiſce amoribus; quod ad hanc diem inducere in animum non potuit; tunc agnoſceret, an meum conſilium, de deteſtabili hoc more omni diligentia vitando, ſapiens fuerit, an anxiè ſuperſtitioſum. Num fortè talia evenire vix poſſe aliqua exiſtimat? Audiat iſta, quid S. Maria Magdalena de Pazzis extra ſe rapta aliquando attonita ſpectarit. Vidit iſta non par-

vum Religioſarum Perſonarum numerum, quæ æternis Inferni ignibus cremabantur, non aliâ causâ, quàm quòd, permiſſis ab ipſa S. Familiâ animi remiſſionibus, ad Deum offendendum eſſent abuſæ, ardenti nimiùm deſiderio ſectando facultatem vultum larvâ tegendi, alienis ſe veſtibus induendi, & ſecularium modo habitúque incedendi, ſicut affectu tam effreni reas ſe ſuppliciorum ſempiternorum reddiderint. Territa tam atroci ſpectaculo ſanctiſſima virgo, & amaris perfuſa lacrymis, has in voces erupit. *Prô quanta calamitas, quòd ea, quæ animo tantiſper laxando Religioſis ſunt permiſſa, æterni exitii occaſio & cauſæ eſſe debeant!* Si proinde ea, quæ Religioſi Magiſtratus ſuis permittunt, oblectamenta ac diverticula, nonnunquam fieri poſſunt æternæ damnationis cauſa (adeò vel in Religioſis clauſtris pronum eſt animas occaſione pejores reddi) quantò magìs homines, qui mediis in Mundi tumultibus degunt, facillimo negotio in pernitiem ſuam vertent occaſiones & laxamenta, naturâ ſuâ tam lubrica, & idcirco & naturali rationis lumine reprehenſa, & tantis ſtudiis à verbi divini Præconibus, & ſanctiſſimis Patribus omnibus diris devota? Quid multis, AA. hæc ſolatiorum, oblectationum, & effrenis licentiæ ſemita, non eſt illa, quâ nos ad ſalutem tendere Servator noſter docuit. Quam ille veſtigiis ſuis, etiam cruentis, ſignavit, eſt via Pœnitentiæ: quâ qui non inceſſerit, quid ſe futurum ſit, verbis iſtis abundè docetur. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Luc. 13. 3. Oblectet ergo ſe Mundus more ſuo, ſequatur ſuas pravas conſuetudines, ubique ſua venetur ſolatia, ſuas voluptates, usque dum ſua deſideria expleat: nos Sanctorum ſequamur præeuntium veſtigia, vitemus ſolerter offendendi Numinis pericula, amemus ſolitudinem, diſcamus nobiſcum & cum animo noſtro verſari, teneros piósque in Deum ac divina ſenſus omni curâ foveamus: volentes lubentésque nunc, moleſtum licèt, & lugubre agamus pervigilium, ut feſtum ac ſolennem in Cœlo diem læti ac hilares æternùm denique tranſigamus. *Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Joan. 16. 20.

DI-

# DISCURSUS XXVIII.

## *Reſpondetur Rationibus, quæ pro tuendo amatoriis levitatibus indulgendi more afferuntur.*

I. NOlim equidem id mihi hodie evenire, quod Piſcatoribus, dum piſcem Spadam, ſeu enſem dictum capiunt: illi enim, cùm nobilem ſibi prædam cepiſſe videntur, dolentes tandem advertunt, ſe & prædæ, & retium jacturam feciſſe. Piſcis ſiquidem iſte, audax perinde ac probè obarmatus, pluribus locis rumpit & diſcindit retia, & lacero è carcere victor egreſſus, totum poſt ſe minorum piſcium agmen trahit. Fortaſſis nonnemo veſtrûm, qui quàm valet ingenii acumine, tam in virtutis ac pietatis ſtudio languet, hac intellectûs ſui acie utetur, ut quæ diſſertatione proximè antecedente à me allata ſunt, convellat; linguâ, ut eadem vituperet, & monita, tanquam ab animo ſuperſtitiosè propemodum anxio profecta (utpote repugnantia mori tam longè latéque propagato, tamque honeſtati conſono) explodat atque irrideat. Talis enimverò lingua, tot locis, támque immaniter rete meum dilaceraret, ut ne minimum quidem piſciculum me capturum ſperarem. Hoc proinde intertrimentum, non tam piſcationis meæ, quàm Animarum veſtrarum, ut occupem, proponam vobis ſingillatim rationes potiſſimas, quibus leves iſti amores excuſantur; & omnes ac ſingulas non obſcurè confutabo. Quantum autem aſſequor, quidquid mori huic defendendo adducitur, tria ad capita revocari poteſt. Primum eſt; Lenocinium ejusmodi nullâ Dei lege vetitum, & innoxium ætatis juvenilis ludum eſſe. Alterum; eſſe morem jam paſſim uſu receptum. Tertium; hanc eſſe ad legitimum connubium viam. Primo iſtorum capitum defenditur hic mos, ut à culpa immunis: altero, ut permiſſus; tertio ut neceſſarius. Aggrediamur hoc ultimum, tanquam cæteris firmius; eo enim profligato proſtratóque reliqua duo ſuapte ſponte, ut minùs firma, eodem caſu & ſtrage involventur.

I.

II. Non tam obtuſâ oculorum acie plerique Parentum ſunt, ut non videant diſcrimen, cui filiæ eorum ſe exponunt, dum ea libertate familiaritatéque agunt cum Juvenibus: ſpe tamen honeſto eas connubio elocandi deluſi, claudunt oculos, & quod vident, perinde diſſimulant, ac ſi non
viderent. *Durantur ad filios ſuos,* Job. 39.
*quaſi non ſint ſui*: adeò ſtultè eorum 16.
curam ponunt. Sic & Juvenes ipſi, experientiâ planè funeſtâ edocti, negare non poſſunt, ſaltem cùm ſibi ſo-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ĩis loquuntur, artes has amatorias cum graviſſima ſua pernitie conjunctas eſſe. Sed dum Puella ſecum animo volvit: *Tandem iſte maritus meus erit:* dúmque ſibi promittit, illummet Juvenem, qui nunc peccare non timet, ſuâ voluntate & arbitrio deteſtaturum peccatum, redditurúmque honorem illi, cui eum priùs abſtulerat, conſcientiæ murmur compeſcit, & latrantis canis os hâc eſcâ objectâ claudit. Qui porrò ita ſecum ratiocinatur, Nauclero ſimilis eſt, qui nixus fine, quem ſibi præfixit, rectiſſimo navem in portum appellendi, nec ſcopulos, nec arenoſum ſolum, inter quæ navim deducit, explorat. Nubes viro; quid autem habebis commodi, ſi interim animæ jacturam feceris, certè innocentiam, integritatémque perdideris?

Matt. 16. 26. *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, Animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Exiguum quoddam, quod anima tua patiatur, detrimentum, malè compenſabitur, ſi vel Regi nubere te contigerit; vel Reginam ducere. Quomodo igitur pernities ultima, & fatalis ejus ſtrages ſatis reparabitur, ſi miſero nupſeris homulo; aut uxorem duxeris de plebe aliquam, & conditione humilem? Quænam prodeſſe poſſit finis ſanctitas, ſi media illi obtinendo prava & perverſa adhibueris?

L. deſertore §. in bello ff. de re milit. *Bonum ex malo geſto proveniens, non excuſat delinquentem:* affirmat Lex, quæ prudentes nos potiùs, quàm fortunatos reddere ſatagit.

III. Quæro dein ex Matribus his, quæ artium iſtarum amatoriarum patronas agunt maximè ſedulas: ſollè illi ita filiabus veſtris blandiuntur, earúmque mutuum amorem ſibi demereri ſtudent, qui Matrimonio jungi volunt, an etiam alii? Si illi duntaxat; ferri fortaſſis poſſet: at re ipſa, illi quoque, quibus certum eſt, aut nullam, aut non iſtam ducere conjugem, eadem libertate ac licentiâ cum ipſis agunt, connubii voluntatem prætexentes. Quin, etiamſi priores illi ſoli eſſent, an ulla tam eſt delira mater, ut affirmare non dubitet, ſolo hoc medio perveniri ad illum finem poſſe? Si quidem id ita eſſet, non dubitarem aſſerere, ſatiùs futurum, ſi connubii contractu cunctis interdiceretur, & finis humani generis propagationi poneretur, quàm ut iſtud conſervetur tam luculento Cœli, & æternæ felicitatis amittendæ periculo; ſicut alii qui propagando illi attendunt, dum ad nuptias tandem perveniunt vii tam lutulenta, ut in ſordibus collo tenus hæreant. Verùm ſi abſque hoc medio & Turcæ, & Ethnici humanæ generationi dant operam, quomodo illud in ſola Republica Chriſtiana erit unicum, & ſine quo ad finem non perveniatur? Turcæ eas fermè uxores ducunt, quas de facie non noverunt: Chinenſes autem tantâ propè dixerim ſuperſtitione Puellas cuſtodiunt, ut antequam Sponſa ad ædes Sponſi abducatur, nulli ejus videndæ facultas fiat. Imò ut Gens iſta, quâ aliam ſapientiorem, omniſque honeſtatis amantiorem toto Oriente non eſt invenire, occaſionem vagandi, liberéque cum viris agendi, tam nondum



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

inito, quàm inito jam connubio præſcindant, infantularum adhuc ex Matris uberibus pendentium crura tam arctè faſciis conſtringunt, ut omnem deinceps per vitam pedibus infirmæ greſſum non ſine dolore moliantur, itaque vel invitæ domi ſe contineant. Quanto igitur pudore ſuffundentur Chriſtiani communis illius Judicii die, qui etſi Sacramenti dignationem Fide Magiſtrâ, in Matrimonio agnoſcant, id tamen ut medium illi contrahendo neceſſarium pronuntiare non verentur, quod ut morum corruptelam Ethnici execrantur? Ponendus tandem error eſt, AA. & ea ratione in terris ineunda connubia, quâ in Cœlo decernuntur; ubi ſuaviſſima Numinis providentia illa quidem vult, ſed fine non alio, quàm ut per ipſa impleantur ſedes, Angelorum defectione vacuæ. Et connubiorum, ad finem tam nobilem ordinatorum, Paranymphus ſit inſanus amor? Iſtud potiùs uſu compertum eſt, in hac tanta agendi inter Juvenes licentiâ, & ſuſpicionibus, & detractionibus famæ occaſionem præberi, quibus non rarò fit, ut quæ omnium impudentiſſimæ ſunt, & amari maximè prenſant, maritum aut nullum, aut ſerò admodùm, aut non niſi abjectæ conditionis miniméque optatum inveniant. Et quamquam denique permittendum videatur Juveni, ne mercem non viſam emat, ſed quam ducturus eſt, videre priùs, illi colloqui, mores ejus & genium explorare poſſit; haud quaquam tamen opus erit, ut teneris ab annis Puellæ familiaris eſſe incipiat, ſolus cum ſola agat, manus contrectet, etiam in oculis Matris pernitioſè diſſimulantis. *Sufficit dici malitia ſua.* Matt. 6. 34.

IV. Tam longâ quidem, dicet nonnemo, familiaritate & tam intimâ opus non eſt; plurimum tamen illa affert utilitatis; cùm ſit perquam difficile, eos conjuges mutuò ſe conſtanter amare, ſi antè, quàm modo tam arcto inter ſe necterentur, amor inter eos nullus interceſſit. Præſtabat ſanè tacere, quàm falſitatem tam luculentam temerè profari: Obſervavit Ariſtoteles, non alios facilè in amore magis inſtabiles eſſe, quàm Juvenes: cùm illi ad amandum non optione, ſed voluptate trahantur. Et ſic quotidie ferè experimur, amorem, qui conjugium antecedit, quò eſt major & ardentior, tantò majus in odium non rarò degenerare. *Qui ſe nimiùm amant, ii ſe nimiùm oderunt*: illa ſiquidem cupiditas, quæ cœca in objectum amatum ferebatur, cùm ſubinde, quantum ſperabat, non inveniat, non minùs cœcam ſe gerit in abjiciendo, quàm ſe oſtenderat in quærendo. Elapſum proximè ſeculum ejus rei exemplum tam illuſtre vidit, ut omnia conſequentia habeant, unde diſcant. Henricus octavus Angliæ Rex cùm perditè adamâſſet nobilem è Reginæ Conjugis gynæceo puellam, ut hanc duceret, legitimam conjugem, Caroli quinti Imperatoris Materteram, repudiare non dubitavit. Subinde Fidelium cœtu motus, ſprevit, quibus feriebatur, cenſuras; exploſit Sedis Apoſtolicæ ſententiam, probroſo Schiſmate Romanâ ab Eccleſia ſe ſe-

gregavit; jura omnia divina & humana ſùs déque vertit, & ex inclito veræ Fidei Defenſore factus eſt ejus Perſecutor juratiſſimus. Nemo non exiſtimâſſet, feminam ſic à Rege dilectam, ut præ ea iram potentiſſimi Cæſaris, famam & exiſtimationem propriam, conſcientiam, quin & cœlum contemneret, ab eo, amore non ſolùm conſtanti adamandam, ſed adorandam etiam: re ipſa tamen, tantum ejus faſtidium Regem cepit, poſtquam eam duxerat, ut capite tandem illam, ferali in pegmate, truncari juberet. Veréne igitur, quæ ſuâ manu impurus amor nexuit, vincula fortiora ſunt, minusque rupturæ obnoxia, quàm quæ aliæ cauſæ alligârunt?

V. Quanam igitur ratione felicia connubia concilianda? Non ſanè adeundis initio graviſſimis peccandi periculis, aut ad recipiendum Sacramentum, ejusque effecta, non aliter ſe, quàm admiſſis noxis præparando. Vera & profutura ratio eſt, ad Deum confugere, & ab ipſo thori conſortem idoneam demiſsè poſcere, cùm ſolus ipſe, ut aliàs me dicere meminiſtis, dare talem poſſit. *Pars bona mulier bona, dabitur viro pro factis bonis.* (*Eccli. 26. 3.*) Optata viri ſors eſt, reperire Conjugem bonam: nemo eſt, qui hoc ignoret; cui autem talis obtinget? Non alteri profectò, quàm qui boni multum præſtiterit: *dabitur viro pro factis bonis.* Non dabitur Juveni, qui multis, antequam illi jungeretur, annis miſellam, quam deſpondere ſibi volebat, vitiis & peccatis implevit. Huic dabitur uxor, quæ marito juncta exercere pergat, ad quæ in amoris deliri ſcholâ profecit. Bona uxor illi copulabitur, qui ſine honeſtiſſimo Matrimonium eligit; qui à ſapientibus de indole ac moribus futuræ ſponſæ edoctus, negotium totum arbitrio Majorum ſuorum tranſigit: huic inquam bona obveniet uxor, quia rectè factis ad eam ſe habendam magnâ curâ paravit: *Pars bona mulier bona, dabitur viro pro factis bonis.* Igitur totâ latè Chriſtianâ Republicâ interdicere peſſimæ huic amatoriis levitatibus indulgendi licentiæ, tam nihil felicitati connubiorum obeſſet, ut de ea potiùs ſecuros reddere poſſet. Puellæ autem ut puriſſimæ columbæ in maritorum manus venirent, quos amore tanto ſinceriore complecterentur, quo minùs alio priùs quemquam eſſent complexæ: haud ſecus ac lana primum colorem tenaciùs imbibit.

II.

VI. Quamquam autem amatoriis his artibus & blanditiis uti neceſſarium non eſt, ut connubia contrahantur; at certè vetitæ illæ, minùsque honeſtæ eſſe non poſſunt, cùm paſſim hic mos inter Juvenes inoleverit. Atque hæc eſt altera, quâ tueri artes has vultis, excuſatio: totius Provinciæ conſuetudo. Aliter vivere, quàm vulgò homines ſoleant, eſt quædam adversùs humanum genus ſeditio, & perverſa, ſe ſolo ſpeciem quandam diverſam conſtituendi, voluntas, quâ commercio omni cum cæteris hominibus renuntietur, cùm ejusmodi homo nullius alterius moribus ſe velit conformare. *Quare ſi omnes Puellæ col-*

*colloquuntur Juvenibus, & dulci cum iisdem fruuntur conſortio, cur ſola mea filia,* dicet mater quædam, *id facere prohibeatur? Aut enim omnes errant, aut nulla errat.* Quin imò, nemini alteri uſitata, neſcio cujus gravitatis & decori affectatio, à Matribus perinde ac Puellis cæteris, ruſticitatis cujuſpiam, & inhumanitatis damnatur; nam etſi earum nonnullæ parùm his blanditiis capiantur, pudet tamen illas ab his abſtinere, ne inter pares non aliter erubeſcere debeant, quàm ſui candoris hominem pudet, cui neceſſe ſit nigerrimos inter æthiopas vitam degere. Equidem ſi, quod eſt, fateri lubet, fons præcipuus malorum omnium, quæ inter Chriſti aſſeclas velut Jus civitatis obtinuerunt, eſt, quia plerique volunt ire ſemitâ tritiſſimâ; nec tam ſoliciti ſunt, ut eant, quà eundum eſt, quàm, quâ itur. Hâc tamen vivendi normâ nulla alia fallacior, nulla minùs vera eſt.
23.2. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum*; ut Deus loquitur. Vitam ſuam dirigere ad normam vitæ communis, eſt ire viâ latâ ad perditionem, exponere ſe certo periculo mortem in ca obeundi, & ſalutem amittendi ſempiternam. Nolo proinde, ut quiſquam ſequatur duces cœcos: ſed in negotio momenti longè graviſſimi non fidat, niſi Deo, per Sacrarum Literarum veritatem ducenti; neque enim ullum hoc è numero ita depravatum judico, qui conſuetudinem præferat veritati.

VII. Attentis igitur animis excipite monita, quæ Deus ſuggerit, è diametro pugnantia cum uſu inter Juvenes vulgato, & à me hîc caſtigato. Proverbiorum ſexto prohibet Deus vel joco tangere feminam; aitque: *Nunquid poteſt homo ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic,* pergit idem, *qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus, cùm tetigerit eam.* Eccleſiaſtici vigeſimo ſexto affirmat: *Qui tenet eam, quaſi qui apprehenderit ſcorpionem.* Vúltque iis verbis non obſcurè ſignificare, quàm præſenti periculo ſe exponat, diffundendi pravo aſſenſu in animam veneni, qui his à jocis non procul ſe habuerit. Nono autem capite longiùs etiam Deus progreditur, vetátque, ne Juvenis Puellæ lateri aſſideat, multóque magìs, ne manus ejus contrectet; aitque: *Cum aliena muliere ne ſedeas omnino.* Quin imò jubet etiam declinare plateam, in qua illa habitat; ne neceſſe ſit domûs limen pedibus contingere. *Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus illius.* Sed nec iſtud ſatis eſt; ne oculis quidem faciem ejus, aut quæ circa illam ſunt, libare permittit. *Ne circumſpicias ſpeciem alienam.* Addit ejus prohibitionis cauſam: *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt.* Et quia hæc venuſtas ad aliud non ſervit, quàm ut concupiſcentiæ ignis ſubminiſtratâ materiâ ampliùs exardeſcat: *& ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* Et ne quis fortè ſibi perſuaderet, non eſſe ibi ſermonem niſi de feminis, aut jam Matrimonio junctis, aut profuſâ laſciviâ infamibus, eodem capite indicat, de quibus ea monita accipien-

Prov. 6. 28.
Eccli. 26. 10.
Eccli. 9. 12.
Prov. 5. 8.
Eccli. 9. 8.

da

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Eccli. 9. 5. da ſint. *Virginem ne conſpicias, ne fortè ſcandalizeris in decore ejus.* Eodem ſenſu nonnunquam ſeminam appellat *Laqueum*; aliàs cor ejus *rete*; nunc illius manus *funes*; iterum verba ejus *gladium*, & nunquam non illam ut *hyſtricem* deſcribit, quæ toto corpore aculeis ſcateat, quibus animas lethali plaga laceret: atque his loquendi formulis pleni ſunt divinæ Sapientiæ libri. Cùm igitur Deus non gravetur ſuo nos erudire magiſterio, quà ſit eundum, cur adeò juvat deſipere, ut malit quis ire viâ, quam vulgus tenet ignorantiſſimum? Qui iter faciunt, ex cœcis, quos offendunt in viâ, non quærunt, quo itinere ſit pergendum; hoc ex iis inquirunt, qui vident & nôrunt. Hoc autem ſi ita eſt, nullo veſtro bono confugietis ad Conſuetudinem, cùm hæc divinis ſermonibus repugnat. *Fruſtra, qui ratione*

e. fruſtr. d. 8. *vincuntur, conſuetudinem nobis objiciunt*; quæ ſunt S. Auguſtini verba; *quaſi conſuetudo major ſit veritate.* Et tamen ego non ſolius rationis allego teſtimonia; adduco Sacrorum Voluminum authoritatem, quæ minùs fallit, quàm ipſa ratio.

VIII. Nondum acquieſcitis; ſed reſpondetis; allata Sacris ex Literis verba, non præceptum, ſed conſilium continere. Sit ita. Et hæc ſcilicet eſt, præclara de divinis conſiliis æſtimatio, ut potiorem illis cenſeatis cœcitatem popularem? Si pluris, quàm divina oracula æſtimatis inſani Mundi axiomata, magnam profectò divinæ facitis Sapientiæ injuriam, dum ſtultum illi conſiliarium anteponitis: facitis dein etiam injuriam Dei amori, plus fiduciæ reponendo in Proditore, qualis eſt, cujus effata adoratis, Mundus, quàm in Dei bonitate. Tacete idcirco deinceps, nec unquam ad veſtram velandam & excuſandam licentiam, illum Magiſtrum adducite. Quis hic uſus, quæ conſuetudo eſt? Non poteſt alterutro nomine appellari mos hic levitatibus indulgendi, quem tam diſertis verbis Deus deteſtatur, ſed abuſus dici debet, quem oportet omni conatu extirpare. *Quælibet consuetudo, quantumvis vetuſta, quantumvis vulgata, veritati omnino eſt poſtponenda; & uſus qui veritati eſt contrarius, abolendus eſt.* Ita SS. Canones pronunciant. Et verò plus ſatis patet; neſcire vos, quot conditionibus opus ſit, ut conſuetudo evadat legitima. Neceſſarium inprimis eſt, ut ſit Reipublicæ ſalutaris: ut neque divinæ, neque naturali Legi repugnet: & denique, ut Legiſlator ipſe certo quodam modo conſentiat. In re autem noſtra cunctæ iſtæ conditiones deſiderantur. Nam mos iſte tam Reipublicæ non eſt ſalutaris, ut cum certa ejus pernitie ſit conjunctus. Repugnat iis, quæ ratio dictat circa rationem muliebris tuendæ pudicitiæ & honeſtatis, quæ vitro eſt fragilior. Multóque magis pugnat cum iis, quæ divina Lex præcipit, qua toties jubemur vitare pericula, niſi ſtultorum inſtar velimus operari. *Sapiens timet, & declinat à malo; ſtultus tranſilit & confidit.* Omnium tandem maximè opponitur Chriſti

Ser-

Servatoris & Legiſlatoris noſtri voluntati, quem Prophetæ appellaverunt, *ædificatorem ſeptum*: quia & vitæ exemplis, & hortationibus ac conſiliis, id potiſſimùm ſemper ſpectabat, ut divinam legem ampliùs muniret, & omnia ejus violandæ pericula amoveret. Ineptum ergo prorſus eſt, titulo communis Conſuetudinis dignari uſum, qui nullo ex capite Conſuetudo eſſe poteſt. Quid eſt hoc aliud, quàm veritæ arboris poma guſtare, & ſubinde ſub umbra foliorum ejus ſe abſcondere? Non eſt conſuetudo, ſed abuſus; non mos, ſed vitium: & facere, quod & quomodo aliæ & alii faciunt, excuſatio eſt ovis fatuæ, non hominis Chriſtiani, qui debet vitam ſuam omnem ad normam Oraculorum fidei ſuæ componere. *Mala conſuetudo non minùs, quam perniciſa corruptela vitanda eſt*. Axioma eſt communiſſimum, quo omnis voſtra excuſatio penitùs evertitur. Affirmandum priùs eſt, morem hunc tam familiariter cum ſexu diſpari verſandi, eſſe rectum, conformem normæ legitimæ, laude dignum, & tum inde conſequens erit, poſſe quemlibet eum ſequi, quòd conſuetudinis vim habeat. Cæterùm omnis uſus, qui contra rationem invaluit, qualemque ſatis oſtendi, eſſe illum, de quo nobis ſermo, noſtiſne quid tandem ſit? Decreti ſententiam audite. *Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt*.

IX. Vultiſne, AA: ut tandem diſertè edicam, quis principio morem iſtum ſuaſerit, & poſtquam aliquibus perſuaſit, in hodiernum usque diem promoverit, & propagârit, neque nunc eum tueri deſinat, tot illum coloribus, etiam veſtrâ operâ, illinendo? Serpens eſt ille ſtygius, qui inde à Mundi exordio modum adinvenit, quo ſic occideret, ut tamen placeret: volo dicere, modum nocendi, quo falleret ut fraudulentus, & ſimul audiretur, tanquam benevolus. Hic igitur, fœdere noſtra cum concupiſcentiâ inito, Author fuit abusûs tam peſtilentis & noxii Juventuti: quod vel ipſum confiteri non puduit. Narrat S. Hieronymus, Gazæ, Palæſtinæ urbe, Juvenem inſano Puellæ alicujus amore captum, nihil non egiſſe, ut eam precibus, promiſſis in ſua vota flecteret; ſed profectu nullo; tanto illa honeſtatis ac pudicitiæ ſtudio erat. Opem proinde à Diabolo petiturus, Gazâ Memphim Ægypti profectus eſt, ubi ſperabat notum ſuis artibus Magum invenire, à quo diſceret artem, muliebrem iſtam conſtantiam expugnandi, ſuisque obſcœnis deſideriis obſequentem reddendi. Annum integrum ſtygio huic Magiſtro operam dedit; ſubinde autem reverſus in patriam, experiri cœpit, quæ hauſerat, artis magicæ præcepta; quibus tantum potuit, ut infelix Puella, in aliam mutata, videretur ſibi vivere non poſſe, ſi Proci ſui conſpectu eſſet carendum. Nec ſibi tantùm, ſed domeſticis etiam moleſtiſſima, cùm aſpectu tam cupito frui non poterat, evellebat ſibi capillos, feriebat capite murum, tumultuabatur, ringebatur, non domum tantùm, ſed totam latè viciniam per-

turbabat: Baccharum aut Mænadum è numero aliquam diceres. Attoniti proin metamorphoſi tam prodigioſá Parentes Puellæ, ad S. Hilarionem eam adduxerunt; qui, quod res erat, confeſtim odoratus, malum Dæmonem increpabat, quòd veritus non eſſet virginem ſapientem, qualis quidem illa eſſet, occupare, támq; miſeré vexare. Repoſuit Alaſtor peſſimus, id eâ à ſe causâ factum, ut ſuo in candore ſervaret illibatam. O te, reſpondit Abbas ſanctiſſimus, egregium virginei pudoris cuſtodem! qui, ſi poſſes, aliud velles nihil, quàm homines omnes in porcos, & Mundum totum in haram mutare! An non advertis, mendaciſſime, aliud te dicere, aliud facere? Si tu seriò cupiebas, ut jactas, integram ſervare miſeræ hujus puellæ pudicitiam, quin tu immigrabas potiùs in corpus infeliciſſimi Juvenis, qui huic inſidias ſtruit? Audite nunc attentis animis & auribus, quid juratus virtutis hoſtis ad ſeſe purgandum attulerit: *Ut quid*, dixit, *intrarem in eum, qui habebat collegam meum, Amoris Dæmonem?* Eóque dato reſponſo, migravit denique, ſacrarum adjurationum vi adactus, puellámque liberam reliquit, à ſancto Abbate illis de erratis admonitam, ob quæ Deus permiſerat, ut tam malè miſeram Dæmon vexaret. An non igitur videtis, reliquos inter Dæmones unum Amoris eſſe Dæmonem? Quid autem dico Dæmonem? Tantus potiùs horum eſt numerus, ut iniri non poſſit, ſúntque illi ipſi, qui has amandi artes invenerunt, inventasque tam latè propagârunt: illi ſunt, qui Matres inducunt, ut filias ſuas ad omnia ducant conventicula, ad omnes choreas, ſoláſque cum ſolis Juvenibus relinquant; quin etiam ut hos domum invitent, cùm è cœtibus illis abeunt: illi ſunt, qui Puellas docuerunt artem fucandi & adulterandi vultum, capillos criſpandi, ut magis illis placeant, à quibus turpiùs amantur: ſunt illi, qui obtutibus earum vires conferunt, ut telorum inſtar ſint, arcu emiſſorum; qui illas procacem ad riſum movent, reſponſa callida, argutos, quos nocturnis in conventiculis proferant, jocos ſuggerunt: ſunt illi, qui filios impellunt, ut Parentum contemnant imperia, arma geſtent, verborum alios injuriis irritent, adoriantur, vulnerent; animum omnis generis ſordibus impuriſſimis inquinent, pectus Zelotypiâ, manus ſpurcitiis impleant. Iſti, inquam, ſunt *Amoris Dæmones*, qui excogitârunt hunc, quem vos imitandum dicitis, morem, eúmque omni conatu promovent, ut Infernum animabus peſſimè ſeductis locupletent. O egregium ſanè morem, quo Stygi & nefariis Orci ſatellitibus gratius eſſe vix quidquam poteſt!

III.

X. Ultimus denique, ad quem abusûs hujus Patroni confugiant, receptus eſt, dicere, ſuâ naturâ non eſſe peccatum, indulgere his amantium levitatibus. Demus, absque hac licentiâ conciliari poſſe connubia; demus etiam, nihil hunc ad finem conferre; eſſe uſum aut inventum malè,

aut

aut malè propagatum; ſi tamen, ajunt iſti, citra noxam ſequi quis illum poteſt, quid commodi tandem adfert, innoxiâ hac oblectatione privare velle Juvenes, qui magìs innocentem æſtibus illis ſuis indulgendi rationem non habent? Ut hâc etiam poſtrema munitione vos ejiciam, nec uſpiam vos tuendi locum relinquam, ſcire vos oportet, omnium Doctorum ſententiâ, actionem, naturâ ſuâ non pravam, talem effici poſſe ex adjunctis, quæ illam circumſtant: non aliter ac fungus, qui naturâ ſuâ veneni habet nihil, exitiabilis tamen effici poteſt, ſi propè ſerpentis alicujus immanis cavernam naſcitur. Horum autem adjunctorum, quæ rem de ſe non malam talem reddere aſſolent, longè frequentiſſimum, eſt periculum, cui quis, nullâ ad id neceſſitate compulſus, ſe exponit, lethali noxâ ſe inquinandi; cùm hâc ratione innoteſcat, quàm nullam ferè ſalutis ſuæ curam habeant, quicunque nullo metu talibus ſe periculis objiciunt. Tunc autem periculum ejusmodi adeſt, quando aut crebrò aliàs in ejusmodi occaſionibus nos lapſi ſumus; aut ſaltem lapſi ſunt alii, ejusdem nobiſcum conditionis; & jure, quod tale eſt, periculum proximum dicitur; cùm parùm admodum inter ipſum, & ruinam, temporis intercedat. Unde dicere, Amatoriis artibus uti, naturâ ſuâ peccatum non eſſe, non eſt excuſatio, quæ id permiſſum evincat; cùm ſæpe vetitum maneat propter periculum conjunctum: uſu proinde ipſo occaſio hæc verè eſt, & evadit omnium perniciòſiſſima, tum quia communiſſima, tum quia communiſſima eſt; tum quia ſpecioſo velo tegitur, quod occultam ejus malitiam obvelet, illamque quodammodo conſtituat albo colore lupum, qui tantò plùs nocet, quantò minùs formidatur. *Sub prætextu dilectionis, ſubtiliter fornicantur*: aptiſſimè in rem noſtram pronuntiavit S. Cyprianus. *De ſingul. Cler.*

Omnino igitur ut alicujus ſit ponderis & momenti hæc excuſatio, id oſtendendum eſt, morem hunc, amorem mutuum conciliandi, non ſolùm naturâ ſuâ malum non eſſe, ſed ne quidem cum veriſimili peccandi periculo conjunctum. Hoc autem quibus demum rationū firmamentis quis adſtruet? An erit, qui mihi demonſtrare poſſit, hanc Juvenum cum Juvenculis ſine arbitro tractationem, hæc colloquia, hos riſus, laſcivos hos jocos & facetias non fuiſſe vel ipſis, vel aliis conditionis ejusdem crebrum, & potens ad peccandum illicium? Ego equidem nullus ambigo, quin, ex quo mos iſte invaluit, non Juvenis, non Puella ſit, quæ talibus ex congreſſibus, ex tali jocandi libertate aliud emolumentum conſecuta ſit, quàm quod conſequi ſolet ſtupa igni vicinā: ſeriùs enim, aut citiùs accenditur. *Fortitudo veſtra ut favilla ſtupæ*: ut Propheta aſſerit. *Iſ. 1. 31.*

Verum eſt, ruinas has, ut Patrem, ut Matrem, ut Juvenes adeò ipſos nonnunquam latent, parùm attendi. Latent parentes, quia non pauci Juvenes, qui certis in ædibus delinquunt, id agunt, quod Leones, qui, ut à Venatoribus non detegantur,

plantarum à ſe relicta ad cavernarum, in quibus abſconditi deliteſcunt, fauces veſtigia ſtudioſè abolent. Nullum naſcitur offendiculum, nihil notatur abſonum, & idcirco dicunt: *Juvenis eſt honeſti amans, & ideo ſine metu eſſe poſſumus.* Ipſos autem Juvenes latent vera iſta probra & dedecora, quia hi animum advertere nolunt, ut aliàs monere me memini, ad numerum delictorum, quæ deſideriis & delectationibus admittuntur; multóque minùs ad offendicula, quæ mutuò præbent, & illicia, quibus ſe ad peccandum pertrahunt, ac inſtar carbonum ſe mutuò accendunt. *In labiis*
Prov.16. 27. *impii ignis exardeſcit*: affirmat Deus: ſed quia verba tandem ſunt, & non opera, timorem non incutiunt, perinde acſi non eandem pernitiem inferrent.

XI. Hinc conſequens eſt, ut iſti iidem tam multa in ſui, coram ſacro Arbitro, accuſatione delinquant. Ad hoc enim quod ſpectat, perſimiles mihi videntur cuidam, qui cùm ſe accuſaret, quòd funem alteri abſtuliſſet, mentionem equi nullam fecit, qui illo fune erat alligatus. Sic & iſti accuſant ſe (ſi tamen & hoc faciunt) quòd in templo amori indulſerint: tacent autem, quàm graviter ea re irritârint Parentes; quàm contumaces fuerint contra imperia, quibus certas ædes accedere prohibebantur; quàm eorum ingratiis, adfuerint conventiculis non probatis; nihil dicunt de rancore, de ira, odióque inveterato, quo Rivales proſequuntur; nihil de armis, quæ geſtant, quibúſque, quà licet & non licet, uſuri eſſent, ſi ab ejuſmodi competitoribus ſe exiſtimarent contemptos: omittunt delectationes pravas, illicia, quibus ad malum provocant, motus geſtúſque laſcivos: verbo, altùm ſilent de longa & tota illa peccatorum ſerie, quam aliàs vobis enarravi: vix occaſionem malorum horum omnium indicant; atque ita accuſant ſe de ſublecto capiſtro, cùm de vegeto robuſtóque equo furtim ablato reos ſe agere deberent. Siquis etiam eò deſcenderit, ut hæc peccata agnoſcat, nec deliſ reum ſe agere omittat, plerumque tamen aberit his deinceps abſtinendi, & peſſimum morem corrigendi propoſitum; cùm nihil de vitandis occaſionibus cogitent, quibus denuo in priora delicta pertrahantur. Convincuntur igitur amare adhuc peccatum, dum amant peccandi periculum; voluntque effectum, dum cauſam amplectuntur. Quid igitur juvat miſeros iſtos Confeſſio; & quam ſibi peccatorum veniam ac gratiam à Deo ſperare poſſunt, dum ita ſe habent, licèt verbis emendationem promittant? Non eſt dignus veniâ fur, qui etſi promittat rem deinceps alienam non tollere, non vult tamen abjicere furtivas claves, quibus jam ſæpius ad furta ſua iteranda eſt uſus. Et tamen ita malè præparati Juvenes, ita parùm idoneæ Puellæ, plurium non rarò annorum intervallo ſacris utuntur Myſteriis, & ritè illa uſurpâſſe, ritè à noxis abſoluti ſibi videntur! Vetitum erat ſacris Canonibus, nequod Deo delubrum conſecraretur, niſi priùs ſepul-

pultorum in eo Ethnicorum oſſa telluræ eſſent eruta; noſtri autem Juvenes in ipſis plenis putredine ſepulchris erigere volunt Deo altare, corde & animo pleno ſordibus & putredine libidinum, ad divina, quæ dixi, accedunt Myſteria; atque ita utique ſepulchris ſunt ſimiles, neſcio an clauſis dicam, ob peccata, quæ ſtudioſè celant; an verò patentibus, ob tam prava exempla, quibus palàm totam inficiunt viciniam, & ſcelerum licentiam inducunt. Ridet interim in ſinum Dæmon; eóſque ſibi arctiſſimè devinctos tenet: quin perſuadet illis, quòd ritè Pœnitentiæ Sacramento ſe expient, eóſque inquirant Arbitros, qui facilè acquieſcant, & ad eorum calamitatem non evigilent. Præterea agit diligenter, ne eorum animum habeat memoria obligationis ac præcepti, quo jubentur fugere occaſiones peccandi, quaſi hoc eſſet præceptum non Dei, ſed inſani Legiſlatoris Mahometi. Quodſi bonâ ſuâ ſorte inciderint in Confeſſarium, qui diſſimulare neſcius, eos inducat ad occaſionum fugam, atque adeò ad has illáſve ædes non redeundi promiſſum extorqueat; ita propenſionis ſuæ pravæ veneficio excœcati ſunt, ut violata ſponſione mox redeant, quò porrò non acceſſuros promiſerant. Unde id ipſis Dæmon facit, quod Apum cuſtos; qui cùm eas ad abitum & migrationem accinctas videt, ipſas & alveare vino dulci aſpergit, atque ita fugam earum ſiſtit. Verbulum unicum paulò blandius, unus nuntius, unum amoris ac benevolentiæ indicium, invitatio unica, omne ſubvertit conſilium, ac decretum abeundi, etſi ad pedes Crucifixi Dei hominis conceptum firmatumque.

XII. Hâc infeliciſſimâ conditione plurimi eorum ſunt, quos affirmare non pudet, nugas illas amatorias ſine peccato exerceri. An fide dignos arbitremur? Quamquam occaſio talis, uni alterive nondum cenſeri poſſit proxima, paulò pòſt tamen erit; ſicque, qui modò lege vetitus non eſt amor, non diu poſt erit vetitus. Qui oppoſitum tueri præfrictâ fronte vellet, hunc Natura, Ratio, ſapientiſſimorum ac ſanctiſſimorum hominum Authoritas mendacii coarguerent. Natura quidem, quia obſervârunt Medici, cùm Mater gemellos utero fert, ſi uterque mas eſt, nullâ vel pelliculâ, vel alio medio ſeparari: at ſi fœtus unus eſt maſculus, alter fœmina, membranâ quâdam tanquam muro, ſejungi, ne ſe mutuò poſſint contingere; perinde ac ſi docere nos natura vellet, conſortium maſculi & fœmellæ eſſe rem tam plenâ periculo, ut ne frater quidem à ſorore ſit tutus; non tunc ſolùm, cùm ad ætatem puberem venerint, ſed cùm adhuc maternâ in alvo deliteſcunt. Convinceret mendacii Ratio; hæc enim docet, non ſemper æquè facili negotio ſuperari difficultates & obices, maximè cùm ſunt diuturni. *Nemo diu fortis:* S. Auguſtini ſententia eſt. Concupiſcentia nimis pellax eſt; rei amatæ præſentia majores, quàm facilè credi poſſit, vires habet; & mali Dæmonis impulſus nimis potens eſt ad nos in

caſum impellendos; & tandem magna iſta temeritas, quâ quis periculo ſe committit, digna eſt, ob quam ſuâ eum gratiâ Deus deſtituat: unde denique vix ullâ ratione fieri poteſt, ut quis ſemper extremo in margine præcipitii oberret, nec tamen unquam fallente veſtigio prolabatur. Denique etiam Divorum ſenſus Mendacii reum faceret: certè David Rex non id tantùm à Dei bonitate contendit, ut à noxis liberaretur; ſed ut occaſiones etiam
Pſ. 118. 29. peccati fugere liceret. *Viam iniquitatis amove a me:* tam ille in ſe quoque arduum agnoſcebat, non ire illâ, in qua quis diu conſiſtat, viâ; aut ſemper ſeparari à vipera venenum, noxam ab occaſione. Non juvat igitur dicere: hactenus amare & amari ſtudui; nec tamen ullo me peccato impiavi, ſicque futurum etiam deinceps confido. Dabo tibi, ad hanc usque diem ceſſiſſe tibi tam feliciter amatorias has artes, ut nullo delicto fœdareris; vel quia naturæ frigiditas, vel propenſa ad bonum indoles, nondum vitiata, tibi munimento fuerunt. Certus interim eſto, rerum faciem mutandam, niſi pravam hanc aſſuetudinem abruperis. Non eſt animal, quod diu in igne ſuam incolumitatem tueatur. Ejus enim bona valetudo conſiſtit in quadam caloris naturalis, & humidi radicalis temperatione; quam cùm naturalis ignis calor pervertat, neceſſe eſt animal illas inter flammas, tardiùs, aut citiùs, abſumi. Salamandra quidem, cùm naturâ ſit frigidiſſimâ, diutiùs vim ignis eludit; verùm ſi diu admodum in illo hæreat, conſumitur & ipſa tandem, & inter fabulas numerandum, quod illa omni flammarum virtute triumphet. Sic & recta animæ valetudo in temperamento quodam caloris ex charitate nati, & humiditate devotionis conſiſtit; occaſiones autem, ignis ſunt, qui etſi principio, cùm in naturam inciderint minùs calentem, & indolem ad bonum proclivem, vim ſuam non exerat; cùm tamẽ longior eſt mora, ſenſim charitatis ignẽ reſtinguendo, exſiccando devotionem, ipsámq; adeò animæ vitam ſuffocando, quæ ſuæ ſint vires, oſtendit. Id quod omnium maximè in tenera ætate metuendum eſt, cùm virtus nondum profundas radices egit, plúsque in ſuperficie, quàm receſſu habet; Jaſmini floſculis non abſimilis, qui vel tantillum manibus contrectati, ſuavitatem odoris perdunt; unde fermè adoleſcentia eatenus malo abſtinet, quatenus ejus exercendi occaſio ipſam deficit. Cæterùm ſapienter S. Bernardus pronuntiavit: *Cum fœmina ſemper eſſe, & fœminam non cognoſcere, nonne plùs eſt, quàm mortuum ſuſcitare! Quod minùs eſt, non potes, & quod majus eſt, vis, ut credam tibi?* Sic & ego inculco: Velle mihi perſuadere, quòd longo etiam tempore quis poſſit in hoc periculoſo cum ſexu infirmiore commercio degere, quin unquam peccet, perinde eſt, ac mihi perſuadere velle, poſſe ſe operari prodigia non inferiora, ſed majora illis, quibus jam fato functis vita redderetur; unde quamdiu non video illum perpetrantem, quod minus eſt, dabit veniam, ſi ne illud quidem ab ipſo expectem, quod majus eſt.

XIII. Illuſtrem vobis imaginem proponere animus eſt, in quâ quidquid à me dictum hucusque eſt, perſpicuè reluceat, atque ita Diſſertationi finem imponere. Alexandriæ nobilis fœmina marito præmaturè erepto vidua remanſerat, duobus filiolis ætatis teneræ, è Matrimonio ſuperſtitibus. Hæc cùm & indole & educatione honeſtatis ſtudioſa eſſet, non aliam certiorem eidem perdendæ viam malus Dæmon invenit, quàm deteſtatam à me amandi levitatem. Peſſimâ igitur ſuâ ſorte deperire cœpit Juvenem annis & natalibus parem; cùmque non diſſimilis in eo amoris notâſſet indicia, eò progreſſa eſt, ut non dubitaret illi, ſi ita viſum eſſet, in conjugem ſe offerre. Enimverò, reſpondit Juvenis, non altera mihi te charior, jucundiórque foret, niſi ingratam filii illi tui redderent: cùm meritò timeam, ne amorem tuum in liberos ex priore marito, & ex me genitos, quondam diviſum videre oporteat. Tacuit tum vidua: ſed cùm jam amoris vis oculos illi, ac rationis uſum abſtuliſſet, minorem amorem majori opprimens, domum reverſa utrumque filiolum jugulavit, & quàm occultiſſimè ſepelivit. Mox tanquam optimè de Amaſio merita, ad eum redit, & jam, inquit, porrò non eſt, quod prætexas: neque enim ampliùs vivunt filii: rémque geſtam ex ordine recenſuit. Inhorruit Juvenis ad facinus tam atrox; & ſi priùs, inquit, filii tui non placebant, nunc tu mihi multò maximè diſplices. Quid enim affectûs, quid amoris ab illa expectem, quæ ipſum ſuum in innocente ſobole ſanguinem, ſua viſcera non amavit? His dictis miſeræ tergum indignabundus obvertit, tantaque deſperatione abſorptam reliquit, ut & repulſæ tam inexpectatæ probro, & facinoris perpetrati enormitate attonita decreverit, nullo ſe ſcelere deinceps non impiare, & corpore quæſtum facere. Jam annos aliquot huic ſordidiſſimo lucro conſecrârat, cùm majoris compendii faciendi ſpe, conſcenſâ navi Conſtantinopolin cogitabat. Verùm medio in curſu, cùm ſecundiſſimi aſpirarent venti, & pleno ſinu turgerent vela, navis repentè conſtitit, tamque omnem artem ac conatum eluſit contumaciter, ut non jam navis, ſed mediis in undis ſcopulus videretur. Fatigârant multis precibus ac votis Cœlum & Cœlites nautæ perinde, ac vectores, caſu hoc mœſtiſſimi; cùm hæc ex aëre vox allabitur: Abjicite in undas Mariam, & navis ſuum curſum tenebit. Quæritur ergo Maria, & cùm aliam eo nomine fœminam in navi non inveniſſent, præter infelicem hanc, de qua ſermo, quæq; ſuis navim ſceleribus prægravârat; moti miſeratione, in mare quidem præcipitem non egerunt, ſolam tamen ſcaphulæ impoſuerunt, ſibi; ventis, undisque relinquendam. Sed quam ab hominibus, non jam ab irata Dei Juſtitia miſerationem mulier experta eſt; vix ſiquidem in ſcapham deſcenderat, cùm hæc ter in orbem acta, in omnium oculis perniciſſimè abſorpta eſt, & infeliciſſimam iſtam animam ex aquis in ignes nunquam non arſuros trajecit. Nunc AA. Dilectiſſimi, hoc in exemplo, tanquam ſpeculo, contemplari ju-

vet

vet totam ſeriem cauſæ, quam contra pravum perditè amandi morem hucusque egi. Videte crudelitatem, ſtragem, peſſimi exempli facinora, turpitudines abominandas, & tandem damnationem ſempiternam, ad quæ fœminam hanc longè miſerrimam impulit; quis? quis, niſi amor ille, illæ blanditiæ, quibus Matrimonii ſpe Juveni illi placere cupiebat, aliarum ejusdem conditionis exemplo, ſine minimè principiò malo, & exiguo limites honeſti tranſiliendi periculo, cùm & longâ aſſuetudine, & vitâ eatenus innocenter actâ, procul à ſcelere abeſſe videretur. Velim nunc pronuntietis, an inter peccata numerandus ſit blanditiis his & artibus utendi mos, & num par ſit, illum ſecundùm ſe, & absque adjunctis in idea contemplari; an potiùs cum adjunctis illis, quæ illum ſemper comitantur, quorum effecta peſſima quotidie oculis obverſantur?

XIV. Finio, Parentes omnes verbis illis S. Spiritûs graviſſimis etiam atque
Eccl. 11. etiam hortando: *Non omnem hominem*
33. *inducas in domum tuam: multæ enim ſunt*
*inſidiæ doloſi.* Non pateant unquam domûs veſtræ limina cuiquam Juvenum; nec quisquam vobis tam honeſti amans videatur, ut nihil ab illo metuendum putetis. Apes alveare quævis ſuum tam ſolicitè cuſtodiunt, ut aliundè advolantes magno niſu expellant; & tamen hæ quoque apum, non veſparum è genere ſunt. Sic ſit licèt Juvenis ille virtutis ſtudioſus, domi tamen ſuæ ſe contineat; bonus bono, & bona bonæ ſocientur. Præterquam, quòd ſi Juvenis ille bonus eſt, nequam tamen eſt, quem habet ſocium, amoris Dæmon; vafer hic planè ac verſutus eſt: *Multæ ſunt inſidiæ doloſi*; & ideo alienæ bonitatis velo tantò ſolertiùs ſuam obvolvet nequitiam. Quid vobis decedit, ſi domi filias veſtras contineatis? Nihil ſanè. Nemo tamen ſatis unquam dicet, quantum illiſmet nocere poſſit liberum, cum quo liberit, commercium, & agendi licentia. Opes magnæ malè cuſtoditæ non fures tantùm alliciunt, ſed eos etiam fures faciunt, qui hanc aliàs artem non factitabant. Supplex rogo eum Dominum, qui venit ad illam conjunctionem tollendam, ut ipſe teſtatus eſt, quâ potiſſimùm Diaboli Regnum nititur: *Pu-* Luc. 12.
*tatis, quia pacem veni dare in terram?* 51.
*Non, dico vobis, ſed ſeparationem.* Etiam, inquam, atque etiam vehementer oro atque obteſtor, ut ſuâ ipſe ſanctiſſimâ gratiâ omnibus hujus ſortis Juvenibus inſpiret potentiſſimè voluntatem ac decretum tam ſalubre, vitandi periculoſa iſta commercia, ut ſalutem certiùs conſequantur: Parentibus autem largiri velit ſolicitam curam, planèque neceſſariam, ad tuendam filiorum innocentiam, & gratum Cœlo candorem: ut cuncti vitam ex Dei voluntate, ſanctam hanc ſeparationem & diviſionem imperantis, ducentes, cuncti etiam pertingamus ad gaudendum in patria præmio inæſtimabili, ubi omnis animorum concordia & conjunctio, pura erit ab omni labe, ſuisque numeris abſoluta, atque adeò verè beata.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# DISCURSUS XXIX.

## *Damnatur Chorearum uſus.*

I. MOs amatoriis levitatibus indulgendi, & mos ducendi choreas meo judicio non aliter inter ſe differunt, quàm ordinariæ nundinæ, ab extraordinariis & ſolennibus. Utrobique non rarò venditur miſellæ Juventutis innocentia, morúmque integritas: in choreis tamen, ut in nundinis publicis; in amoribus, ut in privatis mercatorum officinis. Quare cùm ſententiam fulminaverimus contra detrimentoſas amandi artes & peſtilentes blanditias, par eſt nos Chorearum uſum tantò execrari vehementiùs, quò hic illo eſt nocentior: ſic ut ex his, qui me audiunt, nemo non eum deinceps, quantum meretur, deteſtari paratus ſit. Oſtendam autem vobis, Juvenes in choreis ducendis duplicem pati jacturam, quâ damnoſiorem nullam in ullis nundinis quis pati poſſit: Una eſt, Lucri ceſſantis, ob bona, quæ ibi perduntur; altera Damni emergentis, ob mala, quæ inde reſultant. Attendite, an ad oculum demonſtrem, utramque, quam dixi, jacturam Chorearum fructum eſſe.

II. Verùm quia Polemicas inter leges non poſtrema eſt, non relinquere à tergo arcem aut munimentum, hoſtili milite inteſſum, non parùm expediet ante omnia extricare me ab adverſæ partis argumento perquam valido: quo quidem etiam utuntur, qui amandi artes authoritate ſua tueri volunt; ſed in hac de Choreis materiâ velut redivivo, & majori authoritatis robore ſtabilito. Unde nō pauci mirabuntur, quâ fronte ego oppugnare & damnare choreas non verear, cùm eas communis Doctorum ſenſus ut licitas probet. Ita eſt, neque enim inficias ire poſſum. Morales Theologi ingenti numero affirmant, ſaltationi ſine Dei injuriâ operam dari poſſe. Parte tamen alterâ totum Sanctorum Patrum non Latinorum minùs, quàm Græcorum agmen in chorearum uſum acerrimè invehitur: eſsétq; mihi pergratum tam diſcrepantium judiciorum ex vobis cauſam intelligere. S. Auguſtinus in ſuorum Sermonum aliquo Choreas execratus, ait, ex illis tantum detrimenti in ſuum populum derivari, ut *Chriſtiani ad Eccleſiam veniant, Pagani de Eccleſia revertantur.* *Serm. 115. de Tem.* Hac ipſa de re dum S. Ambroſius loquitur, ſiquibus Puellis ſaltare placet, atque ita omnino facere decretum eſt, *ſaltent inquit, adulteræ filiæ*: *Lib. 3. de Virgin.* quæ verò Virgines, quæ prudentes, quæ pudicæ fuerint, abſit, ut ejuſmodi levitati dent operam, niſi perire, & quales ſunt, porro non eſſe malint. Alibi autem, cùm accuratè enumeràſſet, quidquid ex choreis malorū con-

conſequitur, aut certè periculum eſt, ne conſequatur, his tandem verbis ſuum eâ de re ſermonem clauſit: *Quomodo patienter loquar, pie prateream, convenienter defleam?* S. Ephrem eâ verborum formulâ utitur, dum de choreis diſſerit, quæ nulli audienti horrorem non debeant incutere. *Ubi cithara*, inquit, *& choreæ, ibi virorum tenebræ, mulierum perditio, Angelorum triſtitia: Diaboli feſtum.* Alibi verò quærit: Et quis tandem eſt, à quo rem tam pernitioſam Chriſtiani didicere, qualis ſunt Choreæ? Non, inquit, didicere à S. Petro, non à S. Paulo, non à S. Joanne, aut quoquam alio Apoſtolici Collegii: Magiſter uſûs tam pernitioſi alius eſſe non potuiſſet, quàm Draco ſtygius. Hic fuit, qui ſuis, Serpentis tortuoſi, ſpiris ac giris artem hanc docuit: *Draco antiquus ſuis voluminibus docuit.* Nec aliter ſenſerunt, aut locuti ſunt alii, quos ſumma ut doctrina, ita & vitæ ſanctimonia commendavit: Quid priùs deplorabo, clamat ſuperiore ex loco ad gregem ſuum Sanctus Baſilius, Puellâsne cœlibes, quæ ad Choreas accedunt, an maritis jam junctas? Puellæ ibi jacturam faciunt virginitatis, ac verecundiæ: Maritis verò junctæ diſcunt Matrimonii fidem frangere. *Quodſi nonnullæ peccatum corpore effugerunt, omnes tamen animo depravatæ, atque inquinatæ ſunt.* Sed præ cæteris S. Joannes Chryſoſtomus imperare ſibi non potuit, quò minùs aureâ ſuâ linguâ feriret ſæpius execrabilem hanc morum peſtem, appellando Choreas, Ludum Sathanæ; & negando unquam contingere, ut hoc in ludo omnes veteratoris peſſimi laquei vitentur, omnésque ſenſuum illecebræ, & ad ſcelus pellacia ſuperetur. Nec diſſimilia his habent alii Doctorum Principes, quorum ſingulorum verba hîc referre nimis longum foret, appellántque Choreas Dæmonum conventiculum, ſtragem Innocentiæ, ſolennitatem Inferni, Circulum, cujus centrum ſit Sathanas. Rationem igitur nunc reddite, AA. doctrinæ tam in ſpeciem diſcrepantis; quâ Morales Theologi Choreas probant ut innoxias; Sancti Patres verò eas execrantur ut Diabolicas? Quorum ſenſa nos par eſt amplecti? Dicere, quòd SS. Patres exaggeratione, pro Concione dicentibus non inſolitâ, uſi ſint, ipſis parùm foret glorioſum. Quæ enim iſta amplificandi exaggerandique eſſet ratio, ſi pro veris falſa docerentur? Majori eorundem cum dedecore reſponderetur; fuiſſe ipſos deceptos; eorum ſiquidem maximè calamo nos Deus ad officium hominis Chriſtiani erudire & accendere voluit. Et qui fieri tandem potuiſſet, ut tam multi planè concordes fallerentur? Quomodo cum cæteris hallucinatus eſſet Auguſtinus, vir ingenio, quo ſubtilius acutiúsque Deus Eccleſiæ nullum indulſit? Et tamen hic loco non uno repetit atque inculcat; rectiùs facturos Chriſti aſſeclas, ſi diebus ſacris ararent, quàm ſi ſaltarent: *Meliùs eſt arare, quam ſaltare.* Non alia igitur opinionum in ſpeciem dorum pugnantium hinc SS. Patrum, inde Theologorum, cauſa eſt, quàm quòd iſti loquantur de Choreis ut ſunt in

*Or. 5. de Temp. & Inconſin.*

ſe,

ſe, & absque iis, quæ fermè comitantur, adjunctis. Et ſic rectè docent, illas ex ſe, & naturâ ſuâ cum peccato non eſſe conjunctas. Sancti Patres verò loquuntur de Choreis, quales eas ipſe uſus eſſe docet; hoc autem uſu atque ipsâ experientiâ, cùm ſtrages animarum edant maximas, hinc tantis illas ſtudiis deteſtantur. Sic igitur, quas diverſas opinabamur, concordes ſunt ſententiæ; vera utraque, ſed in ſenſu quælibet ſuo. Ex ſe, ipsâque rei natura peccatum non eſt Choreis adeſſe, eſt tamen peccati occaſio: unde ex adjunctis, quæ illas comitantur, ex inflammatione & alimento, quæ in ipſis Concupiſcentia reperit, fit, ut facili negotio in peccatum degenerent: id quod Theologi, qui Chriſtiani hominis officium explicant, nequaquam inficiantur: quin potiùs cum Sanctis fatentur, ſaltationes ratione periculi, quod vix unquam abeſt, ſine noxa frequentari non poſſe; *ratione probabilis periculi animæ ſuæ, vel alterius.* Hoc autem periculum, quia, ut dixi, vix unquam abeſt, ſapienter pronuntiavit Joannes Gerſon, quem non doctrina minùs, quàm eximia vitæ probitas commendant; *Ob fragilitatem humanam, difficulter fiunt Choreæ ſine diverſis peccatis, & omnia peccata chorizant in chorea.* Attentis nimirum, imbecillitate hominum in ſenſuum ſuperandis illecebris, pravorum habituum & propenſionum vi, malorum Dæmonum ad caſum impulſu, nimis quàm arduum eſt Juvenibus has inter Choreas, quales hodie agi ſolent, ſtare inconcuſſos, & non magno impetu humi ſterni: unde rectè eodem in choro omnia vitia ſaltare dici poſſunt: *omnia peccata chorizant in chorea.*

III. Hæc cùm ita ſe habeant, non puto jam quidquam ſubeſſe periculi, ne meam de choreis doctrinam, Sanctorum Patrum ſenſui conformem, & planè ex iis hauſtam, quisquam veſtrûm damnet, eamque vel ut veritati minùs conſonam, vel ut rigidam nimiùm ac ſeveram explodat; pergo proin ſecurus, ut, quo initiò diſſertationis hujus dixi, ordine, vobis demonſtrem, quid bonorum in Nundinis his, ſit fas ita loqui, diabolicis Juvenes perdant; & quod ſit Lucrum ceſſans?

I.

IV. Sicut unicus ac præcipuus, Juvenum, & Puellarum maximè, theſaurus eſt Pudicitia, ita illi cuſtodiendo duplici de præſidio Deus proſpexit; de honeſto nimirum pudore, & ſolitudinis amore prudente. Audite me attentione ſingulari: ea enim in medium afferam, quæ iſtam fortaſſe mereantur. Verecundia, ſeu honeſtus pudor, procul dubio virtutum omnium cuſtos appellari poteſt (præcipuè ſi de illo nobis ſermo ſit, qui errorem ut futurum reſpicit, & dicitur Erubeſcentia; potiùs quàm de illo, qui naſcitur ex peccato aut olim, aut jam nunc perpetrato, & dicitur ſtrictiùs Verecundia) cùm illi, ſanè quàm decoro, ſuam adſcribant in commerciis fidem Mercatores; fortitudinem Milites; vigilantiam Senatores; integritatem Ju- *S. Thom. 1.2.q.41. ar. 4.*

dices, quos omnes pudet officio ſuo deeſſe. Præ aliis tamen virtutibus Caſtitatem ipſe tuetur. Cùm enim Erubeſcentia ſit ingenuus ille timor, quo pudorem fugimus, ex ſcelere fortè admiſſo naſciturum, *Timor de turpi actu*: quantò peccatum quodlibet magìs pudendum eſt, tantò par eſt ab Erubeſcentia illud caveri ſtudioſiùs:

*S.Thom. 2. 2. q. 144. ar. 2.*

Dubium autem non eſt, quin luxuriæ peccata, ut Philoſophus teſtatur, omnium maximè pudenda ſint: ad Erubeſcentiam ergo pertinet hæc præ cæteris procul habere, ut Pudicitia & Caſtitas illæſa ſervetur. Hinc etiam S. Greg. Nyſſenus Pudorem Telum fortiſſimum appellavit; & tale omnino eſt Puellarum bono. Timor enim ille, quo dedecus ex flagitio oriturum horrent, animos magnos etiam illis ſubdit, quas ceteroquin timidiſſimas invenimus: & rubor ille, quem ejusmodi in occaſionibus vultu præferunt, vexilli inſtar eſt purpurei, quod ad pugnam omnes animi facultates provocat, ut concordibus ſtudiis propugnandæ Caſtitatis Arci invigilent. *Quam peccare pudet*, non malè ille cecinit, *tuta ſat eſt*. Atque ſingularis omnino fuit magni Dei providentia: ſi enim ille verecundiæ & erubeſcentiæ freno fœminas non coërcuiſſet, ô nos miſeros! nimis quàm arduum cuilibet noſtrûm futurum fuiſſet, earum viribus obniti. *Ligavit Deus concupiſcentiam Mulieris freno verecundiæ: aliter non fieret ſalva omnis caro:* dicere non dubitavit S. Joannes Climacus.

*S.Th. 2. 2. q. 144. ar. 1. ad 2.*

V. Cæterùm iſtud tam ſalutare frenum, etſi facili negotio rumpatur & excutiatur, ubi amatoriis artibus aliqua ſe dediderit; multò tamen id fit celeriùs in peſſimo ſaltitandi more; Puella ſiquidem amando agit cum uno ſolo; inter choreas verò cum multis. Nec oculis ſolùm hic res geritur, ſed verbis, ſed geſtibus, ſed arridendo, ſed manuum contrectatione; publicè ſe ſpectandam proponit, nihilque magis deſiderat, quàm ut in ipſam, tanquam metam digniſſimam, omnium oculi defigantur. Sic autem quis jam explicet, quanto ſe exponat periculo perdendi ruboris, qui non ſolùm eſt color Virginitatis proprius, ſed cuſtos ejusdem, ut dicebam, longè vigilantiſſimus? Non alius profectò certior eſt modus non erubeſcendi ampliùs peccata maximè pudenda, quàm ſi videamus, multis illa probari: adeò diligentiùs metuimus famam externam, quæ tota in hominum exiſtimatione ſita eſt; quàm dedecus illud internum, in ipſâ rerum naturâ fundatum. Atque hoc eſt è Chorearum uſu natum malum; videre in his, quòd tam multi ut urbanitates, ut gratias, ut elegantiam approbent, quod tanquam licentiam vel coram uno admittere pudebat. Hæc autem vultûs verecundia ubi aliquando perdita fuerit, quæ tandem ejus recuperandæ ſpes? Irreparabilis eſt ejus jactura: ſic ut de verecundia dici poſſit, quod de Elephanto, quòd ſemel prolapſus, ſurgere jam non poſſit, *Quia redire neſcit, ut periit, pudor*: id

quod

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quod in aliis pravis propenſionibus non contingit: qui enim odit aliquando, amare iterum poteſt, quem oderat: qui triſtitiâ & mœrore fuerat abſorptus, lætus iterum ac hilaris eſſe poteſt: qui iratus, animi tranquillitatem recuperare; qui ſpem poſuerat, erigi iterum ad fiduciam poteſt. Solus pudor, aliquando fronte exulare juſſus, eò non redit; & dolere quidem ille poteſt, quòd locum impudentiæ ceſſerit; ſed hoc illam extrudere deinceps non valet; adeò hæc contumax & obſtinata eſt.

VI. Alter Pudicitiæ cuſtos eſt amor ſolitudinis, & publici fuga, quæ ita foris cuſtodit Innocentiæ theſaurum, ut illum intus tuetur Pudor. Virgo in lingua omnium principe, Hebraica ſcilicet, *Halma* dicitur; quod idem eſt ac Abſcondita: ut appareat, quàm ſeparari à Virginitate non poſſit, publici fuga, & quomodo ejus ope Virgo, ut ſuis in ſpinis echinus, ſolùm tuta ſit & ſecura. Idcircò, quo nonnullæ Puellæ flagrant, deſiderium vivum comparendi in publico, exponit eas periculo, ut non ſolùm minùs cautæ, ſed etiam minùs caſtæ, ſaltem propenſione ſuâ, exiſtimentur. Hac re ab apibus veſpæ differunt, quòd iſtæ non metuant laborantes aſpici; at apes adeò iſtud timent, ut nunquam mel ſuum, niſi in abdito, elaborent. Unde factum eſt, ut quondam clauſæ alveari pellucido, quo earum artificium in melle conficiendo à curioſis quibusdam obſervaretur, priusquam operi ſe accingerent, totum intus vitrum cereo integumento obduxerint, ſicque abſconditæ & latentes operi faciundo ſe impenderint. Ejusmodi diſcrimen exiſtimo ſæpius deprehendi poſſe inter Puellas, verè adhuc innocentes, & eas, quæ tales ampliùs non ſunt. Illæ apum inſtar cuperent ſemper ſolæ, ſemper procul aliorum oculis vivere; nec quidquam eſt ipſis gravius, quàm verſari in publico. Hæ autem tanquam veſpæ, optarent omnes dies feſtos eſſe, ut prodire liceret in publicū, ut quotidie ducerentur choreæ, fœminarum penſarentur obſequia, atque ita populo velut in theatro ſpectabiles fierent. Atque hæc inter alias cauſa eſt, ob quam tam anxiè curat Dæmon, ne Chriſtiana è Republica choreæ eliminentur, ſed vel ingratiis Confeſſariorum increpantium, & Concionatorum deteſtantium retineatur Choreas ducendi conſuetudo; in choreis enim feliciter illi cedit negotium evertendi munimenta, quibus vallatur Caſtitas & Innocentia; unde hoc propugnaculo, hac ſæpe everſâ, minore jam difficultate verſutiſſimus hoſtis in ipſam animæ arcem ingreditur, & prædas pro arbitrio agit. *Ubi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio.* Obſervârunt Naturalis Philoſophiæ ſtudioſi, quòd inter belluas, *Fœminæ citiùs cicurantur, quàm Mares.* Niſi fallor, id in re noſtra æquè pronum eſt evenire; mulier ſiquidem, ut infirmior intelligendi facultate, ratione minùs utitur ad odio habendum malum: unde cùm munimento naturalis honoris privatur, quo ceteroquin in illud fertur, multo minore negotio, tanquam manſuefacta, in idem malum impellitur. Verùm

*Eccl. 36. 27.*

*Ariſt. l. 9. hiſt. c. 9.*

rùm quoquo modo res ſe habeat, cùm id tam ſeriò ac ſedulò agatur, ut in ipſis adeò templis viri à fœminis ſeparentur, etſi eò conveniant divini obſequii & Religionis causâ; vehementer obſtupeſco, quomodo dein nihil timeatur ex illo promiſcuo conſortio Juvenum utriusque ſexus in Choreis, ad quas vulgò non convenitur, niſi voluptatum, & animi laxandi gratiâ. Quid dicet Deus (qui vel veteri in Lege hunc ſexûs à ſexu ſeparationem præcepit) ſi hodie obſervabit, Fideles ſuos hodie tam incurios, ut non ſolùm illam in templis nonnunquam negligant, ubi minùs videri poteſt neceſſaria, ſed in publicis etiam plateis, theatris, pratis penitùs non curent; ubi tamen quàm maximè eſſet vigilandum?

VII. Quibus proin titulis ejusmodi cœtus & conventicula compellabimus? Si SS. Literarum idiomate uti placet, neceſſe eſt illis dare nomen ut aſperius, ita minùs gratum. Sæpius Sacrorum Librorum idiomate, idem eſt dicere rem eſſe communem, & eſſe immundam: unde Angelus S. Petro mirabili illa in apparitione, cùm immundos cibos guſtare nollet, dixit: *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* (*Act. 10. 15.*) Hinc ſatis apparet, quomodò Spiritûs Sanctus, ſi loquendum de illis eſſet, veſtra hæc conventicula nominaret: diceret nimirum illa immunda: adeò promiſcuè omnis generis homines in illis conveniunt: imò adeò ibi communia fiunt aliis ſingulorum vitia; cùm alius alium doceat vanitatem in veſtibus, libertatem in aſpectibus, in colloquiis impudentiam, effrenem in omni agendi ratione licentiam. *Qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam.* (*Eccl. 13. 1.*)

## II.

VIII. Hinc gradum facio iſtis in Nundinis à Lucro ceſſante ad Damnum emergens, & à bonis, quorum jacturam in Choreis Juvenes patiuntur, pergo ad mala, quæ diſcunt, & quæ incurrunt. Nihil eſt in munitis arcibus & urbibus, quod majore curâ cuſtodiatur, quàm portæ; hac enim viâ & faciliùs, & majore cum impetu hoſtes irruerent. In anima noſtra portarum loco ſenſus ſunt; quos Chriſti aſſeclæ, militaris ſcientiæ præcepto erudìti, quanti maximâ ſedulitate cuſtodiunt. Et his tamen ipſi tres ſaltem, earum ex numero, hoſtibus, dum Choreis dant operam, pandunt, Oculos, inquam, Manus atque Aures; unde non difficilis ſumetur conjectura, an malus Dæmon, occupato triplici hoc aditu, moram tracturus ſit in introducendis turmis mille ſuggeſtionum ſuarum, & millenorum flagitiorum.

IX. Primò igitur oculo potitur Dæmon. S. Ambroſius dum bellè & arguè deſcribit voluptatem, eam ob oculos ponit, ut jacientem per palpebras laqueos, & vincula, quibus animas, Juvenum maximè, venetur: *Ex dentibus jaculans palpebris retia, quibus Atheniſpecioſas Juvenum animas capit.* (*Lib. 1. de* …) Atque hac ratione primò ſibi animas vindicat, ut idem ſapientiſſimus Doctor aſſerit: *Oculis prima tentamenta præ-*

*præludens.* Diſceptent per me licet inter ſe Legum Interpretes; ſolisne oculis poſſit quis ſibi rem primò vindicare, an verò ſemper pedum poſitione rei plenum dominium capere oporteat. Si ejusmodi rei ſenſilis vindicatio, aut poſſeſſio controverſa eſt, animæ ſanè poſſeſſio dubia eſſe non poteſt. Oculus primus ingreditur, & authoritate ac nomine Cordis rem poſſidere incipit: *Si ſecutum oculos meus cor meum.* Quare qui poſſeſſionem ejusmodi non timet, animo planè cæcus eſt. Certè quò quisque fermè erat ſanctior, tantò ille hanc oculorum poſſeſſionem vitabat cautiùs. Audiamus Jobum ſanctiſſimum, omnium nomine proteſtantem: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Digna eſſent hæc verba diſſertatione integra, tàm multa ſub eorum cortice latent. Perſuadet ſibi non nemo, fideliorem ſe oculis ſuis amicum non habere; quòd iſti nova ſemper oblectamenta, novas voluptates ſtudioſè procurent. Sed graviſſimè fallitur: Spiritus enim Sanctus non obſcurè illum docet; quòd potiùs iidemmet oculi jurati ſint hoſtes; aliàs non ſuaderet, ut Jobi exemplo inducias cum illis paciſcamur: *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Neque enim inducias cum amicis, ſed cum hoſtibus paciſcimur. Atque utinam, cùm dubium porrò non ſit, quin oculi juratis noſtris inimicis accenſeri debeant, ipſi perinde ac alii, etiam infenſiſſimi, placari, & ad odia ponenda induci poſſent. Verùm ipſi ita obſtinatè inimici ſunt, ut ex integro ſibi eosdem conciliare nemo poſſit. Quare ſummum, quod hoc in bello ſperari poſſit, Induciæ ſunt: pacis enim ſpes planè nulla. Tertullianus Philoſophi alicujus antiqui meminit; qui cùm non poſſet ſibi promittere, quòd fœminæ aſpectu potiri poſſet quin mox ad illam concupiſcendam abriperetur, ſemet exoculavit. *Quòd mulieres ſine concupiſcentia aſpicere non poſſet, & doleret, ſi non eſſet potitus, excæcavit ſe ipſum.* In Apologet. c. 46. Volebat hic de oculis ſuis triumphare, penitùs iis ſe privando: ſed hoc victoriæ genus Chriſti Lege, nobis ejus cultoribus vetitum eſt: aliud proin nihil supereſt, quod cum his hoſtibus facere poſſimus, quàm induciæ. *Pepigi fœdus.* Hoc ſiquidem indicat: nunquam nos ex toto poſſe cum oculis redire in gratiam, aut omnem ex eorum perfidia metum ponere: ſed ſi objectum quoddam illecebroſum ſpectamus, nunquam debemus, Doctiſſimi Iſidori ſententiâ, obtutum in illud defigere, verùm obiter tantùm ac curſim, & quidem, ut ille loquitur, effuſiſſimo curſu delibare: Canum inſtar, qui ad Nili ripas fugiendo bibunt; ne longiorem trahentes moram Crocodilis in prædam cedant. Magis tamen notanda eſt cauſa, quam in ordine ad iſtum finem Jobus adducit, quâ fuerit ad hoc fœdus incundum compulſus: *ut ne cogitarem quidem de virgine.* Tam inter ſe vicini ſunt obtutus, & cogitationes, ut Sanctorum idiomate pro uno eodémque ſumantur; unde idem eſt, non cogitare, quod, non aſpicere. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem*

*rem.* Videntur proinde oculi & cor arcano inter ſe fœdere necti, quale montes inter ignivomos intercedere multi exiſtimant. Obſervatum certè eſt, eodem planè tempore, quo non multis abhinc annis Æthna ac Veſuvius in Italia atrociſſimis flammis exarſerant, paribus furiis etiam illos deſævîſſe, qui in remotiſſimis Americæ provinciis montes & ipſi ignivomi inveniuntur: unde non defuit, qui crederet, meatibus quibusdam occultis intra ipſa terræ viſcera hos inter ſe montes conjungi, & ignoto commercio ſua velut ſenſa invicem communicare. Tale autem commercium oculos inter & cor intercedere non opinio dubia, ſed certa ſententia eſt: unde excludendis cogitationibus pravis, neceſſarium omnino eſt, etiam obtutibus non indulgere. *Pepigi fœdus cum oculis meis ut ne cogitarem.* Quæ ipſa fortaſſis cauſa fuit, ut iidemmet oculi & obtutuum, & lacrymarum eſſent organum: cùm ita natura gemino munere facultatem iſtam inſtruxerit (etſi alia ſenſuum organa ad unum fermè deſtinata ſint) ut ſingulari providentiâ non procul malo abeſſet remedium: & quia pleraque ſcelera originem trahunt ex oculis ope obtutuum, ibi etiam invenirent medicinam, compunctionis, ſeu ſerii doloris lacrymis emendanda & abolenda.

X. Cæterùm inter pericula tam manifeſta, quomodo tandem in deteſtandis his choreis credenda eſt ſe gerere Juventus noſtra, cùm per has id ipſa inprimis ſpectet, ut obtutum in eò convenientes defigat attentiùs, & viciſſim etiam curioſiùs ſpectetur? Prô! quàm jure ac meritò ſuſpicari poſſumus, non ludi hunc ludum abſque delictis & noxis innumeris, cogitationum, delectationum pravarum, deſideriorum, operum! Filios Dei aſpexiſſe filias hominum, jam pridem Cataclиſmi cauſa fuit: *Videntes filii Dei, filias hominum, quòd eſſent pulchræ.* Nunc verò videre has in conventiculis nocturnis, multóque magis in choreis non absque cauſa creditur origo alterius formidandi Cataclиſmi peccatorum, quæ infelicem animam inundant. Niſi malit quis credere, Dei providentiam amabiliſſimam continuum in ejusmodi hominibus operari prodigium, dum eos tam temerè ſibi præfidenres, & in mediis periculis audaces, diligentiùs tuetur, quàm eos, qui cautè hæc omnia declinant. Memini audire illuſtre planè prodigium, quod Deiparæ precibus in montibus propè Bononiam patratum ſit. Eſt autem hoc. Confluxerat magna vis populi ad venerandam prodigioſam ſanctiſſimæ Virginis imaginem, die aliquâ ſolenniore: cúmque hoc in numero duæ adverſæ inter ſe factionis turmæ concurriſſent, & una alterius fraudes ſuſpicaretur, ambæ uno ferè momento, quibus inſtructæ erant, bombardas exploſere. At Mater diviniſſima, ut ſe pacis etiam ac concordiæ Matrem probaret, fecit, ut omnes quidem bombardæ ignem foris in ſcutella pulveris conciperent, in nullam tamen fiſtulam ignis penetraret, ſic ut tot inter flammivomas machinas vulneratus ſit planè nemo, imò

ne

ne bombus quidem ullus auditus. Si quando igitur unquam evenerit, ut in choreis publicis, ubi tot Juvenum oculi foris accenduntur, nemo tamen flammas in corde concipiat, dicam, tantò rarius admirabiliúsque tum patrari prodigium, quantò eſt difficilius effreni moderari concupiſcentiæ, quàm tantilli ignis, qui ſemper divinis imperiis promptiſſimè obtemperat, curſum & impetum ſiſtere. Quæ autem prudentia tam inſolitum Miraculum ſperet? Si ipſo in Templo (Ratiocinatio eſt S. Joannis Chryſoſtomi) dum quis auſcultat dicentem, dum adſtat Sacrificanti, dum Pſalmis recitandis intendit, incurrat in oculos nihil minùs opinantis fœminæ prætereuntis ſpecies, momento quaſi nõnunquam experitur accendi ſtygios ignes; quid credamus accidere in choreis, ubi absque clypeo, reſpectu nullo, quis expoſitus eſt tot ictibus rectà in ipſum tendentibus, quot ſunt oculi, qui illum intuentur, & quot ſunt objecta, in quæ ipſe non fortuitò oculos conjicit, ſed deſtinato animo; non caſu, ſed certo conſilio? Ita quærit S. Doctor; & ſi quærenti ego reſpondere deberem, fateor, non haberem, quid dicerem.

XI. Quid autem erit, ſi attendamus malum Dæmonem in Choreis non oculos tantùm ſibi vindicare, ſed etiam manus, etiam hanc per portam ſuum militem intromittendo ad cor expugnandum? S. Hieronymus, ſymptoma ejusmodi, Caſtitati tam pernicioſum cenſuit, ut ex eô mortem auguraretur: *Tactum & jocos, morituræ Virginitatis principia.* Mihique prorſus videtur, ſæpe Juvenis & Puellæ alicujus manus in choreis id efficere, quod Salamandra contingens aliquam arborem, momento unico & arborem ipſam, & omnes ejus fructus veneno inficiendo. *in vita Hilar.* Nonnunquam unica manûs blandior contrectatio tantum veneni potuit diffundere in animum & cor infelicis, ut inde initium duceret vita & conſortium infame, non niſi cum vita abrumpendum, cùm nimis quàm verum ſit in fœmina, id quod legimus Eccl. 26. *Qui tenet eam, quaſi qui apprehendit ſcorpionem:* tam non differunt inter ſe tangere & tangi, prehendere & prehendi, tanquam mortis ipſius chelis. O ſancta Pudicitia, quàm vulgò mortalibus ignotum eſt pretium tuum! quàm pro merito tuo non æſtimaris? Flores, dici ſolet, tangi non debere, niſi oculis: *Oculis tangite.* Sed Virginitatis flos, tantò hortorum floribus nobilior, quantò delicatior, etiam oculis tangi renuit. *Sancta Virginitas,* ait S. Ambroſius, *etiam aſpectu violatur.* Quæ tamen hâc noſtrâ ætate Virgines dici amant, mali nihil tenerrimo ſuo lilio ab alienis oculis metuunt; imò ne à manibus quidem, quarum tamen contactu facilè flacceſcunt. Sed quid ego ipſis iraſcor? Culpa hæc non tam ipſarum eſt, quàm eorum, qui ad talia connivent. Illi Parentes, qui ſi Juvenem Puellæ manum furtim in aliquo ædium angulo contingere viderent, in utrumque non clementer in-

invehi deberent, ſubinde ita inſaniunt, ut hos in choreis contractus pro libidine & arbitrio, nullo metu, aut religione fieri permittant, haud aliter ac ſi molliſſimum & fragile Adamicæ maſſæ lutum mirabili chorearum virtute in æs duriſſimum mutaretur. Si iſta cæcitas lacrymis digna non eſt, quæ tandem erit? Agite, absque mora extricemus nos ab hoc abuſu, & progrediamur. Imò ſiſtamus tantiſper, dum aliquid vobis curioſè obſervandum proponam: eſt autem hoc. Veſtrâ equidem causâ ac bono his de rebus ago. Plurimum tamen curæ mihi adhibendum eſt, ut iis verbis, ea loquendi ratione utar, iis formulis, iis metaphoris, quibus velut pampinis tecta fœditas actionum, quas vitupero, ne animis quidem veſtris talis appareat, qualis in ſe eſt; ne fortè arridere incipiat, dum ad illius deteſtationem vos conor excitare. Et facta illa, quæ â ſacro Oratore narrata tantam vim ſubinde exerunt, ut vos inquinent, idem non efficient à vobis exercita in aula, ad quam animi laxandi causâ convenitis? Ite ſanè, quærite aliquos, qui id vobis affirmantibus credant; ego quidem ad hoc induci non poſſum.

XII. Tandem Veterator & Prædo ſtygius non contentus in choreis oculos & manus rapuiſſe, ut hactenus vidimus, tertiâ quoque portâ, per quam mors ingrediatur, auribus inquam potiri ſatagit. Difficile dictu eſt, quàm molliat & frangat animos muſicus, in Choreis adhiberi ſolitus, …ancentus. Manichæi Hæretici, teſte S. Auguſtino, ſpargebant, Muſicæ harmoniæ ſuavitatem è Cælo in terras miſſam fuiſſe: *Dulcedinem Muſicam de divinis Regnis veniſſe.* Lib. 2 de Quid. Mus. quid autem de alia Muſica dicendum Manich. ſit, illa ſanè, quæ inter Choreas perſonat, non aliunde, quàm è ſtyge emerſa eſt, quæ animos audientium hac ratione frangere & emollire conatur, ut vetitæ voluptatis ſenſum proniùs admittant. Ita S. Joannes Chryſoſtomus cenſuit, dum Muſicam iſtam diabolicam compellavit, ſive quia malum Dæmonem authorem habuit, ſive quia ſemper ad id refertur, quod Orco ſummè gratum eſt. S. Thomas univerſim de omnibus inſtrumentis muſicis pronuntiat, quòd *magis animum movent ad delectationem, quàm per ea formetur interiùs bona diſpoſitio.* Quid ergo, ſi ſuis rem momentis libremus, dicemus efficere in Juvenum animis eorum Inſtrumentorum ſonum, quibus choraulæ ſaltantibus occinunt; & ad quid excitare eos poſſunt, niſi ut præludant morti jam vicinæ, imò triſte melos in ipſo jam funere concrepent? *Ubi tympana ſonant, tibia clamitat, lyra garrit, quis ibi Dei timor?* in Iſa. [illegible] Quærit S. Hieronymus. An exiſtimatis fieri non poſſe, ut ſicut tubarum clangor Martiales & generoſos equos ita excitat, ut adhinniant; ita Cymbalorum & Cithararum concors ſonus non unum animet ad certa proferenda verba, quæ audaciora cùm ſint, dicere tamen non liceat, an ſigna ſint conſpirationis cujusdam turpis jam initæ, an ineundæ initia? Perpendite modò, quin ego pluribus id vobis explicem,

dam-

damna omnia, quæ mali Dæmones inferunt tot modis per aures, per manus & oculos; & tum numerum inire licebit omnium peccatorum, quæ quotidie inter choreas admittuntur, ſimúlque cognoſcere, an illæ ſint innoxia animorum juvenilium laxatio, quam illam nonnulli ſibi fingunt.

XIII. Mihi quidem ſi ineundus is numerus eſſet, haud equidem meliùs facturus id mihi viderer, quàm ſi narrem id, quod Deo placuit oſtendere Viro inſigni virtute, quem hoc ipſum intelligendi deſiderium accenderat. Aſceta igitur aliquis, in virtutum ſtudio minimè ſegnis, aſſiduis Deum precibus fatigabat, ut oſtendere ſibi dignaretur, quæ demum eſſet occaſio, quâ maximè ad peccandum ætas tenera induceretur? In extaſin igitur aliquando raptus, vidit ingredi in templum virum aſpectu territico, quem ſequebatur Juvenum & Puellarum chorus, qui impliciti, manibúsque ſe mutuò complexi, ſtrenuè ſaltitabant. Sic dum pergunt, ad ſimulacrum Cruci affixi Servatoris perveniunt; cùm ille chori Dux formidabilis gravi ictu Sanctiſſimos Chriſti pedes impetiit. Cùm autem ducto in gyrum agmine redirent ad idem ſimulacrum, tum ductor ſimili ictu manus Chriſti percuſſit; ubi tertiò rediêre, vi quantâ potuit, ſpineam coronam impreſſit capiti; mox humi abjectam pedibus proculcavit. Quartum ad gyrum inſultavit Chriſto, & lacrymas ejus, etſi ſanguineas, irriſit: ad quintum, in faciem ejus expuit: ad ſextum, latus aperuit; ad ſeptimum denique horrendis illum blaſphemiis & execrationibus proſcidit. Interim vir ille Religioſus, vendicandi divini honoris, tam enormiter læſi, ardore accenſus, graviſſimis verbis in illum execrabilis chori ductorem invectus eſt; reſponſum autem illi eſt; An non tu ſcire deſiderabas, quæ demum eſſet occaſio, in qua crebriùs Juvenes effrenes delinquerent? Auditæ ſunt preces tuæ; ſubjeci illam oculis tuis; & non eſt alia, quàm Choreæ. Animum adverte ad ſingula iſtorum Choros ducentium peccata: motus pedum impudicos; contrectationes manuum laſcivas; puellarum, ad omnem vanitatem & illecebras comptarum, animum inverecundum; has puellas depereuntium Juvenum Zelotypiam; obtutus, riſus, & cor inprimis impuriſſimis deſideriis accenſum, & agnoſces reſtauratas & repetitas omnes plagas, omnes ſui Servatoris cruciatus. Hæc ubi dixit, videri deſiit. Ite nunc & blandimini vobis, quantum lubet, dicite. *Quod tandem peccatum eſt, ſaltare? Eſt Iuvenum oblectatio, mos innoxius; omnis expers malitiæ hilaritas.* Ah! quid neceſſe eſt ſibi tam nullo metu adulari? Si ſaltarent cum Puellis Puellæ, & viri cum viris, non ægrè aſſentirer: ſed in hac ſexûs utriuſque permiſtione veſtræ opinioni accedere non poſſum, nimis apertè errorem hunc damnat experientia. *Tolle* (ajebat ille) *libidinem, & choreas ſuſtuliſti.* Si nemo libidine ampliùs accenderetur, brevì uſus choreæ ducendi exoleſceret.

XIV. Minus tamen incommodi foret, ſi ſolùm hoc vitium Chorearum maleficio propagaretur. Hoc domeſticum eſt: ſed quàm multa alia, tanquam amica, conſequuntur? Tum primùm choreas, quas deteſtor, viris fœminìsque permiſtis, gens illa Hebræorum duxit, cùm vitulum aureum in eremo adoravit. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Sed carò ſtetit iſti populo, ſic primùm ſaltâſſe. Digreſſus enim è monte Moyſes, cùm Idolum illud adorari videret, & execrandum hunc circa illum ludum ludi, juſtâ gravique indignatione ſuccenſus, armatâ Levitarum Tribu adjuvante, eo die adunatorum ad choreas viginti tria millia internecione delevit: quos tum recèns Idololatriæ crimine graviſſimo contaminatos, veriſimile eſt ſimul omnes, nullâ de tam atroci flagitio expiatos pœnitentiâ, funeſto ſanè ſaltu in ipſum adeò Infernum deſiluiſſe. En primarum chorearum egregiè coronata ſolennia! en primum ex his collatum Hebræo populo beneficium! Quæ autem ſuo in fonte tam venenata eſt aqua, an in rivis ſuis ſalubris eſſe poteſt? Quis proinde enumerabit neces ac cædes, quæ in his oblectamentorum occaſionibus ſunt perpetratæ? Auſim dicere, primam illam Hebræorum ſtragem, fontem fuiſſe & originem tot fluminum cruoris, quæ poſtmodum ex abominando hoc chorearum utriuſque ſimul ſexûs uſu promanârunt: tam multæ ſunt inimicitiæ, quas chorearum harúmce cauſâ rivales Iuvenes ſuſcepêre; & tam multæ cædes, quæ ipſarum gratiâ ſunt perpetratæ. Certum eſt, hâc noſtrâ ætate compulſum Principem aliquem, ut latâ lege, palámque promulgatâ modum his choreis poneret, ut graviſſima amoliretur incommoda rixarum, rivalitatum, cædium, quæ ex illis quotidie ſequebantur. Et tamen hæ ſunt innoxiæ illæ oblectationes!

XV. Sed illud præcipuè dolendum, tantum malorum illis potiſſimùm diebus patrari, quibus, utpote Deo ſacris ac feſtis, divino cultui præcipuè vacare oporteret: unde tunc magnus Deus geminâ injuriâ contemnitur. Cras, ajunt pridie iſti Juvenes, eſt dies feſtus; *Ecce ſolennitas Domini eſt aninverſaria.* Eamus ad Tem- Iud. 21. 19.
plum Dei Matri ſacrum, & qua cauſâ? ad ſanctiſſimam hanc Dominam colendam? ad petendam tot delictorum, quibus ejus Filium offendimus, veniam & gratiam? aut ad impetrandas devotâ hac ſacri loci veneratione ejusdem Matris ad Filium preces, aut patrocinium? Nihil minùs. Eamus illuc ad choreas, ad videndas, quæ illuc ad choreas confluunt, Puellas, tam conſtanti, ſi Superis placet, pietate, ut nullo non anno frequentiſſimæ adſint luce iſtâ ſacrâ, *Ut vi-* Iud. 21. 21.
*deant Filias Silo ad ducendos choros ex more procedere.* Et hi ſunt dies ſanctiſſimæ Matri ſacri, hæc devotorum animorum ſtudia: tanto ejusdem Matris admirabilis faſtidio, ut ipſa ſe hæc ſummè exoſam eſſe profiteatur. *Solennitates veſtras odivit a-* Iſa. 1. 14.
*nima mea.*

XVI. Videor mihi ſatis demonſtrâſſe, quàm choreæ ſint ferales & funeſtæ nundinæ, in quibus certiſſimo ſe periculo exponant Juvenes, tam Lucri ceſſantis, ob maxima, quæ amittunt, bona honeſti pudoris, & laudatæ publici fugæ; quàm Damni emergentis, ob ea, quæ conſequuntur, graviſſima mala. Unde perinde ac cùm Delphini in undis læti tripudiant, certum id argumentum eſt, mox ſecuturæ tempeſtatis; ita cùm ad choreas publicas ſe parant Juvenes, nemo quidquam dubitet, quin mox etiam oritura ſit tempeſtas, & exitium allatura neſcio magiſne iis, qui eam excitant; an aliorum animabus? Nec tamen ad hæc vos animum unquam advertitis, & vel omnium ſapientum ingratiis, vultis, ut cenſeantur Juvenum honeſta oblectamenta, quæ ſunt pericula tam evidentia, & manifeſta. Nec me fugit cauſa, ob quam iſta pericula non formidatis: eam vobis abſque ambagibus aperiam. Non formidatis illa, quia magis ſunt animæ, quàm corporis pericula. Animam veſtram aut parùm, aut omnino non amatis: hinc mirum non eſt, ſi ejus exitium ac pernitiem nihil veſtrâ intereſſe arbitremini. An diſſimulari, aut à quoquam neſciri poteſt, quòd illam quotidie eò adducere non dubitetis, ubi certiſſima ſunt pericula, & ſtrages ejus atque exitium irreparabile? quomodo igitur jactare poteſtis, vos illam amare? qui amat, timet. *Quare timuiſti*, inquit S. Auguſtinus, *niſi quia amâſti*? Atque adeò ſi animæ ſalus vel tantillum vobis cordi eſſet, quis ambigat, quin multò ſolertiùs caveretis ejus amittendæ pericula, etiam veriſimilia, multóque magis tam certa atque manifeſta? Igitur ſalubriori vos monito inſtitutos hinc dimittere non poſſum, quàm ſi illas inculcem Sapientis voces: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* [Eccl. 30. 24.] Miſerere animæ tuæ, quæ vix in viis planis à caſu ſecura eſt (ut illi confeſſi ſunt, qui dixerunt: *Lubricaverunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarum*) [Thr. 4. 18.] quomodo igitur in præcipitiis ſalute non periclitabitur?

XVII. *Miſerere animæ tuæ*, dicam inprimis ad ſingulas iſtas matres parùm ſanè cautas ac providas. Si non vultis miſerari animam ſobolis veſtræ inſontis, capiat vos ſaltem miſeratio animarum propriarum. Mementote, liberos veſtros, ut vobis inculcat S. Joannes Chryſoſtomus, pretioſum eſſe depoſitum, veſtris manibus à divina providentia creditum. *Maximè pretioſum vobis dedit depoſitum Filios ſuos*: unde de ipſis amiſſis vobis reddenda incumbet ratio. Ideo vos Deus matres eſſe voluit, ut fœtus veſtros complecteremini amore non diſſimili illi, quo ipſemet eos complectitur; qui nimitum unicè ſpectet bonum animarum ipſorum: hoc veſtrum officium quomodo facietis, ſi tam funeſtis illos pereundi periculis expoſitos relinquatis? An iterum dicetis: veſtras filias non periclitari ſuâ ſalute; & eas ducere ad Chorum, eſſe morem antiquum, & paſſim uſurpatum? Itane, nullum veſtris filiabus ex choreis periculum? inculcat denuo S. Joan-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nes Chryſoſtomus. Non vacant periculo, qui veſtiti ſaccis, operti cinere, onerati catenis in cavernis degunt inter afflictationes corporis aſſiduas, inter preces prolixas; & Juvenes veſtri mediis in ſaltantium choris, ubi facultates corporis omnes, Inferno fœderatæ, tot jaculis illorum animas impetunt, vivant ſecuri? Leges illud contingere præſumunt, quod plerumque contingere ſolet. Idcirco cùm nuntiatur mors Patris ſimul & filii, nec tamen conſtat, quis eorum prior obierit; ſi filius fuit tenerâ adhuc ætate, ſupponit Lex, priùs hunc, quàm Patrem deceſſiſſe, propterea quòd ætas iſta pluribus expoſita ſit moriendi periculis, quàm ætas virilis, & matura. Ita par eſt, vos quoque ſupponere in liberorum veſtrorum cura: ſemper timendum vobis eſt, ne pereant in periculis pereundi; hoc enim multò ſine comparatione crebriùs contingit in infirma illa ætate; & ineptum eſt, unquam dicere. *Abeſt omne periculum.* Dum autem matres iſtæ conſuetudine ſe, ſuámque ſocordiam tueri volunt, rem acu haudquaquam tangunt: multitudo ſiquidem peccantium in Dei tribunali tam non elevat noxam, ut ipſa vel maximè ſupplicium acceleret. Quid oggannitis? *Ita moris eſt.* Cæſareo decreto *Venena non debent in hæredes dividi, ſed protinus à Iudice corrumpi.* Et abuſus, Innocentiæ tam perniciabilis, unquam ad hæredes tranſeat, & ſolo hoc titulo retineatur, quod ſit uſus; perinde ac ſi non eſſet etiam abuſus?

*l. quis duos §. ſi Lucius ff. de rebus dubiis.*

XVIII. Idem porrò monitum omnibus, qui me audiunt, Puellis inculco; *miſerere animæ tuæ.* Neſcitis, futuri improvidæ, quàm acerbè lituræ ſitis unam aliquam feſtam exilis diem, quæ nunc vobis tantoperè arrident. Soror S. Petri Damiani ob ſpectatas tantùm, ex ædium ſuarum feneſtris, cum voluptate choreas, & ob audium amœniorem ſymphoniarum concentum quindecim ipſos dies purgantibus flammis atrociter cruciata eſt; illis inquam flammis tam vivis támque urentibus, ut iis comparatæ noſtræ flammæ, ſi non mortuæ, ſtupidæ certè & ad urendum ineptæ videri poſſint. Quid ergo emolumenti capiet, quæ non tantum fortuitò ejuſmodi ludum ſpectat, ſed pars ejus eſt præcipua, ipsúmque adeò ſpectaculum? Subeat animum veſtrum, quis quantúſque theſaurus ſit Virginitas (juvat enim credere, vos illum hactenus intactum cuſtodiſſe) & quâ idcirco curâ ac ſtudio illi ſervando oporteat invigilare. Conchæ, quò præſtantior eſt, quam ſinu claudunt, Margarita, quóque major, hòc à litore recedunt longiùs, & profundiore in maris ſinu ſe recondunt, maximè cùm innubi cœlo ſerenus arridet Sol; tanquam à natura edoctæ, tantò ſolertiùs prædonum vitare manus, quantò pretioſiorem mercem ſinu geſtant. Et Puella, quæ, Virgo cùm ſit, tam eſt locuples, ſpectari ſemper velit in publico nullo metu, curâ nullâ, perinde ac ſi non aurum, ſed paleas circumferat? *Incorruptio facit*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

1.20. *eſſe proximum Deo.* Proinde quæ gemmam iſtam poſſidet, nimis quàm indignam ſe monſtrat, ſi ſemper cum eo hominum genere vult agere, qui non niſi prædones illius ſunt.

XIX. Sed nec juvenes, & ſingulos quidem, aliter quàm his verbis compello: *Miſerere animæ tuæ.* Miſereat vos animæ veſtræ, ô filii; An non, qui vobis in venis bullit ac ſalit ſãguis, an non inquieti illi & animoſi ſpiritus, habenas pati neſcia cupiditas, & præ cæteris, pravi, quos contraxiſtis, habitus ac propenſiones ad caſum vos inclinant nemine foris impellente? Quid igitur vobis fiet, ſi huic tanto periculo majus alterum occaſionis acceſſerit? Arbores aliquæ multâ reſinâ pingues, ſiccâ præter morem æſtate, calidis motæ agitatæq; ventis, exarſerunt ipſæ, & in cineres abierunt: quantò certiùs ac citiùs ita ſubſidere illas contigiſſet, ſi etiam aliunde admotus ad eas à quoquam ignis fuiſſet? Volvite Beatorum Cœlitum vitas, & invenietis non unum eremi Incolam, ſuo clauſum tugurio, & ad cœlum Cedri inſtar erectum, innatæ tamen cupiditatis calore, & repentinæ ac vehementis ſuggeſtionis flatu ipſâ in ſolitudine impuris ignibus exarſiſſe. Quæ ergo ſors erit arboris, tantò magìs ad flammas concipiendas aptæ, cùm undique ignibus fuerit circumdata? Quæ inquam, erit ſors Juvenis, qui neſciat, quid ſit vim ſibi facere, qui oret rarò, aſperitatibus corpus divexet nunquam, venis ſulphure ferè magìs, quam ſanguine turgentibus, diu tamen adſit choreas agentibus, imò chorum ipſe ducat cinctus agmine fœminarum omni luxu ad ſpectaculum excultarum? Non excidant ejus ore hæc deinceps verba: *Nulla Lege vetitum eſt choreas aut accedere aut ducere.* Perpendat potiùs, non quid ſit ſaltus in ſe ſpectatus, ut ſaltus tantùm eſt, hoc eſt, ut eſt ars quædam aptè movendi pedes, temporis ſervando intervalla, nunc progrediendo, nunc ad ſoni muſici leges geſtus temperando; in quo utique toto peccati ineſt nihil; ſed quid in animo ſuo ſaltatio efficiat propter ea, quæ ipſam comitantur & conſequuntur. Quid refert, Choreas in ſe ſpectatas peccatum non eſſe, ſi, qui ad ſaltum accedit, interim ipſe reverâ peccet? Diſcutiat autem & ad examen vocet, non quæ agit tantùm, ſed quæ cogitat: delectationes inquam, quæ obrepunt, ac deſideria, quæ aliorum oculos latent; & vel manibus palpabit, quàm graves ipſum urgeant cauſæ, ut hæc tam periculoſa oblectamenta timeat. *Miſerere* igitur *animæ tuæ.* Cogitet quisque animam, de quâ agitur, ſuam eſſe, non meam; & propterea ipſius magìs intereſſe, quàm meâ, curam illius habere, ducere viâ tutâ, qualis profectò non eſt via delitiarum, cùm iſta rectâ ducat in perditionem. *Gaudent ad ſonitum organi: ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Dies totos hilariter & jucundè exigunt; non aliud animo volutant, quàm quomodo novos excogitent ſe oblectandi & variis ſolatiis fruendi modos, & tum repentè ſe vident præci-

pites

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pites actos in infernum. Non alio tempore faciliùs canes à ferarum aberrant veſtigiis, quàm verno, quando florum varietas & multitudo vehementes undique ſpargit odores, ut ferarum odor jam naribus percipi non poſſit. Quod ergo operæ pretium faceret, qui, ut modico temporis ſpatio ſe recreet, pœnis ſe obnoxium redderet ſempiternis? *O quàm miſeranda conditio*, teſte S. Auguſtino, *ubi citò præterit, quod delectat, & ſine fine manet, quod cruciat!* Precor benigniſſimum Deum, ut vobis det ſapere in tempore, ne priùs contingat experiri iſtas calamitates, quàm credere.

# DISCURSUS XXX.

## *De Veſtium luxu & inverecundia.*

I. Nullum unquam exiſtimo fuiſſe vulneratum tam dementem, ut pervicaciter vellet plagas ſuas, fœdâ ſanie manantes, ſericis & auro pictis faſciis obligare; quin ex ipſis hiſce faſciis oſtentatis, gloriam captare. Aliam tamen non abſimilem dementiam videmus indies à nonnullis exerceri, nec tamen eſſe, qui admiretur. Quid ſunt quæſo, veſtes, quibus nos amicimus? Non aliud ſunt, quàm faſciæ, quæ alligant vulnera fœdiſſima, quæ peccatum inflixit. Quamdiu peccatum ignoravit homo, tamdiu veſtibus opus non habuit: perinde ac obligari non debet, qui ſine vulnere ſanus eſt ac incolumis. Sic ſuus cuilibet candor ac integritas veſtis loco in Paradiſo fuiſſet, ut ſuâ Sol luce in cœlo veſtitur. Tota proin ſe operiendi neceſſitas ex culpa nata eſt: cum enim in finem primam ſibi veſtem homo injecit, ut velaret pudorem, qui vivi inſtar ſanguinis multus è plaga illa lethifera promanabat. Et cùm hoc ita ſit, ſpectate tamen delirantem Mundū. Pro eo, quòd veſtium ſuarum illum pudeat, illis ſe jactat: & pro eo, quòd occulat vulnerum ſuorum faſcias, eas ſuperbè oſtentat. Facere proin non poſſum, quin dicam tandem, quod ſentio de ejusmodi ſtultitia: quamquam enim hac mea loquendi confidentiâ apud alios parùm profecturus ſum, mihi tamen illa utilitatis aliquid afferet. Si nemo corriget, quod hac in re à tam multis peccatur, ego ſaltem illud implebo, ad quod non tacitum Conſcientiæ murmur identidem extimulat.

II. Quid autem vos mihi propoſitum arbitramini? An ut omnem veſtium ornatum ac elegantiam, fœminarum maximè, diſſuadeam? Hoc ſi ſpectarem, non ſolùm non moderatè, ſed ne piè quidem me gererem. Cùm enim Apoſtolus fœminis permiſerit, elegantes geſtare veſtes, quis tam inhu-

humanus erit & rigidus, ut omni illis ornatu interdictum velit? Id igitur, quod ego ſpecto hac mea diſſertatione, eſt, ne quis extra limites vagetur ab ipſo præfixos Apoſtolo, qui in hoc ornatu veſtium geminam attendi conditionem voluit: verecundiam inquam, & ſobrietatem: Verba Apoſtoli ſunt, *Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe.* [Tim.] Tunc autem extra hos limites itur, cùm prudentum virorum judicio veſtium apparatus ac pretium multùm excedit conditionem & opes ejus, qui, vel quæ iis ſuperbit: eâque ratione contra ſobrietatem peccatur; aut cùm decentia violatur & honeſtas, quæ ad verecundiam pertinent. Conſideremus hæc ſeorſim; atque ita dum tota noſtra Ratiocinatio geminis ab Apoſtolo ſtructis baſibus nititur, nemo jure dicat, eam aëri eſſe inædificatam.

I.

III. Et primò quidem complures veſtiendo conditionis ſuæ, in quâ à Deo poſiti ſunt, limites excedunt. Veſtes præter naturalem quodammodo finem ſuum, qui eſt, tegere nuditatem, & à temporis defendere injuriis, alium etiam finem politicum habent; qui eſt, gradus hominum inter ſe diſtinguere, quorum alii aliis magìs ſunt ſpectabiles. *Exterior cultus indicium quoddam eſt conditionis humanæ.* [Th. 2. q. 169.] Hinc Theodoricus Rex apud Caſſiodorum tantis encomiis Purpuram ſuam extulit, *quia*, inquiebat, *præſtat humano generi, ut de Principe non poſſit errari.* [Caſſiod.] Id quod jam antehac etiam moribus Romanæ Reipublicæ receptum erat, quæ conſtituerat, ut varii dignationum gradus vario etiam veſtimentorum genere diſcernerentur. *Placuit Romanis veſte dignitates ſecernere.* (V. Amm. Marcell. l. 26.) Hac autem noſtra ætate quis hominum gradus ex veſte diſcreverit? Proniſſimum erit, ſi non alio, quàm veſtium, quis uti velit indicio, revereri ut Principem, qui vix inter Equites locum habeat: & colere ut Illuſtrem, qui vix Mercatoribus accenſeri mereatur. Quin imò, ne ruſtici quidem ſatis habent eo ſpectari habitu, qui vel civis gradu eſt ſplendidior. Vetat Lex, ornamenta Civitatis rus transferri. (l. ſiquis C. de ædif. priv.) At lex iſta ſi in fabricis, certè non in veſtimentis accepatur. Quidquid enim veſtium in urbibus geſtatur, eo mox etiam rura ſe veſtiunt, & ex ædibus ad caſas ac tuguria migrat. Quid autem laudis illud meretur? Veſtem gerere gradui, in quo quis eſt, non reſpondentem, ſi S. Thomæ credimus, eſt velut veſtem mendacium circumferre. An autem eò quemquam faſtus adducere poterit, ut quocunque pedem ponit, ſemper ſpectantibus mentiatur, eſſe nimirum ſe Illuſtrem, eſſe tali in Republica Magiſtratu inſignem, quin talis ſit, & quin in mentem dein veniat, de tali ſe mendacio Sacerdoti accuſare? Aut neceſſe eſt lege latâ decernere, veſtes porrò diverſæ conditionis ſignum non eſſe, quod melior Politica non ſinet; aut fateri oportet, fas non eſſe, veſtibus uti ad tam aliena à vero ſignificanda.

IV. Quid deinde juvat in Baptiſmo renunciâſſe *Mundo & omnibus pompis e-*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*jus?* Si multi ſolenni ſe ſponſione Deo obligáſſent ad has pompas ſectandas, an majore induſtriâ & diligentiâ iis inhiare poſſent? quod maximè de fœminis verum eſt (quarum ego hac in re abuſum hodie præcipuè damnare conſtitui, tanquam magìs publico detrimentoſum) maximè, inquam, de fœminis verum eſt, quæ ferè ſingulæ ad nihil tantâ incumbunt curâ, quàm ut ſingula corporis ſui membra, quàm poſſunt elegantiſſimè veſtiant. Quot horas feſtorum Deo ac Beatis Cœlitibus dierum ſe veſtiendis, comendis, exornandis iſtæ conſumunt? Si tam multas conſcientiæ latebris diſcutiendis, dum ad ſacrum Tribunal accedere cogitant, darent, quanto id ipſarum commodo fieret? Clemens Alexandrinus aſſerit, fœminis olim Chriſtianis vitio datum, ſi ſpeculum domi habere auſæ eſſent. Nunc ſpeculum domi habet, quæ panem non habet, & grandis inſtar piaculi foret, ſi puella unquam aliqua in templum ſe conferret antè, quàm diu conſultore ſpeculo deliberâſſet, ſatiſne bella, ſatiſne ornata, & quantum vellet, viris placitura videatur. Neque hoc ullam angit, tanquam minùs ad Chriſtianæ virtutis normam exactum: promptæ enim ſunt excuſationes.

V. Facimus hoc, una voce iſtæ affirmant, ne aliis, quibus aut pares, aut ſuperiores ſumus, inferiores videamur. Quæ autem maritos habent, communi hac ſe purgandi ratione non contentæ, aliam ſibi propriam adjungunt; & ajunt; ſe Maritorum id gratiâ facere, quibus placere velle jure utique nullo prohibeâtur. O colores pulcherrimos, ſed pictos in aëre! Ad primam igitur excuſationem quod pertinet: ferri ſanè poſſet, ſi aliud iſtæ non ſpectarent, quàm ne aliis inferiores reputarentur. Reapſe id propoſitum ipſis eſt, ut videantur eſſe, quod non ſunt: dum id unicè agunt, ut ſociam quælibet & æqualem ſuperet. Græcorum fœminas ajunt hâc noſtra ætate ita in iſto genere delirare, ut aliquæ ſepties unius diei intervallo veſtes mutent. Non ſinat Deus, ut ejuſmodi inſania noſtris etiam in provinciis invaleſcat. Malè metuo, ne ſi qua cum Græcis iſtis inſaniret, aliæ complures ipſam hoc prætextu, nequid æqualibus concedant, quocunque demum ſumptu imitari, imò & ſuperare contenderent. Quin non deeſſent forſan, quæ famere, quàm non ſuperbire, aut cuiquam alteri veſtium ſplendore & numero concedere mallent: bombycibus non abſimiles, quibus familiare eſt, ut ſericeum ſibi quaſi thoracem texant, eſcæ oblviſci. Abs re proinde eſt, luxum & vanitatem negare, ubi abeſſe hæc non poſſe manifeſtum eſt. *Nemo veſtimenta pretioſa* S.Th.2.
*(ſcilicet excedentia proprium ſtatum)* 2.q.169.
*niſi ad inanem gloriam quærit.* Teſti- ar.1.
monium eſt viri omni exceptione ma- ad 1.
joris. At Puellæ noſtræ, multò utique Doctore iſto ſapientiores, nullam ſuis in veſtibus ſuperbiæ tineam inveniunt: integerrima ubique modeſtia eſt. Verùm, ô bonæ! nolle videri inferiorem æqualibus, humanum eſt; at nolle videri inferiorem majoribus, putida omnino ſuperbia eſt.

VI.

VI. Illas porrò, quæ maritis placendi ſtudio ſe ornare & comere videri volunt, S. Joannes Chryſoſtomus in una Homiliarum ſuarum, maximè ad mores formandos directâ, feſtivè irridet & explodit. Itane, ajebat ille, ut placeas marito? quem tam exquiſitâ veſtium elegantiâ & pompâ plerumque irritas? quotusquisque enim virorum eſt, cui moleſtum non ſit, eo hodie impendio ſolam veſtire conjugem, quanto olim ne toti quidem familiæ veſtiendæ opus fuiſſet? cui durum non ſit, comparare, corradere, emungere, unde unde conquirere pecuniam? & tamen niſi id fecerit, perpetua jurgia, perpetuum domi bellum eſt. Addit ſubinde idem S. Doctor. Quis credat, comere ſe, ut Maritis placeant, quæ vix domum reverſæ, ubi maximam temporis partem maritorum in oculis agunt, mundum mox & ornatum omnem ponunt, humili atque obſoleto veſtitu contentæ: reſumpturæ elegantem & pretioſum, cùm iterum in publicum fuerit prodeundum? Quis hinc non videat, eas non tam hoc, quod prætexunt, quàm vanitatis ſuperbiæq; ridiculo ſtudio ad ſe operosè ornandas impelli?

VII. Non multis abhinc annis Roma vidit fœminam, viro quidem junctam, ſed veſtium luxui inanique pompæ usque eò deditam, ut diebus omnino ſingulis ſex ipſas horas daret aptandis corpori veſtibus, ſibi mundandæ, diſcriminandis crinibus, fucando vultui, hanc ſuam dementiam ſolito illo palliolo, placendi marito, obtegens. Sed quæ maxima quæque alia, hoc etiam mendacium mors detexit. Deſiit vivere maritus; & cum illo prætenſa ſe comendi fucandíque cauſa. Quid autem vidua? Hæc cùm gentis more, niſi lugubri atrâque in veſte in publico comparere non poſſet, hanc ſe veſtiendi rationem tenuit: domi cùm eſſet, omni, quo antea vivente marito, mundo muliebri ſuperbiebat, ornata, compta, fucata, sicque ut Sponſa, non ut vidua, nullo non tempore ad ſe inviſentes admittebat. Ubi autem domo prodire res poſcebat, tum enimverò magnâ ſuâ moleſtiâ lugubri illo amictu utebatur, ut facilè naſutiores adverterent, magìs dolere fœminæ, veſtium in publico pompâ, quàm marito carere debere. Poſt aliquam temporis intercapedinem morbus infelicem lecto affigit. Caput, vanitatum iſtarum ſedes præcipua, ita intumeſcit, ut grandiorem pilam luſoriam æquet; fœdatur cutis, horreſcunt crines, maxillæ, tam antè nitentes, nigreſcunt; creſcunt oculi, ut ſuis è cavitatibus emicare velle videantur. Lingua autem, quam non puduerat fœtentem animi faſtum tot mendaciis involvere, tam fœdè, támque prodigiosè extra os protenditur, ut cùm miſera retrahere illam intra dentium ſepta non poſſet, vel invita illam admordere cogeretur. His in anguſtiis & ærumnis vita illam defecit; felicem, ſi corporis cruciatus tam inſoliti ſpiritum extremo illo tempore modeſtiùs de ſe ſapere docuerunt, & contractas labes eluerunt! Eant jam vaniſſimæ mulier-

P. SEGNERI Homo Christianus

culæ, jactitent ſe, fœtidum ſuum corpus non alio fine ornare, quàm ut conjugalis erga eas amor altiores in Maritorum animis radices agat. Ego quidem ſentio, quòd multæ ne ipſæ quidem id ſibi affirmantibus credant; tam ſuus illas animus convincit, non aliam ejus luxûs cauſam eſſe, quàm inaniſſimæ gloriolæ cupiditatem. Tam rarum eſt, fœminam invenire, quæ mundi ſui pompam libentiùs in mariti ſolius oculis omnem explicet, quàm cùm multus in eam ſpectator oculos intendit; quàm rarum eſt invenire pavonem, qui pennarum ſuarum ſplendiſſimam pompam ſuperbiùs in ſtabulo, quàm in magna ſpectantium & laudantium hominum coronâ malit oſtentare. *Quòd pro ſola inani gloria veſtimentum pretioſius quæritur, res ipſa teſtatur*, ſi Gregorio Magno credimus, *quia nemo vult ibi pretioſis veſtibus indui, ubi ab aliis non poſſit videri.*

*Hom. 40. in Evang.*

VIII. Non deſunt Mariti, ſcio, tam effœminati, tam molles, ut rectiùs colum ipſi fuſumque tractarent, quàm familiæ regundæ præficiantur: non ipſi, quis modus tenendus in veſtibus, ſuo præſcribunt judicio, ſed mulieroſi totum ejus rei arbitrium uxori relinquunt & filiabus: ne ſcilicet, quod ajunt, domeſtica aliquid concordia patiatur, quam uxor & filiæ perpetuis querelis ac jurgis turbârent, ſi modum in veſtibus ponere maritus cogitaret. O hebetudinem, & imbecillitatem mentis inconſultã! Quæ alia diſcordiarum & jurgiorum cauſa & fons certior, quàm ſuperbia illa animi intolerabilis, quam veſtium pompa ac luxus fovent ſemper ac nutriunt? Equum ferocientem, & qui frenum pati nolit, damnare, frenique ductui aſſuefacere, non eſt difficile: jubas illi ſuas forfice reſecare Philoſophus jubet. Quantum ex ſimili remedio, ſi vehementer non fallor, extaret emolumenti non una in familia, quantò plus domi pacis eſſet, & ejus, quâ familiæ ſtant, obedientiæ? Cur filia illa matri tam petulanter obmurmurat & quiritatur? cur eludit imperia? cur parentes deſpicatui habet? cur ſuorum ingratiis ad feneſtras, aut etiam ad ædium fores feriatis diebus adſtare ſemper deſiderat? Veſtis illa, quâ induitur, elegantior, ligamina illa ſerica artificioſis nexibus intexta, illi cincinni, illæ inſtitæ & limbi pretioſiores, fucus ille ad id ſuperbiam pelliciunt: tollat Paterfamilias nugas has, exuat his filiam ornamentis, veſtiat illam abjectiùs, & videbit, indomitam hanc belluam ponere altos ſpiritus, & ad nutum ducentium, quà volunt, ſequi. Idémque uxoribus factitandum. Tantumne veſtium, tantum auri & argenti exigit conditio, in qua ſunt, ne infra illam deſcendere videantur? quin imò, non aliâ cauſa tantis impenſis opus eſt, quàm quia nulla ſuâ ſorte contenta eſt, ſed inſani ambitione acta illam faſtidit, & erubeſcit.

[illegible]

IX. Expediamus nos hinc, & demus, non ſemper hunc veſtium luxum ultra ſuam cujuſque conditionem ac gradum eſſe: an autem ille opes non ſuperat, quæ gradui & conditioni

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tioni non ſemper reſpondent? Et hic eſt alter à ſobrietatis medio exeundi modus. Quidquid novæ vel elegantiæ, vel ineptiarum fœmina una monſtrat in publico, id mox aliæ imitari, nihilque illi volunt concedere, quoquo demum id modo aſſequantur. Salomonis ætas tantis abundabat opibus, ut Solymis tanta eſſet argenti, quanta alibi eſt lapidum copia: ita nos Regum hiſtoria docet Et tamen, quis credat? Rex iſte, poſtquam inſano fœminarum amori indulgere cœpit, ad eas redactus incitas & egeſtatem, ut cùm omnia alia in alendos, ornandos fœminarum greges, earúmque explenda vota ac deſideria expendiſſet, graviſſimis & inſolitis vectigalium ac tributorum oneribus ſubjectis populis moleſtus eſſe coactus fuerit. Quid igitur privatis in familiis non fiet, ſi ſtolidus Maritus impetantis mulìebris vanitatis vota ac deſideria velit explere? *Nullus muliebri concupiſcentiæ theſaurus ſuffi.iens eſt*, ajebat S. Baſilius, *non ſi è fluminibus fluat*. Quàm multas igitur familias opibus exhauriri neceſſe eſt? Majores paſſus moliuntur, quàm crurum brevitas ſinat: alis ſunt tonſis & brevibus: aquilas tamen, volando in aëra, æquare contendunt; & vel obnitente Numinis Providentiâ eam agere in Mundi theatro perſonam, quam agere à DEO ſunt prohibitæ. Et miremur, ſi infelices, pro eo, quòd altiùs evolent, deorſum ruant? Pellis extimæ color index eſt ſanguinis per venas meantis. Si in veſtium modo eadem obſervaretur ratio, non tot familiæ eſurirent. Nimirum, quod foris ſplendore ac pompâ plenum apparet, nimium quantum diſcrepat ab intimo illo opum ac divitiarum ſucco, ad cujus menſuram ac naturam veſtium ille apparatus aptari, temperaríque deberet. Mirum proinde non eſt, ſi parùm diuturnus ſit ille ſplendor. *Domus, quæ nimis lo-* Eccli. 21,
*cuples eſt, annullabitur ſuperbiâ*: quæ 5.
ſunt Spiritus S. verba. Qui autem domus firmas evertit faſtus, illis quid faciet, quæ ruinam jam antè minantur?

X. Sed eſt, cùm videmus tanto ſplendore, tanto apparatu pompâque veſtium familias opibus non deficere: quid cauſæ eſſe exiſtimemus? Veſtes nimirum illæ, illa ornamenta, monilia, mundúsque omnis emitur, ſed pretium nunquam enumeratur. Contigit aliquando Fr. Matthæum de Baſſo, illuſtre Cappucinorum familiæ decus, ſacrique illius Cœtûs propagatorem eximium, inter eundum per Urbem in Legum peritum aliquem incidere, qui pro eo, quod veſtiret nudos, exuebat veſtitos. Accedit ad hunc propiùs Matthæus, & velut aliud agens veſtem viri utrâque manu complexus, comprimit: cùm ecce vivus è toga ſanguis ſtillat, illius ſymbolum, quem Pauperum è venis quotidie Doctor ille malè doctus emulgebat. Vereor, ne ſi vir iſte ſanctus non unâ tantùm aliâ in urbe id facere tentâſſet veſtibus fœminarum, in quas inciſſet, haud paulò plus cruoris ex iis fuiſſet expreſſurus, ipsúmque adeò ſo- Jer. 2.
lum ſanguine aſperſurus. *In aliis tuis* 34.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*inventus eſt ſanguis animarum pauperum*: verba ſunt Vatis Jeremiæ ad urbem Solymarum; illas fortaſſis veſtes ſuperbas indicantis, quæ divitum faſtui alarum loco ſerviunt, & toties ſanguinem ſtillant ob labores artificum nulla mercede compenſatos. Non ſervis, non ancillis ſua penduntur ſalaria, Eccleſiis non pia legata; non cenſus annui, non alio nomine debitæ pecuniæ numerantur; nec quidquam pro mercibus ex variis officinis ſumptis redditur: quid ita? Non poſſunt hæc reddi; hera enim pro gradûs ſui conditione veſtiri debet: qui habet, quod exigat, ſoletur ſe interim patientiâ: & qui expectando moritur, moriatur, & expectet, donec non moriatur.

XI. Sed hoc delictorum genere in urbibus magìs, quàm villis & pagis peccatur: dicamus, quæ etiam ad hos ſpectent. An ſi ruſticarum quoque ſic comprimerentur veſtes, nihil alienæ rei exprimeretur? nunquamne ruſticorum filii, ut amaſiis ſuis ligamina ſerica, calceolos concinniores, & quæ ſunt alia ruſtici mundi ornamenta, coëmant, partem meſſis ex agro ſublegunt? Nunquàmne Matresfamilias ruſticanæ, ut filias ſuas Mundo honorabiles reddant (ut quidem ipſæ loquuntur, at ſi apertiùs loqui placet, ut eas vanitatis in ſchola ſuperfluo luxu veſtium erudiant) ut in choreis plurium ad ſe oculos alliciant, prenſentur à pluribus, ſpectentur in templis curioſiùs, in conventiculis ampliùs honorentur, & ut rem paucis, ut procos habeant procaciores, qui ad turpia pertrahant:) nunquámne, inquam, ſuppellectilum partem diſtrahunt non absque familiæ detrimento? An non ſaltem ipſæ, Decimatoribus ex toto, pactorum vi, debitæ; decimantur decimæ? Atque hoc eſt majora opibus conari; unde ſi veſtis illa, quæ pretioſior eſt, aut ſplendidior, quàm gradus conditioni conveniat, veſtis eſt, Sanctorum linguâ, hominis mendacis; quæ major eſt opibus, non ſolùm mendacis, ſed impii veſtis erit, ut qui alienis impenſis ſuperbire & ſeſe oſtentare velit.

II.

XII. Necdum finis malorum, quæ muliebrium veſtimentorum pompam, & vanum luxum comitantur. Non enim ſolùm non ſobriè aliquæ ſe ornant, *ornantes ſe cum ſobrietate*, dum ſe pretioſiùs vel elegantiùs veſtiunt, quàm earum aut gradus, aut opes ſinant; ſed ne verecundiâ quidem, & pudore ſalvo; dum limites Chriſtianæ modeſtiæ ac honeſtatis nimium quantum tranſiliunt. Clemens Alexandrinus magnis laudibus Lacedæmones extollit, quòd latâ inter eos lege, non aliis, quàm quæ pudorem vulgaverant, fœminis veſtium ſplendorem ac pompam permiſerint. Et hoc quidem meâ opinione duplici ex fine; primus erat, ut hac ratione omnis penitùs æſtimatio luxus veſtium vileſceret, qui tantorum in fœminis malorũ origo eſt; haud aliter ac Wittenbergæ in Germania, ut certum quoddam calceorum genus, quo nonnulli recèns uti cœperant, vile aliis atque exoſum red-

lib. 2. Pædag. c. 11.

P. SEGNER Homo Christianus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

redderetur, juſſus eſt carnifex ejusmodi calceos indutus in foro inambulare: id quod tantum valuit, ut neminem deinceps ejusmodi calceis uti non puderet. Alter Lacedæmonum legi propoſitus finis fuit, ut omnes diſcerent, breve iter eſſe à veſtiendi genere minùs decoro ac honeſto, ad vitam impuram & inhoneſtam. Æs nunquam faciliùs rubiginem contrahit, quàm cùm poliendi causâ maximè defricatur. Faxit Deus, ne ingens illa diligentia in ornando ac comendo corpore, quam adhibent, quæ non verentur humeris, brachiis, pectore ſeminudis aliorum ſe oculis offerre, præparatio ſit proxima ad rubiginem culpæ, ſaltem arcanæ! *Nullarum ferè pretioſior eſt cultus, quàm quarum pudor vilis eſt:* ſapienter pronuntiavit S. Cyprianus; indicans, vel ſolam veſtium pompam ac vanitatem rei non bonæ indicium eſſe; quantò magis id ſenſerit de propudioſo hoc ſe nudandi more?

XIII. Sed fuerit iſtud timoris nimii: certè de nulla earum, quæ me audiunt, affirmare auſim, ſimili illam culpæ affinem eſſe; imò ne ſuſpicari quidem lubet: contemplemur tantùm hanc ſe veſtiendi, vel potiùs non ſe veſtiendi rationem, ut aſpicientibus noxiam. Duo ſunt, quæ inducere fœminam poſſunt, ut ſe comat, quod Tertullianus obſervat; vel ut videatur, vel ut concupiſcatur. *Veſtium cultus aut ambitionem ſapit, aut proſtitutionem.* Aliquæ ſe exornant, ut ad Solem columbæ, ut ſimplicem ſui pompam ac ſpectaculum faciant: aliæ ſe comunt ut ſerpens, qui quò colorum varietate ac pulchritudine eſt formioſior, hoc veneno turget ad necem inferendam efficaciore. Si de hoc altero perſonarum genere loquamur, extra controverſiam eſt, graviſ illas culpæ reas eſſe. Omnis enim veſtium ſplendor, multóque magis, quam dixi propudioſa brachiorum & pectoris nuditas eligitur ut decipula, quâ animæ in fraudem inducantur. Rectè ejusmodi mulierculam cum S. Ephrem dixeris, *Naufragium ſuper terram.* Meritò illam formident & Boni, & Mali. *L. ad impr. Mulier.* Boni quidem; quia ſicut cùm peſtilenti halitu infectus eſt aër, quò aptiùs perfectiúsque temperata ſunt corpora, hoc faciliùs non rarò luem imbibunt; ita publica ejusmodi offendicula plus ſubinde nocent, faciliùsque peſtem illis afflant, qui innocentiores eò usque ac puriores vixerant. Mali autem, quia ne ipſa quidem aſſuetudo efficere in iis poteſt, ut nullo ſenſu afficiantur, cùm ejusmodi ſe obtrudit occaſio, quæ ſemper potens eſt ad nocendum. Frigida venena, quale Cicutæ eſt, aſſuetis reddi tandem poſſunt innoxia: ſed non ita ſe res habet in venenis calidis, quale eſt Napelli. Crediderim igitur, ne aſſuetudine quidem ullâ ita hebetari poſſe vim veneni, quod oculis hauritur, dum malè tectæ iſtæ fœminæ aſpiciuntur, ut ſit innoxium, eò quod ſit perquàm calidum. Quàm ergo chara acceptáque ſtygi eſt iſtarum quælibet, cùm illâ, ut hamo tam multos piſcetur, tantumque numerum acquirat animarum peſſimè ſeductarum? *Super hoc Lætati-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Habac. 1. 16.* *tabitur, & exultabit, & propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo, quia in ipſis incraſſata eſt pars ejus, & cibus ejus electus.* Illuſtri vir genere, *Engelgr. p. 1. Dom. 4. Quadr. §. 1.* ceteras inter picturas domi ſuæ laſcivam, & ad turpia pellicientem ſuſpenderat. Ad hanc inſigni ſanctimoniâ homo vidit ſæpius per diem accedere Orci malum genium, eámque profundâ corporis inclinatione adoratam incenſo thure venerari, & quidem ritu, quàm poterat ſolenniſſimo. Cauſa tam inſoliti cultûs erant lucra ingentia, & quotidiana, quæ Orcus ex obſcœno illo ſpectaculo capiebat. Nec eſt, cur exiſtimem, plus debere infernum imagini turpi mortuæ, quàm vivæ ſpirantique, qualis eſt mulier ad omnem laſciviam compta, quæ oculorum obtutu, nutibus, colore, veſtibus, totâ ſe, nil cupit vehementiûs, quàm ut publicam ſe intuentium ſtragem edat, *Baſil. in c. 3. Iſa.* Baſiliſco non abſimilis, qui ſerpentes inter cæteros faſtu & formâ eminens, ideò tantùm vult aſpici, ut noceat. Belliſſimè igitur in ejusmodi mulierculam quadrant paulò antè allata Prophetæ Habacuc verba. Affirmat, is Orcum ob tot prædas geſtire & tripudiare; *ſuper hoc lætabitur & exultabit*, & tanti æſtimare retia, quibus illas cepit, ut illa tantùm non adoret: *propterea immolabit ſagenæ ſuæ & ſacrificabit reti ſuo;* his enim denique creſcit indies numerus Inferni ſceptro & imperio ſubjectorum, augetúrque cibus ille electus, qui tam ſuaviter inſatiabili ejus palato ſapit. Sed væ! væ retibus iſtis! Poſtquam enim prædarum ſatis ceperint, & ipſa tandem in prædam cedent Sathanæ: Atque adeò omnis illa tanto ſtudio apparata pompa non eſt niſi pompa funebris, quâ pretioſo & fulgenti ſub tegmine mortua & putrida anima effertur ad infernum rogum comburenda, ſed in cineres redigenda nunquam. *Væ qui* Isa. 5. 18.
*trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum?* Væ vobis, clamat ſacer Vates, qui velut in triumpho circumducitis iniquitatem, cùm mundum veſtrum omnem, omnia, quibus ornatæ eſtis, veſtium decora in totidem mutetis ſila ac laqueos, ut peccata alia ſemper & alia attrahatis pravorũ illorum exemplorũ, & illiciorũ operâ, quæ quacunque tranſitis, poſt vos relinquitis. Siqua unquam fœmina huc pervenit, mentémque induit tam perverſam, ut gloriam ſuam in eo collocet, ſi complures animas in peccata pertrahat, perditam ſe non immeritò reputabit; adeò arduum eſt, ipſam corrigi, ut S. Bernardinus affirmabat. *Si contuderis ſtul-* Prov. 27.
*tum in pila, non auferetur ab eo ſtultitia* 22.
*ejus.* Unde ſi vel ipſe Chriſtus Servator deſcenderet, ad objurgandas has miſeras, multum dubito, an quidquam eſſet profecturus: adeò laſcivo illi corporis cultui affixas ipſas deprehenderet, ſic ut ne Magdalena quidem, etſi ſeptem obſeſſa ſpiritibus malignis, qui in Orci illam obſequiis retinerent, tenaciùs ſuis vanitatibus adhæſerit.

XIV. Etſi juvat credere, paucas admodum ex hoc tam generatim devoto fœmineo ſexu inveniri, quæ ſine tam perverſo ſe comant, ut ſui aſpectu ſeducant: credam potiùs illarum elegan-

gantiam non eſſe Serpentis ſeducentis, ſed Columbæ ſeductæ: elegantia inquam, & ornatus eo fine aſſumptus, ut plures, quaquà incedunt, ſpectatores, admiratores & plauſores habeant. *Veſtium cultus aut ambitionem ſapit, aut proſtitutionem.* Unde quod culpæ genus, quæ hoc ornandi comendique ſe ſtudio ad inverecundiam usque excedunt, quod, inquam, culpæ genus contrahant, & cui ſe damnationi obnoxias reddant, non eſt meum definire ac ſtatuere, atque adeò eo volens ſuperſedeo. Permittam, ut ille, qui edixit ſeipſum viſitaturum omne peregrinum magìs quàm Chriſtianum veſtimentorum genus, *Viſitabo ſuper omnes indutos veſte peregrina*; etiam hodiernos ſe veſtiendi modos ad examen vocet illo in Tribunali, quod, ut loquitur Tertullianus, omnes judicat non ſecundùm conſuetudinem, ſed ſecundùm veritatem. *Veritatem ſe, non conſuetudinem nominavit.* Ad me quod ſpectat, ego conſuetudinem illarum eo ſolùm ſpiritu reprehendam, quò illam reprehenderunt & caſtigârunt præter Tertullianum celeberrimi quique Eccleſiæ Doctores, SS. Gregorius, Ambroſius, Joannes Chryſoſtomus, Cyprianus, Bernardinus Senenſis, qui veſtium luxum, illo, quem hodie fœminarum ſuperbia tam fecit vulgarem, in hac membrorum nuditate, multò minorem, minùsque cum verecundia ac honeſtate pugnantem, dignum tamē cenſuerunt acerrimis ſuis & ardentiſſimis invectivis. Tantorū igitur Doctorum è ſenſis ac doctrina duas citra ullum errandi periculum videor mihi poſſe colligere veritates. Una ad ſtragem pertinet animarum, cujus propudioſa ejusmodi nuditas cauſa eſt; altera ad pœnas, quæ jure merito timeri poſſint ab hac non abſtinentibus. *Virg. S. Bernardin. t. 2. ſer. 46. & alibi.*

XV. Et ſtragem quidem prorſus cenſeo eſſe maximam; ſic enim diſſero. Si improvidus papilio contentus aſpexiſſe lumen, porrò ageret nihil; parùm utiquè mali eſſet in eo ipſi monſtrando: ſed quia ille, velut amore lucis hujus amens, in medias volare flammas non timet, perinde eſt, lumen illi oſtendere, ac occidere. Cupiditates mortalium nimium quantum effrenes ſunt, AA. Dilectiſſimi, nimium quantum improvidæ ſunt ac temerariæ: & ideò cordi non ſufficit, ut ſoli oculi rem objectam contemplentur, ipſum mox deſiderando ſequitur, etiam ad pernitiem usque. *Si ſecutum eſt oculos meos cor meum.* *Job. 31. 7.* Quomodo igitur ulla ſtudioſa vanitatis fœmina eſſe poteſt, quæ non videat periculum, in quod illa plurimos conjicit, & quas ipſis ſtruit re ipſa inſidias, etſi videri duntaxat velit, & ſuam oſtentare venuſtatem? Affirmat S. Baſilius, id poſſe fœminas in viros, quod poteſt magnes in ferrum: nos addere poſſumus, ita rem ſe habere, eo tamen diſcrimine: quòd duplo plus virtutis exerat magnes, cùm eſt veſtitus; fœmina è diverſo, cùm eſt nuda. Atque idcirco quanta ſingularum cura eſſe deberet, ut minùs traherent, magìs ſe tegere, & undique quidem? Idem multis eſt, has videre, & capi, attrahere favillas, & erumpere in flammas. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupi-* *Eccl. 9. 9.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*cupiſcentia quaſi ignis exardeſcit*. Quantus ergo ignis, quantum incendium non exardeſcet, ſi illæ accedant illecebræ, illa tam non verecunda illicia, quibus utuntur, perinde ac ſi hominum corda non ſatis aliunde ad ignem concipiendum apta eſſent? Dixi apta ad concipiendum ignem; ſi enim cor humanum, paleam, ſtramen, aut ſtupam dixero, multum quidem dicam, totum tamen non dicam. Nam palea, ſtramen, ſtupa in flammam quidem abeunt, cùm igni admoventur propiùs; ſed cùm ignem vident tantùm, non exardeſcunt: cupiditati autem humani cordis vidiſſe ſufficit, ut ardeat. Hinc citra injuriam pronuntiare poſſumus, quòd, ſicut olim in deſerto ſolæ ferè mulieres materiam ſuis ornamentis ſufficientem præbuêre Idolo illi pudendo aurei vituli conflando: ita hodie mundo illo ſuo ſuperfluo & redundante, gemmis, cimeliis, multoq; plus nuditate prorſus indecorâ, materiam ſuppeditent formando ſenſuum Idolo à tam multis adorato.

XVI. Demus, pleraſque illarum id non agere, ut materiam idololatriæ tam deteſtandæ miniſtrent; iſtud autem quid juvat, ſi interim eam re ipſa præbent, pari animarum exitio, quæ omni ex parte tam multæ cadunt & pereunt, quàm multæ perirent, ſi hoc ipſum perverſiſſimâ mente ipſæ cuperent? Specula etiam ex glacie confecta, ſi & polita rectè, & eam in figuram aptè ſint conformata, ut unitos Solis radios excipiant, ignem accendunt. Quid refert igitur, fœminam ne ſcintillulâ quidem amoris impuri calere? Si tota ex glacie concreta eſſet, illa tamen tantâ ſui parte expoſita ſpectantium oculis brachia, illi humeri, ille ſinus ſpeculum formant cauſticum tantæ ad flammas animandas virtutis, ut eas omni ſuâ innocentiâ impedire & reprimere non poſſit, etiam in ipſam fortuitò aſpicientibus.

XVII. Magnus quidam Dei ſervus in ecſtaſin raptus, incredibili animi ſolatio vidit portam ingentem in Cœlo apertam, & ſemitam lucidam, per quam plurimi eò tendebant. Sed breve admodum id ſolatium ac gaudium fuit: duo enim Dracones immani feritate apparuere, qui reti prægrandi per totam ſemitæ latitudinem expanſo non ſolùm iter ad cœlum intercludebant, ſed prædas etiam eâ viâ euntium intercipiebant plurimas. Delapſus mox ex alto cæleſtis Genius, quid id ſibi ſpectrum vellet, explicuit: Primus ille, ajebat, Draco Luxuria eſt; alter verò Superbia; rete autem mundus muliebris eſt, vanus ille & turpi luxu laſciviens, qui tantorum in Mundo malorum cauſa eſt, ut mortalium plurimis & via ad Cælum intercludatur, & porta illa, Chriſti Servatoris meritis ac Sanguine omnibus aperta, claudatur. His dictis videri Genius deſiit. Edicite nunc, an laſcivus fœminarum ornatus, quamlibet non pravo animo adhibitus, parum damni inferat?

Cæſil. in ſpe. diſ. 3. Exempl. 130.

XVIII. Atque utinam ita malè veſtitæ quàm rariſſimè domo prodirent! Sed longè illæ ab hac publici fugâ abſunt;

ſunt, nullam non feſtam lucem, etjam nullâ lege imperatam, ornare an dehoneſtare ipſæ volunt: ita nudimanæ, ita nudicolles (liceat in renova novis uti vocibus) omnibus tranſeuntibus ad ædium fores ſpectabiles adſtare volunt: quin vel domûs anguſtias, vel cæli amœnitatem cauſatæ, mediis in plateis domeſticis ſuis laboribus defungi volunt. Lex non ſinit, ut publicis in plateis, etiam catenis adſtricta fera aliqua teneatur, ſi tranſeuntibus nocere poſſit. At fœminæ exleges ſunt; & quamlibet ita publicis in plateis ſtantes laborantésque non parùm nocere poſſint, qui tamen eas inde avocare curet, eſt nemo; & ſi domi manere jubentur, dolent, & inquietæ teneri vix poſſunt; perinde ac ſi earum libertas ſaluti & incolumitati publicæ ſit præhabenda.

XIX. Alterum, quod ita malè, & non ad verecundiæ leges contectæ meritò timere malum poſſunt, eſt, ne Deus eas puniat, vel gratias non debitas ſubtrahendo, vel inſigni aliquo ad aliarum exemplum in eas ſupplicio animadvertendo. Serpens mali Dæmonis ad Evam pervertendam inſtrumentum duntaxat, velut inanime, fuit: non pravum ille ſibi finem præſtituit, non labia diduxit, non linguam movit, verbo, nihil ſuâ ſponte & quaſi arbitrio egit, nihil contulit ad malum, quod ejus locutione effectum eſt; & tamen illi maledixit Deus, ut nemo neſcit, damavitque ad humi, lumbrici inſtar, per lutum & ſordes reptandum. Et nullam ejuſmodi maledictionem, nullam pœnam illa metuat, quæ ſciens voléńsque humeros, & ſinum nudat, ſe ſpectantium oculis obiicit, illa arma acuit, quibus tantam Dæmon nefarius ſtragem edit, dùm frigidè ſe purgat; cladem ejuſmodi præter mentem ſuam eſſe? Non poſſum induci, ut credam, inquit Tertullianus, nullâ pœnâ mulctandam illam fœminam, quæ quoquomodo cauſa ſit ruinæ animæ alterius, dum vanitati duntaxat alicui tenaciùs adhæreſcit. *Neſcio*, verba illius ſunt, *an impunè abeat, quæ alicui fuit cauſa perditionis.* Quin imò videtur Deus non obſcurè manifeſtâſſe, quòd impunè talem ſtragem latura non ſit, dum illam in Exodo legem promulgavit ut quisquis ciſternam ſuo in agro foderet, os ejus tegeret. Quodſi facere neglexiſſet, & beſtia aliqua, ibi paſcens, temerè in eam incidiſſet, pretium ejus redhibere teneretur. *Reddet Dominus ciſternæ pretium jumentorum.* Exod. 21. 34. Quænam autem eſt ciſterna iſta, ait S. Bernardinus in eum locum, niſi mulier, quam eo nomine Sapiens in Proverbiis indigitavit? Hæc autem tunc aperta Prov. 5. 15. manere dicitur, quando non tantùm plus juſto compta eſt, ſed brachiis etiam & pectore nudo. Vnde ſi eorum aliquis qui ut bruta ſenſuum ſuorum legem cœci ſequuntur, cum oculos ſuos curioſis obtutibus paſcit, non ſatis advertens, quid agat, præceps in ejuſmodi hiatum cadat, quæ os ciſternæ non obtexit, ipſa luet damnum ac ruinam illius. Et ſicut ſatis non erat, ciſternæ illius dominum reſpondere:



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non hoc ego fine os ciſternæ non clauſi, ut ulla in eam beſtia decidat: ſed tantùm illud non claudere, reum ipſum reddebat & obnoxium reddendo pro beſtia delapſa pretio; ita prorſus vero ſimile eſt, in re noſtra non habituram locum frigidam excuſationem: *Ego mali nihil ſpecto.* Ubi autem, ô mulieres, ubi eſt amor ille Deo debitus, ſi penſi non habetis, Chriſtum Servatorem veſtrum facere jacturam Animarum, Sanguinis ſui pretioſo ſanè lytro redemptarum, ne vos abrogetis morem perperam inchoatum, & non meliùs continuatum? Neque ſit, quæ objiciat: ſi neceſſe eſſet cujusvis alterius præſtare ruinam ſeu peccatum, etiam non intentum, peſſimâ ſanè conditione eſſet fœmina, inſigni à natura formâ prædita: hanc enim oporteret, domeſticos ſemper inter parietes deliteſcere, ne cui viſa pravi eſſet deſiderii occaſio. Non eſt eadem hujus, quæ arte ſe comentium, conditio. Forma enim elegans à Deo ſolo data eſt fœminæ; quare ſiquis curioſiùs, quàm par eſt, in eam oculos conjecerit ac defixerit, viderit ſanè ipſe; ſatis eſt formoſam hoc ejus peccatum animo non cupere. Non ita ſe res habet, cùm formæ gratia arte adjuvatur, & fucis, pigmentis, ac quoquo alio modo acceſſitur, maximè ſi illa tam propudioſa nuditas acceſſerit: hoc enim totum ipſius fœminæ opus eſt; ac proinde alia longè de ipſo, quàm de naturæ dotibus ipſi reddenda eſt ratio, ſi alteri exitii cauſa fuerit. Solem Ethnici divinis honoribus coluêre, nullâ utiq; Solis ipſius culpâ. Si jam fingamus, Solem rationis uſu præditum (ut non defuerunt, qui ita delirarent) vidiſſe erigi ſibi altaria, thus adoleri, thimiama accendi, Sacrificia offerri; ſi tum ille ſtuduiſſet apparere pulchrior, plúſque, quàm à natura acceperat, ſplendoris accerſiviſſet, quis non eum divinitatis ambitæ condemnaſſet? Hoc modo ſe res noſtræ habent. Non ſum quidem tam ſtolidus, ut mulieris formam Solis ſplendoribus & pulchritudini comparem; lux earum cicindelæ lux eſt, & pulchritudo lutea. Sed non hîc tricabor: comparentur, per me licet, miſera aliqua muliercula ſuâ cum pulchritudine Soli, ut earū amore inſani Poëtæ eas comparant; dico, ſi talem ſolem contigerit adorari à mente capto aliquo ob ſolam illam nativam formæ gratiam, quæ ex vultu relucet, tum ego eam prenſari cultûs divini ream non agam. At ſi ſexcentis artificiis ſplendorem naturalem ac venuſtatem augere ſtuduerit, enimverò hoc lumen, adoranti tam pernitioſum, non invenio jam, quomodo defendam: condemnabo illud potiùs, ut Sacris paginis doceor; quæ nunquam fœminas ob naturalis formæ venuſtatem vituperant: artes tamen, quibus ea venuſtas aut augetur, aut mendacio arceſſitur, iiſdem ſummè improbatas invenio. Quod utique argumento non dubio eſſe nobis debet; multum eſſe inter venuſtatem congenitam, & arte ac ſtudio accerſitam, diverſitatis. Satis ſit illius meminiſſe, quod Palæſtinis mulieribus Deus denuntiari per Prophetam

tam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tam Iſaiam voluit, ubi enumeratis ſingillatim earum faſciis, armillis, annulis, monilibus, pluribúsque ejus generis vaniſſimis ornamentis, quibus ſe onerabant, tandem addidit; venturum ſe ipſum, & ſuâ manu illa avulſurum ex earum corporibus, ut in flagra mutet, acerbiſſimos cruciatus illatura. Et tamen mundus illi omnis ac luxus non honeſtati, non verecundiæ, ſed ſobrietati tantùm & modeſtiæ repugnabat.

XX. Si deinde mundum hunc, ac luxum ſeverè luent maritis junctæ, ob ea, quæ aſpectantibus præbent offendicula; an impunè ferent puellæ illæ peſſimè conſultæ, quæ veſtimentorum laſciviam excuſant, mariti quærendi prætextu? Perinde ac ſi æquum eſſet, Deum plures viros amittere, ut ipſæ unum inveniant. Prohibent Leges, cujusvis privati commodo ædificia publica evertere. Et extra omnem noxam ſint, quæ privatæ tantùm voluptatis, aut commodi gratiâ non omittunt æquare ſolo, & evertere pravis operibus publicam pietatem ac pudicitiæ ſtudium; quæque Animarum ſtrage & ruinâ altiùs aſſurgere conantur? Quid eſt, hâc arte maritum quærere? Eſt omnibus alicujus fluminis piſcibus eſcam venenatam objicere, ut unus tandem capiatur: ad quam capturam unus profectò innocens hamus ſuffeciſſet. Illa autem piſcationis ſævities permiſſa non eſt, cùm clades, quæ fit in aquis, plurimum excedat prædam, quæ quæritur. Liceat igitur Matrimonium, etiam honoratum valde, ambire ac procurare: quam autem laudem merebitur, procurare iſtud artibus & ſtudiis, communi Animarum bono tam pernitioſis? Tam charæ, tam pretioſæ ſingulæ omnino Animæ Servatori noſtro ſunt, ut ego equidem quantalibet mea lucra & emolumenta, quolibet vel minimo alicujus Animæ damno empta nollem, etſi ea commoda cæteroquin fas eſſet obtinere. Gloriabatur olim Pericles; neminem unum ſuâ unquam causâ mortuum luxiſſe. Beatas ſanè illas fœminas, quæ cùm hinc migrandum erit, gloriari & ipſæ poterunt, nullam unquam animam, occaſione ex veſtibus aut ornatu ſuo ſumptâ, coactam fuiſſe lugubri ſe habitu induere, & lacrymis admiſſorum veniam à Deo petere: quam felicitatem certò conſequentur, ſi Apoſtoli ſecutæ conſilium ornent ſe, ſed cum *verecundiâ & ſobrietate.* In quæ verba ita egregiè commentatur S. Thomas in Summa. *Moderatus*, inquit, *ornatus non prohibetur mulieribus, ſed ſuperfluus, & inverecundus, & impudicus.* Et ego dum plus à vobis non peto, ne tantum quidem impetrabo? Nulla igitur, nulla queratur, ſi cùm abeundum hinc erit, plorare magìs debeat à Deo deſerta, ob animas ab eo abductas, quàm lætari poſſit ac gaudere. Robertus Lizius author eſt, fœminam, veſtium luxui apprimè deditam, ſub extremum vitæ tempus jam ſacro ſe Viatico ad æternitatis iter munire voluiſſe; cùm ecce gemini Cælo deſcenderunt Genij, quæ humillimo geſtu ſacratiſſimam hoſtiam ve-

*Plut. in Pericl.*

*2. 2. q. 169. ar. 2. ad 1.*

*apud Valer. Venetum l. 1. c. 12. ex 6.*

venerari, illam Sacerdotis è manibus rapuere; & confeſtim iterum videri deſierunt. Tantùm non ſuffocavit horror Sacerdotem. Verùm ubi in Templum reverſus divini Panis particulam illam Aræ ab Angelis impoſitam vidit, recreatus ex terrore eſt, cenſuitque; juſto Dei judicio factum, ut momento illo ultimo & p:riculoſo, ſacratiſſimi Chriſti Corporis potenti auxilio careret, quæ tam non piè ſuummet corpus adoráſſet, & alienarum animarum ſaluti præpoſuiſſet. Et corpus tam ſordidum tam vile tanto honore dignum ſit? Non capio, fateor; audite igitur.

XXI. Ut cum ſexu hoc agamus quàm humaniſſimè, demus hodiernam veſtiendi ſe formam luxûs tantùm aliquid, & vanitatis, nihil habere inverecundiæ: demus, quæ ſic ſe adornant, eo id tantùm fine facere, ut aſpectabiliores ſint, non ut cuiquam obſint; & hanc excuſationem divino coram Tribunali admittendam ut juſtam, & rationi conſonam: demus etiam, cunctos SS. Doctores, qui morem iſtum tam acerbè perſtrinxerunt ac vituperárunt, excuſare illum potiùs debuiſſe, ut innocentem: an datis his omnibus, decet fœminam Chriſtianam omnes ſuas cogitationes, affectus omnes, omnem diligentiam ac ſtudium in id unum impendere, & in eo ſolam ac totam eſſe, quomodo putidum, & tam abominandis conflatum è ſordibus corpus exornet? *Agar Anci"a Sara, unde venis, & quo vadis?* Quid tandem

Gen. 16. 8.

eſt caro iſta tam ſolicitè à vobis curata, tam molliter habita, tam ſplendidè compta? Dicamus ſine ambagibus clarè. *Ancilla Saræ:* Serva eſt. Serva eſt peccati, quo infecta eſt illo ſtatim momento, quo vivere cœpit & animari. Serva eſt mali Dæmonis, ſub cujus juge gemuit antè, quàm ſacris undis tingeretur: Serva denique eſt Animæ, quæ naturæ jure dominium in eam obtinet, eámque naturæ ſuæ excellentiâ longiore intervallo ſuperat, quàm Cælum à terris diſtet. Et hæc Ancilla tam abjecta, quâ tandem æquitate, quo jure heram ſuam adigerţ, ut ab ea plus quàm heriliter habeatur, obſervetur?

XXII. *Agar Ancilla Saræ, unde venis?* Pergamus porro. Unde tandem oriunda hæc ſerva eſt? quâ ſtirpe genita, quâ ex materia compoſita ac compacta? *Unde venis?* Retrò tantiſer abeamus cogitationibus noſtris, & viliſſimam carnis hujus contemplemur originem, quæ eſt lutum; viliſſimam ſubſtantiam, quæ eſt putredo; hiſque perpenſis pergant deliræ iſtæ mulierculæ non erubeſcere, ſi adeò depuduerunt, quòd tot pretioſiſſimas horas conſumant in ſe omni arte poliendis & exornandis. Quid eſt perdere tempus, ſi hoc non eſt? Saccum ſtercorum veſtire pannis auro intertextis.

XXIII. Addatur primæ huic quæſtioni *unde venis?* & altera: *quo vadis?* Quærite ex hac tam ſordidæ originis carne: in quid tandem faſtus iſte, iſta ſuperbia deſinet: *Quo vadis?* An non omnis, quem facimus, paſſus ad mor-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mortem tendit, ad quam imus, ut Rei ad ſupplicium? Quis autem Reus tam amens eſt, ut lavet, pingat, comat criſpet, ortiet, quàm belliſſimè more hodierno veſtiat ſe priùs, quàm ad furcam pergat? An non eſt hoc divinæ Juſtitiæ velle illudere? Tam non revereri ejus ſententiam, ut in materiam vanitatis & ſuperbiæ pervertantur ipſæ pœnæ, ſic ut miſera illa ſe tegendi neceſſitas, quâ vindicata olim noxa eſt, jam luxûs fiat argumentum?

XXIV. *Quò vadis?* Quid fiet hoc carnis fruſto, tam delicatè habito, paucos poſt dies? Dabitur eſca vermibus, putreſcet, fœtebit, erit, verbo, tam deforme ac tetrum, ut ne amicorum quidem intimi, poſt unius diei moriulam, tolerare illud in oculis ac naribus poſſint. Sacer aliquis Judex, magnâ ſanè virtute vir, non inveniebat, quam imponeret provolutæ ad ſuos pedes & pœnitenti fœminæ pœnam, quam illa ſibi videretur ferre poſſe; tam erat mollis ac delicata. Tandem imperavit hanc: ut aliquot diebus, manè inter abluendum manus ac brachia identidem ingeminaret: Hæ manus, iſta brachia paucos poſt dies corrodentur à vermibus. Paruit illa juſſis, & tanta fuit remedii non difficilis vis, ut paucos intra dies & animum mulier & mores mutaret.

XXV. Sed hoc non eſt maximè timendum. *Quò vadis?* An non videtis, poſt mortem, non procul diſtantem, paſſu uno tranſeundum ad Tribunal divinum, à quo ferenda de vobis ſententia? Quid tum conſilii, ſi Judex veſtras non admitteret excuſationes, non probaret cauſas ac fines, de moribus ac conſuetudine ſcire vellet nihil, rationem repoſceret de Animabus omnibus, quarum pernitiem ad vos nihil pertinere arbitrabamini, propterea quòd eam non intenderetis? Quare audite conſilium Legati cæleſtis, quod dedit Agar. *Revertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manibus ejus.* Redite, ut agnoſcatis Animam corporis dominam, & ſi iſtud ornandum vobis eſt, illam conſulite; ad illam enim ſpectat leges ſtatuere: *ornantes vos cum verecundia & ſobrietate.* Ut tota exterioris hominis compoſitio ac habitus, intimi quoque ac debiti ordinis argumentum ſit, quo Caro ſpiritui ſit ſubjecta.

XXVI. Et quoniam ex iis, quæ à me allata ſunt hactenus, nondum poteſtis decernere; quæ tandem ſit ſobria illa ac ſimplex ſe veſtiendi ratio, quam pro conditione veſtra ſequi tutò poſſitis, hoc agite: Conjicite oculos in ſingulas, quibus aliæ gradus veſtri fœminæ utuntur; tum verò vobiſcum deliberate: quamnam ex omnibus illis, momento, quo ſiſtendæ eritis Judici Chriſto, velletis elegiſſe? & hanc jam nunc eligite. Optaretíſne tum cincinnos criſpatos, fucos ſplendentes, pectora nudata, manicas dimidiatas, & centum alia vanitatis & ſuperbiæ artificia, inventa ad rapiendos quidem mortalium, ſed non Dei oculos? Et ſi hæc non eligeretis, illa ergo placeat ſe veſtiendi ratio, quæ momento illo eſſet placitura. Tales nunc vos Deus videat, quales coram eo velletis comparere momento, ex quo non minùs pendet, quàm æternitas.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# DISCURSUS XXXI.

## *Adverſùs Ludos & Comœdias obſcœnas.*

I. SIquem unquam abu-
ſum, ex iis, qui titio-
num inſtar fumanti-
um Ethnicifmi vix-
dum extincti, Rem-
publicam Chriſtianam etiamnum of-
fuſcant, omni eloquentiæ & ardentis
zeli vi Eccleſiæ defenſores SS. Patres
oppugnârunt & inſectati ſunt; is eſt
*Cypr. l. 1.* abuſus Ludorum & Theatrorum pub-
*ep. 10. de* licorum. Execranda hæc ſenſuum &
*biſt. & l.* exitiabilia oblectamenta concordibus
*2. ep. 2.* ſtudiis damnârunt Sanctus Cyprianus,
*ad Don.* S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Baſilius,
*Ambroſ.* S. Joannes Chryſoſtomus, S. Epipha-
*in Pſ. 118.* nius, Iſidorus Peluſiota, Tertullia-
*Auguſt.* nus, Clemens Alexandrinus, Salvia-
*in Pſ. 50.* nus, Sidonius, Caſſiodorus, Lactan-
*& 103.* tius, Minutius Felix. Fecerunt au-
*Baſil.* tem id nonnulli eo verborum ponde-
*hom. 4. in* re, eâ energiâ & efficaciâ, aut ſacro
*hexam.* potiùs horrore, ut eorum verba ful-
*Chryſoſt.* minum inſtar eſſe videantur, quibus
*in Matt.* illa feriantur. Quamquam autem
*c. 11. hom.* campus ſe mihi pandit ampliſſimus,
*38. &* depromendi tantorum virorum è li-
*ſerm. de* bris cauſas potentiſſimas ad excitan-
*David* dam veſtris in animis ſimilem aliena-
*& Saul* tionem & horrorem ejus, quod ipſi
*& hom.* tantopere averſati ſunt, omiſſis tamen
*17. 39.* aliis omnibus, ſolam illam amplectar,
*Epiph. in* quam ſuggerit S. Maximus, dum nar-
*expoſit.* rat antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem,

quâ in aſſignando cuilibet certo in
templis loco inter Energumenos col-
locabantur *ſpectaculorum ſtudioſi*. Non
ob aliud credo, niſi ut indicarent no-
bis illa veteris Eccleſiæ columina,
ſpectatores Ludorum profanorum
totidem eſſe Energumenos, quorum
non corpora, id enim minus malum
foret, ſed animos, ſtygius Inquilinus
occuparet. Atque hoc argumento con-
ſtitui uti ad excitandam in vobis inſa-
mium Ludorum & ſpectaculorum de-
teſtationem. Reddam vobis ejus con-
ſuetudinis rationem, oſtendamq; illud
Theatrorum genus publica eſſe infer-
norum Spirituum diverſoria: Actores
totidem eſſe animorum Magos & In-
cantatores; Spectatores verò, veneficiis
in animo deluſos: ſic ut tandem ea, quæ
oblectamenta eſſe videbantur jocula-
ria, veræ ſint præſtigiæ voluntatis fa-
cinatæ: ſint *faſcinatio nugacitatis*; aut
rectiùs, ut alii ad propoſitum mihi lo-
cum legunt: *faſcinatio nugaminis*.
Tam terram illæ caliginem offundunt
virtuti in animo, & tam vehementer
proritant voluntatem etiamnum inte-
gram ad omne vitium. *Faſcinatio nuga-
citatis obſcurat bona, & inconſtantia concu-
piſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitia.*

II. Illud autem docendi eſtis ante
omnia: non adeſſe me hodie, ut ve-
ſtram opem ac operam implorem,

evertendum ac ſubvertendum, quidquid uſpiam eſt in Republica Theatrorum, quicunque demum in iis ludi ſpectandi proponantur. Abſit à me tam non ſanus, támque dignus omnium reprehenſione conatus. Stent theatra, ſtent pegmata, in quibus ſacra, in quibus ſeria exhibentur ſpectacula: ſtent & illa, quæ dum vitia exponunt ludibrio, & dicteriis ridiculis traducunt, id propoſitum habent, ut Spectatorum ab iis animos alienent. Theatra & Spectacula, quæ ego damno, illa ſunt, quæ naviũ inſtar incendiariarum picem duntaxat, ſulphur, bitumen, aliáque ſpargendis incendiis, inferno ex lacu allata, vehunt. Verbo, illas execror Comœdias, quæ vel naturâ ſuâ & totæ, vel ex occaſione, & parte ſui aliqua Spectantes ad flagitia alliciunt & irritant. Primi generis illæ ſunt, quarum totum argumentum obſcœnum eſt ac turpe, verba non verecunda, dicta & effata religioni repugnantia, ſpectacula, quæ proponuntur, fœda & honeſtati adverſa. Alterius autem generis ſunt, quæ argumentum quidem habent morum honeſtati non difforme, Epiſodia tamen, vel quæ appellant, Intermedia continent ludicra, ſed turpia, vel in quibus prodeunt fœminæ ad laſciviam excultæ, quæ mimæ ſuâ & præſentiâ, & loquendi ratione affectus excitant honeſtati ſanè quàm pernitioſos. Has contra Comœdias ac Ludos, non minùs alicubi hac ætate frequentes ac uſitatos, ac unquam priſcis ſeculis, hodie quantâ poſſum contentione diſſerere mihi eſt animus; affirmo ſiquidem, illos eſſe faſcinum planè horrendum, cujus vi Spectatores dolendis modis capiantur & dementen tur, ſintque ita animi eorum inferno à ſpiritu fortiter & exitiabiliter obſeſſi.

I.

III. Triplex faſcinorum, ſeu veneficiorum genus eſt, amatorium unum, hoſtile alterum, ſomniferum tertium. *Del Rio l. 3. p. 1. q. 1.* Primum igitur faſcinum amatorium eſt, quo malus genius affectum erga perſonam quandam excitat tam vehementem & impotentem, ut furor potiùs dici debeat. Exemplum ejus S. Hieronymus affert; dum narrat puellam fuiſſe miſerandam, quæ *in vita S. Hilar.* ſimili maleficio faſcinata, capitis abjiciebat velamen, expediebat comas, commovebatur irrequieta, ſtridebat, fremebat dentibus, & identidem Juvenem, qui maleficium paraverat, nomine ſuo compellabat; *Magnitudo quippe*, S. Doctoris verba ſunt, *amoris ſe in furorem verterat.* Non ejusmodi tumultu bacchantur & ferociunt, qui ludos obſcœnos ſpectant, fateor; non minoris tamen damni effecta in ſe ipſi experiuntur. *Enervis hiſtrio, amorem dum fingit, infligit*; *in Octav.* ut Minutius ait: quæ ſunt verba & ſenſu & ſucco plena, & non effectum magis, quàm modum maleficii hujus latentis produnt. Hiſtriones, affirmat, dum fictos in theatro amores exhibent, veris animum plagis conficere: *amorem dum fingit, infligit.* Verbum hoc *infligit* non vulnus tantùm, ſed vulnus profundum exprimit, quale re vera eſt in re noſtra: neque enim in-

ter omnes animi noſtri impetus, ac propenſiones perverſas alia formidabilior eſt iſtâ; ſic ut primi Philoſophorum illam ſtultitiæ quoddam genus cenſuerint; & doctiſſimus Idiota eandem argutè appellârit *perniciem delicatam* animæ, quæ ipſam perimit non ſentientem. Fera autem iſta, quam oporteret fortioribus ſemper vinculis ſuo in ſpelæo aſtringere, turpibus in Ludis omni nexu ſolvitur, ut aptior ſit ad nocendum. Non aliud Theatrorum argumentum eſt, quàm Amor; non alii implicantur nodi, non alii ineuntur contractus, non alii audiuntur errores & peripetiæ, ex quibus dein extricentur, quàm qui ſpectant ad amandum. *Summa gratia ejus de ſpurcitia plurima concinnata eſt:* Sic ut vis imaginatrix blandis ejusmodi imaginibus occupata, aliud neque amœnius & pulchrius, neque beatius fingere ſibi poſſit, quàm totam ſe permittere malo ſuo. Non ſemel contigit, fœminam, quæ, dum uterum ferebat, obverſantem ſemper oculis habuit æthiopis alicujus imaginem, prolem ſubinde parere æthiopis inſtar nigram ac deformem. Nec diſpar eſt conditio animi, ſæpe præſentis ſpectaculis ejusmodi & Ludis obſcœnis. Paulatim, & ſine ſenſu Ideæ in illo formantur tam abhorrentes à Legis Chriſtianæ ſanctitate, ut matri candidæ non tam diſſimilis ſit partus ater. Non alias ſibi imaginari voluptates, non alia oblectamenta poteſt, quàm quæ ſenſus afficiunt, & eò venitur, ut Lex illa, quâ talia prohibentur, crudelis & inhumana exiſtimetur,

*Tertull. de ſpect. c. 17.*

*rapiebant me*, ait S. Auguſtinus, dum acerbis lacrymis deplorabat ſimiles Juventutis ſuæ effaſcinationes, *rapiebant me ſpectacula Theatrica, plena imaginibus miſeriarum mearum, fomitibus ignis mei.* Cùm fœda ejusmodi facta in animum incidunt jam tetra fuligine amoris impuri infectum, flammas ejus magis magisque ſuſcitant; ubi verò in purum etiamnum & candidum, depingunt ipſi ut unicum ætatis ſuæ bonum ac gaudium, quod non eſt niſi veriſſima miſeria: ſuadent falſiſſimam libertatem, amandi perſonam, quæcunque placuerit: *& per oblectamenta inanium fabularum mentem ſummè excitant ad incentiva libidinum*: ut in re non multùm diſſimili loquitur S. Iſidorus.

*l. 3. Confeſſ. c. 2.*

*l. 3. de ſummo bono c. 11.*

IV. Duobus autem potiſſimùm adjumentis utuntur Hiſtriones ad perſuadendam Juvenibus hanc, quam diximus, amandi libertatem. Primum ſunt illæ Perſonæ, in quibus affectum hunc fingunt, & quæ nunquam non argumentum Ludorum præbent. Sunt autem plerumque illuſtres, Archiſtrategi, Heroës, Principes, Reges: & hos proponunt inſanientes amore viliſſimæ mulierculæ, oblitos decori & majeſtatis ſuæ, mancipia & ſervos affectus ſui, poſt profligatos Exercitus potentiſſimos, poſt expugnatas & ſubjectas ſuæ ditioni nunc integras Provincias, nunc arces aut urbes munitiſſimas, ſummâ cum nominis ſui famâ. An non hoc eſt aureo in fundo, ad plus ſplendoris illi conciliandum, rubeum aut viridem colorem illinere? Aut rectiùs,

an

an non hoc eſt cum Ethnicis fingere in Deorum præcipuis ſcelera & flagitia, ſicque illa quodammodo ſacra reddere, & omnium imitationi, non infami, ſed pleno Majeſtatis ſub ſchemate, proponere? *Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Jovem illum ſuum non magis Regno, quàm vitiis Principem, in terrenos amores, cum ipſis ſuis fulminibus ardentem*, ajebat S. Cyprianus. *Quare jam nunc, an poſſit eſſe, qui ſpectat, integer & pudicus.* ...ep.2.

V. Alterum infernale adjumentum Hiſtrionum, ad amandi libertatem perſuadendam eſt, quòd amores hos ipſis à fœminis in Theatrum impudenter inductis, nimis quàm viva imitatione & ſimulacro curent Spectatoribus proponi: quæ, cùm non ſemel febri tali continuâ laborent, non eſt timendum, ne minùs peritè partibus ſuis fungantur, & perditè amantium ſymptomata non ſatis dextrè imitentur. *Quid non poteſt ſuadere, qui talis eſt?* (Cypri- ibid.) Arcet S. Paulus fœminas à ſacris ſuggeſtis, ob periculum, cui illas auſcultantes exponerentur, ſi rectè S. Anſelmus divinavit. Si autem inter Chriſtianos ferendum non eſt, ut fœmina è ſacro pulpito diſſerat de divino amore, an ferri debet, ut in theatro diſſerat de amore laſcivo? ut loquatur ad juvenes, tam paratos ad concipiendos ignes impuros? loquatur à capite ad calcem exquiſitè compta, calceolis etiam ad laſciviæ genium lepidiſſimè ornatis? Utatur jocis, facetiis, geſtibus, quos ſine rubore non ſpectet ulla quantumvis effrons barbaries? Imò non loquatur tantùm, ſed cantillet? S. Cyprianus affirmat *fœmina cantu tolerabilius eſſe audire Baſiliſcum ſibilantem*: etſi enim & ſibilus occidat & cantus, ille tamen mortem affert brevem, cantus æternam. (*de ſingular. Cler.*) Pythagorici, ut plus æſtimationis conciliarent Muſicæ, quâ mirificè oblectabantur, cùm ſcholas illa minùs deceret, Sideribus eandem & Cælo tribuerunt; unde poſtmodum cum mortalibus eſſet communicata. Unde unde autem manârit alia canendi peritia, hæc certè, quâ de agimus, non Cælo, ſed Inferis ſuam debet originem, è quorum imâ abyſſo emerſit, ſi alicunde emerſit. Inde certè veniſſe dici poſſet, ſi ille omnis luctûs & calamitatum locus Muſicam vel audire, vel parere poſſet. S. Hieronymus docet, alia inter malorum Dæmonum genera unum aliquod eſſe, cujus proprium munus ſit amatorias artes, blanditias & cantus fovere, *amoribus & amatoriis canticis ſervientes*: (*in cap. 5. ad Epheſ.*) atque hujus furfuris Genios oportet præ cæteris adeſſe in Theatris, in quibus iſtæ Sirenes, eorum diſcipulæ, cantant, ut ipſis non notas minùs muſicas ac tonos, quàm verba ſuggerant: iſti agunt, ut diſſitis etiam è terris advocentur, alantur ſtipendiis, lautè habeantur; ut numeroſo à Spectatore animis attentiſſimis audiantur, quanta attentione vix ullus, ſi tamen ullus, in Templo unquam ſacer Orator auditus eſt. Ad tam infamem, & pudendam plagam velut obligandam, aſſeritur: ſcribi & cantari amores honeſtos. Vellem vera dicerentur. Etſi autem vera eſſent, non

tamen hos illa cantus excuſarent: an enim honeſtos etiam amores iſtos, in theatris, tantâ támque varia audiente multitudine, & à fœminis cantari decet? Plutarchus author eſt, Catonem Cenſorem Senatu moviſſe Mallium, neſcio quem, propterea quòd eum non puduiſſet, ſpectante filiá, conjugem oſculari. Non igitur quæcunque hoc in genere quoquomodo honeſta ſunt, omniũ vel oculis, vel auribus propinari fas eſt. Nullus ambigo, quin ſapientiſſimus, quem dixi, Cenſor, non Urbe tantùm, ſed toto Orbe faceſſere juſſur[9] fuiſſet protervas illas fœminas, quæ publicis in theatris manu cytharam complexæ, fingunt ſe ardere deſiderio, linqui animo, intiméque angi cupiditate Iuvenis ſui ſponſi, ut is velut cœlo lapſum Numen beatas ac felices reddat. An non hoc eſt fingere ſe faſcinatam, ut alter verè faſcinetur? Unde belliſſimè ſanè in harum quamlibet cadit titulus ille, quo à Propheta Nahum ſunt compellatæ, ſi modo ejus vim aſſequerentur; *Meretricis ſpecioſæ & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus ſuis, & familias in maleficiis ſuis.* Interim quia liquor, in quo effaſcinatorius iſte potus paratur, dulcis eſt; paſſim ſumma cum voluptate bibitur, nec eſt, qui convulſiones ſummè doloriferas, ſubinde ſecuturas attendat; multóque minùs auditur Sapiens, monens hortansque, & vel procul inclamans omnibus, qui hoc poculum ori admovent ad bibendum: *ne intuearis vinum, quando flaveſcit, cùm ſplenduerit in vitro color ejus, quia ingreditur blandè, & in noviſſimo mordebit ut coluber*: perinde ac ſi diceret: Nemo fidat colori vini oculis blandientis, qui in vitro illo ſplendeſcit: quamprimùm enim ſtomachum attigerit, ſentiet illud mutatum in ſpumam Draconis peſtiferi. Narrat S. Tereſia, ſibi in animi quadam à ſenſibus alienatione à Deo monſtratum in Inferno locum, ad quem denique ipſa fuiſſet detrudenda, ſi cœptam familiaritaris cujusdam cum nonnullis, in ſenſu fundatæ, ſemitam tenere inſtitiſſet; propterea quòd illa in flagitioſam paulatim fuiſſet degeneratura. Quis autem nos iſto dignabitur favore, ut oſtendat, quò tandem deductura ſit complures animas inconſulta illa libertas, quæ principio tam non mala, tam citra culpam eſſe videtur? Si innocens eſt, æquo tamen eſt dulcior: atque hæc ipſa dulcedo abſterrere à bibendo debet: *in fine mordebit ut coluber.*

II.

VI. Magna ſunt iſta, & publicè noxia; ſed longè adhuc atrociùs caſtis moribus Comici iſti Hiſtriones nocent. Si alio faſcino Spectatorum animos non dementarent, nollem eos Incantatores vocitare. Alterum igitur faſcinationis genus perpendamus, quod latiùs graſſarur. Hoc diximus eſſe hoſtile, quo tam multæ mortalium cædes perpetrantur, ut unus ejusmodi maleficiis deditus, Elzana nomine, bienniĳ duntaxat ſpatio, octingentos letho dediſſe memoretur. Sed quantumlibet Magi iſti noceant, non eſt ambigendum, quin haud pau- *apud Mart. ut del Rio l. 5. c. 1.*

lò

lò plures cædes Hiſtriones perpetrent; atque adeò ut atrocitate, ita & maleficiorum numero illos ſuperent; cùm Hiſtriones animas, corpora verò Magi enecent, jam aliàs certò interitura. Ut autem nonnihil etiam dicamus, ex quo de numero occiſorum in ſpectaculis conjectura ſumi poſſit, ſatis ſit affirmâſſe, ex omnibus, quibus mortalium imbecillitas ad flagitia impellitur, plenis periculo occaſionibus, non eſſe ullam, quæ tot tamque nocentia hoſtibus ſalutis noſtræ arma ac tela ſubminiſtret, quot quantaque ſubminiſtrant ſpectacula & Ludi morum honeſtati repugnantes. Scimus tres eſſe hoſtes noſtros juratos, Mundum, Carnem, Dæmoné: Omnes iſtos damno noſtro irreparabili adversùs nos hodierni Ludi obarmant. Et Mundus quidem Senex dicitur ſtultus & amens, eâque causâ divinæ Sapientiæ oculis tam ingratus inviſúsque, ut ferre illum nullo mo-
Eccl. 25. 2. do poſſit. *Tres ſpecies odivit anima mea & aggravor valde animæ illorum: Senem fatuum & inſenſatum.* Senex dicitur, quia ſemper creſcit annis, ſempérque occaſui fit vicinior: & tamen tam non creſcit ſapientiâ, ut ſemper magis repuereſcat, ſtultus ac præceps voluntate, amens intellectu; dum de rebus omnibus, puerorum inſtar, judicat, ut foris apparent. Ut tandem ſaperet, Dei Filius è Cælo in terras delapſus eſt, ut vera à falſis doceret
37. diſcernere. *Ego ad hoc veni in Mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Et tamen miſer, ut iis, quæ veritatis inanem ſpeciem præſeferunt, ſtultè adhæreſcat, ne veritati quidem ipſi fidem vult habere: unde tanquam pervicax ſuis in erroribus à Chriſto deſeritur, adeò ut eum diſertè excludat à conſortio eorum, pro quibus ſup- Ioan 17.
plex Patri factus eſt: *Non pro Mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi*; agen- 9.
do cum Mundo, tanquam ſegregato & ejecto communione Fidelium ſuorum, ut dignus eſt, indignus autem fructu precum pro cæteris fuſarum. Hic autem tam cum divina Sapientia pugnans Mundus, undenam majora accipit ſubſidia ad perfidiam & errores ſuos defendendos, ad nuntiatum contra veritatem bellum proſequendum, quàm ex axiomatis, & factis Theatrorum? In his in ſcenam inducitur, qui dolis, nequitiâ, perfidiâ, quin & incantatione ſacrilegâ viam ſibi ſternit, nunc ad ſceptra & ſolia, nunc ad vindictam de hoſte ſumendam, nunc ad victoriam; & felici ſorte ſcopum ſuum attigiſſe cernitur: etſi tanto ſcelere concupitum. Producitur Juvenis, ſolertiſſimo ingenio, miriſque artibus illudens diligentiæ mariti, conjugis ſuæ pudicitiæ invigilantis. Leno etiam ſpectatur, qui turpiter lucripeta caſtum virginis pudorem venalem proſtituit. Congrediuntur, alii in Theatro ſingulari certamine, & laudem plauſúmque ferunt, ut heroë dignum facinus auſi, ac trophæa ſtatuuntur illis auſis, quæ Leges Eccleſiæ tot ſacris fulninibus feriunt. Deridetur pudicitiæ ſtudium, ut puerilis ſimplicitas; ut prudentiæ miraculum adoratur impia, quam vocant, Politica; authoritas adimitur Evange-

lio, ridetur Fides, Fortuna Deorum in numero ponitur; illa affirmantur effata, quibus deteſtanda Athia nititur; & nunc ambiguâ locutione & feſcenninâ, nunc hæreſin redolente amphibologiâ vitium pro virtute deſcribitur, cuncta tribuuntur caſui, tolluntur divinæ Providentiæ rerum humanarum habenæ, & Fato tribuuntur. Hæc ſunt facta, hæc ſenſa, iſti ſucceſſus, quibus magnam partem ludi theatrales hodierni abſolvuntur. Ubinam igitur aptiùs ſtulta ſua dogmata ſtabilire poteſt Mundus, quàm in Comœdiis? ubi palàm plauditur documentis, ſublimi in pegmate, quæ ſi in plano proferrentur, materiam præberent abundantem cauſis longiſſimis; quibus in jus vocarentur, non qui prolocuti ſunt tantùm, ſed & qui audierunt, quin ſacris Judicibus nuntiarent. Pravi ſodales non minùs nocere ſolent, quàm ipſi mali Dæmones; unde negari non poteſt ipſis, de quo ſemet jactitant; quòd os habeant orcinum ad
Prov. 1, animas devorandas: *Deglutiamus eum*
32. *ſicut Infernus viventem.* Quando tamen unquam linguæ eorum, aut verba, ſuadendo flagitia, aut extollendo, tantum afferre detrimenti poſſunt, quantum afferunt Theatra? Prorſus exiſtimo, uno veſperi, unâ in Comœdiâ plures ſtabiliri & affirmari errores, Mundi amentiæ conformes, quàm anni totius ſpatio ab omnibus pravis ſodalibus affirmentur: iſti ſiquidem aut rariùs de ejusmodi rebus loquuntur, aut in loquendo magis ſunt cauti circumſpectique, quàm Hiſtriones Comici, quos audire eſt, velut per jocum feſtivum, blaſphemias, convitia, nunc contra Caſtimoniam nunc contra Pietatem in Deum, nunc contra ipſam unam veram Religionem, ut facetias ſpargere. Nec juvat dicere: fingi tantùm in Theatris errores hoſce; aſſenſum illis à proferente non præſtari: neque enim hoc facit, quo minùs in rem ſuam Mundus ejusmodi verbis utatur; inducuntur enim in Theatrum perſonæ, quæ ſic illos proferunt, ut credere videantur, & ſentire, ut loquuntur; atque etiam ex eo glorioſam captare. Præcipuus Comicorum Ludorum inſtituendorum finis fuit, ut doceretur virtus, dedocerentur vitia. Negari proinde non poteſt, quin multum in animos poſſint, tacitéque influant ſenſa, quæ audiuntur, quantumvis ficta. Et ſi vim ejusmodi exercere poſſunt ſenſa pia ac rationi conformia, quomodo non idem poterunt impia atque perverſa? Dudum aſſeruit Lactantius:
*Docent adulteria, dum fingunt, & ſimu-* Lib. 6.
*latis erudiunt ad vera.* Inſtit. c.

VII. Quamquam autem hæc ita 20.
ſe habeant, & hæc Mundo arma Ludi Theatrales ſubminiſtrent, his tamen nos ille foris tantùm oppugnat, dum ſtulta ſua axiomata & effata, quæ veritati ac Evangelio repugnant, occinit. Hoſtis alter, Caro, hoc atrociora, quò magis inteſtina contra nos bella movet, nosque ipſos contra nos armat & concitat. Hoc autem efficit, dum aliarum identidem, aliarúmque deli-

tiarum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tiarum ac voluptatum in nobis orexin excitat, ſic ut iis, quibus fruiti ſumus, minimè ſaturi, comedendo & fruendo famem opſonemus. Hunc porrò ad finem ex omnibus, quæ uſpiam ſunt, oblectamentis, nullum magis Carni ſervit, quàm oblectamenta Ludorum. In aliis ſiquidem illa unius tantùm, aut alterius ex noſtris facultatibus miniſterio ad perfidiam ſuam utitur, at in Theatro omnes tanquam arcto fœdere junctæ eandem adjuvant. *Alia crimina*, pronuntiavit Salvianus Epiſcopus, *ſingulas ſibi in nobis vindicant portiones*: unum ex his facultatem imaginatricem corrumpit, oculos alterum, tertium aures, alias alia facultates; atque ita unus in his ſenſus, organum unum delinquit, altero extra criminis ſocietatem relicto; *In Theatris verò*, pergit idem Præſul, *nihil hominum reatu vacat, quia & concupiſcentiis animus, & auditu aures, & aſpectu oculi polluuntur.* Atque hæc tam communis omnium noſtrarum facultatum in theatris ſtrages tam eſt manifeſta, ut eam vel in tenebris ſuis Ethnici perviderint: unde Seneca affirmare non dubitavit, non eſſe tam præſentem omnis honeſtatis peſtem, veneficium nullum tam potens illi extirpandæ, quàm ſpectacula, quæ cum voluptatis dulcedine nullum non vitium animis inſtillarent. *Nihil*, verba ejus ſunt, *tam damnoſum bonis moribus, quàm in aliquo ſpectaculo deſidere: tunc enim per voluptatem faciliùs vitia ſubrepunt.*

VIII. Neque ſolùm theatricorum iſtorum Ludorum maleficio creſcit in animis vetitatum voluptatum cupiditas; ſed quidquid etiam ab earum experientiâ retrahere nos poteſt, ſolerter ſubmovetur, ut nullo metu alacriter bibatur venenum propinatum, ad ebrietatem usque. Duo enim ſunt, de quibus natura nobis providit, ut præcipites ad vetita delectabilia impetus frenemus, Timor, ac Pudor. His ſic aſpergit voluptates, ut ab iis non minùs abhorreamus, quàm infantulus à nutricis, ablactare illum cupientis, uberibus, cùm amaro iſta ſucco illinuntur. *Omne malum, aut Timore, aut* Tertull. *Pudore natura perſudit.* Utrumque Apol. c. 1. horum tollunt ſpectacula obſcœna. Timorem quidem, dum oſtendunt plena flagitii negotia felici exitu coronata, quin eorum author innoteſceret, aut quidquam is inde detrimenti caperet: Pudorem autem, dum libidineſ exhibent, ut malum quoddam toti humano generi commune: imò ut vitium Heroibus proprium, & tanquam febrim, quâ laborare, ne Leoni quidem probro ſit. *Scelus cothurnatum demonſtrant.* Lactant. Depingere naves, puppim auro ob- Inſt. l. 6. ducere, mira arte cælare proram, c. 20. latera omnia inciſis elegantibus emblematis exornare, inventa ſunt ſolertiſſima, quibus tegantur propinqua ſemper navigantibus pericula, ut diſtractus aliò animus ad illa non attendat. *Pericula*, ut loquitur vir Plin. l. ſapiens de ea re, *expingimus, juvátque ad mortem ſpecioſè vehi.* 35. c. 7. Quid

aliud

aliud Comici Hiſtriones faciunt, qui non pericula tantùm, ſed naufragia etiam elevant, volúntque honeſtam oblectationem eſſe, quod momento unico plures animas in pernitiem impellit? Præterea condiunt omnia argutiis, facetiis, loquendi formulis, adagiis, quæ, etſi Senecæ ſententiâ aliud non ſint, quàm *Sales venenati*, tamen ita venenati delectant palatum, & majorem ſimilium ſitim, in Juvenibus maximè, excitant; qui cùm miris laudibus extolli audiant, quod ipſi nunquam experti ſunt, experiri mox & ipſi cupiunt, non tam voluptate, quàm curioſitate ſtimulati: id quod acutè in ſocio ſuo Alipio notavit, deſcripſitque S. Auguſtinus his verbis. l. 6. Confeſſ. c. 12. *Cœperat & ipſe deſiderare conjugium, nequaquam victus libidine talis voluptatis, ſed curioſitatis.* Verè igitur Hiſtriones iſti, momento eodem, & arma cupiditati miniſtrant, voluptatis deſiderium accendendo, & ſcutum illi offerunt, auferendo timorem perinde ac pudorem. Et miretur quiſpiam, ſi cum Lactantio ſpectacula dixerim; l. 6. Inſt. c. 20. *Maxima irritamenta vitiorum?*

IX. Tertius tandem, omnium infenſiſſimus hoſtis, eſt Dæmon, qui ſi re ipſa minùs cæteris noceat, per ejus voluntatem non ſtat, quâ plus omnibus incommodare deſiderat. Hic autem in Theatris & ſpectaculis tantum lucri facit, ut illa planè ſua exiſtimet. Tertullianum audiamus, qui ut à tam pernitioſa voluptate Fideles avocaret, hæc narravit. Matrona quædam, etſi Chriſto per fidem addicta, cùm tamen voluptatum quàm Crucis ſtudio majore teneretur, etiam Theatralibus Ludis adeſſe non horruit; nec enim illi animus præſagiebat, quàm carò hanc eſſet oblectationem emptura. Certè dum domum à Spectaculo repetit, à malo Genio occupata, horrendos ab eo cruciatus perferre cogebatur, donec ad aliquem adducta, qui ſacris adjurationibus inviſum hoſpitem abigeret, ex eo tanti mali cauſam didicit. Quâ tandem fronte, ajebat, Dæmonem objurgans Exorciſta, auſus es occupare fœminam, quæ ſacri Lavacri beneficio mutata eſt in Templum vivum Spiritus Sancti? *Quomodo auſus es Fidelem aggredi?* Tertull. de Spect. c. 26. Sed repoſuit Dæmon: *Juſtiſſimè quidem feci.* non enim jus mihi fasque eſt, capere feram, quam meo in ſaltu deprehendi? *In meo illam inveni*, his verbis aſſerendo, infernalis planè Juris, ditioniſque eſſe Theatra, in quibus Dæmon pro arbitrio furere poſſit, & prædas agere, tantò liberiùs majoréque proventu; quòd non tam ipſe feras ſolerter quærit, quàm ipſæ ad ſtygium iſtum venatorem, ſponte ſuâ accurrunt. Nec tamen ipſe tam cruciare corpora, quàm animas ſeducere laborat: quem quidem ad finem mirum quàm ipſi Ludi iſti obſcœni ſerviant, præquam ullæ aliæ, ad pervertendas animas, excogitatæ ab eo artes & fraudes, cùm hîc apertum teneat ludum, ut dociles admodum Audi-

tores

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tores erudiat ad peccandum cogitatione, verbis, ac factis. Unde S. Joannes Chryſoſtomus dixit, Theatra *Adulterii meditationem, turpitudinis exhortationem, inhoneſtatis exempla.* Atque hæc ipſa ſunt, quæ maximè Dæmon hoc in ludo docet.

X. Docet igitur primò peccare cogitando: *Adulterii meditatio.* Oculos præ aliis ſenſibus diligimus, quia, ut Philoſophus obſervavit, plus quàm ceteri nos docent. Quia autem magis nos ad malum, quàm ad virtutem erudiunt, non dubito, quin etiam Dæmoni aliis ſentiendi organis chariores ſint; cùm certum ſit, hunc iis in noſtram pernitiem variè uti. Utitur illis, dum legendos offert libros tractantes turpia, quos S. Hieronymus appellavit fercula in Orci culinâ excocta. *Cibos Dæmonum, carmina Poëtarum.* Utitur illis, dum ſpectandas offert Imagines impudicas; in quibus vel inter Chriſtianos, apparent adulteria, inceſtus, infanda flagitia cohoneſtata: cùm enim Idola illi in cubiculis habere non poſſint, ſceleratas has imagines eorum loco ſubſtituunt. *Titulant inceſta picturis.* Utitur illis, cùm in conſpectum noſtrum adducit fœminas, nunc ſplendidiſſimè excultas, nunc propudioſè nudas, de quibus idcirco S. Cyprianus ita loquitur: *Aculeus peccati facta eſt forma fœminea.* Ut enim peccatum mortis eſt ſtimulus, irritando illam, quando aliàs ventura non eſſet, ita peccati ſtimulus fœmina eſt. Nunquam tamen oculorum miniſterio laborioſiùs & fructuoſiùs Orcus utitur, quàm in Theatris, ubi libri ſunt vivi, picturæ vocales, obtutus conjuncti verbis, verba animata geſtibus, plauſibus, citharis, cantu, ſymphoniis, ſic ut quidquid facultatum à Deo accepimus ad ſerviendum ipſi, totum abuſu peſſimo vertatur in inſtrumentum Dæmonis ad Deum injuriâ afficiendum. *Oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi*, ait Sapiens, Eccli. 17. dum enumerat favores in ipſa ſtatim noſtri productione collatos. Et cuncta tamen hæc in Spectaculis, illaudatâ concordiâ, famulantur aut ad irritandas, aut inducendas, aut fovendas cogitationes perverſas ad injuriam Conditoris. *Deſcendiſti à Theatro,* diſſerit S. Joannes Chryſoſtomus, & en alius jam ludus in theatro memoriæ tuæ agitur, tantò tibi nocentior, quantò interior. *Quæ ſpectâſti, ad memoriam redeunt.* Hom. 3. de Pœnit. Subeunt denuo mentem auditæ argutiæ, joci, facetiæ, loquendi formulæ, geſtus; & tu ipſe tibi effectus es Theatrum mobile, Hiſtrio, Scena, Pegma, Spectator, Argumentum, & quidquid aliud vis. Piſcator ubi in latus ac viſcera balænæ telum mortiferum adegit, vagari illam ſinit, quaquà lubet, probè gnarus, paulò pòſt, ubi fruſtrà ferrum extrahere laboraverit, exanguem, ſine ſenſu, ſine vita ſibi in prædam ceſſuram. Ita Dæmon. Sinit te abire ex illo ſpectantium Circo, non ignarus, quid paulò pòſt in animo tuo effectura ſit illa cogitatio, quam per oculos, aures, vim imaginatricem in intima animi tui

[Tertull. de Spect. c. 16.]

adyta adegit. Ridet interim neſcio quis eos, qui in Ludos hos Theatrales invehuntur; &, quid damni, inquit, inferunt? nec cogitationum ſuarum peſtem advertit, aut non æſtimat, cùm ſit lenta, & paulatim ad nocendum proficiat: *Adulterii Meditatio.*

XI. Sed non ſatis eſt Dæmoni, pravas in hoc ludo cogitationes docuiſſe: pergit porrò, & facundos ſuos reddere diſcipulos ſtudet; ſed turpi planè facundiâ; *Turpitudinis exhortatio.* Scribit Plutarchus, olim portas aliquas Nefaſtas, ſeu infelices ac infames Romæ appellatas; propterea quòd per eas non prodirent, niſi Rei in crucem agendi. Prô quàm nefaſtæ portæ ſunt ora Hiſtrionum, per quas vix prodit vox niſi nefaria! Portæ ominis ſanè peſſimi, cùm vivum nihil, ſed putridum tantùm & peſſimè fœtens inde exeat. Neque tamen hic malorum finis. Funeſtiſſimum eſt, quòd ſic loquendo, audientes ad ſimilia incitent, & ſuo exemplo loqui doceant licenter, & abſque pudore, de iis turpitudinibus, quarum vel nomen Apoſtolus volebat à Chriſtianis ignorari. *Nec nominetur in vobis.* Unde Clemens Alexandrinus, *Non inconcinnè,* inquit, *Theatra cathedram peſtilentiæ quis vocet:* quia in his non Diſcipuli tantùm fœdorum ſermonum, ſed Magiſtri formantur.

*de Curioſit.*

*lib. 3. Pædagog. c. 11.*

XII. Quin ea Prælectionum iſtarum dolenda vis & efficacia eſt, ut abſque morâ cogitationibus ac verbis, facta jungantur: *Adulterium diſcitur,* ajebat S. Cyprianus, *& lenocinante ad vitia publicæ authoritatis malo, quæ pudica fortaſſis ad ſpectaculum Matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica.* En præclaros ludorum iſtorum fructus! en ſcholæ hujus egregiam doctrinam! Hic diſcitur, ut quæ flagitia ac turpitudines tanto plauſu Spectatores audierant, tantâ arte Hiſtriones adumbrârant, & prima duxerant lineamenta, non fictis jam fraudibus, nec ſimulatis machinationibus, ſed vivis quaſi coloribus depingantur, fitque, ut quæ anima ad Spectaculum columba acceſſerat, vultur redeat, cui non niſi cadaveroſa jam fercula ſapiant. Neque verò hæc ſemel duntaxat contingunt, aut iterum; nimis enim quàm magna eſt virtus exemplorum, maximè pravorum: *Inhoneſtatis exempla.* Ratione præditus eſt homo: hujus autem ductum quàm pauci ſequuntur? *Non quà eundum, ſed quà itur.* Illa eligitur ſemita, quæ plurium veſtigiis trita eſt: quàm juſtus igitur metus eſt formidantium, ne Ludorum objecta oculis exempla quàm plurimos habeant imitatores? Et qui interim illi ſunt, qui Matronas his objiciant tam miserè pereundi periculis, quinam ad hanc illas flagitiorum ſcholam adducunt? Non alii quàm ipſi mariti: qui cæci ſuam hanc non agnoſcunt ſtultitiam: ſed videamus, quàm illa inſignis ſit! Si conjuges vel invitis Maritis accedere volunt publica ſpectacula, & intereſſe *Ludis theatralibus*: affirmant Leges, juſtam eam eſſe repudiandi illas cauſam: & huc à Maritis ipſis ducantur, tantùm non cogantur? ita ſanè,

*l. 2. ep. 2.*

*l. Conſenſu §. Vir quæ C. de Repudiis.*

hæc

hæc eſt res ipſiſſima. Primi ſunt Mariti, qui conjuges; primi Patres, qui filios; primæ Matres, quæ filias ſpectatum adducant: hæc autem eſt educatio tam infamis, ut ejus fœditas nec Ethnicos quidem latuerit. Unde jubet Ariſtoteles, ut Magiſtratuum publicorum authoritate, ſi id Parentes negligant, Juvenes à ſpectaculis & theatris arceantur: *Juniores Comœdiarum Spectatores eſſe non ſinat Legiſlator.* At quæ ejus rei cauſa? Nimis quàm neceſſarium eſt, ait Philoſophus, procul à Juvenibus habere, quidquid obſcœnitatem olet, maximè cùm earum rerum nildum experti ſunt: cæteroquin vel ipſa novitas inexpertæ voluptatis ingens in illis ejus experiundæ deſiderium excitabit. Sed reponet aliquis: Quid igitur? an non & juvenes laxamento aliquo opus habent? Canes certè, qui catenâ perpetuò adſtricti ad ædium limina excubant, venationi apti non ſunt. Sit ita; concedantur ſua & Juvenibus animi oblectamenta: an autem alia non ſunt, niſi in præcipitiis? Peſſimè res iſta ſanctum habebat Joannem Chryſoſtomum, & *Erubeſco*, inquiebat, *cùm video virum canitie venerabilem, Filium ſecum trahentem.* Nec fruſtrà *trahentem*, dixit S. Doctor: explicat enim vox iſta id, quod non ſemel obſervatum eſt; ut Parentes vel invitos ac repugnantes filios, adeò vel illâ in ætate præ ſuis genitoribus ſapiebant, ad turpia ejuſmodi Spectacula vi pertraherent. Deum immortalem! Si Orator ſacer paulò apertiùs reprehendit flagitia; ſi ad fructum certiùs conſequendum deſcendit ad particularia, & adjuncta minutim ac ſingillatim explicat, mox vituperatur oratio ut parùm verecunda; nec deſunt, qui minitentur; niſi ſtylum, dicendique rationem Orator mutet, non permiſſuros ſe porrò, ut Conjuges eorum dicentem audiant. Et mox, tam anxiam cautionem obliti, easdem uxores, quin & liberos ducunt ad Ludos, in quibus Hiſtriones plures effutiunt obſcœnitates, quàm voces; ubi non damnatur, ſed triumphat luxuria; ubi exterioris hominis compoſitio ruſticitas, verecundia abjectio, virtutis ſtudium dedecus appellatur, & ſola impudentia ut digna adoleſcente alacritas honoratur. O Cæcitatem deplorandam! Sacerdos ſacris indutus veſtibus, in Templo divino cultui dedicato, Evangelii verba ore proferens, manu calamam gerens nunc ſancti cujuſpiam Doctoris, nunc alterius Scriptoris celebrati, non alio fine, quàm ut abuſus perſtringat, de quibus diſſerit, non ſine periculo audiatur; & cauta ac delicata Parentum in liberis cuſtodiendis providentia offendatur verbulo, quod major fortaſſis zelus, quàm prudentia & circumſpectio ſuggeſſerit? eadémque mox probet Hiſtrionum jocos & argutias feſcenninas, riſus effuſiſſimos, narrationes laſcivas, impudentes in ſcena mulierculas, nutus, geſtus, opera infanda, quæ oculis objiciuntur, &, verbo, ne tantillum indignetur Ludis, qui non aliud æſtimare docent, quàm vitæ præſentis commoda, fu-

Polit. l. 7. c. 17.



turæ

turæ gaudia ſpernere, promiſſiones divinas explodere, & tantùm non Infernum ut ſomniantis delirium irridere!

XIII. Providè igitur & in rem ſuam egerunt mali Dæmones, dum tam ſtudioſè laborârunt, ut Ethnicos ad hujusmodi, quæ deteſtor, Spectacula frequentanda impellerent. Cùm ſæviſſima Romæ peſtis graſſaretur, teſte S. Auguſtino, quæſitum eſt ex Diis tanti mali remedium: reſponderunt autem Idolorum ore Dæmones, non magno negotio lucem illam extinctum iri; nova tantùm Deorum honori erigerent Theatra, novas ſcenas inſtruerent, advocarent majori numero Hiſtriones, & majore, quàm antea, licentiâ Ludos dari curarent. Sed non audita ſunt Orci conſilia; Scipio enim Pontifex Maximus, mendacia hæc Oracula execratus, negavit Sapientum eſſe, animarum ſtrage corporum morbis mederi, & morum ac honeſtatis peſte, tollere peſtem ſanitatis: & placuit Patribus Conſcriptis Pontificis magis, quàm Deorum
S. Aug. l. ſententia. *Neque enim*, ait S. Doctor,
1. de Ci- *erant illi Dii ſuo Pontifice meliores.* Ap-
vit. Dei paret tamen, quàm ſolicitè curet Or-
c. 32. cus, ut augeatur potiùs, quàm minuatur Spectaculorum numerus: nec enim ignorat, rectè dixiſſe S. Joan.
in Matt. Chryſoſtomum de Theatrorum patro-
Hom. 6. no: *Diabolicam conſoves officinam.* Atque hæc de perverſo hoc rerum ordine, ex quibus cum Tertulliano colligamus, Ludos Theatrales, ut factis ipſis authores ſunt, & inventores erubeſcendorum flagitiorum, ita re vera Theatra mutare in Delubra, cunctis dicata Dæmonibus, aut certè tam multis, quot ſunt eorum Spectatores: *Tot illic immundi ſpiritus conſident, quot homines de Spe-*
*capit.* Et cùm hæc ita ſint, neget por- *ctac. c.*
rò, qui poteſt; Ludos Theatrales te- *12.*
la & arma invicta hoſtibus noſtris omnibus, Mundo, Carni, Dæmoni ſubminiſtrare. Hiſtriones verè veneficos & Magos eſſe, quique eos tantâ voluptate auſcultant, maleficio faſcinatos eſſe, qui jure ſuo in Templis inter Energumenos locum inveniant. *Faſcinatio nugantium obſcurat bona.*

III.

XIV. Atque, ut dicamus, quod res eſt; nimis quàm verè ac propriè affirmari poteſt, hoc Spectaculorum & Ludorum obſcœnorum faſcino obſcurari omne bonum; *obſcurat bona*: ſicque indicatur tertium maleficii genus, quod ſomniferum appellant, quo animi & conſcientiæ Spectatorum obdormiſcunt, & alto lethargo merguntur. Solenne Magis eſt, profundum, ſacrilegis ſuis artibus, hominibus ſomnum conciliare, ut interim agere ipſi inter ſe, furari, & nemine interpellante exequi poſſint, quidquid flagitiorum arriſerit. Ita Dio- *Del Rio*
nanti, Leodinenſis Diœceſis oppido, ſub *l. 3. p. 1.*
veſperum nebulones duo cauponam *q. 2.*
meritoriam ſubierunt; qui etſi longo ex itinere feſſos admodum ſe ſimularent, expedire tamen ſe non poterant, ut cubitum concederent; donec urgente importuniùs caupone impetrarunt, ut haud procul animo ſomnum capere liceret. Movit ea res ſuſpicionem ancillæ domeſticæ, ut ſtatuerit alicubi per rimas explorare, quid

tan-

tandem homines illi molirentur. Cùm ecce concubiâ jam nocte ex hippoperâ promunt manum humanam, unctiſq; ſingulis ejus digitis igni, ut cereum, admovent accenſuri. Arſerunt ſinguli, uno dempto, Magis non parùm ſtupentibus, qui cùm denuo & illum accendere digitum fruſtrà conati eſſent, argumento id ipſis fuit, omnes domûs inquilinos, præter unum, ſomno altè merſos eſſe. Unum hunc vigilem cùm ſibi contemnendum ducerent, appensâ ad caminum manu ardente, domo prodierunt ad ſocios advocandos, quorum adjuti operâ totas ædes expilarent. Inſiſtit eorum veſtigiis ancilla nihil territa, & aperta domûs oſtia claudit denuo: dúmque de re tota edocere Patremfamilias & domeſticorum reliquos tempori conatur, tam alto ſopore abſorptos advertit, ut excitari nulla ratione poſſent. Cauſam ejus rei divinando aſſecuta, ad caminum redit, ibique ſuſpenſæ & ardentis manûs digitos omnes extinguit; cùm mox evigilârunt omnes, & intellectis, quæ acciderant, fecerunt, ut nebulones iſti à Magiſtratu capti equuleo torquerentur; ubi & meditatum expilandæ domûs facinus, & artem perficiendi, ope faſcini illius ſomniferi, confeſſi ſunt. Viſum eſt referre eventum hunc minutim valdè, non nego; ſed non abs re, ſi ad id, de quo agimus, illum applicando, arguetis, quæ quantáque ſit vis lethargi maleficio conciliati; illius inquam, quo obdormiſcunt Theatralium Ludorum Spectatores, ſic ut oculos deinceps aperiant nunquam ad cognoſcenda ſua pericula, niſi cùm mors faſcinum ſolvit. Somnus quædam immobilitas, & ſtupiditas ſenſuum eſt. *Arles. l. 1. de ſomno c. 1. n. 11.* Talis eſt in his Fidei ſomnus, quæ nihil agit, & ſomnus ſpirituum, qui proprii ſunt hominis Chriſtiani; in his autem Spectatoribus immoti planéque otioſi ſunt. Nec ſomnus tantùm eſt, ſed & ſomnium. Somnus dico & ſomnium; non ſolùm enim non vident, quæ ſunt, ut cuncti dormientes; ſed videre etiam ſibi videntur, quæ non ſunt, ut ſomniantes: *vident vana:* hisque vanis & mendacibus ita capiuntur, ita paſcuntur, perinde ac ſi veriſſima eſſent; *Dormientes, & amantes ſomnia.* *Iſ. 56. 10.* Sed ſi intelligi volo, explicatiùs hæc dicam oportet. Rectè dormientes iſti effaſcinati dicuntur videre vana: *vident vana:* inveniunt enim, & ut legitimas æſtimant frivolas ſe purgandi rationes. Tria ad capita hæ reduci poſſunt. Sunt, qui cùm ſæpe ſpectent ejusmodi Ludos, ipſos excuſant; tertii omnium teterrimi accuſant eos, à quibus reprehenduntur.

XV. Primi igitur ſomniorum iſtorum amatores purgant ſe, dicúntque; licèt frequentes ipſi in Theatris ſint, & audiant Comœdias audiri indignas, nihil tamen inde in ſe redundare detrimenti; gaudere ſe illis, ut oblectamentis prorſus innoxiis, neque quæ Sancti Doctores tantopere exaggerant, atque inculcant, incitamenta ac ſtimulos ad peccatum, quoquo modo experiri. Malè metuo, ne, qui ita diſſerunt, avium inſtar ſint dormientium, quæ captas ſe & laqueo intricatas

non ſentiunt, quia nunquam movere ſe & avolare tentârunt; homines aſſueti trahi quâcunque ad peccatum pellaciâ, non videntur ſibi tentari, quia, ut S. Auguſtinus monuit, ne quidem expectant tentationem, ſed eam præveniunt, & oppugnari ſe non ſentiunt, quia non repugnant. *N.n expectant tentationem, ſed præveniunt voluptatem.* (*de Pœnit. d. 5. c. conſideret.*) Quamquam fieri tandem poteſt, ut non tententur; cùm Dæmon, qui aditum in eorum animis ad omne peccatum videt apertum, non velit gratis pulſare & tundere, ut pateſiat: haud aliter ac belli Dux aliquis non amat fruſtrà tormentis quatere aggerem inter propugnacula medium, in quo aditum ad irruptionem jam patentem cernit. Cæterùm quis imaginari ſibi poteſt, eos, dum plaudunt argutiis feſcenninis, jocis obſcœnis, moribus impuris Spectaculorum, quibus interſunt, re ipsâ ex toto immunes eſſe à multis oblectationibus, quæ non notantur, cùm una aliam mox conſequatur? S. Paulus Concupiſcentiam Legis nomine indigitavit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ* (*Rom. 7. 27.*): qui quidem titulus tam in eam quadrat, ut ſubinde paſſim eum ſcholæ retinuerint, *Legem ſomitis* appellando (*S. Thom. 1.2. q. 91. ar. 6.*). Quæ autem eam ſic appellandi cauſa? Duabus ad id inductum Apoſtolum exiſtimo; prima eſt: quia Lex eſt inexorabilis; nequit flecti, ſicut Legiſlator, qui & precibus cedere, & mutare ſententiam poteſt. Lex ſemper eſt eadem. Talis eſt & Concupiſcentia: non flectitur; non mutatur, ſed eodem ſemper modo ad hoc inclinat ſenſus, ut quærant, quæ delectant. Altera cauſa fuit; quia Lex ad omnes pertinet, omnes ligat, qui quidem Legiſlatori ſubjecti ſunt, excepto nemine. Sic & Concupiſcentia, nemini non ſua promulgat imperia, quamvìs tyrannica, & cunctis ſubditis onus idem imponit. Quomodo igitur, & quâ fronte iſti eximios ſe jactitant à Lege non communi minùs, quàm ſævâ, quæque vel Apoſtolo gemitus expreſſit, ſentienti difficultatem pugnæ, quâ illi repugnandum erat? Fierine poteſt, ut tam imperioſa hæc domina, qualis quidem ipſa videri vult, tam eos clementer habeat, ut videre, audire, imaginari, loqui, in materia usque adeò lubricâ, alliciantibus foris exemplis, pravis intus propenſionibus impellentibus, poſſint quidlibet impunè, & nullo peccandi periculo? Abietes, dixit Plinius, videri tempeſtatum metu procul à mari receſſiſſe, & in altiſſimis montium jugis naſci, creſcere, & conſervari elegiſſe: *Situs, in excelſo montium, ceu maria fugerint.* (*Plin. l. 16. c. 10.*) Nec tamen vel ibi à ventorum furiis ſecuræ conſiſtunt, quò minùs modò hæc, modò illa, radicitus evulſa dejiciatur: & ſecuræ, omnes ventos in medio undarum rideant, in navi, ut arbores absque radicibus plantatæ? Dicere volo; viros ſanctiſſimos non ſatis tutos ſibi videri etiam in ſolitudinibus inacceſſis, & ibi cum S. Hieronymo turbines ac tempeſtates Theatrorum experiri. Et homines peccatis innutriti, credant ipſi, & alios credere velint, mediis in Theatrorum periculis gaudere ſe illâ pace, ac tranquil-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quillitate, quam vix tandem deſerta conferunt, & ſcire vel ipſum Spectaculorum tumultum ſibi in eremi ſilentium mutare? Non credidit hoc Ter- Spect. tullianus, ſed, *Nemo ad voluptatem venit ſine affectu*, dixit, *& nemo affectum ſine caſibus ſuis patitur.* Non Salvianus, cujus hæc ſunt verba; *In illis ima-* Prov. *ginibus fornicationum omnis omnino plebs* 6. *animo fornicatur, & qui fortè ad ſpectaculum puri venerant, de Theatro adulteri revertuntur.* Et ab his aſſertionibus, omnes univerſim complexis, ſoli iſti ſe tam facilè eximant? Quis non videt, meris ſomniis infelices deludi?

XVI. Quamquam quid multis eſt opus? Satis eſt, ut vos perverſi ſitis, flagitioſos eſſe Ludos, quos ſpectatis, & auditis, nullâ ad id compulſi neceſſitate: hac enim ratione vos ſaltem fovetis, quæ ibi admittuntur, peccata. Omittamus, quòd, etſi non arduum eſt ſpectare fraudes, perfidiam, cædes, quin ſpectando quis contaminetur; non tamen eadem ſit ratio Ludorum laſcivorum. Quæ cauſa fuit, ut ma- Plin. l. 16. c. 14. gnus, cujus modò verba attuli, Præſul dicere non ſit veritus, idem eſſe in ſpectaculis & Actorum, & Spectatorum de ſcelus. *Sola ſpectaculorum impurita-* l. 6. *tes ſunt, quæ unum admodum faciunt & agentium, & aſpicientium crimen.* Omittamus inquam iſtud. Parúmne illud videtur, vos æſtimationem Ludis hic conciliare, vos Hiſtrionum accendere ſtudia, dum approbatis, plauditis, nullóque non geſtu oſtenditis, magnopere vobis cuncta placere? quid enim? An Hiſtriones iſti iterum iterúmq; prodirent in ſcenã, indies audaciores impudentioréſque redderentur, ſi ſolitudinem circa Theatrum viderent, neminem ipſis plaudentem, faventem neminem? *Qui laudant iſta* hom. 6. *dicentes, ipſi eis hæc exercere perſuadent;* in Matt. affirmat os aureum. Neque eſt, quòd excuſetis. Etiam vobis abſentibus non defore qui ſpectent: neque enim iſtud vos purgat. Inprimis ſiquidem, non lego uſpiam SS. Doctores, eos, qui primi accedunt ad hæc Spectacula, diſtinguere ab illis, qui ſequuntur præeuntes: nullo enim diſcrimine in omnes, qui interſunt, invehuntur. Dein edicite. Sicubi conjurarent in vitam Principis aliqui, aut ſeditionem ſaltem adversùs eum concitare niterentur, an rectè ſe quisquam purgaret, ſi affirmaret, ſe acceſſiſſe poſtremum, & absque ſe conjurationem fuiſſe ſorti turam effectum? An non, quàm quisque amat Reis læſæ Majeſtatis non accenſeri, tam procul ille habere ſe debet ab omni cum conjurantibus commercio & communione? Cur igitur non eadem tenenda ſit ratio in re noſtra? Neque enim ſcio, an uſpiam contra Chriſtum tam perfidè conjuretur, quàm in Theatris impudicis. Iterum ergo ſomniant, qui ſe purgant, & inſontes videri volunt, quia ad hæc Spectacula primi non accedunt.

XVII. Non minùs illi ſomniant, qui dicunt; SS. Doctores execrari Ludos, ſed Ethnicorum & ſui temporis, à quibus cùm hodiernæ Comœdiæ differant longiſſimè, illorum ſe fulminibus non tangi. Cuperem equidem doceri, quid antiquæ illæ Fabulæ

ha-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

habuerint magìs vel periculoſum, vel pernitioſum, quàm hodiernæ? Damnabant Viri illi verè ſapientes argumentum agendi, & ſe in theatris veſtiendi modum. Quid horum minùs laſcivum in noſtris? Quid dico, minùs laſcivum? Utinam multò abominabiliora pleraque non eſſent! Noſtíſne, quid huic cauſæ potiſſimùm noceat? Non aliud, quàm quòd hoc ex loco liberè dici omnia non poſſint, quæ res poſceret. Cæteroquin quæ ego, & qualia in medium afferre poſſem, quæ dies noſtri ſpectârunt in Theatris Chriſtianis? Satis ſit vel hoc dixiſſe; talia eſſe, ut dicere non liceat: cùm hoc Theatrorum flagitiis proprium ſit, ut Salvianus notavit, quòd ne quidem ab execrante enarrari poſſint. Ingenioſa quælibet clepacium hominum furta minutim hîc à me deſcribi poſſent & enarrari, quin neceſſe eſſet quemquam obturare aures: nec diſpar eſt vel detractionum famæ, vel mendaciorum, vel ſævitiæ, quin atrociſſimorum etiam facinorum, quæ publici Latrones perpetrant, ratio; quæ autem in Theatris geruntur, quis honeſtus narret? Unde Salvianus. (*de Prov. l. 6.*) *Sola ſunt Theatrorum impuritates, quæ honeſtè non poſſunt vel accuſari.* Satis proinde mihi erit, affirmâſſe, ſi Tertullianus veteris Romæ Theatra nominibus tam probroſis compellavit, ut illa diceret, nunc Impudicitiæ contubernia, nunc Sacraria Veneris, aliàs omnis infamiæ aſyla; ne uno quidem horum titulorum non jure ſummo compellari, de quibus nobis ſermo eſt, Theatra Chriſtianorum.

XVIII. Cùm autem ſe ipſis tam improbi, tam conſcelerati ſint iſti Ludi ac Fabulæ, an non & tempus, quo dantur, plus ipſis aſpergit infamiæ, atque culpæ? Leges non Cæſareæ minùs, quàm Pontificiæ, omnes olim diebus feriatis Ludos ſcenicos prohibuerunt. *Dies feſtos, dies Majeſtati altiſſimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari;* Supremi Imperii Monarchæ edixerunt: & de die Dominica diſtinctiùs loquendo; *nihil,* ajebant, *de eadem die ſibi vendicet ſcena Theatralis.* Servabant autem id tam ſanctè, ut, ſi quando annua natalis eorum diei memoria in Dominicum incidiſſet diem, quæcunque tunc edenda erant lætitiæ argumenta, alio non feriato die edi juberent. *Et ſi in noſtrum natalem ſolennitas inciderit, differatur.* Ut autem magìs pateat, quantopere debita illis diebus reverentia Monarchis iſtis cordi fuerit, pœnas audiamus, quibus Legem ſanxerunt. *Proſcriptionem,* decernunt, *Patrimonii ſuſtinebit, ſiquis unquã hoc die feſto ſpectaculis intereſſe. &c.* Quæ ergo iis fuerit ſtatuta mulcta, qui dare ludos auſi fuiſſent? Concilia deinde Carthaginenſe, Colonienſe, Toletanum aliáque quàm impensè curârunt, ut feriatis diebus Spectaculis interdicerent? Etiam Anathematis fulmen intentare non dubitârunt: *Qui die ſolenni, prætermiſſo ſolemni Eccleſiæ conventu, ad ſpectacula vadit, excommunicetur.* Statuerúntque, ut ejuſmodi diebus ex omnibus planè Provinciis Chriſtianis Spectacula exularent. Et tamen hodie non ſolùm irreligioſa dies feriati, præquàm ulli alii, hac peſte

[*l. dies C. de feriis, Leo Valent. Theod. Arcad. Gratian.*]

[*de Conſecr. d. 1. c. qui die. de Conſecr. d. 1. c. irreligioſa.*]

ſte

ſte contaminantur, ſed alicubi nec ſacro quidem luctui deſtinati dies eximuntur; verni nimirum longioris jejunii. Hebræi Veteres, S. Hieronymo teſte, ſuâ exules Solymâ, non parvo ære redimebant quot annis eò adeundi veniam, ſuúmque exilium deplorandi. Verùm quàm nullus erat earum lacrymarum fructus, tam malè æs illud expendebatur. Alia Peccatorum conditio eſt; qui certi ſunt, quòd flendo reparare jacturas ſuas poſſint: unde non argentum & aurum, ſed ſanguinem adeò ipſum meritò eam in rem profunderent. Et tamen, dum tantâ benignitate Deus ejusmodi ipſis tempus concedit, quale præcipuè Quadrageſimæ eſt; non deſinent miſeri etiam illud ipſum in ſolatiis, in oblectamentis impuris, in laſciviis traducere? *Lacrymis tantùm pœnitentiæ, S.* Joannis Chryſoſtomi querela eſt, *promittitur remiſſio, & inter hæc Theatra ſectamur?* Par erat, Infernum Saturnalium tempore, quod ſibi impius ut proprium vindicavit, ſummâ Conditoris injuriâ, cujus ſunt momenta planè omnia, contentum, reliquos anni menſes diésque Deo, ejúsque cultui totos permittere. Sed ille parte jam nullâ ſatur totum ſibi vindicare annum laborat; vult, ut nullo non tempore cæci mortales ejus execrandis deſideriis litent: *habet fiduciam, quòd Jordanis influat in os ejus.* O Dolendam Eccleſiæ ſanctæ ſortem! quis ejus ſolabitur lacrymas? Sperabat illa, ſe ſacrâ cinerum Cæremoniâ, quâ jejunium longius inchoat, cum Moyſe, in cineres redegiſſe infame voluptatum Idolum, quod inſani earum amatores Saturnalium tempore impiè adoraverant; ſed ô quàm illa ſpe ſuâ fruſtratur! Vix enim pauci abeunt à ſacro eo ritu dies, cùm Idolum hoc ſuis videt è cineribus reſurgere vivaciùs, ſtatui illi iterum in Theatris aras, convenire amplis in diætis frequentes ejus adoratores, rursúmque tot illi voluntarias cædi victimas, quot miſeræ animæ non dubitant ejus causâ æternùm ardere in Inferni rogo. *Ad aram luxuriæ in Theatris, quaſi victima trucidantur.* Oroſ. l. 4. Has autem veritates non cognoſcere, an non lethargi Chriſtiano in populo certum argumentum eſt? Hos abuſus neſcio quibus coloribus illinere, & quæſitis rationibus tueri velle, non eſt ſomniare? His autem rationibus etiam fidem adhibere, tantam ferè, quanta veritatibus à Deo revelatis debetur, an non eſt amare ſomnia?

XIX. De illis quid jam pronuntiabimus, qui non tantùm ſpectantes, atque ipſos ludos & fabulas obſcœnas excuſant, ſed etiam accuſant eos, qui cum Theatris Ludos damnant? Et tamen nec tales deſunt. Si Orator ſacer nolit eſſe Canis mutus, mox reprehenditur; ut qui inter ſeculi aſſeclam, & Eremi incolam diſtinguere neſciat; homo nullius judicii, prudentiæ ac humanitatis expers, inimicus laxamentorum publicorum, licèt innocentûm, vocitatur. Febri laborantium ſomnia monſtroſa eſſe ſolere Philoſophus aſſerit. *Lib. de ſomn. c. 3. n. 2.* Quis igitur ſanâ mente & judicio illos pronuntiet, qui non verentur aſſertiones tam abſo-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſonas, tam monſtroſas proferre, &c, ut loquuntur, ſentire? Et primum quidem quod attinet, ego quidem Eremitam inter, & profanum in ſeculo hominem differentiam ſanè palmarem ſtatuerem: dicerem autem: Profani in ſæculo hominis eſſe, curâ multò majore quovis tempore cavere ac vitare pericula peccandi, quàm illa vitet Anachoreta; quid enim vobis videtur? Quis duorum ſolertiùs vitare debet feri Apri dentes, an qui in arbore ſublimis ejus vanas iras deſpicit, an qui plano in ſolo plagis ab eo accipiendis expoſitus eſt? Deinde ſi ſine judicio, ſine prudentia & moderatione, ſi inimici oblectationum publicarum ſunt Oratores illi, qui apertâ fronte in Theatrales fabulas invehuntur, numerentur ſanè hos inter judicii, prudentiæ, moderationis expertes homulos primi quique, quos recenſui, Patrum, Legislatores orbis, coacti in Conciliis Præſules: quin nec ipſa hoc è numero eximatur Eccleſia, quæ tam ſine ambagibus Theatra inter Diaboli pompas execratur, quibus ſacro in Lavacro credentium quemlibet nuntium jubet remittere. Hoc, Tertulliano teſte, inter præcipua olim Chriſtianos ab Ethnicis diſcerdendi ſigna erat; Theatralibus Ludis abſtinere: *Hinc Ethnici vel maximè intelligunt factum Chriſtianum, de repudio ſpectaculorum.* Eâque causâ vir ille magnus cenſuit, tacitam quodammodo Baptiſmi ejurationem eſſe, illud, quo diſcerneretur, ſignum non curare. *Itaque negat manifeſtè, qui, per quod cognoſcitur, tollit.* Neque id inde factum quis exiſtimet, quòd olim in Theatris aliquis Diis cultus exhiberetur. Nec enim hanc, ſed aliam ejus prohibitionis cauſam Tertullianus affert: *Habes igitur*, inquit, *& Theatri interdictionem de interdictione impudicitiæ.* Idémque Maſſilienſis Antiſtitis ſenſus erat, qui idcirco dixit: *in ſpectaculis quædam Apoſtatatio Fidei eſt.* Unde ſic Fidelem quemlibet hortatus eſt: *Quomodo igitur, ô Chriſtiane, ſpectacula poſt Baptiſmum ſequeris, quæ opus eſſe Diaboli confiteris?* (de Prov. l. 6.) Et convitiis hodie proſcindantur Sacri Oratores, qui non tacitè ab iis, quæ tam ab eorum conditione aliena ſunt, Chriſtianos dehortantur, illaque damnant, & execrantur?

XX. Satis equidem hinc patet, eos, qui theathorum hodiernas fabulas ſuo patrocinio dignantur, ſi minùs Fidei ipſius, certè illius luminis, quo hæc nos illuſtrat, ad res omnes ſuo merito æſtimandas, jacturam feciſſe. *Chanaan, in manu ejus ſtatera doloſa: calumniam dilexit.* (Oſeæ 12. 7.) Cùm in rebus ponderandis fraus intervenit ex parte ponderantis, non difficile malo remedium eſt; at cùm bilances juſtæ non ſunt, quis tum errorem corriget? Noſtræ ætatis Chriſtiani vitæ Chriſtianæ veram Ideam ampliùs non habent, quia nimirum magnam partem amiſerunt Spiritum Chriſti, in Baptiſmo ſibi donatum, quo renati ſunt ad vitam è diametro oppoſitam vitæ Adami veteris; atque hinc vix jam agnoſcuntur eſſe, quod ſe eſſe verbis profiten-

ſitentur. *Siquis autem Spiritum* m.8.9. *Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Videntur inſiſtere veſtigiis non Dei, ſummos inter cruciatus ab omnibus deſerti, & feralem in Crucem acti, ſed Sardanapali alicujus, in luxu & delitiis marceſcentis. Cùm ſermo infertur aliis de rebus, quàm quomodo tempus hilariter cum aliis tranſigendum ſit, peregrinum id ipſis idioma eſt. Chriſti Servatoris Diſcipuli, cùm ſæpius citra ullas ambages ex ore Magiſtri ſui divini audirent, vicinum eſſe ultimæ & feralis inter c. 18. 34. tormenta Tragœdiæ tempus; *Ipſi nihil horum intellexerunt: & erat verbum iſtud abſconditum ab eis: & non intelligebant, quæ dicebantur.* Mira profectò ruditas & hebetudo, quam ſacer Scriptor vix ſatis ſibi videtur poſſe exprimere; unde non contentus dixiſſe: *non intellexerunt*, addit, *erat abſconditum ab eis; non intelligebant.* Unde autem tarditatem hanc & hebetudinem in Apoſtolis natam exiſtimemus? Non alteri ſanè fonti originem illa ſuam debuit, quàm præceptæ opinioni & ſpei, quâ ſibi perſuaſerant, Regnum Chriſti fore, quale vulgo in Mundo eſſe ſolet, pompâ, opibus, omnis generis delitiis inſigne, non futuræ, ſed præſentis vitæ. Hinc capere non poterant, cùm de abjectione, doloribus, morte ſermo inferebatur. Non diſpari causâ ægris hodie auribus Chriſtiani illorum Oratorum admittunt verba, qui veritates, ſenſuum illecebris repugnantes, inculcant: & ſi quando audiunt, tam non ſinunt penetrare in animum, ut mox illas, velut tela, in ipſos monitores ſuos retorqueant: tam enim ſunt deliri, ut exiſtiment, ſe Legem mentis, Evangelicâ doctrinâ imbutæ, fœdere aliquo conjungere poſſe cum Lege membrorum & Concupiſcentiæ: nec capere volunt, Virtutem & ſanctimoniam Chriſtianorum eſſe virtutem Crucis, pugnæ, & violenti, adversùs rebelles motus & cupiditates, continuique certaminis; ipſumque cæleſte Regnum non aliis in præmium ceſſurum, quàm qui vi & armis illud ſibi vindicârint. *Violenti rapiunt illud.* *Arl. ſect.* Non ſomniant, qui profundo admo- *30. probl.* dum ſopore merſi ſunt. Aliter ſe res *n. 13.* noſtræ habent: neque enim alius ſomniando delirat vehementiùs, quàm qui profundiſſimo Orci ſomno abſorptus eſt. Interim iſti tranquillè admodum dormire pergunt, & eam ſomniis ſuis fidem præſtant, ut arcanarum ea veritatum loco habeant; ſicque præſtigioſum hunc ſomnum dormiendo, temporis & ſpatii abundè concedunt malo Dæmoni, quo animum omni virtute exuat; ut auferat oportunum pœnitentiæ tempus; perſuadeatque, ut in omni vitæ licentiâ tranſigatur, quod ſerio ſanctóque dolori erat impendendum.

XXI. Quid autem, AA. dilectiſſimi, an non evigilabimus tandem? Non diſcutiemus ſomnum antè, quàm terribilis illa tuba nos mox citet ad Tribunal, à quo nulla eſt appellatio? *O inſenſati!* Liceat mihi ſub finem Apoſtoli vos verbis alloqui. *Quis vos*

*faſcinavit non obedire veritati?* Quæ adduxi rationum momenta, ut Theatralibus vos à Ludis abſtraherem, tanti ſunt ponderis, ut qui iis non movetur, inſenſilem illum, & ſine motu eſſe oporteat. Nolle igitur applicare mentem, quàm immanis eſt deceptio? An non incantatum, faſcinatum præſtigiis, dementatum fateri eum neceſſe eſt? Et qui tandem ſunt illi, qui vos avertunt? Qui ſunt illi, qui ſunt, inquam, Magi illi, qui imaginatricem veſtram facultatem tam pertinaciter faſcinârunt? *Quis vos faſcinavit?* Sunt fæx hominum, quos ipſi vos infames judicatis: quos infames pronuntiârunt Leges Cæſareæ, iisque diu Urbe interdixerunt: multóque magis infames eos cenſet Eccleſia, quæ Hiſtriones à ſacris Ordinibus, ut ineptos arcet. Reſpondeat ergo, qui vult, Tertulliano, qui ut olim contra Ethnicos, ita nunc contra Chriſtianos ſic arguit: Hiſtrionum conditio an honore aliquo digna eſt, an verò vilis & abjecta? Si vilis & abjecta, cur vos hiſtrioniam exercentes laudibus extollitis? Cur feſtinatis ad illos audiendos? Cur probatis, amatis, & tam non fictè plauditis? Si autem honore digna eſt, cur hunc illis negatis? Cur Magiſtratu aliquo, & munere publico non ornatis? Cur ne ad privatum quidem cum iis commercium deſcenditis? Cur pudet affinitatem cum iis contrahere, inter agnatos numerare? Non capio, ait
*de Spect.* Doctor iſte: *Quanta perverſitas! amant,*
*c. 22.* *quos mulctant, Artem magnificant: Artifices notant.* Si verè itaq; infames Hiſtriones ſunt, cur eorum gratiâ receditis à verâ ſemitâ? Hæc hominum fæx tam eſt turpis, ut turpiſſimam S. Auguſtinus dixerit: *Turpiſſimi Scenici.* Et *in Pſ. 103.*
his tam vilibus, tam turpibus juncti ſociis ſiſtere aliquando vos vultis Chriſto Judici? monuit ille dudum per Iſaiam: *Sta cum Incantatoribus tuis, &* *Iſ. 47. 12.*
*cum multitudine maleficiorum tuorum.* Non aliam nimirum, qui his juncti ſunt, habent, quam illo judicii die expectent, quàm eandem cum ipſis, & immitem ſententiam. Comparate igitur hos, qui vos in fraudem inducunt, vobiſcum ipſis, qui decipi vos ſinitis. Fraudulenti illi & deceptores qui ſint, jam nôſtis: reliquiæ ſunt infelicis Ethniciſmi, cujus ne hodie quidem abuſus omnes aboliti ſunt. Vos, qui in fraudem volentes inducimini, Chriſti eſtis aſſeclæ, vocati, teſte Apoſtolo, ut ſitis ſancti: *vocatis ſanctis.* Abluti Sanguine Servatoris veſtri, ut rectorum operum ſtudio grati ſitis Deo, *ut mun-* *Tit. 2.*
*daret ſibi populum acceptabilem, ſectato-* *14.*
*rem bonorum operum.* Electi, ut gravitatis, modeſtiæ, doctrinæ exemplo nationes Orbis univerſas ad Deum ducatis. *In populo gravi laudabo te.* Et *Pſ. 34.*
vos eadem, quæ infames illos, extre- *18.*
mo illo die ſententia fulminet? Sinite illos faceſſere in malam rem. Primorum ſeculorum Chriſtiani non ingrediebantur in Amphitheatra, niſi ut egrederentur Martyres: & nunc Amphitheatra eadem Dæmonibus ſerviant, ut ſuarum delitiarum receptacula, qui gaudeant, cruenta illa gladiatorum Spectacula, ubi tanta humani

Sanguinis copia fundebatur, mutata eſſe in Spectacula obſcœnitatis, ubi ſtrage multò funeſtiore litetur Orco tot animabus, lethiferâ voluptate mactatis? *Quis vos faſcinavit?*

XXII Perpendite, vos Chriſtianam veritatem pridem eſſe profeſſos, & dudum curvâſſe colla ad ferendas illius Leges; quibus proinde obtemperandum ſit, nec unquam permiſſum, ut ab iis perfidi deficiatis. Quod autem perfidiæ argumentum certius, quàm tranſire in caſtra, in quibus inimicæ adhuc Idololatrarum turmæ Deum oppugnant? *Nemo in caſtra hoſtium tranſit, niſi deſtitutis ſignis & Sacramentis Principis ſui*; hanc in rem Tertullianus olim ajebat; ego autem hodie vobis inculco. An nobis Chriſtianis deſunt, quæ miremur, Spectacula? Omnium inſtar ſit ſupremum illud Iudicium, cujus paulò antè memoriam vobis refricavi. Prô! quantus ſe ibi pandet campus, quàm multa ſe offerent, quibus contemplandis horas optimas rectè impendatis! Quæ ibi Perſonarum varietas! quæ ſcenarum mutationes! Quæ ſortis ac fortunæ Metamorphoſes! Quæ, per Deum, cataſtrophæ! quis riſus, quæ rabies, quâm affectus & ſenſa diverſa! Hoc ſpectaculum quisquis animo ſuo objecerit, non ambigat, quin inventurus ſit, unde timeat, unde ſperet, unde gemat, unde gaudio triumphet, unde attonitus hæreat. Et hæc non ficta fabula præ omni Adonide, Amarylli, aliis otioſorum hominum commentis animum non rapiat? Nemo igitur, nemo deinceps ſectetur fallaces has ineptias, qui tanto digniora inveniet in re, ac veritate: ſed ſalutari potiùs dolore percitus, quòd tamdiu cum Mundo deſipuerit, à Deo errorum, ac ſtultitiæ veniam ſupplex petat: *Deprecanda eſt miſericordia Dei, ut donet intellectum ad iſta damnanda, affectum ad fugienda, miſericordiam ad ignoſcenda.*

Spect. 24. (margin)

In Pſ. 50. (margin)

His verbis ſuam clauſit S. Auguſtinus, his meam ego claudo de Theatris Diſſertationem.

# DISCURSUS XXXII.

## *De Vitio Ludendi.*

*Boter. in Relat.*

I. SOlymannus Turcarum Tyrannus formidando cinctus exercitu in ipſa Ungariæ viſcera penetraverat, & redactâ jam in poteſtatem parte ejus non modicâ, reliquam ſpe devoraverat. Quid interea Dynaſtæ Ungari? An rebus tam trepidis expedierunt arma, legerunt feſtinatis delectibus militem, Duces bello gerendo præfecerunt, annonam quâ militarem, quâ eſcariam convexerunt undique, urbes arcéſque aggeribus,& multo milite munierunt? Nihil minùs ipſi. Ut victimæ cruento deſtinatæ & jam devotæ Sacrificio pergebant delitiari: ludis, choreis, conviviis, ut vix unquam magìs, indulgebant; & lætiſſima vivebant Saturnalia: Sic ut ſapientior ex eorum numero aliquis dicere auditus ſit: Non memini vel audire, vel legere, ullius unquam Regni jacturam tam feſtiva inter gaudia ac tripudia factam. Faceret utinam bonus Deus, ne in diſcrimine non minore æquè læta ſit ſocordia, & tripudia Chriſtianorum, dubites, magiſne inſana, an funeſta & fatalia? Hæret in viſceribus quaſi noſtris Dæmon, armatus audaciâ, fraudibus, verſutiis, præter opes ac potentiam maximam. Vitæ noſtræ partem jam non modicam ſibi vindicavit, & reliquam ſpe devoravit; eam quoque ſuam facturus: interim Chriſtiana gens, pro eo, quòd ardentiſſimis ſuſpiriis nova à Deo poſcat ſubſidia, pro eo, quòd inflictis ſibi verberibus, ciborum abſtinentiâ, aliiſque pœnalitatibus ſe obarmet, robur ac vires crebro divinorum myſteriorum uſu augeat, quid agit? Totam ſe permittit delitiis, ſymphoniis, amoribus, choreis, comeſſationibus, ludo omnis ſortis ac generis, licito an turpi, perinde habet, & hoc ſanctiores Deóque maximè dicatos dies totos inſumit! A nullo igitur Hiſtoriæ Scriptore literis uſpiam conſignatum eſt, ullum Regnum, ullam Provinciam, tam læta inter tripudia amiſſam, inter qualia non pauci Fidelium perdunt æternum Cæli Regnum. Verùm quia querelæ & lacrymæ amenti ſanam mentem non reſtituunt, ad remedia tranſibo; ſic ut poſtquam tam non perfunctoriè diebus præteritis Ludos Theatrales exagitavi, hodie ludendi aſſuetudinem non mitiùs caſtigem, enitendo, ut hanc probè aſſequamini veritatem: idè omnino eſſe ludo alearum, chartarum, &c. ſe dedere, ac animæ jacturam facere. Neque verò ullam allaturus mihi videor cauſam impellentem, quâ

vos

vos certiùs à re tam periculoſâ avertam, quàm modò propoſitam: quisquis enim ludit, ludit, ut vincat: quis ergo non abſque mora ludum abrumpat, ſi intellexerit, ſe ludendo tam nihil lucraturum, ut etiam ſe ipſum perdat?

II. Ne tamen putetis me nimiâ in dicendo exaggeratione uti, neceſſe prius eſt tria ludi genera diſtinguere. Primus eſt Ludus honeſtus; alter modicum quid de malo habet; tertius planè honeſtati adverſatur. Ludus honeſtus & cum virtute eſt, cui quis indulget ad mentem à nimia contentione nonnihil laxandam: cùm enim vires hominis, tam quæ mentis ſolius, quàm quæ corporis ſunt, certis, & arctis quidem limitibus definiantur, exhauriuntur ſcilicet multâ & attentâ cogitatione; ac proinde oporret remittere tantiſper, & iis, quæ animum oblectant, vires ſecuturis laboribus reſtaurare: haud ſecus ac arcum ſemper intenſum frangi neceſſe eſt; cùm opportuno tempore remiſſus fortiùs ac longiùs tela jaculetur. Qui autem ſic ludant, non admodum multi ſunt: tot enim tàmque ſcrupuloſè ad ludendum cum virtute à Doctoribus conditiones requiruntur, ut propè dixerim ne chymicæ quidem artis periti tam multas ad aurum excoquendum requirant: ludendum enim eſt moderatè, ſimpliciter, honeſtè. Moderatè, & temporis, & applicationis & affectûs menſuram ſervando: ſimpliciter ſpectando finem debitum; honeſtè, & ludi ipſius naturam, ac perſonæ ludentis dignitatem, nequid indecorum admittatur, attendendo: his omnibus in ludi adjunctis ſervandis pronum eſt limites tam arctos aut excedere, aut alicubi deficere. Verùm mihi ſermo non eſt de primi hujus generis ludo, ſed neque de ſecundi generis; in quo ſi quid noxæ intervenit, illud non eſt, niſi modicum; dum tantiſper ultra recti limites & mediam rationis ſemitam tenditur. Loquor de tertio Ludi genere, quod naturâ ſuâ culpam lethalem adjunctam habet, aut doli gravis, aut blaſphemiæ, aut rancoris, aut rixarum, aut praviſſimi in totas familias redundantis damni ac ruinæ. Et ab hoc ludendi genere (quale fermè eſt chartarum aut alearum inter plebejos inopes) tanquam fonte, Si S. Ioanni Chryſoſtomo credimus, mille malorum; quantum poſſum avellere vos & alienare cupio, ut illud non oderitis tantùm (ſiquidem tantum mihi polliceri poſſum,) ſed vehementer etiam ab illo abhorreatis & execremini, tanquam præſens periculum æternæ ſalutis amittendæ. *hom. 15. ad Pop.*

III. S. Antoninus, Florentinus Archiepiſcopus, adeò averſabatur ludum, ut cùm in plateis in menſas luſorum ejusmodi incideret ſuâ, mox manu everteret. Hic ſingula enumerando, quæ in ludo admitti ſolent, peccata, & miſeros hos perdunt, ad tot capita eadem reducit, quot ſunt alearum, quas toties verſant, oculi, ſeu puncta: *Quot puncta, tot ſcelera.* Ego tamen, ne longior cauſæ totius ordo tædium ac faſtidium pateat, rem iſtam omnem ad ſynopſin, plenam tamen,

con-

contraham, Apoſtoli eum in finem normâ uſus. Paulus igitur in ſua ad Titum Epiſtolâ affirmat, ad tria maximè nos docenda Chriſtum has in terras adveniſſe; ut vivamus ſobriè; ut vivamus juſtè; & vivamus piè. *Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem.* Atque adeò Chriſtiani hominis profeſſio, qui quidem verè ſperare velit alteram & meliorem vitam, quam à ſupremo ſuo Legislatore expectare juſſus eſt, re ipsâ ad triplex illud debitum reducitur, quod Gloſſa hoc loco perpendit; ad debitum, inquam, ſobrietatis ſeu continentiæ, quo erga ſeipſum rectè ſit conſtitutus; Juſtitiæ, quâ ad Proximum, & Pietatis, quâ ad Deum ritè ordinetur. *Sobriè in nobis, juſtè ad proximum; piè ad Deum.* Si proinde oſtendero, Ludo deditorum ſtudia è diametro cum omnibus his tribus debitis pugnare, quid porrò exigitur? Patet ſanè, Luſores vitam è Chriſtianis legibus & normâ vivere non poſſe. Et ſi ita res ſe habet, quæ illis ſalutis ſpes eſt ſuper? Nemo dubitet, ita eſſe, ut dixi; quisquis ludo ſe dedat, eâdem operâ animam perdere. Perpendamus iſta ſingillatim.

I.

*S. Th. in ep. ad Tit. 3. c. 2. lect.*

IV. Exigit autem neceſſaria Chriſtiano homini ſobrietatis virtus, ut in uſu rerum delectabilium, & pondere utatur & menſurâ: proprium enim hujus eſt, in cunctis illis mediocritatem præſcribere. In quo autem Luſorum vel tantillum ejus virtutis eſt ſuper? periit illa funditus. Vix enim incipit quis teneri ludi amore, cùm jam ſui potens non eſt, adeò vitii ejus violentiâ abripitur. Actum ergo eſt ſobrietate: non audiuntur ampliùs animi obmurmurantis querelæ, non amicorum objurgationes, non Magiſtratuum correctiones, & vel ingratiis omnium eo properat luſor, ubi ludo patet officina. *Æſtimaverunt luſum eſſe vitam noſtram*, ait de hujusmodi hominibus Spiritus Sanctus; & jure planè ac meritò: ita enim ſine omni modo & freno ludo ſe addicunt, ut in eo finem ſuum ultimum & unicum conſtituiſſe videri poſſint. Jurares, perſuadere illos ſibi, ſe ludendi tantùm gratiâ natos eſſe: ſic ut quas à Deo acceperunt manus, ad miſcenda inter ſe luſoriarum chartarum folia acceperint: oculos, ut folia hæc inter ſe diſcernant; linguam, ut ad ludendum alios invitent: aures, ut invitati promptè audiant: pedes, ut eos ad ſocios ſe conferant, qui præ cæteris & ipſi tam perditæ voluptati ſe permiſere. *Æſtimaverunt luſum eſſe vitam noſtram.* Hancne Chriſtus à Spectatoribus ſuis Temperantiam, hanc ſobrietatem poſtulat in animi relaxationibus, vivere ut ludant? Etſi proin alia mala à Ludo abeſſent omnia, ſatis profectò eſſet, quòd iſti ludi helluones vitam, ut ſic loquar, abliguriant.

*Sap. 15, 12.*

V. Egregia ſanè ſunt, quæ concordibus ſtudiis de temporis pretio Philoſophi ſcripsêre, ſolo naturalis luminis beneficio illud conſiderando, ut occaſionem & inſtrumentum,

ma-

magna quæquæ, & homine digna patrandi. *Quem mihi dabis*, ajebat Seneca, *qui pretium tempori ponat, & qui diem æſtimet?* Perinde ac ſi tantum ſit pretium temporis, ut nemo illud ſatis æſtimare valeat. Et ſi ſola ratio tantum agnoſcit temporis pretium, quantum erit, ſi ad Fidei lucernam æſtimetur, cùm illo poſſimus operari digna homine, qui æternæ beatitatis gratiâ ſit conditus? Spiritus S. totus in eo eſſe videtur, ut in re tanti momenti opportunis nos conſiliis regat: maximè autem id agit ore Eccleſiaſtici: *Fili*, ait hic, *Fili conſerva tempus*: non prodige ut aquam, ſerva, cuſtodi illud, ut Theſaurum illum ingentem, cujus recto uſu ac commercio lucrari Cælum ipſum poſſis. Alii tamen apertiùs in rem noſtram ibidem legunt: *obſerva tempus*: neque enim ſatis ille facit officio, qui cuſtodit tempus & ſervat, quo jam fruitur: neceſſe eſt, ut & qui non habet, captare illud nôrit: proſpiciendo occaſiones rectè operandi, indagando; cùm ſe obtulerint ſolerter utendo; cavendo ſollicitè nequa uſpiam elabatur, cùm fugiendo veniant, & fugiant veniendo. *Obſerva tempus.* Sunt quidam equitandi ita periti, ut dum equus effuſiſſimo curſu juxta eos prætervolat, incredibili & celeritate & dexteritate in tergum ejus inſiliant. Hos autem videre eſt, ſtudioſiſſimè obſervare momentum, quo ſaltu illô ſe librent; totos imminere occaſioni, cavere ne non ſatis paratis accinctiſque elabatur. Horum qui conatus ac ſtudia unqam attendiſſet, vivam ille haberet imaginem, quâ cuncti occaſionibus & tempori, nunquam reverſuro, imminere debemus, & juxta Eccleſiaſtici conſilium, tempus obſervare, quo negotium ſalutis noſtræ geramus: quam enim rerum tanti momenti occaſionem tempus offert, hanc etiam non eâ tantùm, quâ equus concitatiſſimus, ſed majori, quàm rapidiſſimi venti, velocitate prætervolans, aufert; fertur enim primi Mobilis motu, cujus celeritatem vix eſt, qui vel cogitando aſſequatur.

VI. An ita Luſores tempus obſervant? Prô Deum immortalem! vel ſacris Dei cultui diebus ſemihorulam ſubtrahere ludo neſciunt, quâ litanti ad Aram Sacerdoti adſint. Pronum eſt conjectare, quantum temporis audiendis Concionibus, Doctrinæ Chriſtianæ, Supplicationibus, Pſalmodiæ veſpertinæ, recitandæ Dei Matris Coronæ daturi ſint; cùm his ſuo ante templi fores ſtrepitu, tumultúque, obturbent potiùs, quàm operâ ſuâ promoveant. Inter præcipuas militis dotes velocitas eſt, ſic ut Romanæ veteris Militiæ Magiſter à militum quolibet eam velocitatem exigat, quâ horarum non ampliùs quinque intervallo viginti milliarium viam, nunquam interquieſcens, emetiatur. Si eandem militibus, ſua ſub ſigna collectis, legem Servator ferat, hos inter, Luſores nullo tempore, meâ quidem opinione, numerabuntur, dum vel nihil unquam ex virtute unquam agunt, vel ita languidè remiſsè agunt, ut penitus elanguiſſe videantur. Perſua-

dent ſibi infelices, ſatis ſibi temporis ad negotium ſalutis ſupereſſe; cùm exiſtiment nunquam non poſſe operari cum Gratia à Deo ſibi largiter ſuppeditanda: ſed ô quàm ſuæ ipſos rationes fallunt? Si canis veſtigia prædæ odore percepta, non confeſtim ac quàm celerrimè ſequatur, mox illa, ne ſi velit quidem, ſectari jam poterit, ſubito vento omnem illum odorem diſflante. Non diſſimilis eſt divinarum Inſpirationum conditio, quas nonnemo alacriter ac promptè non ſecutus, aliàs, ne ſi velit quidem, ſequi poterit, jam nuſpiam aſpirantes. Subducit ſe Deus, & anima ſine omni ad virtutem & ſanctimoniam ſtimulo deſeritur, non abſimilis cani, qui veſtigiis feræ amiſſis, quam in partem feratur, ignorat. In uberes quidem, ſed inutiles fletus miſeri iſti effundentur extremis illis vitæ ſuæ momentis, cùm ſentient, fugiſſe jam tempus agendo ſalutis negotio opportunum, *quando nemo poteſt operari*: & ſerò nimis hæc ſecum taciti muſſitabunt: Cùm potui, nolui; cùm volo, non poſſum. Fuit hæc olim Annibalis quoque, ſera & inutilis nænia, cùm Italiâ excedere coactus, damnaret inconſultas in Roma occupanda moras, quam ſuperbè intuitus; cùm poſſem te, ajebat, Urbs noſtræ Carthaginis æmula, occupare & noſtrum ſub jugum mittere, ignavè neglexi; nunc, etſi quàm maximè cuperem, occupandæ occaſionem fruſtrà circumſpicio.

VII. Res interim videtur belliſſima, ſuo vivere genio & ingenio, & ingratiis conjugis, quæ queritur; Parochi, qui increpat; Eccleſiæ, quæ ingemiſcit, dies noctéſque, aleis chartíſque manu verſandis, conſecrare. Sed non eſt, res iſta, non eſt, quàm videtur, bella: & quamquam bellum, jucundúmque foret ſic vivere, dicite, quot per ſeculorum decurſum ſic vivere dabitur? Cicada æſtate nunc hunc, nunc illum in ramum ſaltitat, & non dies tantùm, ſed & noctes lætiſſima canendo tranſigit; dum interim formica nunquam otioſa laboribus atteritur. An non igitur ipſis aquilis felicior cicada eſt? Sed mutatur cum tempore rerum facies; æſtas abit, dierum ſpatia contrahuntur, ſævit gelu; & dum pleno dives horreo formica laboris ſui fructibus lætatur, Cicada fame enecta cum foliis ex arbore decidit. Lubeat ingredi domum perditi alicujus luſoris, & modum omnem in his ſuis delitiis obliti; videbitis hîc conjugem inopem & fatiſcentem, otioſam nunquam, noctem jungentem diei, & vel ad dubiam Lunæ lucem laborantem, ne liberi eſuriant, ne dos filiabus deſit, ne quæſtum corpore facere cogantur; dum maritus ille belluinus, non pratum, non cauponam, non luſoriam tabernam præteriens, quæ liberis impendenda eſſent, prodigè perdit; quin illud prodigit tempus, illas horas, quibus agere poſſet, quæ eſſent velut ſementis longæ æternitatis. Sed trahite tantillam moram: aliâ mox erit rerum facies, mutabitur Cæli tempeſtas, & dum ſuæ tam longæ tolerantiæ fructibus uxor gaudebit, Maritus fame non evitabili morietur humi abje-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

abjectus. O ſi tunc vel horulam, ex tot illis ludendo miſerè perditis, impetrare fas eſſet! ó quo illa tum pretio emeretur! Si tot Regna poſſiderent vaſtiſſima, quàm multis unquam Monarcha aliquis potentiſſimus imperitavit, næ illi vindicibus in flammis, omnium eorum pretio horulam talem redimerent, ſuſpirandam ſemper, nunquam per totam deinceps æternitatem venturam! *venit nox, quando nemo poteſt operari.* Adeſt nox hyemis frigidiſſima, quam nulla unquam ampliùs excipiet dies: ſubduxit ſe Gratiæ Sol, nec unquam ampliùs eorum ſupra horizontem emerget.

VIII. Sobrii igitur, ſobrii eſtote, AA. Amantiſſimi, in omnibus, quæ permittenda laxando animo cenſetis, oblectamentis: nec enim Sapientis eſt prodigere tempus, quod quamdiu duraturum ſit, neſcimus. Quantumcunque autem duret, ſemper breve erit negotiis, quæ nobis gerenda incumbunt. Majus ſanè eſt ſalutis negotium, quod nos premit, quàm ut cogitando aſſequamur: quare laboremus, contendamus, ſudemus, illud ſemper ut certiſſimum habentes; *Tempus breve eſt.* Pergamus proinde ad Cælum quamdiu Sol affulget:

Cor. 7. 29.

*Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.*

12. 35.

In Norvegia, ubi hyeme breviſſimi dies ſunt, & paucarum horarum, ajunt Falcones ad venationem eſſe velociſſimos, & plus quàm uſpiam terrarum ad volandum expeditos. Nec alia ejus rei cauſa videtur, niſi quia illi imminentem noctem præſentientes, velocitate tempus ſupplere conantur, ut citò inveniant, quo alantur, & vivant. Hanc eandem celeritatem ſuadet Apoſtolus; *redimentes,* inquit, *tempus, quia dies mali ſunt.*

*Eph. 5. 16.*

Si vel plura vivendo ſecula expleremus, etiam hoc totum temporis ſpatium piis actionibus dandum eſſet: quantò igitur magis id ratio ac fides poſtulant in tam brevi dierum noſtrorum numero? Stultum ſanè eſt, illos prodigere. *Quis enim deſpexit dies paucos.*

*Zach. 4. 10.*

IX. Sed quid de futuris tantùm Luſorum pœnis diſſero? Non tum ſolùm luent jacturam temporis tam malè conſumpti: nimium quantum jam nunc pœnas dant, ſi infelicem eorum attendamus conditionem, ad quam peſſimâ ſuâ aſſuetudine reducuntur. Paupertas ſponte accerſita virtutes cæteras ſplendiſſimè coronat: avellit enim mentem à rerum caducarum curis; & attollit ad ſtatum tam ſublimem, ut nullo ſe negotio ſummo bono ſuo unire poſſit; haud ſecus ac arbor, quæ multis circa ſolum ramis non luxuriat, caput altiùs attollit, & ſupra cæteras humi repentes erigitur. Non hic coactæ Paupertatis fructus eſt. Ipſum hæc ſuâ culpâ, ſed non voluntate, inopem crudeliter laniat, & miſerum impellit ad deteſtandam quotidie ſortem, ad quam eſt redactus. Nec tamen ea extremæ illius indigentiæ vis eſt, ut inſanam ludendi cupidinem extinguat: malunt Luſores egere, & cum graviſſimis egeſtatis incommodis luctari, quàm non ludere; ſicque &



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

peſſimè oderunt, & tamen ſponte acerſunt inopiam. Horum è numero Juvenis Mediolani quod ſuum eſſet, jam habebat nihil, præter vilem ruri caſulam; voluit tamen & hanc venum exponere, ne à ludo cogeretur deſiſtere. Sed cùm emptorem non inveniret, propterea quòd tugurium hoc, nemo ſine iis, qui circum erant, agellis, emptum vellet, non deſtitit tamen; ſed crudâ hieme tegulas caſæ omnes divendidit, ſicque omnibus cæli injuriis apertam incoluit, minùs commodè, quàm ſuo lupus in ſpelæo, habitans. O vim & tyrannidem vitii, ubi animum ſemel occupavit! Et verò etiam ad majorem inſaniam lugendi amor inexplebilis impulit. Alius enim ex hac hominum colluvie, cùm, quod perderet, haberet porro nihil, cum colluſore pactus erat, ut cilia ſibi ſingillatim evelleret, ſi ludo eſſet inferior: parùm abeſt, quin dicam, feliciorem illum fuiſſe futurum, ſi à vincente oculos ſibi erui paſſus eſſet, ne videre jam chartas luſorias poſſet, quæ quotidianarum jacturarum cauſæ erant. Nonnemo etiam, S. Bernardino teſte, cunctos ludendo dentes perdidit, quos ſibi ſigillatim eximi paſſus, cùm ſiniſtra ludenti ſors fuiſſet, planè edentulus evaſerat. An non igitur Luſores damna ſua non in futura tantùm ſentient, ſed in hac jam vita ſentire occipiunt, ita ineptè & inſanè prodigendo tempus, quo rectè expendendo tantum lucri facere poſſent? Enimverò etſi homines ceteroquin ſint, ludendi libidine veneficâ, rationis uſu privantur: aut rectiùs, tantum rationis retinent, quantum ſatis eſt, ut viam excogitent, qua ingenioſiùs in monſtroſas beſtias degenerent. Quodnam autem hoc vitæ genus? Miſerrimum ſanè, dum ne uni quidem perverſæ animi ſui libidini moderari poſſunt, cruciantur in animo ſæviſſimè vincendi deſiderio, iracundiæ, invidiæ, deſperationis, furoris, & amentiæ motibus extra ſe autem inveniunt neminem, cui ſiniſtri ipſorum caſus doleant, ſed odio cunctis ſunt, & abominationi, propterea quòd totas ipſi familias perdant. Moribus Græcorum receptum erat, ut quisquis opes ac ſubſtantiam, à Parente ſibi relictam, abliguriiſſet, aut quoquomodo diſſipidâſſet, is eodem cum patre ſepulchro non conderetur; ne ejus jam ſepulti oſſa quieta eſſe non ſineret. Hoc dedecus luſores quidem hodie non manet: aliud tamen haud paulò gravius eos dehoneſtabit; cùm eorum jam tumulo conditorum nomen, odio & exſecrationi futurum ſit ob ingentia illa damna, quæ viventes poſteris ſuis acerſierunt, & ſæpe nomina ac debita, quæ iſtis expungenda miſeris hæredibus reliquerunt. Quomodo autem, cùm ita ſe res habeant, non pluribus capitibus luſores iſti ſunt omnino miſerrimi?

*Paſchas de Aleat. l. 1.*

X. Hæc autem, dicet nonnemo, eos tantùm luſores tangunt, qui ludendo perdunt: ſunt autem multi, qui non parum lucri & emolumenti ex ludo capiunt: ad iſtos proinde hæc non pertinent. Sed reſpondeo, me quidem has eorum victorias, hæc

eorum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eorum lucra non diſpicere: quin diſertè edico, Luſores omnes ludendo perdere, idq; duabus de cauſis. Prima eſt, quòd ij, qui ludum perditè ſequuntur, de quibus hic diſſero, adeò ſe cœco & inconſulto impetu abripi ſinant, ut planè fiant temerarii, nec adeò ipſis ludi legibus ſtent. Deſperatè illis perſimiles, qui in ſingulari cum alio certamine ſui incurius, ut hoſtem ſua rabie concitatus deijciat, vulneri locum relinquit. Par omnino ludentium ſuis in jacturis temeritas eſt; qui idcirco dum vincendi inſatiabili cupiditate nihil non audent, & aggrediuntur, dum reſarcire priores jacturas volunt, novas non rarò, & majores patiuntur. Altera cauſa eſt, quòd quamquam, ut in bello clades unius alterius victoria eſt, ſic in ludo unus non perdat, quin lucretur alter, fermè tamen luſores non tam ſibi, quàm aliis vincunt; tam citò, malè parta, non meliùs dilabuntur: nam vel vino illi, & crebris ſe crapulis dedunt, aut in turpes omnis generis libidines ſeſe effrenatiùs effundunt, aut certè ignavo otio, omnisque laboris fugâ, quo familiæ commodis proſpicerent; etiam aliis temerariis ludis, priores ad incitas rediguntur. Apes, cùm in mel incidunt, ab aliis elaboratum nullo ſuo conatu, parum inde emolumenti trahunt; torpeſcunt enim, & de futuro jam parùm anxiæ, experiuntur, quæ ſors proſpera videbatur, in ipſarum damnum degenerare. Idem etiam luſoribus accidit. Et tamen damna hæc ac jacturæ ludentium omnes ferri poſſent, niſi ceteris omnibus perditis etiam Anima perderetur; quæ profectò ſervari non poteſt ab iis, qui omnem ſobrietatem, omnem continentiam in oblectamentis ſectandis obliti, quæ comparandæ ipſi ſaluti dandæ eſſent horæ, tam infeliciter alibi dilapidant, tam commodorum ejus incurii, ut pretioſa illa momenta expendant tam miſerandâ, quam vobis deſcripſi, vivendi ratione, quæ beſtiam ſanè magis, quàm hominem deceat.

II.

XI. Etſi non parva ſunt, de quibus hactenus Luſores accuſavi, delicta, hæc tamen ferè ex eo magis genere ſunt, quo quæ facienda eſſent, omittuntur; quàm quo, quæ omitenda eſſent, perpetrantur. Si ergo vel iſta ſufficiunt ad demonſtrandum, Luſores verè per ludum ac jocum Animam perdere, quid non dicendum erit, ſi bonis, quæ perperam omittuntur, addiderimus mala, quæ pejùs ab iiſdem admittuntur? Sunt ſanè iſta longè graviſſima. Æſtimentur enim tantùm damna, quæ velut aliud agens indicavi, & totis familiis inferuntur. Hinc autem à ſobrietate, cui tam è diametro repugnat luſorum vita, & à malis, quæ ſibi infelices accerſunt plurima, ſemita ſe aperit, quâ oſtendam, quantopere ludendi vitium adverſetur Juſtitiæ, quâ rectè nos habemus ad alios. Quæ autem, quæſo, miſeræ familiæ evenire major calamitas poſſit, quàm ſi Patremfamilias habeat ludo perditè deditum? Vix aliam immaniorem ex Orco furiam in mortalium damnum evocare Deus poteſt,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pſ. 104. quàm famem. *Vocavit famem ſuper Terram*; ut Pſalmiſta loquitur. Unde autem illam vocavit, niſi ex abyſſis ſubterraneis, in quas eam cæteroquin relegaverat, inde nonnunquam ad mortalium ſupplicium evocandam? *Vocavit famem ſuper Terram.* Hæc autem divinæ Iræ miniſtra, & formidabilis Provinciarum Regionúmque pœna, fit prorſus domeſtica iis familiis & ædibus, quarum incolæ deteſtandæ ludendi aſſuetudini ſe permiſerint. Placeat has intrare; & omni earum in angulo egeſtas ſe nobis offeret: Conjunx centonibus vix ſatis tecta; quia veſtes meliores maritus minimo pretio divendidit; filia ſine dote, ſine pecuniis filii. Sed quid ſine ære & pecuniis dico? Sine pane, ſine annona in proximos menſes, ſine artis aut opificii ſcientiâ, quibus neceſſaria deinceps ſibi parare valeant.

XII. Atque ut de liberis maſculis priùs loquamur, quæ ſors poteſt ipſis obtingere infelicior, quàm Parentem nanciſci tam officii ſui negligentem, tam injuſtum? Quæ minore ex animalibus ſtaturâ, & nanâ generantur, fermè talia ſunt alimenti neceſſarii inopiâ, quo ad juſtam generis ſui magnitudinem excreſcere poſſunt. Sic & in familiis accidit: in his enim ſi contemplemur liberos jam grandiuſculos, videbimus omnium literarum, & primorum etiam elementorum planè rudes; non quidquam Arithmeticæ, non alteris artis callere, ut hac rerum omnium ignoratione, inter alios ejusdem ætatis ſint id, quod inter homines cæteros Nani ac pumiliones; Quæ tantæ calamitatis cauſa? patet hæc cunctorum oculis; ſortiti ſunt nimirum infelices Parentem ludo perditiſſimè aſſuetum, qui dilapidavit, quidquid miſellis ſupererat: hinc ipſi alimento neceſſario deſtituti, ad convenientem, & parem aliis hominibus magnitudinem creſcere non potuerunt. Non fuit, unde Minerval penderetur vel literas, vel numerandi rationem docenti; non unde mechanicam artem docturo pretium; ſicque ipſi vix media ſui parte homines remanſerunt. Has eſſe injurias perquam graves quis neget? Exercitui annonam aut arma ſubtrahere, proditionis genus eſt. *Prodetionis inſtar, Exercitui ſubtrahere unde vivat, æſtimetur.* Quomodo igitur non pari ratione familiam aliquam prodidiſſe dicendus eſt luſor ille, qui perdendo omnia illi ſubtraxit, unde & medò viveret, & ſuſtulit, unde deinceps neceſſaria ſibi procuraret?

Ariſt. in Probl. Sect. 10. n. 14.

Caſſiod. l. 7. ep. 14.

XIII. Quodſi & ſequioris ſexus liberos juvat attendere, quos non ſiniſtros caſus & ipſis metuere oportebit? *Fieri non poteſt* (Philoſophi doctrina eſt) *vel non facilè fit, ut cui neceſſaria non ſuppetunt, is honeſta agat.* Monſtra tetrum quid ſunt & horridum: illa tamen naſci facillimum eſt: ſufficit deficere pelliculas, quibus involvendi fœtus eſſent, ut convenienti figurâ formentur. Si Puellæ pudorem venalem habent, magnopere metuo, ne monſtri hujus potiſſima cauſa ſit, quia non fuit, qui eas pro gradus ac conditionis ſuæ modo veſtiret, ne dicam



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cam, qui eas aleret, qui de neceſſariis proſpiceret, qui curam aliquam earum in futurum ſuſciperet. Non neſcio, libidines ita ſuapte naturâ effrenes in vitia ruere, ut neceſſe non ſit in neceſſitatem ejus licentiæ culpam conjicere. Conſtat tamen hanc quoque ſponte ruentes vehementer impellere. In iis corporibus, in quibus atra bilis dominatur, Medicorum judicio magna fames omnes febres malignas reddit. Facile proinde eſt, illam propenſionem vitioſam, quæ cæteroquin febris inſtar communis futura fuiſſet, magnâ indigentiâ exacerbatam, non in malignam tantùm, ſed & contagione noxiam degenerare, ut quæ & aliis ſit offendiculo. Enimverò rara admodum eſt hodie pudicitia, indiga, & conſtans. Negotium minimè arduum eſt cum urbe fame exhauſtâ de deditione tranſigere: hac enim neceſſitate compulſa libens accipiet conditiones, quæ cæteroquin intolerandæ viſæ fuiſſent. Sed demus, pudorem tali in domo manere illibatum, an & obedientia, ad liberorum rectam educationem neceſſaria, ſervabitur? Exercitus, cui neque procedunt ſtipendia, neque annona ſubminiſtratur, militari diſciplinâ contineri non poteſt; non movere caſtra ad imperium Ducis, non confligere cum hoſte vult, & perinde, ac ſi Ductores eſſent nulli, non jam legibus regitur, ſed arbitrio & libidine ſuâ vivit. Sic & familiæ, cùm victus defecerit, reverentiam erga paterna imperia exuunt; matrum juſſa explodunt, rident Majorum conſilia, caſu vivunt & libidine. Hinc jurgia, & lites inter domeſticos perpetuæ: ut ne ratio quidem eas ſedandi appareat; tam illa nuſpiam affulget. Addite peſſima Luſorum horumce exempla, quibus liberos illi ſuos idem in vitium impellunt, eandem ludendi ſcabiem affricant; & quæcunque peſtes aliæ praviam iſtam conſequuntur. *Juvenem vitioſum eſſe non miror, cujus pueritiam Pater alea dedicavit.* [*Petr. Bleſ. ep. 7.*] Et hoc non ſit graviter in Juſtitiæ Leges peccare? hoc ſit ſuum cuique cum fide reddere?

XIV. Qui porrò tot injuriis ſuam in familiam graſſantur Luſores, an alienis & exteris æquiores ſperemus? Rectè ludum venationem pecuniæ dixerimus: ac proinde ut in venatione, quò multa in caſſes præda veniat, & aſtutiâ pugnatur & robore; ita & in ludo his iiſdem res geritur. Certè aſtutiâ, imò fraudibus, deceptionibus, dolis paſſim Luſores utuntur. Hinc non injuriâ unum in faſcem triplex hominum genus Philoſophus colligavit, cùm quodlibet eorum lucris & commodis nulla moderatione inhiet. *Aleator, & Spoliator, & Latro, ex illiberalium genere ſunt.* [*l. 4. Ethic. c. 1.*] Non enim antè Luſores fraudibus deſtituentur, &, quæ has ſequuntur, furtis & deceptionibus, quàm ſuas aranea telas deſinat implicare. Mentiri, idjoma ipſorum eſt; fingere ludendi imperitiam, certis notis folia luſoria diſtinguere, nequiter illa conjungere, ludere cum his, qui juris ſui non ſunt, ut ſunt filiifamilias, colluſoribus verum numerum non fateri, hæc omnia ſtratagematum inſtar ſunt in juſto bello, non ſunt deceptio-

nes: quin probant ipſi communi aſſenſu opinionem, quæ vult, omnem artem juſtam eſſe, quæ victoriam pariat. *Nihil intereſt vi, an fallaciâ, quis poteſtatem hoſtium evaſerit.* Nec eſt, cur, benigni Interpretes, aliquibus tantùm, non omnibus Luſoribus hæc vitia ineſſe dicamus: Eſt neſcio quæ ludi malignitas, ut avaritiam, & habendi cupiditatem etiam iis ingeneret, qui cæteroquin prodigi potiùs ſunt, quàm avari. Imperator Caligula, etſi auri tantum in aliquo Regiæ ſuæ conclavi cumulâſſet, ut illo in acervo perinde ſe volutaret, ac in luto beſtia; cùm tamen luderet, nunquam non nequiter, mendaciter, quin & perjurè ludebat; artibus licitis vix utebatur.

*l. nihil ff. de Captiv.*

XV. Ubi aſtutiâ nihil profecerint Luſores, ad vim vertuntur; & poſitâ vulpis pelle leonem induunt. Venitur primò ad contumelias & convitia, mox ad arma, rixas, vulnera, tumultus, cædes; quibus permoti potiſſimùm Legiſlatores chartas luſorias & aleas, tanquam diſcordiarum, & graviſſimarum injuriarum ſemina prohibuerunt. Siqui timidiores ſunt, nec vitam diſcrimini tam manifeſto offerre audent, ubi domum venerint, quidquid alibi collegerant, furoris effundunt, conjugem, liberos, familiares peſſimis modis, nullo diſcrimine, habent; belluas profectò, non homines, diceres: adeò rationem ſurdi non audiunt.

XVI. Atque hæc pars aliqua eſt earum injuriarum, quas Luſores inferunt. His Confeſſione velle remedium facere, videtur perinde eſſe, ac laterem lavare nondum coctum; hunc enim quò quis plus laverit, hoc ampliùs & ſe, & laterem ſordidum reddet. Ut enim animæ ſordes iſti eluant, neceſſe eſt ludo nuntium remittere, tantorum malorum cauſæ; neceſſe eſt reſtituere malè parta, cùm abſque hoc nulla ſit ſalutis ſpes; ut abſque ſalutari criſi valetudo afflicta non reparatur. Iſti tamen, ubi de ejusmodi rebus ſermonem ſacer Judex intulerit, confeſtim reponunt: ſe neutrum facere poſſe: non ceſſare à ludo, quòd illi jam diu aſſueverint; non reſtituere; quia ſi reſtituerent, ludere porro non poſſent. Siquando autem induci ſe paterentur ad aliquid reddendum, eâ ſcilicet ratione redderent, quâ Samſon ænigma propoſitum ſolventibus ſatisfecit: cùm enim ſolutionis ejus præmium propoſuiſſet triginta veſtimenta, ubi ſolutum id vidit, triginta ex hoſtibus Philiſtæis interfecit, eorúmque veſtes miſit iis, qui ænigmatis nodum diſſolverant. Jure hoc Samſon egit, quia Dei & populi ſui hoſtes ſpoliavit. Idem Luſores faciunt, ſed per ſummum nefas & injuriam, furantur, ut reddant; & reddunt, non quia ad id religio impellit, ſed ut ſine pudore ad ludum redeant nominibus prioribus expunctis.

III.

XVII. Quæ ſuperſunt, tam ſunt atrocia, ut ego illa ſilentio libenter præterirem, niſi ad commemoranda me animaret ſpes, quam concepi, ſummum deteſtandi hujus vitii horrorem

vobis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vobis incutiendi. Parum ergo foret, ſi Luſores malo duntaxat ſuo moderationem & ſobrietatem omnem poſuiſſent; parùm foret, ſi tot injuriis Proximum laceſſerent, quæ prioribus hujus Diſſertationis partibus à me demonſtrata ſunt: illud omnium funeſtiſſimum eſt, quòd etiam in Deum efficiantur Impii (id quod hac tertia parte ſupereſt oſtendendum) quòdque hominum inſtar, etſi brutis omnibus magìs brutorum, peccâſſe non contenti, etiam malos Dæmones peccando æquare conentur. Dæmones dixi: quia inter omnia peccatorum genera nullum eſt, quo Mortales Dæmonum impietatem magìs imitando exprimant, quàm Blaſphemia: ſic ut quemadmodum non ſatis conſtat, feriſne Camelus, an domeſticis animalibus annumerandus ſit: [*Aldrov. in quadr.*] *Camelus incertum pecuſne ſit, an fera*; ita & meritò quis ambigat, hominibúſne Chriſtianis, an Dæmonibus accenſeat Blaſphemos. Videntur nec horum, nec illorum re ipsâ ad numerum pertinere, ſed medium quid inter eos eſſe: aut, ut dicam veriùs, rectiúſque; videntur Blaſphemi appellandi Dæmones domeſtici, Dæmones noſtrates, Dæmones tirones, qui nondum ſolenni ritu in Inferni clauſtris profeſſi ſint; paulò pòſt tamen ſint profeſſuri; & licètipſam terribilem illam urbem ingreſſi nondum ſint, jam tamen in ejus ſuburbiis habitent. Ubi autem execratam hanc mortalium fæcem, hæc generis humani probra nefandiſſima, invenire eſt faciliùs, quàm inter aleas & chartas? Primùm quidem Sanctiſſima Chriſti & Mariæ nomina contemptim proferre, & ſolitum, & modeſtiſſimum impiarum iſtarum linguarum idjoma eſt. Apoſtolus ſuis in Epiſtolis ducenties decies novies nomen Jeſu, Chriſti verò quadringenties repetiit: quod Interpretes numerârunt, ut inde arguerent, vim illam amoris maximam, quâ in Divinam Redemptoris ſui Perſonam Apoſtolus ferebatur. Luſores, quæ eorum, ſi Superis placet, pietas eſt, paucarum horarum intervallo pluribus etiam vicibus illud pronuntiant. Sed ô! quàm nullâ reverentiâ! ne canem quidem ſuum tam contemptim appellarent! Quàm ergo non dubio id argumento eſt, animos eorum omni ut æſtimatione, ita venerationeRedemptoris ſui vacuos eſſe? Et tamen vix unquam nefarii iſti loquuntur modeſtiùs. Eò progreditur impia eorum temeritas, ut quæ vix unquam & ullibi aliàs, inter ludendum toties audiantur hæreticæ, quas dicunt, Blaſphemiæ. *Ejuro Deum*! *O Deum iniquum*! *ô Deum injuſtum*! *Quid expectare à Chriſto magìs adverſum potui*! Hæ, & ſimiles generis ejuſdem voces execrandæ, non ab aliis, quàm à Luſoribus, velut totidem ſagittæ in Cælum orcinâ audaciâ & deſperatione jaciuntur. Neque hoc ultimum eſt, & peſſimum, quod conſceleratiſſima hujus ſacrilegi furfuris hominum temeritas audeat. Etiam manus linguam non rarò ſequitur, dum non contenti linguâ Deo maledixiſſe, operibus etiam & factis aggrediuntur, ut ea re infeliciſſimis illis Spiritibus Magiſtris ſuis impietate ſuperiori-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

riores videri poſſint. Non memini unquam ullis in monumentis legere, quemquam aliorum Catholicorum lapidibus Deiparæ imaginem aut ſtatuam petiiſſe, vulneràſſe ejus Filium, veſano iracundiæ impetu Cruci ſuffixi Chriſti ſimulacrum in fruſta ſecuiſſe. Hæc tamen omnia non ſemel Luſores horrendo ſacrilegio auſi ſunt; ut mirum ſit, nos his legendis, aut audiendis, animo non linqui. Romæ in templo Pacis, publicæ venerationi proſtat imago Deiparæ, ſanguine perfuſa, quem elicuit Luſoris execranda manus, pluribus in eam lapidibus jactis. Philippi Auguſti, Galliarum Regis, ætate miles Luſor brachium jactu lapidis fregit Divino Parvulo, quem ſinu Beatiſſima Virgo geſtabat; & hoc etiam ex vulnere magna vis cruoris profluxit. Alius ex hac colluvie frontem ſimulacri Crucifixi, quod in cœmiterio quodam Budæ in Ungaria proſtabat, percuſſit & plagam inflixit. Iterum alter Moguntiæ ſeculi decimi quarti octogeſimo quarto, cùm ludendo perdidiſſet omnia, deſperatione & vindictæ inſanâ cupidine adactus, in ædem ſacram accurrit, ex ara ſimulacrum cruci affixi Dei dejecit, diffregit, & ſtantis ad Crucem Virginis, imaginem peſſimè modis innumeris tractavit. Horreo plura dicere, cùm peſtem linguæ afflent: ſatis ſit narràſſe: tanto numero facinora hæc ſacrilegæ impietatis perpetrata, ut Scriptorum aliquis integrum iis librum compleret. Hîc iterum iis librum compleret. Hîc iterum ſub finem à vobis peto, an ullâ aliâ in mortalium conditione ac ſorte, talia horrendæ impietatis prodigia inveniatis? Et ſi alia non repereritis, fateamini oportet, nullum alium, hominis Catholici nomine inſignem, viciſſe immanitatem eorum, qui Jeſum in Crucem egerunt, ſicut eam vicerunt Luſores, ſacrilegio tam horribili, ut ſi vel ipſe Judas, ruptis, quibus in Orco captivus tenetur, ferreis illis catenis in terras emergeret, ut Tigris diffracto carcere, non auſurus eſſet facinus tam tetrum, quale non ſemel, ludendi vitio infames impiiſſimè auſi ſunt. Quis ergo vobis ſenſus Auditores? an ambigitis etiamnum, non eſſe genus vitæ tam è diametro oppoſitum vitæ hominis Chriſtiani, quàm ſit Luſorum? Id autem ſi ita eſt, profectò nec illud dubium relinquitur, an idem ſit ludo aſſueſcere, & animam perdere.

*Angel. Roc. apud Rainal. l. 1.*

XVIII. Si quis affirmet, ſe ludo nunquam ad tantam impietatem impulſum eſſe, fidem non invitus tribuo; neque enim tam horrenda auſus, hic coram adeſſe poſſet: Divina ſiquidem Juſtitia, quæ in tam atrocibus flagitiis non diu connivet, ad hoc uſque momentum impunitum illum non reliquiſſet, ſed cum tot aliis ſacrilegis vel hiatu terræ abſorptus, vel aliâ viâ Orco in prædam deſtinatus fuiſſet. Nec tamen idcirco ſalva res eſt: vix enim erit quiſquam, quem ludi aſſuetudo non jam ad complura peccata incitârit, & ad plura adhuc incitatura ſit, niſi ſtatuerit, ludo penitùs valedicere. Saltem ſi ludere aliquando lubet, non niſi ſumma moderatione id unquam fiat; ſecus qui fecerit, expectet tantùm pœnas ſuas ac ſupplicia jam parata,

imò

imò jam pridem denuntiata iis, qui Deo deſerto, totos ſe tot quodammodo Idolorum cultui devoverunt, quot ſunt illarum, quas toties verſant, chartarum imagines.

XIX. *Qui ponitis fortunæ menſam* (Dei apud Iſaiam verba ſunt,) *& libatis ſuper eam, numerabo vos in gladio, & omnes in cædi corruetis.* His Sacrarum Literarum verbis S. Antoninus uſus eſt, ut & culpam, & pœnam Luſorum impiorum manifeſtaret: & ſic diſſerit. Qualis hæc menſa eſt, niſi Luſorum menſa, circa quam illi congregantur ſæpius, quàm appareant in ſacris ædibus, in piorum Sodalitiorum cœtibus, in ullis, in quibus Deo ritè colendo vacetur, locis. Hanc ipſi menſam aram faciunt eorum, quæ paulò antè diximus, Idolorum, & fortunæ maximè, quæ illa Dea eſt, quam ipſi unicè prenſant, unicè in vota vocant, ſibi propitiam optant; quámque, ubi ſiniſtrè luſus ceciderit, non abſque dolore incuſant. *Qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam.* Hac in ara opes ſuas omnes ſacrificant, & tam illas promptè alacritérque abjiciunt, quàm ſi non ſuæ, ſed aliorum eſſent; hac in ara immolant æſtimationem ac famam ſuam, séque antiquâ & legitimâ Legum authoritate infames reddunt. Hac in ara pacem etiam & quietem offerunt ſuam: ut enim nimia ſalis vel copia vel acrimonia, & ſe, & quæ ſaliuntur, corrumpit & inſipida reddit, ita ludus cùm fines ſuos exceſſerit, non oblectatio, ſed tormentum & cruciatus efficitur, iiſque Luſores incommodis, illi ſervituti ſubjicit, cui ne hoſtis quidem ipſos ſuus ſubjiceret, Accedit præterea; quòd hac in ara ſacrificent tempus, æternæ gloriæ parandæ ſibi conceſſum: Sacrificent familiæ ſuæ beatam ſortem, liberorum amorem, Proximi Dilectionem, Leges quotquot uſpiam ſunt Juſtitiæ omnes, & ante omnia Pietatem in Deum, quem mille injuriis rabidi lacerant, quæ ad Supremæ Majeſtatis contemptum rectà referuntur. Quid eſt proinde, quod conſcelerati iſti tanquam impietatis ſuæ fructum expectent? *Numerabo vos in gladio,* reponit Deus, *& omnes in cæde corruetis.* Numerabo vos, quotquot eſtis, ne evadat vel unus: numerabo autem non baculo, ut Paſtor gregem, ut certus ſit, ſe illum ſervâſſe omnem; numerabo vos in gladio, ut Victor perfidos & rebelles numerat, nequis non devictus ſuperſit: numerabo vos gladio meo, omni nimirum ærumnarum genere, ſic ut tanta malorum & incommodorum ſub mole corruatis, quin unquam, per omnem deinceps æternitatem, erigere caput & ſurgere valeatis. Auditores Amantiſſimi, Dei iſta verba ſunt. Trepidemus & formidemus has minas, ne ſerò nimis, cùm illas re ipſa exequetur, ingemiſcamus. *Hugo in c. 65. Iſa.*

# DISCURSUS XXXIII.

## *Contra nimiam inter ſe mutuò agendi converſandique licentiam.*

I. NEſcio, an unquam aliquis veſtrûm in urbem quampiam delatus ſit tunc, cùm contagioſoſa per illam lues graſſabatur. Id ſi contigit, crediderit ipſe, niſi fallor, in medios ſe ſuſpicioſiſſimos hoſtes incidiſſe. Vix per portam ingreſſum circumdederint excubitores, ſolicitè & anxiè quærentes: quis tu, & cujas? quà, & unde iter? per quæ loca tranſiſti? Nec iſto contenti, vultum curioſè contemplati fuerint, tanquam cum homine jure ſuſpecto ſibi res eſſet; quin & ſarcinas luſtrarint ut ſcirent, quid iis mercium veheretur; & fortaſſe etiã tanquam publici graſſatores aperuerint, & ſolerter excuſſerint omnia. Ubi tandem magnâ moleſtiâ & conatu horum ſe manibus extricârit, progreſſus per urbis plateas viderit obſeratis in ædibus cives velut carcere clauſos teneri: viderit domeſticam alicubi ſupellectilem per feneſtras eiici, ut flammis abſumeretur: avulſam è matrum dolentium ſinu teneram ſobolem; aliam in patris brachiis amarè plorantem. Si Templorum quis adyta ſubierit, ut ibi ſaltem ſolatii aliquid veſtigaret, en iterum novi horroris materiam: vacua enim illa & deſerta; Sacerdotes cauti & ſoliciti; Sacra pauca, muſicus concentus nullus, dies ſolenniores vix ulli; quin ne cœtus quidem populi ad placandum per vota & ſupplicationes communes Deum, cùm extrema id poſcere neceſſitas videretur. Adeò verum eſt, quod ajebam, videri urbem illam ab hoſtibus juratis captam, qui tam arctè, támque non humaniter incolas habeant. Et tamen non ſunt hoſtes Barbari, qui talia imperent, ſunt Medici: quæ odio tantùm & rabie videntur geri, ſinceri amoris effecta ſunt. Medici ſiquidem, cùm experientiâ docti nõrint contagionem latiùs uſque & longiùs ſerpere, ſi Cœtus cogantur, & commercium civibus, nullo infectorum ſanorúmve diſcrimine, permittatur, id egerunt ſtudioſè, ut hi ab illis ſepararentur, quæque compeſcendo malo ſalubriter conſtituta erant, ſummâ fide & diligentiâ executioni mandarentur. Nihil equidem ambigo, quin non pauci veſtrûm, dum me audiunt toties tonantem contra amatorias levitates, choreas, conventicula, ſodales pravos, tacitè ſecum jam ſæpius muſſitaverint: Quid noſter Paſtor hominis eſt? crudus ille tyrannus videtur. Errant planè iſti: Medicus enim eſt Paſtor, qui veſtræ ſalutis & commodi ardenti de-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ti deſiderio illud tam ſeriò ac crebrò vobis commendat remedium, quo ſolo recuperari, aut ſervari ſalus poteſt; fugam nimirum conſortii, ac commercii, & amorem ſolitudinis. Ut igitur eâdem operâ, & vos errore, & me culpâ eximam, laborandum mihi unicè eſt, ut vos doceam, nimiam inter ſe agendi licentiam Peſtem eſſe animarum. Hoc qui intellexerit, de remedii neceſſitate, quod ſuggero, dubius non hærebit, ſed æquo feret animo, illud à me crebrò vel nolentibus obtrudi.

II. Ex omni illo malorum & calamitatum, quod mors ingreſſa in Mundum ſecum traxit, agmine non aliud univerſim horribilius eſt, quàm lues contagioſa idque geminâ maximè causâ. Prima eſt, quod tam facilè adhæreſcat: Secunda, quòd ubi adhæſerit, non ſine ſtrage diſcedat. Utrumque horum in nimia invicem converſandi licentiâ, tam hodie uſitatâ, reperire eſt.

II.

III. Ut lues graſſetur, & ab uno migret ad alium, contactus & vicinia ſufficiunt. Non alia vitii eſt indoles. Ut propagetur, ſatis eſt infectos cum integris, nullo metu, libéré ac licenter agere; *Nihil tam facilè, quàm malum fieri*, ajebat S. Gregorius Nazianzenus. Nequitiæ prælectio præquàm ulla alia citò & facilè capitur; ſic ut non niſi una ſubindo audita Auditorem Magiſtrum faciat. Sed ut iſta ſummi momenti veritas cognoſcatur clariùs, cunctique probè capiant, quantopere interſit Animæ ſolitudinem amare, quantúmque ipſi noceat omnis incauta familiaritas, ſupponendum eſt, non niſi duplicis conditionis eſſe poſſe perſonas, quæ tam domeſticè inter ſe tractant; aut enim ignorant, aut jam expertæ ſunt peccatum & nequitiam. Sive autem hujus, ſive illius conditionis fuerint, certus ſit quiſque, maxima ſanè ex hac inter ſe agendi licentia in eos damna redundare.

IV. Ponamus igitur, quod plerumque dici aſſolet, eſſe nimirum adhuc immunes à vitio, qui familiaritati tali indulgent: anne quia hucuſque adhuc peccârunt nunquam, etiam peccare non poſſunt? Parentes, cùm eorum quis reprehendit negligentiam in filiarum cuſtodiâ, quas hac illac per omnem viciniam vagari pro arbitrio ſinunt, & quaslibet ædes accedere, hâc ſemper ratione ſe purgant: *Filia mea honeſti amans eſt; non eſt, quod metuam.* Demus, illam honeſtatis amantem eſſe. At hoc ipſum me angit, quòd, cùm talis ſit, non diu poſt futura ſit alia. Ut malum citreum, ſapore, coloréque præſtans, marceſcat, alio non eſt opus, quàm ut aliud generis ejuſdem pomum putridum juxta ponatur. Id enim ſi fiat, jam fructus ille ódore, ſuavitate, nutriendi medicandique virtute tam nobilis, natus arbore immortali, mox & ipſe putreſcet, fœtore offendet nares, perinde ac alter, à quo corruptionem traxit. Hoc ante omnia efficit malorum cum bonis admixtio: affricat putredinem.

 Miran-

Mirantur nonnunquam aliqui, Puellam illam eâ prudentiâ, iis dotibus, tam nobili ſanguine, matre tam virtutis ſtudioſâ genitam, pravi ſui exempli putore totam latè viciniam offendere. Inquirant iſti, quibus hæc Puella ſodalibus & uſa ſit, & utatur etiamnum, & nihil erit porrò, quod mirentur. Nuper ſaturnalium tempore mutatâ veſte perſonata cum ſociâ illâ verſutâ vagata eſt per urbem: audiit de ſuis differentem oblectamentis: adfuit fucanti, & comenti ſe: vidit etiam noctis tenebris abuſam ad agendum cum Juvenibus amantibus & amatis; ſubinde autem ſacris jejunii longioris diebus levitatibus ſuis perinde ac antea, aut etiam magis deditam. Hac inconſultâ, cum fructu marcido & putente, ſocietate, eam traxit contagionem, ut jam, qui priùs noverant, attoniti dicant. Heu, quàm iſta non eſt iſta! Atque ita ſanè eſt: ſed hic eſt fructus ſocietatis promiſcuæ. Deſipiunt igitur, qui filias, ſorores, conjuges vagari ſinunt pro libito, nec ullo ipſis interdicunt cujusquam commercio, propterea, quòd honeſti amantes ſint: & vel hac cauſâ rationem ab iis ſeveriorem Deus exiget, tantóque eos damnabit juſtiùs, quòd animas, tam omni labe etiamnum immunes, negligentiâ ſuâ & ignaviâ fœdari, imò perire ſiverint. Quò generoſiùs, quóque ſapidius vinum eſt, quod ſervatum cupimus, tantò curandum ſolertiùs, ut doliis condatur idoneis: ubi enim dolium tetro quopiam odore infectum fuerit, non ipſum jam odorem illum ſuum mutabit, quia muſtum generoſum eſt ac nobile, ſed muſtum ipſum odore illo tetro exoleſcet. Filia, & quævis alia fœmina, à vitio etiamnum intacta, odorem vitii trahet à ſociâ nequam & perverſâ: hæc autem virtutis odore ex conſortio bonæ ac innocentis non imbuetur. Non poſtrema hæc humani generis calamitas eſt; quòd morbi quidem & lues contagione ſerpant, ſanitas autem in alios conſortio non propagetur. Simile quid in agris videre eſt: ſteriliores aliqui triticea ex ſemente non niſi ſiliginem ſæpe reddiderunt: nullus autem tam pinguis eſt, qui ubi ſiliginem ſerere contigerit, triticum germinet. Atque hâc cauſâ Apoſtolus cunctos, qui & renati in Chriſto, & vitæ ad ſanctiſſimæ Legis ſuæ amuſſim ducendæ cupidi ſunt, ſollicitè hortatur, ut velut Mundo ipſo egreſſi, pravorum vitent conſortium. *Exite de medio eorum, & ſeparamini,* 2. Cor. 6.
*dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ero vobis in Patrem, & vos* 17.
*eritis mihi in filios, & filias.* Equidem & plantæ nuſpiam ferè adoleſcunt feliciùs, quàm ubi ſolæ, & procul ab aliarum conſortio terræ inſeruntur: cùm plures etſi non noxiæ, ſolum idem occupant, facilè una alterius incrementis officit, & nunc Solis radios, nunc aliorum ſiderum beneficum influxum impedit. Sic & homines aliorum fugitantes conſortium majora ſumunt in virtute incrementa: cùm è diverſo omnis ſocietas arctior ac familiaritas facilè cæ-

leſtium

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

leſtium donorum ac gratiarum canales obſtruat, & denſiore velut umbrâ fructuum ubertati noceat.

V. Quomodo igitur ſolicitum me non habeat, tanta inter Chriſtianos negligentia in negotio, cujus momenta cùm pervidèrent Ethnici, tam ſolertem illi curam impenderunt? Lycurgus Lacedæmonum Legislator cavit, non levi pœnâ decretâ, ne Cives aliis populis commercio jungerentur, ne eorum ſimul vitia imbiberent. [Valer. Max. l. 2. c. 3.] Sed & Plato ſuadebat, ut procul à maris litore urbes ædificarentur: cùm proſpiceret, maritimas non vitiorum minùs, quàm mercium, à commercii causâ appulſis alienis populis, hauſturas. [In Republ.] Hodie Turcæ fœminis ſuis ne illud quidem permittunt, ut orandi Dei causa delubra accedant; cùm exiſtiment, nihil à fœmina gratius Deo offerri poſſe, quàm ſi ſuam illi vagandi libertatem ſacrificet. Interim è Chriſtianis non pauci, luce tantò nobiliore colluſtrati, agnoſcere nolunt, quantum, ex vaga cum quibuslibet agendi licentiâ, in ſequiorem ſexum redundare poſſit incommodi. Unde nonnullæ, ubique magìs, quàm domi ſuæ ſunt: contra illud Davidicum: *Uxor tua in lateribus domus tuæ*: [Psal. 127. 3] quibus verbis vult, conjuges non domi tantùm attinendas, ſed ibi quoque ſecretioribus angulis abdendas ut non tantùm oculis ſe foris habitantium, ſed domeſticorum quoque, quoad ejus poteſt, ſubducant. *In lateribus domus tuæ.* Si autem vel Conjuges Deus publico commercio arcet, quid Puellis eo in genere ab ipſo permiſſum exiſtimemus? Certò ſibi quisque perſuadeat, nulli cujuscunque familiæ patri prudentiora, magisque ad ſobolem in Dei timore educandam apta monita ſuggeri poſſe, quàm ſi illi crebrò inculcetur. Attende, quis tuas ædes frequentet: quis familiaribus tuis loquatur, obſerva: cave permittas illis, ut promiſcuè agant cum omnibus: ne pietatis quidem ſtudio ire ſinas, quò confluunt quidem multi, ſed orant pauci: præ reliquis tibi dotibus in tuis ſolitudinis amor placeat: hoc ſine, fruſtrà ſunt monita alia omnia: hortare ad honeſtatis ſtudium, quantum vis, & potes: pietatem in Deum, decorum, recti exempli debitum inculca; ventis verba dabis. Natura, dum fœtum materno in utero formar, id inprimis ſolicitè curat, ut pelliculâ illum involvat, intra quam labori ſuo incumbat, & quibus oportet, membris, quâ decet, figurâ opus illud ſuum effingat; hoc enim non circumdatus velut munimento, virtute formatrice extra limites exerrante, facilè in abortum, aut deforme monſtrum fœtus degeneraret. Sic quisquis educare ſobolem ſuam, & ad virtutem informare ſedulò volet, vagari illam paſſim non ſinat: operam enim aliàs, & oleum perdet. Quæcunque arbitrio ſuo aget cum quibuslibet, in ejus animo nunquam adhæreſcent cogitationes ſalutares, quantalibet diligentiâ teneræ menti fuerint inſtillatæ: diſpergentur: atque ita efformandus ad omnis hone-

ſta-

ſtatis elegantiam fœtus, aut nunquam abſolvetur, aut horridum denique in vitiorum monſtrum deformabitur.

VI. Ita res ſe habebit, cùm crediti veſtræ curæ nullodum vitio deformes erunt. Quodſi autem jam non primis tantùm labris dulce vitiorum venenum in voluptatum poculo delibâſſent, ſed largiter bibiſſent, tum enimverò majori adhuc ſolertiâ mea eſſent monita ſervanda, & omnis vagandi libertas præſcindenda. Tum enimverò ea foret ſic malè affectorum conditio, ſi reſpectu nullo, nullo metu verſari cum quolibet vellent; quæ eſt ægrorum, qui ſuo è cubili nunquam prodeunt ſine valetudinis incommodo: *Quod ægris evenit*, inquit Seneca, *ut nunquam ſine offenſa proferantur.* Nunquam & illi prodirent in publicum, quin duplo ferè deteriores reverterentur. Id quod tum maximè eveniet, ſi, quod pronum eſt, in eos inciderint, qui non diſſimili ſcabie laborant. Stupenda prorſus res eſt, ut Plinius advertit, quantum virium capiat venenum alicujus à rabido cane admorſi, ſi alteri jungatur, eodem veneno infecto. Hujus rei cauſam non facilè Philoſophi divinaverint: cur autem animo malè affectus, ſi alteri jungatur eodem vitio laboranti, deteriùs habere incipiat, pronum eſt conjicere: dum enim ſimul verſantur; mutuò ſe fovent: hic ſua illi narrat flagitia; alter eadem lepidè ac facetè elevat, & quo primùm è turpi facinore, pudore ſuffundebantur, mutuò ſibi abſtergunt: verbo, ſic mutuò incaleſcunt, ut ſerpentes invicem conglobati. *Tunc maximè laborant mali, ubi plurium vitia miſcuere, & in unum collata nequitia eſt.* Sodalis nequam, etiam probum pervertit, ut dicebam: quantò magìs jam perverſum pervertet ampliùs? Dicerem, quòd ſe ipſo nequiorem illum ſit effecturus, niſi aliter nocerent homines pravi, quàm Scorpiones: iſti cùm veneno quempiam infecerint, de veneno aliquid ſuo perdunt: non ita pravi, hi enim quo plus veneni diffundunt in alios, hoc ipſi quoque nocentiùs inficiuntur.

Epiſt. 7.

Sen. ep. 123.

Plin. l. 11. c. 25.

VII. Naſcuntur, quæ dixi mala, & fructus peſſimi, cùm vel boni malis, vel malis mali ejusdem ſexûs conjunguntur. Majora timenda ſunt; cùm etiam, ut frequenter aſſolet, ſexûs diſparitas acceſſerit. Agunt non tantùm cum adoleſcentibus adoleſcentuli, non tantùm cum Puellis Puellæ, & ex bonis fiunt mali, ex malis peſſimi, ſed nullo reſpectu & Juvenes cum Puellis, & hæ cum illis verſantur creberrimè. Quam quidem infidam Societatem quoties videre mihi contingit, illud in animum ſubit, quod de Aſpidibus narrant; nunquam marem ſine fœmina cerni. *Conjuga ferme vagantur*, ait Plinius, *nec niſi cum compare vita eſt.* Hac autem ratione vitium non tantùm facilè diſcitur, ſed etiam non difficulter perpetratur. Nec prudenter dicitur: Plures in cœtu ejusmodi bonos eſſe, qui ſui reſpectu nequam unum, qui fortè adſit, compeſcant: non enim ſemper plures etiam plus poſſunt. Certè unus peſtifero laborans ulcere contagionem multis afflare ſolet.

L. 8. c. 23.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

let. Hinc verſutiſſimus Dæmon, etſi nunquam non quàm plurimarum animarum perniciem & optet, & procuret, non ſemper tamen retibus venatur, quibus plures comprehendat, & quamquam non ignoret, quòd *Laqueus Juvenum omnes*; ſufficit tamen illi non raro unicus. Lepida admodum illas capiendi aviculas, quæ turmatim volant, ratio eſt; ſi una aliqua earum ex numero prehendatur, & alligato pedi filo, quod viſco probè oblitum ſit, libera avolare ſinatur. Miſella enim, cùm planè ſe liberam putet, contentione magnâ è capientis manibus avolat, & velut læti nuntii, de captivitate ſuperatâ, baiula mediæ ſe aliarum turmæ inſerit: dum autem nunc hæc, nunc illa viſcato filo adhæreſcit, non antè ludus finitur, quàm miſera non jam ſola, ſed pluribus malè cautis comitata, deorſum ruat, & optata venatori præda fiat. Non aliter Juvenis aliquis pravorum morum, venatori ſtygio optatam Animarum prædam, cùm nemo quidquam ſiniſtri metuit, in manus tradit. Id ergo verſutiſſimus hoſtis agit, ut unum aliquem irretiat. Hunc vitiorum viſco non obiter illitum in medium aliorum Juvenum, ſeu, quod deterius eſt, etiam Puellarum conſortium immittit, cùm ille verbis, nutibus, geſtibus, promiſſionibus, donis, ficto amore & vera proditione in omnem ſe partem verſans prædam bene numeroſam ſtygio ſuo venatori multùm plaudenti adducit.

VIII. Quodſi vel unus aliquis ſufficit malo Dæmoni, ut ejus ope multos capiat, quantò certior erit unius pernicies, ſi in multos inciderit? Et tamen perinde ac ſi Juvenes ſaxei eſſent, & Puellæ frigidiſſimo è marmore concretæ, nullo non tempore ſimul verſari permittuntur, manè, veſperi, interdiu, noctu: ſed nec locus ullus excipitur: in viis publicis, in agris, domi, in ſylvis; laborent, quieſcant, nihil refert, ſolæ ſint, an comitatæ: quin ne tum, cùm vel ad rem divinam accedunt, vel eâ peractâ domum repetunt, hoc ſeſe conſortio expediunt. Tantam autem qui libertatem, qui tam nullis definitum limitibus commercium ſuis concedunt, quâ tandem temeritate ſperant non inficiendas contagione animas, quæ ſanæ ſunt, aut non penitùs corrumpendas, quæ jam infectæ ſunt? Peſtis non in alios propagatur faciliùs, quàm qui humorum temperie ſunt ſimiliore, ut Medici obſervârunt. *Peſtis vapor accenditur, ubi major naturæ ſimilitudo.* Marſil. in Epid. Ant. c. 3. Illa proin indolis ſimilitudo, mutua illa affectuum profeſſio, quæ Puellam inter & ejus Amaſios intercedit, viam vel maximè ſternit proferendæ vitii contagioni, & fovendæ. Atque hoc tam præſens contagionis periculum, cui ſe exponunt, qui promiſcuè cum ſanis infectiſque agunt, Deum impulit, ut per Jeremiam ſuaderet: *Unusquisque ſe à proximo ſuo cuſtodiat.* Jerem. 9. 4. Vult nimirum, ut quisque ſe cuſtodiat non ab iis, qui foris ſunt, non ab æmulis aut hoſtibus, non à malis Dæmonibus tantùm, ſed ab his, & ab iis maximè, qui proximi illi ſunt, *à proximo ſuo ſe cuſtodiat*: ca-

veat ab iis, ad quos indolis ſimilitudine propendet; hi enim ad pervertendum eum plus habent virium, quàm infernales Genii naturâ tam diverſi & diſſimiles.

II.

IX. Atque utinam, quàm facili negotio hæc ſerpit contagio, tam facili etiam remedio curaretur! Sed nihil eſt, quod majorem mihi in hac mutuò agendi licentiâ ac libertate horrorem incutiat, quàm quòd videam, malum, quàm eſt univerſale, tam eſſe ſine remedio. Vix quiſquam hac contractus peſte unquam ſanatur. Ubi ſemel Juvenes depravati fuerint, quis erit animo tam forti & conſtanti, ut eos corrigat, & emendet? Obturant omni admonitioni aures, útque animo ſint à te penitùs alieno, ſufficit, te indicio aliquo monſtrare, ſubolere tibi eorum flagitia, aut ſiniſtram tantùm de iis ſuſpicionem concepiſſe. Notàrunt rerum naturalium Scrutatores; quo pinguiore ſucco, & tenaciore abundat arbor, hoc infeliciùs inſitionem pati. Sic & pravarum Animi propenſionum tum eſt curatio difficillima, cùm ſordidæ ſunt: hæ enim mentem excæcant magis; voluntatem pertinaciùs faciunt occalleſcere, ſic ut Ariſtoteles cenſuerit, conjungi non poſſe cum libidinum ſtudio prudentiam: *Incontinens non poteſt eſſe prudens.* Creſcit autem indies hæc & cæcitas, & duritia, aſſuetudine; eâque fit, ut mali etiam cura quotidie fiat difficilior; eò enim miſeriarum devenitur, ut ametur ipſe morbus, & ſanitas odio habeatur.

*Mathiol. in Præfat.*

Addamus jam ſanitatis recuperandæ difficultati laborantium multitudinem ac numerum, & facile erit arguere, cladem ſtragémque Animarum, quam edit hæc promiſcuè cum quibuslibet agendi licentia, eſſe innumerabilem. Cùm peſtis graſſatur, nullo non die eâ enectorum cenſus initur; ut & eorum, qui malo recèns contacti ſunt: in ea lue, de qua nobis ſermo, quis numerum inivérit? Initium illa duxit jam inde propè à Mundi naſcentis exordio, dum poſteri Seth, eâ bonitate, ut *Filii Dei* dicerentur, cum Caini filiis ac nepotibus commercium inierunt; quâ inter ſe agendi libertate moribus evaſerunt tam perverſis, ut divina Juſtitia non aliud malo remedium invenérit, quàm totius humani generis per cataclyſmum excidium: nec tamen vel hæc vindici Dei pœna rectiùs ſapere poſteros, & à tam inviſâ Deo converſandi libertate ceſſare docuit.

*V. Corn. à Lapid. in Gen. c. 6.*

X. Dicam rem verbo; quidquid videmus vitiorum in adoleſcentibus, quidquid in conjugiis perfidiæ, quidquid in moribus corruptionis, non aliunde, quàm ex ea libertate natum eſt, quâ fœminæ cum viris, viri cum fœminis agere, & invicem ſociati, quà libet, vagari permittuntur. Scimus omnes, Terram, priusquam omnis ultricibus illis undis ſubmergeretur, abſque comparatione, quàm nunc ſit, feliciorem fuiſſe ac fertiliorem. Etſi enim tum homines non aliis cibis veſcerentur, quàm herbis, & arborum fructibus, herbæ tamen illæ & poma eâ virtute nutriendi pollebant,

ut

ut vitam in plura ſecula iis paſti proferrent: id quod hodie nec cibi quicunque lectiſſimi, nec vina præſtantiſſima ac generoſiſſima efficiunt. Quam tanti diſcriminis cauſam mihi dabitis? An dicet quis; aquam vi tantâ ac copiâ in terras effuſam extinxiſſe, magnam partem, vim illam ſeminalem, quâ tellus tantum vigorem in plantas derivabat? Dicit aliquid, qui ſic reſpondet; totum tamen non dicit. Non ſolæ lapſæ cælo aquæ tam ſterile reddiderunt ſolum; *Caiet. in Geneſ.* ſed aquarum marinarum cum cæleſtibus admiſtione pernicies hæc illata eſt: illæ enim in intima ſe montium ac vallium viſcera inſinuantes acrimoniâ ſuâ germinatricem terræ vim exiccârunt, perinde ac Civitatibus ab irato hoſte ſolo æquatis nonnunquam evenit: ſolum enim, ubi ſteterant, ſale ſeminatum diu poſtea ne tantillum quidem graminis protulit. Applicemus hæc in rem noſtram. Quærunt ſubinde Senes noſtri, quæ cauſa ſit morum uſque adeò hodie depravatorum? cùm tamen & Divini verbi Præcones audiantur ſæpius, & Sacrorum Myſteriorum uſus increbuerit, in ſacris excurſionibus populi excolantur diligentiùs, tot pia Sodalitia, tot Cœtus conſtituti, in quibus ad omnem Sanctimoniam Fideles erudiantur. Unde ergo fit, ut tot adjumenta non magis animos in vita gratiæ ſtabiliant, efficiántque, ut illam ad longa tempora prorogent? Non alia mali origo, quàm aquarum ſalſarum cum dulcibus admiſtio. Si ſalſæ ſuos inter fines ac terminos ſe continerent, tellus à ſolis dulcibus tantum detrimenti non pateretur; ſi, inquam, domi ſe continerent fœminæ, non tanta orbem obrueret vitiorum colluvies, quantolibet numero viri licentiùs vagarentur; minore negotio vincerentur tentationes, nec tam citò à peccatis confeſſione expiatis ad antiquas rediretur miſerias, ſic ut vita animæ jam vix diurna, imò vix paucarum horarum eſſe ſoleat. Hæc autem admiſtio, dum neque limitibus, neque legibus ullis licentia coercetur, damna infert inexplicabilia, tantò exitioſiùs, quòd ne remedium quidem malo relictum eſt. Remedium ſiquidem, aliquò uſque ſaltem, in ſola ſeparatione conſiſteret, nec tamen hujus obtinendæ ſpes affulget. *Fugite de medio Babylonis*, ait Sacer Vates, *& ſalvet unusquisque animam ſuam.* Quid autem eſt Babylon linguâ noſtra, niſi *Confuſio & Commiſtio*? Fugite proinde promiſcuam hanc invicem agendi licentiam, commercia abrumpite, vitate pericula, ſi ſalvam animam veſtram cupitis: Hoc niſi agitis, de illa actum eſt. *Ierem. 51. 6.*

XI. Graſſante lue, nulla quidquam proficit induſtria, niſi commercium ſanos inter & contactos tollatur. Idem in re noſtra eſt. E diverſo, *Diſcede ab iniquo*, ait Eccleſiaſticus, *& deficient abs te.* Mala omnia ictu amputabimus unico, ſi amputemus noxiam converſandi libertatem: *deficient mala.* Si enim fœmina domi ſuæ ſola eſſet, vix apparet, quo ſe illa culparum genere contaminaret; ſicut & viri fermè peccandi *Eccl. 7.*

 illi-

*Baron. an. 495.* illicia foris accerſunt. Leone I. Conſtantinopoli imperante exortum ſæviſſimum incendium vicos urbis integros, nec parvo numero, in cineres redegit. Motus ea re Zeno legem deinde tulit, Codici inſertam, ut ædium ſingulæ ab aliis duodecim ſaltem pedum intervallo diſtarent; ut ſiquas deinceps flammæ corriperent, non facilè in alias incendium propagaretur. *Ad ſecuritatem ab igne præſtandam.* O ſanctam legem, ſi à materiatis hiſce ædibus transferretur ad viva Dei templa, Chriſtianos nimirum, ſic ut domus quælibet nullâ ſui parte aliam contingeret, & quilibet exiſtimaret, non vicinos, non notos circa ſe ullos eſſe! Sic facta prava, non fierent exempla publica: & fœdus ille libidinum ignis inter proſtibulorum parietes clauſus, non tot alias, cæteroquin honoratas domos, tantâ tamque communi ſtrage corriperet.

XII. Non neſcio, plures è vobis futuros, qui dicant: Durus eſt hic ſermo, nec durus tantùm, ſed quem re & opere complere non liceat; neq; enim omnes domi recludi fœminæ poſſunt: ſed illas quoque ſua negotia foras vocant. Non ignota dicitis: nec me latet, non ſemper domi teneri fœminas poſſe. Quid autem hinc conſequens eſt? Adverto ſacris in Literis fœminam rebus geminis planè diſſimillimis comparari, Candelabro in Templo, & Soli in cælo. Ut Candelabrum, domo prodire non debet; ſicut Candelabrum Templo non effertur: ſi tamen prodeundum fuerit, prodire debet ut Sol, qui ſemitâ ſuâ, quam Eclipticam Aſtronomi dicunt, nunquam egreditur. Prodeant ergo, per me licet, ſubinde extra parietes domeſticos fœminæ, dummodo non niſi negotiorum ſuorum causâ prodeant, nec extra ſemitam ſuam exerrent, ut Sol tot ſeculorum decurſu ne latum quidem unguem exorbitavit. Damno tantùm in fœminis illam ubique vagandi licentiam, illum ſolitudinis horrorem, illum, in medio etiam virorum, lætis in conventiculis apparendi pruritum. Hoc autem animabus plurimum nocere, quis negare poſſit, qui animum advertit ad ſtragem, quam hæc conſortia edunt, perpetuam? quis negare poſſit, digna eſſe reprehenſione: ſi non perpetuâ, ſaltem crebrò iteratâ?

XIII. Ad illud deinde quod attinet, dum dicebatis, ſermonem hunc eſſe durum, neceſſe eſt, ut eorum vobis memoriam refricem, quæ initio commemoravi: vivere nimirum nos tempora, quibus peſtis graſſetur, quanno crudelem eſſe pietatis ſpeciem habet. An Servatorem non audimus ita loquentem? *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* *Matt. 10. 35.* Gladium nimirum venit mittere, ut alium ab alio ſeparet; cùm toties non alii magis nobis inimici ſint, quàm qui nos proximè circumſtant, ut amiciſſimi. *Inimici hominis domeſtici ejus.* *Matt. 10. 36.* Nec tamen non veſtram ego vicem doleo: ſcio enim nihil ſuavius, nihil jucundius à natura nobis datum libertate, communicatione cum aliis ac ſocietate. Et ſicut homo animal eſt ſociabile, ita nec ipſæ jucundæ ſunt illi delitiæ, ſi ſoli-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſolitudinis tædio exacerbentur. Sed quid agemus, poſtquam peccato Natura hominis corrupta eſt? Non jam ſanitatis tempus eſt; aliis proin legibus utendum. Caro illa, quam circumferimus, tam rebellis & perfida, tam irritabilis, tam ad omnis vitii contagionem parata, facit, ut, quæ integrâ etiamnum ſanitate duros nos & inhumanos arguerunt, jam nos prudenter cautos commendent. *Denuntiamus vobis,* inquit Apoſtolus, *in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis.* (2 Theſſ. 3.6.) Probè notanda ſunt Apoſtoli verba, quibus diviſionis ſententiam & neceſſitatem promulgat, non ab hoſtibus tantùm Fidei, ſed ab aliis etiam, qui eâdem nobiſcum religione cenſentur: *ab omni fratre.* Non ab iis duntaxat, qui manifeſtâ exempli pravitate nocent, ſed ab his etiam, qui monſtratam perfectionis ac ſanctimoniæ ſemitam non ita ſolerter tenent, quin ab illa ſubinde exerrent: *ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt.* Verè ſiquidem non aliud eſt medium, quo à pernitie ſervemur, quàm iſtud: fugere commercium hominum, quoad ejus licet, quos inter lethalem ex halitu unico peſtem trahere poſſimus.

XIV. Hinc diſcere poſſumus, quâ causâ Deus totum poſtulet, cùm malus Dæmon modico ſit contentus. Sic vult Deus, animam non ſolùm opera perpetrare nulla, quæ cum ratione, & ſanctiſſimis ſuis Legibus pugnant, ſed ut ne cogitatione quidem illis aſſentiatur. Dæmon è diverſo cùm ad opus ipſum fruſtrà quempiam pellicit, ſatis habet ad cogitationis aſſenſum eum induxiſſe: cùm horret quis exempli pravitate aliis nocere, pro ſua humanitate, liceat ita loqui, contentus eſt, ſi quis ſolus & ſine arbitro delinquat. Quin, cùm quis conſtanti animo renuit bibere ex venenato voluptatum poculo, probat, ſi vel tantillum labris delibet liquorem propinatum; ſatis habet, ſi ad jocum prætextatum, ad facetiam illiberalem, ſed libidine fœtentem, ad obtutum paulò curioſiorem inducat. Quæ igitur tanti diſcriminis cauſa, ut Deus tam inexorabili ſeveritate totum poſtulet, Dæmon tantâ ſecum humanitate agi ſinat? Niſi fallor, hæc princeps ejus rei cauſa eſt. Dominium animæ totius ad Deum pertinet; Dæmon autem fur eſt. Sic enim mirum non eſt, ſi totum Deus exigat; Dæmon contentus ſit partem ſibi vindicâſſe, Præterea Deus nos vult bonos, malos Dæmon: & quia ad hoc ut quis bonus ſit, neceſſe eſt omnibus partibus eſſe abſolutum, ad malum verò ſufficit, cujuslibet partis defectus, ideo totum vult Deus, parte verò Dæmon contentus eſt. Vera ſunt iſta: Ego tamen veram aliam propriámque ejus rei cauſam vobis afferam. Modicum petit Dæmon, cùm nôrit à modico ſtatim ſe progredi poſſe ad multum: capillum petit, ajebat S. Franciſcus, at hunc ſi obtinet, mox ex crine funem efficit, & nauticum quidem, quo ingens oneraria ad lit-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tus alligetur. Quid in re noſtra principio petit? Ad quid puellam aliquam veſtram proritat? Non ad ſtupra, non ad adulteria, non ad Sacrilegia, & quæ ſunt alia ſuâ turpitudine valde abominanda: obtutum petit laſcivum; verbulum paulò liberius, compoſitionem hominis exterioris minùs aſperam, ſolitudinis minus aliquanto ſtudium, animi laxationem liberaliorem. In his omnibus quid mali? crinis eſt: ſed avertat Deus, ut verſutiſſimo nebuloni vel tantillum tribuatis; veſtro enim damno diſcetis tandem, an ille ex modico proficere ſciat ad multum, & num ex crine non laqueos tantùm, ſed catenas effingere nôrit. Vulpes aliud hiſtrice non petit, quàm ut ſepem illam aculeorum ſuorum tantiſper aperiat: ſi ſtultus rogantem audiat, momento eum invadit & devorat. Hem, ait ille mille fraudum artifex, quæ iſta ſolitudo, quod ſilentium, quæ parietum domeſticorum cuſtodia, quæ omnis commercii humani fuga? Hoc eſt totum ſpinis rigere, ut echinum: aperi tantiſper ſepem hanc hiſpidam; fac quod Juvenes alii, quod aliæ Puellæ faciunt, loquere, aſpice, nocturna in vicini ædibus conventicula accede. Si audiant vafra conſilia Juvenes, jam ſanè pernicies proxima eſt absque obice.

XV. Scio non ſtatim his initiis funeſtos iſtos exitus connecti: quid autem refert, connecti: tardiùs, ſi connectentur & ſequentur aliquando? Etiam venenum non ſtatim ad cor penetrat: penetrat tamen deniquè. Albertus narrat, quempiam rabidi canis dentibus admorſum, non niſi duodecim poſt annos veneni illius vim cœpiſſe perſentiſcere, quod tanto intervallo innoxium videbatur. Eadem planè in re noſtra accidunt. Audiet Puella, dum liberiùs per ædes vicinas vagatur, ex ore alicujus effrontis nuptæ quidpiam, quod ne audiret, præſtaret eſſe ſurdam. Non nocent tum illa verba, nec plagam infligunt: vitæ enim ad eam diem actæ tenor, nondum exulans è fronte verecundia, timor juſtus Majorum, faciunt, ut Puella ne exiſtimet quidem ullam tantum aliquando probrum ac dedecus poſſe conſciſcere. At ecce: non multis poſt annis marito jungitur, memor pravorum peſſimæ illius mulierculæ exemplorum, memor modi, quem ex illa intellexit, occultè talia perpetrandi, cedit infelix intus oppugnanti, foris allicienti, & fidem Deo non minùs, quàm marito datam violare non erubeſcit. Obſervate in hoc, & aliis generis ejusdem caſibus, quos enumerare poſſem, vim primorum illorum verborum planè peſtilentium, rabiem illam, & inquietudinem, quam in animo infelicis reliquit laſciva illa magiſtræ deteſtabilis lingua! Quare iterum iterúmque veſtro commodo, veſtro bono vobis inculco: ſeparamini, ſeparamini, fugite commercia periculoſa; *Non veni pacem mittere, ſed gladium.*

XVI. Serviet autem inprimis hæc commercii periculoſi fuga ad delendas noxas præteritas: ad quas abolendas

das ſi hortari vos voluero ad Jejunium, Eleemoſynam & Orationem, quod eſt triplex illud genus operum, quo ſatisfacere pro admiſſis poſſumus, reſpondebitis, à jejunio vos impediri laboribus neceſſariis, ab eleemoſyna & ſtipe danda propriâ egeſtate, ab oratione verò paulò prolixiore curis domeſticis. Quid autem prætexetis, ſi vos hortor, ut viteris commercia periculoſa, conventicula adverſantia honeſtati, & turbas hominum promiſcuas? Ab hoc equidem vos excuſat nihil: ſi proinde ne hoc quidem tantillum reddere Deo vultis pro tot culpis, ſatis enimverò apparet, vos necdum intelligere graviſſima illa nomina, quæ apud Deum peccando contraxiſtis.

XVII. Serviet deinde eadem fuga ad impedienda poſthac peccata. Quâ quidem in re an vera dicam, non alios quàm vos teſtes volo: an non enim cùm hebdomadæ dies totos cum domeſticis veſtris laborando tranſigitis, ſanos vos incolumésque, animámque nullo peccato vulneratam invenitis? Diebus autem feriatis, dum modò hujus, modò illius in conſortio laxatis animum, an non ſæpe mentem plenam cogitationibus perverſis, linguam verbis obſcœnis, detractione de famâ & exiſtimatione aliena conſpurcatam domum refertis? An non modò rixis, aliàs ebrietate, libidine multiplici, & neſcio quibus aliis flagitiis, quorum vel meminiſſe pudor ſit, vos impiatos deprehenditis? Faciliùs autem hæc tam triſtia ac planè funeſta accidunt, ſi in medios fœminarum greges vos inferre non puduerit: nec intereſt, Juvenculæ ſint, an adultiores: ex his ſiquidem fiunt adulteræ. *Cum aliena muliere ne ſedeas omnino, alloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit*: ille nimirum ignis, qui animum accendit deſideriis pravis, quæ veritatis æternæ ore jam pridem vel ipſis operibus comparata ſunt. Vetat ergo Deus, ne vel ad modicum temporis ſpacium aſſideas fœminæ, ne te tuamque ſalutem exponas diſcrimini: & tu ſecurum te exiſtimabis, ſi dies totos in ejus conſortio colloquendo, ſaltando, corridendo, jocis mille, ac facetiis indulgendo tranſigas? Quid eſt inſanire, ſi hoc eſt ſapere? Eccl. 12.

XVIII. Ante omnia denuo vobis, ô Majores, adoleſcentulas veſtras commendo. S. Ambroſius dum Virginem inſtituit, ita loquitur: *Trepidare Virginum eſt; & ad omnes viri ingreſſus pavere, omnes viri affatus vereri.* Quod igitur illud educationis Virginum genus eſſe dicamus, quo ipſis permittitur non ſolùm non trepidare ad præſentiam & alloquium viri, etiam modeſti, ſed garrire ad ædium limina cum Juvenibus diſſolutis, garrire mediis in plateis, manus porrigere, & ejuſmodi facetiis etiam priores provocare, quæ tam in ore Virginum honeſtarum malè ſonant? Neque grandiores tantùm, ſed tenellulæ etiam filiæ præ aliis ſolerter cuſtodiendæ, nec, ut quâ libet, evagentur, permittendum. Id enim ſanè quàm induſtriè malus Dæmon agit, ut eas maturè operâ ſtygii alicujus emiſſarii ſuas faciat; operâ

râ inquam alicujus eorum ex numero, quos unicè delectat animulas innocentes, ut agnellos teneros, manibus Dei eripere, ut eas infernalis Lupi faucibus tradant. Perpendat quisque ſecum ſeriò, & altè in animum demittat, ſi à teneris annis liberi vitio aſſueverint, vix unquam eos aſſuetudinem tam noxiam dedocendos. *Prov. 22. 6.* *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Nulli non arbori nocet, ungi, ut experti aſſerunt; ſed nullis magìs, quàm tenellis etiamnum plantis. *Theophr. hiſt. plant. l. 4. c. ult.* *Oleum infuſum arboribus, eas necat, ſed maximè novellas.*

XIX. Si durum vobis moleſtumq́; videtur ad hanc ſolitudinem, ad hanc commercii paulò periculoſioris fugam & voſmet, & veſtræ fidei ac curæ creditos aſſuefacere, mementote agi de ſalute & veſtra, & eorum, quos habetis longè chariſſimos. Si ſalvi eſſe volumus, ſurſum per ardua tendendum eſt; vis inferenda propenſionibus naturæ, deorſum nos trahentibus. *Solus ſedebam*, ajebat ad Deum Propheta, *Jerem. 15.* *quoniam comminatione repleſti me.* Non ibam vagus per has illaſque ædes; non tranſigebam tempus in cœtibus animi causâ coactis: non venabar occaſiones & pericula amittendæ ſalutis, ſed pro his *Sedebam ſolus.* Non ob aliud autem ita aliorum fugiebam conſortium, ita ad omnis diſcriminis umbram trepidabam, quàm *quoniam comminatione repleſti me.* Totus cohorrui, cùm tot pereundi occaſiones proſpicerem. Utinam & vos altè in animum demitteretis, quanta demum, quámque meritò ſit timenda feliciſſimi Cæleſtis Regni jactura, & cum hoc, jactura Societatis perpetuæ cum Beatis, Sanctis Martyribus, Apoſtolis, Angelis, Beatiſſima Virgine, Chriſto, Deo! Utinam, Utinam ſeriâ, datâque operâ aſſequi conaremini, quanta è diverſo ſit calamitas, quanta miſeria, ad æternum cum Dæmonibus, feris, furiis, & *cum igne devorante* damnari conſortium! Enimverò nulla jam moleſta foret ſolitudo, ſed eam amplecteremini, ut ſecurum ſalutis ac ſecuritatis aſylum; libertatem illam tam periculoſam volentes lubentes iis permitteretis, quibus ſuæ ſalus curæ non eſt. Bonus Deus ſancto hoc ac pretioſo timore animos veſtros repleat, quem vobis unicè exopto, ut trepidando ac timendo certos vos ac ſecuros reddatis illius gloriæ conſequendæ, quam tam facilè amittit, quisquis non timet amittere.

# DISCURSUS XXXIV.

*Plurimum ſpei in Beatiſſimæ Virginis Patrocinio nos poſſe reponere.*

I. QUi ſævâ in mari tempeſtate jactantur, illud adhuc inter ſecunda numerare ſolent, ſi ſolum offendant firmum, in quo anchoram jactam ſtabiliant. Ubi enim fundus luto aut arenâ obtectus fuerit, anchora, vomeris inſtar, inſtabile illud ſolum ſulcando, navim non firmat. Miror proinde è Chriſtianis non paucos ſpei ſuæ, ſublimis omnino & altæ, anchoras temerè ubique jacere. Multi omnino ſunt, qui ſibi de ſalute certò obtinendâ blandiuntur, & de navi ſuâ ad æternæ beatitatis portum certò appellendâ, nixi ſuâ in Dei Matrem, ſalutis anchoram, devotione. Hunc tamen devotionis, & animi tantæ Matri addicti fundum haudquaquam curiosè explorant, nec penſi habent, sitne arenoſus ob tam multiplicem inſtabilitatem, an ob tot fœdiſſimarum culparum ſordes lutoſus. Propoſitum idcirco mihi eſt, hocce Diſurſu dedocere errorem tantò nocentiorem, quantò minùs creditum, & oſtendere, quæ tandem ſit genuina in Virginem Matrem pietas ac devotio, quâ tutò niti poſſit noſtra ſalutis ſpes; & quæ ſit adulterina, quâ, absque temeritate, niti non poſſimus.

I.

II. Statuendum autem eſt ante omnia, quid ſit Devotio in Matrem Virginem. Nihil autem aliud eſt Devotio, ſi S. Thomæ credimus, quàm Affectio voluntatis ad alterius obſequium promptiſſimæ. *Devotio dicitur à devovendo.* Unde ut devotus quis dici mereatur, non eſt ſatis, quoquo modo amicum eſſe, ſed eſſe amicum amicitiâ juratiſſimâ & addictiſſimâ, quæ eſſe poſſit; haud aliter ac eſſe inflammatum, non eſt quocunque modo accenſum eſſe, ſed eſſe accenſum ardore ſummè fervente, & in claras flammas prorumpente. Devotio igitur in Virginem Matrem, hâc regulâ ſtando, erit voluntas prompta ad efficienda omnia, quæ redundent in gloriam ac placitum magnæ hujus Dominæ, Cæli ac Terræ Imperatricis. Unde cùm ipſa de vera hac erga ſe pietate in Eccleſiaſtici libro loqueretur, his maximè vocibus uſa eſt: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: in Electis meis mitte radices.* O voces pulcherrimas! Magnus ille Deus, qui fecit me (ſic Virgo loquitur) & poſtmodum dignatus eſt novem menſium ſpatio in ſinu meo habitare, ille, inquam, præcepit, ut profundas in cordibus Electorum ſuorum ra-

*S. Thom. 2.2.q.82. ar. 1.*

*Eccl. 2. 12.*

radices mittam. *In Electis meis mitte radices.* Parui ego juſtis imperiis, & altas omnino radices egi in magno illo, ac Regibus omnibus magìs honorato, Electorum & Prædeſtinatorum populo: *Et radicavi in Populo honorificato.* Obſervemus diligenter geminam hanc loquendi formulam, *mitte radices*; quod eſt radices profundè deorſum mittere, *& radicare;* quod eſt radicem in ſolo feliciter nutriri & adoleſcere: hinc porrò diſcimus, geminas eſſe debere veræ in Dei Matrem Devotionis conditiones, quæ omnibus fertilium plantarum radicibus communes ſunt: ut ſit profunda, & ut ſit fertilis.

III. Debet igitur primò hæc in Virginem Matrem Devotio eſſe profunda, quæ non in ſuperficie hæreat, ſic ut in extimis tantùm labris ſiſtat; ſicut ſiſtit in eo, qui rem magnam præſtare ſibi videtur, cùm Virginis Salutationes ad globulos, mille inter evagationes, decurrit; aut cùm, tanquam arduum quid auſus, ſolo illi corpore famulatur, vel locum ipſi ſacrum adeundo, vel ſupplicum agmen comitando, vel à cibis abſtinendo: dum interim Cor illi ſuum negat, quod ipſa præ corpore carum habet ac unicè exoptat. Huc enim radicibus illa ſuis penetrare deſiderat, ut bene nobis faciat:
Iſa. 37. 31. *Mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum.*

IV. Eandem Devotionem fœcundam quoque eſſe oportet: non aliâ utique fœcunditate, nec alterius magis fructûs ferace, quàm illius, quem ut produceret è terra cordis noſtri, Servator optimus ſudores, ſanguinem, vitam adeò ipſam profudit; ut nimirum inde extirparet omne peccatum; juxta illud Iſaiæ: *Hic eſt omnis fructus,* 27. 9.
*ut auferatur peccatum.* Atque hoc eſt, quod ſpectant omnia Naturæ & Gratiæ opera, omnia, quæ in nos ſive ad hanc animalem, ſive ad meliorem & ſpiritualem illam vitam beneficia Deus confert, tam ipſe per ſe, miniſterio Sacramentorum; quàm per manus ſanctiſſimæ Matris ſuæ; deſtruere nimirum peccatum, & eâdem operâ reddere nos idoneos & capaces tam ad recipiendam Dei amicitiam, quàm Beatitatem æternam, electis, & charis à Deo pridem præparatam. Neque aliud, pro ſuâ in Deum, & nos charitate, quàm hoc ipſum, vehementiſſimè etiam atque etiam deſiderat Virgo Mater; cùm non aliâ causâ faveat Peccatoribus, niſi ut faciat non Peccatores. Ideo magnes ferrum ad ſe trahit, ut imprimat illi virtutem eandem, quâ ipſe pollet, ſemper reſpiciendi immotum Cæli punctum, ſeu Polum. Nec aliter Mater divina (quam S. Brigittæ teſtimonio Servator ipſe Magnetem Peccatorum dixit) deſiderio fertur inſatiabili trahendi ad ſeſe quotquot ſunt, non ut maneant ferrum rubigine obſitum, & quod nativo pondere ſua tantùm ad flagitia & cupiditates feratur, ſed ut omnes ad Polum ſuum, Deum inquam, ſeſe obvertant, aliud nihil, quàm adorandam ejus voluntatem ſpectantes. Felices ſanè ac fortunatos omnes, qui & profunditatis, & fructûs hujus argumento conjicere poſſunt, ſuam in Dei Matrem devotio-

nem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nem radices has beatiſſimas in corde ſuo egiſſe! Sic qui illam invenerit, vitam invenit æternam; *Qui me invenerit, inveniet vitam.*

Prov. 8. 34.

V. Cæterùm ſolatio vero ac genuino eorum, qui Matri huic Virgineæ ſe devoverunt, oportet me paucis demonſtrare, quid ipſa apud Deum poſſit. Geminam in Oceano plenitudinem invenire eſt; primam, quâ capax eſt aquarum omnium, quas in ſinum ejus totius orbis terrarum flumina velut tributaria effundunt: alteram, quâ ſic redundat, ut omnibus fontibus ſubminiſtrare aquas poſſit, quin iſti unquam exiccentur. Gemina hac ratione plena eſt etiam Virgo Sanctiſſima; primâ quidem ut Dei Mater, quia capax eſt Gratiarum omnium; alterâ, quâ in alios redundat, ut Mater Electorum. Utramque hanc plenitudinem noſtro commodo attentiùs conſideremus.

VI. Dignitas Matris Dei, eſt mare tam amplum, tam latè porrectum, ut ejus littora proſpicere non detur. Siquidem ut Deum ipſum ſpectat, S. Thoma teſte, infinitatem quandam habet. Ille enim Deus, qui Mundo quolibet, quamlibet perfecto, majorem perfectiorémque condere pro arbitrio poteſt; majorem producere Matrem, quàm Dei Matrem, non poteſt. *Beata Virgo ex hoc, quod eſt Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte non poteſt fieri aliquid melius, ſicut non poteſt eſſe aliquid melius Deo.* Quæ ſunt verba Angelici. Quàm ergo prodigiosè capax eſt Virgo, ut Dei Mater eſt! Equidem ſecundùm omnes Divinæ Providentiæ Leges, gratia in Virginem collata debebat reſpondere dignationi & gradui, ad quem à Deo erat evecta. Ne humanæ quidem Leges dubitare ſinunt, an dignus ſit gradu, ad quem quis Imperatoris nutû evectus eſt. *Sacrilegii*, inquiunt, *inſtar eſt, dubitare, an is dignus ſit, quem elegerit Imperator.* Vos proinde ipſi decernite, quam Divinæ Providentiæ injuriam ille facturus eſſet, qui dubitaret, an Virgo Beatiſſima iis donata ſit gratiarum opibus, quibus abundare decebat eam, quæ digna eſſet Deo Mater. Neſas omnino eſt ambigere, ſi S. Thomæ credimus. *Habuit gratiam ſufficientem ad ſtatum illum, ad quem erat electa à Deo, ut eſſet ſcilicet Mater Unigeniti ejus.* Eâque causâ Mater Dei ſanctiſſima omnes Angelos ordinum omnino omnium, omnéſque planè Cælites tanto ſuperat intervallo, ut non ſit, qui metiri poſſit. *Dei Matris, & ſervorum Dei infinitum eſt diſcrimen.* Et quamquam illa pars eſt Eccleſiæ, non tamen quocunque modo pars eſt; ſed eâ duntaxat ratione, quâ Supremum Cælum pars eſt Univerſi. Ut enim Cælum hoc, ſeu Firmamentum, ſolo ſe omnibus aliis mundi partibus longiſſimo intervallo majus eſt, ita & Mater Diviniſſima ſolâ ſe ordinem quemdam conſtituit peculiarem, ad cujus excelſitatem ac præſtantiam reliqui omnes in unum collecti non pertingunt: atque adeò plus illa pulchritudinis, plus excellentiæ, plus ſplendorum una habet, quàm reliqui Cæli Cives

S. Thom. 1. p. q. 25. ar. 6. ad 4.

*l. Sacrilegii. C. de Crim. ſacril.*

*S. Thom. 3. p. q. 7. ar. 10. ad 1.*

*Suarez. t. 2. in 3. p. diſp. 18. Sect. 4.*

*Cornel. in c. 8. Proverb.*

*S. Damaſc. or. de Dorm. Virg.*

ves univerſi. *Formoſa ſicut Ieruſalem.* Sola tam ſpecioſa, quàm tota ſimul Cæleſtis Solyma. Ad eam efformandam gratia contulit, quidquid in virtutibus fuit perfectius, quidquid præſtantius, cùm in humano corde præpararet ſedem Regiam, dignam quâ Dei Filius collocaretur. *Neque enim Homini præparatur habitatio, ſed Deo.* Favus ille, qui naſcituri apum Regis cunis deſtinatur, elaboratur ab Apibus è cera lectiſſima, & præſtantiſſimorum florum è ſucco conflata; an dubitabimus, tantundémne divina fecerit Providentia in parando formandóque ſinu, quem intra Regum omnium Rex erat naſciturus? Hinc, ut S. Bernardinus affirmat, in ipſo Conceptionis ſuæ momento plus omnibus Sanctis Beatiſſimam Virginem dilexit Deus, *ſuper omnia tabernacula Iacob*, cùm ab illo jam momento ut Mater Dei diligeretur. Quin aſſerit idemmet Sanctus, magìs Virginis hujus, quàm mortalium reliquorum omnium causâ JEſum Dei Filium humanam naturam induiſſe. Et verò re ipsâ, ſi vitam Chriſti omnem undecim in partes tribuamus, inveniemus decē primas totas impendiſſe perficiendæ ſuæ Matri, eâdem cum illa domo commorando: poſtremam verò, ultimos nimirum tres Prædicationis ſuæ annos, reliquæ Eccleſiæ perficiendæ, peragrando diverſa loca conſecrâſſe: quâ quidem in re adeò ſibi Cor Chriſti complacuit, ut tum, cùm morabatur cum Virgine, quieviſſe dicatur, *requievit in Tabernaculô meo.* Cùm autem naſcentem Eccleſiam formabat atque erudiebat, tranſeundo id feciſſe dicatur: *pertranſiit benefaciendo.* Ut vel ipſa loquendi ratio nobis manifeſtaret majorem ſedulitatem, quam in formanda Matre ſua poſuit, tanquam præcipuo Incarnationis ſuæ fine: *Virgo Mater Dei, ſolum opus Incarnationis Dei mei.* Magnâ animi mei voluptate de hiſce rebus, etſi ſublimibus admodum, diſſero, non ſolùm ejus voluptatis percipiendæ ſtudio, ſed ut vos, dum iſta non ſatis capitis, vel hinc altè in animum demittatis, quam inſerere cupio, ſummam de Sanctitate Matris Dei, & de illâ, nullis verbis explicandâ, nullis cogitationibus percipiendâ, plenitudine ac capacitate, quam vaſtiſſimus hic Maternitatis divinæ Oceanus complectitur, æſtimationem; adeò ut ſi animis veſtris majores ac plures perfectiones identidem objiciatis, nunquam tamen cogitationes veſtræ admirandæ hujus Virginis merita ſint adæquaturæ; nec omnia illa laudum ac encomiorum flumina, quibus illam exornare quoquomodo poteſtis, ampliſſimum ac vaſtiſſimum ejus Dignationis ſinum ſint impletura: adeò fundum ille nullum habet.

VII. Pergamus ad plenitudinem alteram, abundantiæ, quâ & ipſa Dei Mater ſe oſtendit eſſe Mare Gratiarum, dum nunquam deficiente ſcaturigine tantam earum copiam in genus omne humanum derivat. Legibus Cæſareis Amici & Domeſtici Judicis Advocatorum munere arcentur; *Domeſticus Iudicis à publicis actibus arceatur.* Sit ſuæ Legi huic humanis in

*1. Paral. 29. 1.*

*Ut Act. 10. 38.*

*S. Ildeph. Lib. de Virg. Mar. c. 10.*

*l. Domesticus C. de Aſſeſ. & Domeſt.*

Tri-

Tribunalibus reverentia ; Divino coram Tribunali eidem locus non eſt. In hoc ſiquidem Deus amiciſſimos quosque, ac intimos ſuos tam non arcet pro nobis advocandi munere, ut benignitate planè incomparabili, elegerit Mediatricem & arbitram inter nos & ipſum, ipſam ſuam Matrem, illam è rebus conditis planè omnibus chariſſimam, illam tam Domeſticam, ut tanquam Regina à dextra ejus ſedeat ; illam, quâ nullâ magis ipſi connexa eſt, quâ nullâ arctiori fœdere divincta ; illam denique, cui Judex magìs & intimiùs ſe obſtrictam novit, quàm qui uſpiam, & unquam exiſtere homines poſſunt, Matribus ſuis ſint aut eſſe poſſint obligati : cùm ab ea vitam acceperit, cujus vel momentum unicum pretioſius eſt, quàm omnis vita omnium, quæ eſſe poſſunt, rerum condendarum ; & acceperit quidem voluntate & aſſenſu ejus proprio ac ſingulari, utpote antè
*Hom. 90. ad Pop.* ab ea requiſito. *Hei mihi, quot ad ſalutem viæ!* ajebat S. Joannes Chryſoſtomus. Quot, Deum immortalem! ſervandis nobis vias adinvenit Deus! Satis utique erat, ſi Advocatus noſter eſſet is ipſe, qui redemerat : quia tamen divinus hic Advocatus Judex etiam noſter futurus erat, ut tantò firmior ſtabiliórque eſſet de conſequenda ſalute fiducia, illam etiam dare nobis advocatam voluit, ad quam unicè pertineret nobis favere, noſtræque cauſæ defendendæ
*Orat. de Puriſſ.* ſtudere. Sæpe, ſi S. Methodio credimus ; Miſerationum Mater illos liberat, quos Filii Juſtitia damnaret : cúmque totum ejus Regnum Manſuetudine nitatur ac Clementiâ, non curat, quæ ſint ejus, qui opem poſcit, merita ; ſed quid ſua benignitas, quid congenita ſuavitas jubeant. *Spiritus* *Eccl. 24. 27.*
*meus ſuper mel dulcis.* Cogitate proinde, Dei Matrem Collum, ut multi SS. Doctorum loquuntur, eſſe Eccleſiæ, per quod à Capite Chriſto, in nos omnis virtus, omnes gratiæ ac dona deſcendant : *Si quid ſpei, ſi quid* *Serm. de Nativ. B. M.*
*ſalutis, ſi quid gratiæ in nobis eſt, ab ea noverimus redundare*, Mellifluì Doctoris verba ſunt, *Totum nos habere voluit per Mariam*, Magnam illam & admirabilem mediatricem. Obſervârunt rerum naturalium ſcrutatores, animalia, quæ collo, eadem & voce carere. Quàm proinde miſeram eſſe neceſſe eſt illam Animam, cui collum deeſt, per quod bona omnia in eam derivari oporteret ? quomodo infelix audiri coram Divino Tribunali poterit tam nocenter muta ? E diverſo, ô beatam illam, ô fortunatam Animam, quæ Colli hujus cœleſtis ac myſtici miniſterio nullo non momento ſupplices ad Deum preces vocésque poteſt emittere!

VIII. Edicite ; quanta vos audiendorum veſtrorum votorum impleret fiducia, ſi ad illa Deo commendanda, & cauſam veſtram juvandam concurrerent omnes ordines Beatorum Spirituum, omnes Patriarchæ, Prophetæ omnes, Apoſtoli, & illæ tot Martyrum, quorum Purpurâ ſplendet Eccleſia, Myriades, Cæli-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tes reliqui ad unum omnes, Confeſſores, Virgines, Viduæ? quâ tandem ratione divina illa Pietas ad tot ſupplicum voces poſſet eſſe ſurda? Athenis cùm numeroſiſſima Spectatorum turba omnis in plauſus & jubilos effunderetur, ea tot vocum unitarum vis fuit, ut quæ fortè per aëra volabant aves, ſideratæ & ſoni vehementiâ perculſæ in terram delaberentur. Et tot chariſſimorum ſibi capitum vocibus poſſet non flecti divina Beneficentia, ut quam illi cunque pro nobis poſtularent gratiam, non illam confeſtim largiretur? Quantacunque autem precum tam concordium vis ſit, major tamen eſt ac potentior precum unius Dei Matris virtus, & certiùs ſola impetrat, quàm Eccleſia omnis triumphans perinde ac militans concordibus ſtudiis valeret impetrare. Quàm proinde non vana, non futilis eſt ſpes, quam in Sanctiſſima Matre reponunt, qui ejus nomini devoti ſunt; quàm gravibus de cauſis in ea ſpei ſuæ, imò & ſecuritatis ac quietis anchoram defigunt? Tam eſt potens virgo hæc Mater, ut eam ad potentiam opéſque demonſtrandas, & ad excitandam in nobis earum fiduciam, velociùs nobis non ſemel obtingat ſalus, cùm Mariæ nomen imploratur, quàm dum vel ipſum Jeſu Servatoris nomen potentiſſimum invocatur. Eſt hæc S. Anſelmi aſſertio tam celebrata: *Velocior eſt nonnunquam ſalus, memorato nomine Mariæ, quàm invocato nomine Domini Jeſu.* Novimus quidem, non poſſe, nec facere hæc

*V. Mendoz. in virid. l. 2. probl. 2.*

*lib. de Excell. Virg. c. 6.*

tam admiranda Virginem virtute ſuâ propriâ; ſed totum hoc manare ex divini Filii potentiâ, qui ita vult fieri: haud aliter ac Luna, etſi lucis ipſa ex ſe habebat nihil, ſed totum à ſole mutuetur, hac tamen mutuâ luce citiùs effecta quædam in terris producit, quàm id Solis ipſius radii præſtent. *Ex lumine à ſole mutuato, quaſi quidam ſecundus Sol, breviter agit, ut quod Sol facit in anno, Luna faciat in menſe.* Sic & Auguſtiſſimum Mariæ nomen, etſi omnem vim ſuam ac potentiam divino Jeſu nomini adſcribat, videtur tamen pollere virtute ad influendum celeriùs, ita volente ac diſponente Magno illo Deo, quem nonnunquam delectat majora efficere, magiſque ſtupenda, amicorum ſibi chariſſimorum miniſterio, quàm ipſe per ſeſe efficiat. *Opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.*

*Iun. de Mirac. l. 1. de Cælo.*

*Joan. 12, 14.*

IX. Tantam autem Nominis Sanctiſſimi gloriam dum commemoro, tenere me non poſſum, quin in eos acerbè invehar, qui occaſione & momento quolibet, nullâ neque cauſâ, neque reverentiâ contemptim iſtud ipſum proferunt: quin imò hoc eodem, tam digno omni cultu ac veneratione nomine, omnem ſuam inſanam bilem effundunt: quin, quod eſt execrabilius, ejus authoramento ſtabiliunt atrocia illa, de vindicta ſumenda, decreta & obſtinatam voluntatem. O mortales planè indignos Chriſtianorum appellatione, quam ex ſacro fonte traxerunt, dum tam contumelioſè habent nomen Matris

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Lyranus Triſag. l.2. mod. 14.*

tris Chriſti Jeſu! Diſcant tandem, quæ Sanctiſſimo huic nomini reverentia debeatur, vel ab ipſo ejus Filio Chriſto, qui, ut notârunt aliqui, nunquam Matrem ſuam in ſacris Evangeliis Mariæ nomine compellavit, Hebræorum, ſummâ in Matrem veneratione, ſecutus morem, qui Perſonas, quos aliqua ipſis dignitas & excellentia venerabiles reddit, nomine ſuo proprio nunquam compellant. Non immeritò timidos nos eſſe, cautóſque deceret in tribuendo hoc Mariæ nomine ulli ex ſequiore ſexu, ne moribus ipſa ſuis id turpiter dehoneſtet. Et verò re ipſa invicta Polonorum Gens juſto hoc impulſa metu, & tantæ Matris reverentiâ non ſinit Puellæ cuiquam, dum ſacris undis abluitur, hoc nomen imponi; quin etiam alibi ablutas, & hoc inſignitas nomine, non patiuntur eo ſuis in Provinciis appellari: unde cùm Ladislaus IV. filiam Nivernenſis Ducis eſſet ducturus, cui Mariæ Aloyſiæ nomen, vel in ipſis conjugii pactis hoc inter cætera eſſe voluerunt, ut deinceps Regina, Matris Dei reverentiâ, Aloyſia duntaxat diceretur. Verùm ſi Nationibus aliis, & parentibus non lubet hunc Polonorum morem imitari, ſed filias ſuas Mariæ nomine indigitare placet, id ſaltem cordi ſibi habeant, ut majori eas diligentiâ & vigilantiâ educent, ne vita earum tanti nominis Sanctitati minimè reſpondeat. B. Catharina de Herrera, ſiquando, quod ſolerter & induſtriè factitabat, deditam infami libidini fœminam, ad vitam ſeriâ pœnitudine emendandam induxiſſet, eámque Mariæ nomine audiſſet appellari, ſuaviter eam inducebat, ut poneret tantiſper tam venerabile nomen, dum rectarum actionum ſtudio numeróque, aliquantò ſe illo digniorem reddidiſſet. Si porrò tam cautè circumſpectéque utendum Sanctiſſimo Virginis nomine, etiam cùm pietatis ſtudio accerſitur, vos ipſi vobiſcum ſtatuite, quàm probroſum ſit facinus, illo ignominiosè abuti, fœdando libidinibus, profanando imprecationibus & execrationibus, quin & perjuriis ipſummet non ſemel violando. Sed quò me abſtulit zelus, quantumcunque juſtus? revertamur in ſemitam. Si tam chara Deo eſt Virgo Mater ob illam Sanctimoniam excellentiſſimam; ſi patrocinium ejus tam potens, preces tam efficaces, auxilium tam promptum, quantum ſecuritatis habebunt, qui verè ac ſeriò addicti illi atque devoti ſunt? Jacite, jacite ſanè in ſolum tam firmum ſpei veſtræ anchoras, & certi eſtote, quantalibet in tempeſtate omnes vos maris procellas, fluctus quamlibet decumanos, eluſuros. Quæcunque vos urgeat neceſſitas, ad eam confugite, ejus opem in ærumnis poſcite omnibus, omnibus eam in tentationibus implorate, & certa erit veſtra ſalus.

*Serarius in Joſue apud Lyranum mod. 27.*

## II.

X. An autem tantundem promittere ſibi à Dei Matre poterunt, qui ejus cultui, ſed ratione præpoſterâ addicti ſunt? Siquas aliquando

ad

ad menſas idem erit adulterorum, quod legitimorum nummorum pretium ac æſtimatio, tum enimverò & iſti ſibi polliceri poterunt, ſe effectis Patrocinii Matris Dei, non minùs certò fruituros. Veritas eſt Deus; ac proinde aliud quàm veritas placere illi nunquam poteſt. *Pſ. 30. 24.* *Veritatem requiret Dominus.* Nec aliud ab ipſo Virgo didicerit; cùm non alia res, inter omnes conditas, divinum Solem propiùs referat; perinde ac Soli huic materiato aliud Sidus nullum ſimilius nobis videtur, quàm Luna. *Sol alter.* Sol fraudes non tegit, ſed aperit potiùs. Sic & Virgo. Quanti ergo vultis illa æſtimet certas quasdam animas, quæ vulpium inſtar, præter unam pellem, boni in ſe continent nihil! *Levit. 1.* Juſſerat Deus etiam veteri in Lege, ut tota pellis vel ipſis in Sacrificiis vectimis detraheretur, ut appareret, quales illæ etiam ſub pelle eſſent. Et hoc facere vel nolit, vel neſciat illa, quæ *Sedes Sapientiæ* appellatur?

XI. Hìc tamen neceſſe eſt, ut mentem vobis meam ac ſententiam quàm diligentiſſimè explicem, cùm graviſſimus ſit, qui hinc oriri poſſet, error. Duplici in claſſe ſunt, qui nobilem hanc nomenclaturam Mariæ Devotorum ambire poſſunt, Peccatores: priori claſſe illi continentur, qui peccato ſerviunt ut Tyranno, vi quaſi adacti; cùm interim ſemper ac conſtanter anhelent occaſionem & opportunitatem excutiendi durum illud, & infame jugum, quo Anima eorum opprimitur. Alterius claſſis ſunt, qui peccato ut domino ſponte electo ſerviunt, magna ſua voluntate & voluptate ejus juſſis obtemperant, & tantum non gloriantur ejus veſtiti inſignibus. Primi Sanctiſſimæ Matris obſequiis eum in finem utuntur, ut eorum ope eripiantur ex miſerrimo, in quo hærent, vitæ ſtatu; & manum unam ad hanc Liberatricem potentem extendendo, rogant, ut proſtratos erigat ex cœnoſa, in qua volutantur, lacunâ, etſi interim alteri manu pergant luto ſemet fœdare. Iſti non terreantur; ſed magnâ potiùs fiduciâ identidem ad Matrem iſtam clament: *Succurre cadenti, ſurgere qui curat populo:* etſi enim necdum ipſi, quâ oportet, ratione Virgini huic devoti ſint, viam tamen inſiſtunt, quâ ad genuinam hanc devotionem pertingant. Sacramentalia, quæ dicimus, gratiam non conferunt eo modo, quo ipſa Sacramenta; præparant tamen ad gratiam Sacramentorum recipiendam. Eadem eſt iſtorum Peccatorum, ſuo ſub jugo dolenter gementium, conditio: quæ præſtant Matri Virgini obſequia, ad Gratiam eos, veróſque à Deipara favores præparant; Gratias ipſas non conferunt. Atque rem ita ſe habere, diſcite ex hiſtoria, quæ narrata multam, ut confido, in Dei Matris ope fiduciam in vobis excitabit.

XII. Juvenum nonnemo, iis onuſtus flagitiis, quæ hoc hominum genus fragilitates, Deus autem abominationes appellat, magnum illum Dei ſervum Nicolaum Zucchium, Romæ *In vita.* tunc degentem, totíque urbi & Apo-

ſtolico

ſtolico dicendi genere, & rectiſſimis vitæ exemplis notiſſimum, *potens in opere & ſermone*, acceſſit, noxas ſuas ſacrâ confeſſione expiaturus. Excepit eum vir ſanctus, ut conſueverat, humaniſſimè, & vices ejus intimè, ac charitate ſinceriſſimâ dolens, id præcipuè egit, ut doceret hominem, quantum ad recuperandam amiſſam valetudinẽ adjumenti allatura eſſet in Sanctiſſimam Matrem devotio: cúmque eam in opinionem penitùs adduxiſſet, tandem ad vindicandas noxas præteritas hoc tantùm pœnæ imperavit, donec iterum ſe Sacerdoti ſiſteret, quot diebus manè lecto egreſſus angelicam ſalutationem decurreret, ſimúlque eidem Virgini oculos, aures, manus, totúmque corpus offerret, etiam atque etiam rogans, dignaretur hæc eo die ut rem ſuam cuſtodire; hoc idem repeteret veſperi cubitum conceſſurus, triplici inſuper oſculo terram libando. Paruit ſuadenti Juvenis, fructu non magno. Nec tamen prudens Arbiter aliud deinceps juſſit; donec Juvenem inceſſit cupido extera viſenda Regna: & opportunè aderant alii nobilitate, ac vitæ genere ipſi ſimillimi, quos eadem accenderant deſideria. Vale proin Confeſſario ſuo dicens, iſto ad iter monito ab eo eruditus abiit: pergeret conſtanter, & majori indies fervore, Deiparæ ſe commendare, ad gratiam vitæ corrigendæ impetrandam, nec ea quæ hactenus, mane ac veſperi obſequia unquam omitteret. Aliquot poſt annos rediit Romam Juvenis, cúmque quem priùs, animi ſui Arbitrum acceſſit, qui non minore ſuo ſolatio ac gaudio, quàm admiratione, in alium planè hominem ſuum pœnitentem mutatum invenit, tam alienum ab omni obſcœnitate, ut quæ priùs habuerat in delitiis, jam magnopere horreret. Rogatus tantæ metamorphoſis cauſam, reſpondit; Sanctiſſimam Matrem, modico illo obſequio conſtanter cultam, puritatis optatæ gratiam à Deo ſibi denique impetrâſſe. Neque hic illuſtrium Dei Matris favorum finis eſt. Cùm enim idem Pater Nicolaus rem geſtam, pro concione enarraret, audiit eum quidam Ordinum in militia Ductor, qui, cùm annorum plurium ſpatio turpis mulierculæ amoribus irretitus fuiſſet, ſtatuit, eodem obſequii genere ſibi demereri Deiparam, ad vitæ emendandæ gratiam impetrandam. Tam feliciter illi res ceſſit, ut non diu pòſt abrupto penitùs ſordido commercio jam alius viveret. Cùm autem de ſua in bene cœptis conſtantiâ plus æquo ſibi fideret, elapſo ſex jam menſium ſpatio decrevit adire illius quondam ſuæ ædes, ut cognoſceret, an & ipſa pravæ vivendi aſſuetudini renunciâſſet, an verò alteri cuipiam perditè adhæreret. At ecce! cùm non procul jam eſſet à limine, ubi aperto ſe exponebat pereundi diſcrimini, occultâ quâdam vi repelli ſe ſenſit tanto ſpatio, per quantum illa ſe platea porrigebat, ſic ut tandem ſubtractâ ex oculis illâ domo, ad ſuæ oſtium conſiſteret; clarâ intus luce colluſtratus, quæ ipſi manifeſtabat, non alterius ſe, quàm ma-

magnæ ſuæ Dominæ manu, adjuvantis in tempore opportuno, præſenti fuiſſe periculo ereptum. Hoc ex eventu illud inprimis diſcamus, quod aliud quærentibus ſe offert, quantò Beatiſſima hæc Mater libentiùs vim ac potentiam ſuam adhibeat ad nos ab occaſionibus pereundi eripiendos ac avertendos, quàm ad nos in illis, ſi proprio arbitrio temerè in eas nos ingeſſerimus, ſervandos ac protegendos: deinde autem illud in rem noſtram præcipuè colligamus, quantopere deſideret ac cupiat in id operam ſuam conferre, ut emergant ex ſordibus Peccatores, qui in illis inviti hærent, & ejus opem implorant, ut emergant. Hujus claſſis peccatorum illa ſe Matrem vocat, illis ad S. Brigittam verbis.
*l. 4. Revel. c. 138.* *Ego ſum Mater omnium Peccatorum, ſe volentium emendare.* Hos ipſa tenerè amat, ſicut infirma membra Medicus, ut ſanet, & ut artifex informes ac rudes truncos, ex quibus pulcherrimam ſtatuam fingere cogitat. Hi ergo magnâ omnino fiduciâ, ſpe non dubiâ, ad hanc Matrem feſtinent.

XIII. E diverſò quàm vultis probet Mater Sanctiſſima illius infelicis & ſordidi Peccatorum gregis obſequia, qui non cogitant peccata deſerere; quin imò illis ipſis obſequiis ad liberiùs peccandum abutuntur?
*l. 4. Meteor. c. ult.* Manus, oculi, aures, & alia organa in cadavere, ſi Ariſtoteli credimus, nec manus, nec oculi, nec aures verè ſunt, ſed nomen id æquivocè participant. Sic obſequia, dona, preces, jejunia iſtorum, non obſequia, non munera, non preces ſunt aut jejunia: nec enim vel cum gratia eliciuntur; vel ad gratiam præparant, imò ſemper ab ea alienant longiùs, cùm eo fine ſint facta, ut in peccatis impunè liceat perdurare. De horum uno aliquo cùm Virgo eadem S. Brigittæ loqueretur, noſtiſne, quid dixerit? Hic, ajebat, dum mihi loquitur, crudiſſima ruſticitate ſimul tergum obvertit. Miles eſt, qui præpoſterè armis ſe accingit; & in pugnam progreditur, abjecto gladio vaginam tantùm præferens. His igitur, ſiquidem in luto illis ſuo hærere ratum fixúmque eſt, denuntio, non inventuros eos apud hanc Matrem, quas prenſant miſerationes; miſerationes inquam, quæ ſuis illos in flagitiis protegant. Nobili Italiæ urbe, densâ nocte tres Juvenes oberrabant; quò autem tunc irent, non eſt neceſſe me dicere, ipſi intelligitis. Lumen ſecum in lucernâ probè clauſâ ferebant, quod tamen neſcio quâ ratione extinctum eſt. Circumfert unus eorum oculos, cùm procul aſpicit lampadem virginis Matris honori ante ejus imaginem alicubi accenſam. Expectate, igitur ait ſociis, dum illuc properem, & candelam accendam denuo; redibo feſtinus. Rediit, ſed abſque lumine: cùm enim ad imaginem illam accurriſſet, jámque lumen ex lampade mutuari vellet, momento extinctus ignis eſt, & ſpem Juvenis deluſit. Revertebatur jam ad ſuos; cùm iterum ardentem lampadem obſervat. Accurrit & ipſe denuo, ut ſuam luce lucernam animet, quæ viam monſtret ducátque

per

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

per tenebras geminas & noctis concubiæ & flagitii meditati: ſed iterum momento Mariana illa lampas extinguitur; Sicque extincta meliorem in Juvenis animo lucem accendit: agnovit enim errorem, réque, ut acciderat, ſociis enarratâ, meditati facinoris pœnitens, domum ſuam repetit, probè jam edoctus, tam abundare Dei Matrem lumine, quo peccati tenebræ diſcutiantur, quàm nullum habet, ut peccantium ſtudia foveat. Dixi igitur paulò antè, non probari ejusmodi obſequia Deiparæ; ſed parum dixi: non tantùm non probat, ſed nonnunquam odit etiam, cùm eam cogant, ut parciùs benignitatis ſuæ, tam conſuetæ, támque ipſi dilectæ, effecta producat, ne illa in perniciem miſeris cedant. Nutrix uberibus lacte plenis nihil cupit magis, quàm ut inveniat, in quem derivet; unde ægrè fert, cùm fruſtrà lac exudat. Sic & Mater diviniſſima dolenter fert obices illos contumaces, quos ejus gratiis accipiendis Peccatores opponunt, dum ſimulatis illas potiùs, quàm veris obſequiis prenſant.

XIV. Sed nónne, dicent nonnemo, & illud multis hiſtoriis proditum eſt, etiam his peccatoribus perverſis, qui Dei Matrem colunt, non ut emendentur, eandem fuiſſe propitiam? Ita eſt: ſed quid inde? An eadem ſibi beneficia promittere omnes vel debent, vel poſſunt? Id quidem ſi ita eſſet, & ſi ab iis, quæ ſemel iterúmve acciderunt, rectè diſceremus, quid plerumque expectare debeamus, rectè facerent & prudenter, qui omiſsâ vinearum ſolicitâ & laborioſâ culturâ vaſa domûs omnia implerent aquâ, expectaréntque, dum Dei Filius Matris ſuæ precibus motus, omnem iſtam aquam in vinum mutet; quia literis proditum eſt, & Spiritus Sancti quidem digito, ſimile prodigium in Nuptiis Canæ Galilææ ad Matris Preces Filium *Ioan. 2.* perpetrâſſe. Non eſt hoc ratiocinari, ſed deſipere. Quis ſic arguentem docuit, prodigioſos eventus exemplo ipſi eſſe debere, quid ipſi ſit expectandum? Fuit, cùm nonnemo religionis ergò Lauretum profectus loculos invenit argento fartos, quod in itineris ſumptus abundè ſuffecit. An ſapienter aget, qui ſimilis fortunæ fiduciâ ſe committet itineri, nec de neceſſariis quoquo modo ſibi proſpiciet? Si autem prudentûm nemo exponit ſe periculo in negotio ac re momenti utique non maximi, cur ſit qui ſe dubitet committere diſcrimini, in quo de æternitate periclitatur? Ipſa hæc fiducia cùm non ſit fiducia, ſed ſtulta temeritas, nova noxa eſt: & hanc præmio ac mercede ſibi compenſandam quis ſanâ mente credat? *Hi prolixius accipient judicium*, *Marc. 12. 40.* rectè in hos Chriſti verba quadrant. Caveat, quisquis ſapit, ne his ſecuri commeatûs tam fallacibus inſtructus literis Divinæ ſe ſiſtat Juſtitiæ: ſentiet nihil ex præſumptione tam inconſulta in ſe utilitatis redundare; ſed pro eo, quòd, ut ſanctiſſimæ Matri devotus, liberè commeare permittatur, periculo ſe exponet pœnæ de ſe tanquam falſario ſumendæ. *Crimine falſi tenetur, qui ſe pro milite geſſit, vel falſo diplomate vias commeavit.* *l. eos ff. qui ſe. ad leg. Cornel. de falſis*

XVI. Nolim tamen Peccatores, etiam qui in flagitiis occalluerunt, mndicum illud obſequii exterioris, quo ſe Deiparæ addictos monſtrare ſtudent, omittere, licèt nondum debitum ad finem, è ſuis ſordibus emergendi, actiones illas ſuas referant. Idque hac cauſâ: quòd fieri poſſit, ipſam Miſerationum Matrem certo ſuæ Providentiæ conſilio, ſibi manifeſto, nobis autem occulto, impetrare ipſis interius illud adjumentum, quo impulſi debitos ad fines qualiacunque ſua obſequia referant. Saltem ad id ſervient, ne meris pravis exemplis etiam aliis noceant. Sal putredinem à cadaveribus perpetuò non prohibet, efficit tamen, ut cùm putreſcere cœperint, fœtoris minus quàm alia ſale non aſperſa, emittant.

XVII. Ceterùm vera amandi Matrem Virginem lex eſt, quam pro amando Deo Vates Regius propoſuit:
Pſ. 96. 10. *Quid diligitis Dominum, odite malum.* Unde literulâ mutatâ devotos Magnæ Dominæ ſic ego alloquor. *Qui diligitis Dominam, odite malum.* Standum enim eſt Regulâ Juris: *Amicus meus, inimicus inimici mei.* Qui aliter agit non Virginem, ſed ſe amat, imò ſe quidem, dum perniciem ipſe ſibi acceſſit præſentiſſimam:
Tob. 12. 10. *hoſtis eſt animæ ſuæ. Qui diligitis Dominam, odite malum.* Subeat mentem horum verborum memoria, quoties illam ut Reginam ſalutâſtis. An cupitis forſan, omnes veſtras ſalutationes totidem eſſe mendacia? Erunt autem mendacia, niſi vos juxta ejus imperia Filium fueritis reveriti. *Odite malum.* Sunt qui peccato iraſcuntur quidem, ſed non oderunt illud: unde ut repentini ſunt iracundiæ motus, facile ſedantur, & mox à confeſſione peractâ cum peccatis reditur in gratiam. Hoc non ſufficit, ut jure ac merito devoti Matri Virgini dici poſſimus. Neceſſe eſt odio in peccatum ferri, horrore inquam ſtabili, rato, ac permanente, qui omnem cum illo pacis aut induciarum mentionem excludat; non impetu repentè exardeſcentis Iræ, qui mox deſinat; nec animum conſtanter occupet. *Odite malum.* Odiſſe oportet peccatum ut malorum maximum, cùm cætera complectatur planè univerſa; ut malum, quod privat omni bono & poſt ſe trahit omnem calamitatem. *Odite malum.* Non expectate, dum ſexcentis culpis graves, ſancto tum demum odio exardeſcatis: ſed quamprimùm miſerâ veſtrâ ſorte, ſolâ ex imbecillitate labi contigerit, erigite vos & ſurgite quamprimùm, & & magnæ veſtræ Matris opem non perfunctoriè implorate. Verbo, ponite voluntatem peccandi, & plus in Virgine ſuavitatis ac benignitatis experiemini, quàm in ulla alia Matre; ita S. Gregorius VII. Pontifex affirmat, *Pone finem in voluntate peccandi, & invenies Mariam promptiorem Matre in tui dilectione.* S. Greg. VII. Li. ep. 45. Saluberrimum hoc odium præparabit ad Amorem pulcherrimum, illum videlicet, quo ipſa vos diliget, & quo vos diligetis illam; & hoc demum eſt, quod animis veſtris altiſſimè inſculptum cupio; ut oderitis malum. *Odite malum.*

DI-

# DISCURSUS XXXIV.

## *Quantum nos tum Cælitibus aliis, tum maximè Cuſtodi Angelo devotos eſſe oporteat.*

I. TUrres illæ, quas prope maris littus erectas videmus, geminum navigantibus afferunt emolumentum: monſtrant in tenebris, quâ ſit navigandum; cùm piratæ imminent, ſecurum præſtant aſylum. Magnâ ergo causâ S. Baſilius inductus eſt, ut Beatos Cælites, Advocatos noſtros, Turres appellaret: ipſi ſiquidem ſecuro in littore æternitatis beatæ poſiti, animo & voluntate mari Temporis, mille tempeſtatibus & periculis obnoxio propinqui, utrumque hoc nobis præſtant beneficium, dum & viam monſtrant exemplo, & ſuo periclitantes tegunt patrocinio. Et verò quoties in denſis ignorantiæ tenebris cœca noſtra mens neſciret, quà ſit pergendum, niſi ſanctiſſima eorum facta & exempla, mille inter ſcopulos & vada monſtrarent, quæ via ſit tenenda? Quoties Piratæ ſtygii, remis veliſque invecti, miſeram noſtram naviculam obruerent, ac prædarentur, niſi illa ſolicitâ fugâ ad unam ejusmodi Turrium Cœleſtium feſtinaret, ex quâ mille pendent clypei ad nos protegendos, & mille haſtæ ad inimicos profligandos? *Mille clypei pendent ex ea; omnis armatura Fortium.* Hinc finem diſcimus & ſcopum, quem ſibi præfixit Deus in magnis his ſanctitatis, conſummatæque virtutis molibus erigendis: ut Fidelibus ſuis in terris præberet Exemplum, in Cælo præſidium. *In Terris viſus eſt, ut eſſet Exemplum: in Cælum levatus, ut ſit Patrocinium.* *S. Bern. ſer. 1. de* Atque hoc etiam eſt, quod *S. Victo-* noſtris erga Beatos Cælites obſequiis *re.* ac pietate oportet ſpectare, ut imitando eorum egregia virtutum exempla, dignos nos reddamus potenti eorundem patrocinio. De utroque iſto hodierna die diſſeramus, ſic tamen, ut præcipuè Cælitum numero Cuſtodes noſtros Angelos comprehendamus; à quibus quanto plura identidem, & certò recipimus beneficia, quàm ab alio quoquam Cæleſtium, ita par eſt nos illis impenſiùs eſſe devotos, animoq; propenſiore addictos.

Orat. in 40. Mart.

S. Greg. VII. l.1. ep. 47.

Cantic. 4. 4.

I.

II. Primò Sancti ideæ illæ ſunt, quas nobis in agendo propoſitas eſſe oportet, ſi verè nos ipſis devotos gloriari volumus. E primis, cur carnem noſtram Dei Verbum aſſumpſerit, cauſa una fuit, ut viſibile mortalibus proponeret Exemplar & ideam, quam imitando ſanctitatem aſſequeremur. Et verò exigebat id ipſum Redemptoris officium. Quid enim tandem emolumenti allaturum erat nobis ly-

trum illud abundantiſſimum, quod pro noſtra ſalute in Cruce appendit, ſi modum ignoràſſemus, quo cum illo oporteret negotiari? Decebat, ut ſuâ ipſe vitâ, doceret nos rationem promerendi illa bona, quæ morte ſua erat nobis procuraturus. Quamquam autem perfectiſſima hæc vitæ Chriſti idea ſuffectura erat mortalibus, ut juxta iſtud prototypó nobiliſſima virtutis ectypa formarent, Chriſti tamen gloria, & noſtra videbatur poſtulare infirmitas, ut aliæ etiam minoris perfectionis ideæ extarent, & alii etiam, naturæ conditione ſimiles, prægreſſi, dicere poſſent ſecuturis illud Apoſtolicum; *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*

III. Dixi, deberi hoc ipſi Chriſti Servatoris gloriæ: neque enim Sol unquam certiùs ac clariùs agnoſcitur fons omnis luminis, quàm nocturno tempore, quo tot fulgentiſſimas, tantæque molis faces ſuâ luce implet, ut nocturno tempore viam monſtrent, & denſas illas, quas ipſe noſtro horizonte digrediens poſt ſe relinquit, tenebras nonnihil diſſipent. Ita & Servator noſter Chriſtus non aliàs ſe perfectiſſimam cunctiſque abſolutam numeris ſanctitatis Ideam probavit, quàm quando è noſtro abiens hemiſphærio, ut Cælo ſe redderet, tot minora ſidera, ſuo plena lumine reliquit, quot ſunt diſpari perfectione Sancti, qui ſuas procul abſentis vices ſuppleant, & greſſus noſtros, quos in tenebris meticuloſi & titubantes Cælum versùs figimus, dirigant.

IV. Addidi, deberi id etiam imbecillitati noſtræ, duplici de cauſâ. Primò quidem, quia vel ipſo virtutum in choro numerantur aliquæ, quæ perfectionis alicujus defectum in habente arguunt; talis eſt Fides, aliæque, ſine quibus etſi in terris rectè non vivitur, in Patriæ tamen beatas ſedes, ubi ſuis cuncta abſoluta ſunt numeris, ipſæ nos non comitantur. His etiam Servator noſter caruit: unde & earum normam ſuismet actionibus & exemplis relinquere nobis non potuit. Non potuit ille nobis dicere; Diſcite à me, quâ ratione arcaniſſima, quæ vobis revelo, myſteria, fide tenenda ſint firmiſſimâ; quâ ratione promeritas culpis pœnas redimatis; quâ Dei ſperetis gratiam, quâ perperam admiſſa, & ingratiſſimum pro innumeris Dei donis animum deteſtemini: decebat proin alias nobis Ideas, alias proponi harum virtutum actionúmque exercendarum normas. Dat ergo nobis ſuo loco Magdalenam aliquam, quæ totum Peccatorum agmen his verbis excitet: *Imitatores mei eſtote.* Diſcite à me amare flere veſtras culpas, venâ lacrymarum tam perenni, ut illæ veſtris ex oculis manare nunquam ceſſent, donec ſuis illos manibus mors claudat. Diſcite, viva fide ad pedes Servatoris veſtri abjecti eos mille oſculis libare: oſculari, inquam, pedem ſiniſtrum, adorando formidandam ejus Juſtitiam, & timendo omnem pœnam; oſculari dextrum, ut honoretis miſerationes ejus nunquam exhauriendas, & omnium no-

S. Bern. ſerm. 6. in Cant.

Phil. 2. 15.

1. Cor. 4. 16.

Phil. 3. 17.

S. Bern. xarum veniam ſperetis. Diſcite ef-
ſerm. 6. fundere non parcè, ſed prodigè ſan-
in Cant. ctum hoc unguentum actionum pœ-
nalium, quibus opprimatur & ſupe-
retur peſſimus ille & intolerabilis vitæ
præteritæ fœtor. *Imitatores mei eſto-
te.* Quod autem hîc de Pœnitentiæ
virtute à me dictum eſt, vobis etiam
dicere licet de aliis generis ejuſdem,
noſtræ imbecillitati omnino expediiſ-
ſe, ut hæ, quæ in Chriſto relucere non
poterant, in aliis relucerent virtutes,
facémque nobis præferrent ad imitan-
dum, atque adeò Servator his nonnul-
los ſervorum ſuorum verbis alloque-
Phil. 2. retur: *Sitis ſine querela in medio*
15. *nationis pravæ, ſicut Luminaria in*
*Mundo.*

V. Quin & iis in virtutibus, quæ
in Chriſto ipſo ſplendebant, alias in-
ferioris gradus ac ordinis Ideas noſtra
imbecillitas poſtulabat: atque hæc
eſt altera ratio. Imitatio ſiquidem
eorum, qui naturâ nobis, ceteriſque
dotibus, aut etiam defectibus ac mi-
ſeriis pares ſunt, multò facilior ac
ſuavior accidit. Cùm Apoſtolus ſe
ipſum Ideam proponit Fidelibus,
quam imitentur, ſæpius ingeminan-
1. Cor. 4. do: *Rogo vos, imitatores mei eſtote:*
16. nemo ſibi perſuadeat, ut ſapienter
Phil. 3. Chryſoſtomus monuit, vanitatis id,
17. & neſcio cujus gloriolæ conſectandæ
ſtudio factum. Sed ita loquitur eâ
causâ, ut omnes doceat, virtutem
non ita ſitam in arduo, ut ad eam eniti
non poſſit, qui ſeriò voluerit. *Non ſe
extollit, ſed oſtendit facilem eſſe virtu-
tem.* Et ſi verum fateri lubet, artis
pictoriæ tironibus non eſt adeò diffici-
le formare ectypon prototypo non ſimile tantùm, ſed & æquale; difficillimum tamen ipſis eſt, ſervata ad amuſſim omni partium proportione imaginem Ideâ multò minorem perficere. Imitari autem Exempla Servatoris eſt prototypon imagine minore imitari; quæ res minùs peritos meritò abſterreat. Voluit proinde Deus, ut extarent Ideæ & prototypa noſtræ imbecillitati, & virium tenuitati magìs proportionata, ſic ut nobis liceret ex ectypis ectypa formare, & ex imagine æquali æqualem pingere. Nec ſatis explicari poteſt, quantum hinc animorum, debiliores minúsve periti ſumant ad ſuperandas, quæ in virtutum ſtudio occurrunt plurimæ, difficultates. Accedit nonnunquam ad maris littus timidum cervorum agmen, videtque non procul nemus, in quo nec paſcua deſint, quibus ſe recreet, nec arbores, quarum ſe latebris tegat, cuperéntque ſinguli in locum tam amœnum pedem quamprimùm inferre; ſed remoratur maris ſinus, aut anguſtum, quod interjacet, fretum. Dum autem incerti fluctuantéſque ad felicem illam ſilvam fruſtra aſpirant, prodit eorum è numero quiſpiam & corporis mole præ cæteris viſendus, & animo major, cornuúmque ſuorum ramos, ut militare ſignum præferens aquas tranſnataturus ingreditur, eóque velut exemplo omne reliquum agmen nullo negotio poſt ſe trahit. Nec diſpar in virtutum ſtudio rerum conditio eſt. Oſtendit nobis Fides felices terras, paſcua ſalubria, & ſecurum in Præceptorum divinorum, Conſiliorúmque obſer-

ſer-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſervatione receptum; ſed quæ intermedia eſt difficultas, quâ non ſuperatâ optatum ad locum non pervenitur, nos exanimat. Cùm fortuitò in manus venit Hiſtoria vitæ Sancti alicujus, aut ipſis oculis, non auribus tantùm, uſurpare datur facta quædam heroica; excutit confeſtim exemplum ejusmodi deſperationem, vires ſuggerit, ad imitationem invitat, & neſcio quâ occultâ vi pertrahit: cujus rei illuſtre exemplum in S. Auguſtino habemus; cùm & ipſe nondum ſuis miſeriis expeditus, anceps hæreret, poſsétne præſentium voluptatum & illecebrarum ſuavitate neglectâ, natando quodammodo ad illas tendere procul remotas delitias & gaudia, quæ Fides

*Conf. l. 8. c. 11. n. 3.* monſtrabat. Tum enim, *Quod iſti, & iſtæ*, ajebat, *tu non poteris?* Si tam multi, & tam multæ fretum hoc tranârunt feliciter, calcatisque omnibus, quas ſenſus offerebat, quibúsque pelliciebat, illecebris pertigerunt ad puriſſimos Caſtitatis amplexus, cur idem tibi non liceat? Si Leones fuiſſent illi, tu cervus fugax ac timidus, metuere fortaſſis poſſes, ne te ipſo in conatú vires deficerent, tanto illis imbecilliorem. Sed en! Cervi fuerunt & ipſi, perinde ac tu, naturâ imbelles, minimè audaces, inermes, & tamen divinâ adjuti ope res tantas perfecerunt; & te illos ſequi pudet, aut tædet? *Tu non poteris quod iſti, & iſtæ? An verò iſti, & iſtæ in ſemetipſo poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo?* Sic nobis illuſtris iſte Pœnitens ſuas in charta luctas depinxit, ut ſuæ ad meliora converſionis gloriam tribueret virtuti exemplorum, quæ à ſanctis data intuebatur. Hæc autem eadem ſi nos quoque attentis animis contemplari voluerimus, experiemur & ipſi, quàm potenter ad calcandam duram virtutis ſemitam incitent relicta à præeuntibus veſtigia. Et verò, teſte eodem S. Doctore, difficile dictu eſt, quantum Romæ potuerit lecta S. Antonii vita, quam S. Athanaſius literis conſignârat, cùm primùm illam in urbem illata eſt. Videbatur adempta Chriſti Sectatoribus omnis excuſatio, dum tam procul aberant à ſequenda Servatoris doctrinâ, cùm vir ille Sanctus opibus omnibus ſua voluntate abjectis, ſpretis voluptatibus, delitiis, humanóque commercio, palàm feciſſet, quàm propè illam ſequi liceat; tantámque poſt ſe traxiſſet ſequacium multitudinem, ut impleret ſolitudines ac ſpelæa habitatoribus perpetuis, & tot generoſis vani ac ſuperbi Mundi contemptoribus, quot eum ſecuti erant Eremi Inquilini.

VI. En neceſſitatem exemplorum, quibus noſtram ſegnitiem ad vivendum ex virtute Sancti excuterent: quæ eſt tam manifeſta, ut Deus voluerit in omni hominum conditione, omni gradu, omni ſexu, omni vitæ inſtituto, quamlibet aut humili, aut lubrico, extare complura exempla, quæ tutò imitaremur; palámque fieri, ſicut nullum eſt peripheriæ punctum, à quo ad centrum duci linea non poſſit, ſi modò libeat; ita nos, quocunque demum in ſtatu ac conditione ſimus, rectà tendere ad Deum poſſe, & non tantùm ſalutem, ſed virtute, communi-

munem ſupergreſsâ, illuſtrem ſanctitatem, ac tandem gloriam conſequi. Par proinde foret, ſemper oculis noſtris obverſari horum Sanctorum vitæ hiſtorias, & à nobis non aſſiduè minùs, quam diligenter conſiderari eorum vivendi rationem, ut ratione quàm perfectiſſimâ eam imitando exprimeremus. Atque hoc eâ maximè causâ, quia non oportet in animum inducere, id tantùm facere Sanctorum exempla, ut viam monſtrent; cùm reverâ etiam vires ſuggerant, ad ambulandum per eam; cùm eorum aut meritis, aut precibus inductus Deus, alia aliáque ſuppeditet auxilia, quibus aut ad inchoandum excitemur, aut ad pergendum in bene cœptis roboremur; & ſicut Ulmus non invitat tantùm exemplo vitem, ut & ipſa ſe erigat, ſed tot etiam, ſi ita loqui fas eſt, illi brachia manusq́; porrigit, quot ramos extendit, eam juvat, ſuſtinet, donec ſe ipſa erigat: ſic & Sanctorum exempla non docent tantùm, quomodo ad Cælum rectà tendendum ſit, ſed vires etiam & opem conantibus ſubminiſtrant. *Obvium habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo, & inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Sic, ut promiſſum erat, in Saule Rege factum eſt. Neque hujus generis prodigia rara ſunt: nullo ferè non die, dum hi illiq; ingrediuntur arduam virtutum ſemitam, obviam ſibi venire vident complures cujuscunque ordinis Sanctos; Nobiles, Plebeios; Sacerdotes, Laicos; Doctos, Indoctos; Juvenes, Senes, qui exemplo eos ſuo animant ad enitendum altiùs; eodémque tempore Spiritus Dei, intima cordium pervadendo, nobiles iſtos tirones penitùs in diverſos ab iis, qui fuerant, immutat: ex Peccatoribus Pœnitentes facit; ex Sectatoribus voluptatum, amatores & Sponſos Crucis; ex avaris & cupidis, benignitatis ac benificentiæ ideas; ex iis, qui virtutem vel in ſe ipſis oderant, ejus in aliorum etiam animis propagatores conſtituit ac efformat. *Inſiliet in te Spiritus Domini, & mutaberis in virum alium.*

1. Reg. 10.

VII. Hac igitur ratione lucidæ iſtæ Sanctorum Turres in navigatione nos noſtra ducunt ac dirigunt, ſimulque, dum viam monſtrant, animos etiam noſtros erigunt ad ſperandum, quòd eò tandem etiam nobis liceat appellere. Atque hinc convincimur, eâ nos re potiſſimùm devotum Sanctis animum atque obſequia probaturos, ſi ſemper propiùs ad eos morum ſanctiſſimorum imitatione accedamus. Non paucos invenire erit, qui ſe Divorum alicui ſingulariter addictos profiteantur: propterea quòd aliquo hebdomadæ die lampadem ejus honori arſuram accendant; lineum ad ejus aram tegumentum, tapetem, cereum grandiorem afferant; quotidie aliquas ad ejus cultum preces decurrant. Verùm iſtud non ſufficit. Neceſſe eſt obſequijs iſtis exterioribus addere & alterum, animi ac ſpiritûs, qui eorum ſpiritui penitùs conformis ſit ac reſpondeat. Sed cur ego iſta vobis? An id quæro, ut aliquod eorum obſe-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quiorum omittatis, quod aſſueviſtis præſtare, etſi ad imitandum animi non ſufficiant? Hoc ſanè mihi propoſitum non eſt. Quin ut ſciatis, quantum damni afferat etiam ab ita conſtitutis obſequia illa externa prætermitti, eventum narrare juvat, quem legiſſe memini haud parùm terrificum; & mox cœpto itinere progredi. Aſceta quidam ſingulari omnino ratione S. Barbaræ devotum ſe profitebatur, eámque quot diebus ſtatis aut precibus, aut alio obſequii genere, venerabatur. Decurſu temporis victus ignaviâ omittere cœpit exercitationes illas, & ab ipſa Diva de ea ſocordia admonitus eſt, quæ dormienti viſa, ſic abſque ambagibus locuta eſt: Tu mihi non ſervis, ut ſolebas: & ego te non juvabo deinceps, ut ſolebam. Terruit hæc admonitio hominem, non ita tamen, ut torporem excuteret: unde promeritus infelix eſt, ut minarum intentatarum tonitru, in fulmen tandem triſtiſſimi exitii erumperet. Miſer enim ſe ipſo ſemper deterior, ex tepido frigidus, è frigido durus, è duro omnis planè diſciplinæ impatiens evaſit: nec multò pòſt, abjectis ſacri Ordinis veſtibus, rediit ad guſtandas denuo Mundi ſordidas delitias, ut Canis ad vomitum. Cùm ita non paucos annos profugus vixiſſet, placuit Numini, ut invaletudine tentatus in Noſocomium ſe Norimbergenſe recipere cogeretur; ubi agnitus ut Apoſtata, ab alio Ordinis ejusdem Aſceta veſtem & habitum ſacrum accepit, ut in Dei & S. familiæ receptus gratiam, mortem imminentem ſecurus exciperet. Sed ô non ſinat Deus, ne unquam cor noſtrum occalleſcat! *Cor durum male habebit in noviſſimo.* Sacram iſtam veſtem miſer intuitus, perinde ac ſi totam vitæ perperam actæ ſeriem in illa legeret; Apage, clamabat, apage; tollite illam ex oculis, niſi ante tempus me occiſum vultis. Hæc locutus, ut Naufragus, qui oblatam ſibi tabulam inſanus rejiceret, extremum agonem ingreſſus, mox vivere deſiit impœnitens, obſtinatus, omni ſubſidio deſtitutus. Videte proin, quantum damni afferre poſſit ignavo homini illorum obſequiorum negligentia, quæ tam prudenter Cælitis alicujus honori peragere inſtituerat. Non igitur hæc damno obſequia, velut unquam inutilia; vitupero tamen illa ut manca & imperfecta, & unicè cupio, ut mortuas illas aut languentes actiones ſpiritu animetis, qui eſt Divorum, quos iis obſequiis colitis: ut inquam, horreatis peccatum, quod Divorum quilibet tam vehementer erat exoſus: quæ enim aliàs devotio, quis tener in Deum, & Sanctos ſenſus eſſe poteſt in tanta morum diſſimilitudine & actionum, quarum aliæ tam ſint ſanctæ perfectæque, cùm è diverſo aliæ tam ſint perfidæ? *Quæ communicatio ſancto homini ad Canem?* Ajunt, chordas è lupi confectas viſceribus nullâ in citharâ ſic temperari & intendi poſſe, ut aptam cum chordis ex viſceribus agni confectis harmoniam efficiant: rumpes priùs has aut illas, quàm harmonicè attemperes; adeò vel tum agni, congenitâ à lupis antipathiâ abhor-

Joan. Nider, l. 2, c. 3.

Eccl. 3, 27.

Eccli. 13, v. 22.

horrent. Quâ igitur ratione unquam fiet, ut viſcera hominis nequam, impuri, iracundi, rapacis, rapacitate plus quàm lupinâ, conſonent & harmonicè attemperentur cum viſceribus alicujus Sancti, ſinceri, puri, manſueti, & omni agno placabilioris? conſonabunt nunquam, niſi Lupus ille in agnum mutari conſtituat, veniam noxarum præteritarum precatus, nihilque magis, appetens, quàm vires ac gratiam, ut in alium à ſe diſſimilem, poſſit evadere.

VIII. Quàm proinde ferri nec debet, nec poteſt illorum Chriſtianorum excuſatio, qui cùm exemplum aliquod ipſis hominis Sancti proponitur, quo inducantur ad abrumpendum commercium turpe, ad dandam offendenti veniam, ad commodorum vetitum ſtudium omittendum, aut aliam quampiam Magnanimitatis Chriſtianæ actionem, impudenter ac præfrictè reſpondent; hunc illúmve fuiſſe Sanctum! Itane igitur fixum vobis eſt non jam Divos, in ideam à Deo propoſitos, imitari, ſed Dæmones carnem indutos? Sanctus erat? ita eſt; ſed non ideò alterius, quàm veſtrûm quilibet, naturæ; ſimili ex carne, ſimili humorum temperie compoſitus, fragilis, infirmus, verbò, Adami ex luto formatus. Repones, ſcribit ad puellam lapſam S. Ambroſius: *Non potui ſuſtinere, quia carnem fragilem circumferebam.* Sed ait S. Doctor, *Reſpondebit tibi Beata Thecla cum innumerabilibus ſociis: & nos eâdem carne amicti fuimus.* Quodſi tandem non pudebit quempiam dicere; nec Sanctos

*Ambr. ad Virgin. lapſam.*

quidem immunes à noxis fuiſſe: ſiſtet ſe nobis ingens agmen Sanctorum Pœnitentium, vitæ ſuæ exemplis demonſtrantium, ſe, etſi aliquando ceciderint, ſurrexiſſe tamen animis invictis, & denuo aggreſſos cum hoſte certamen non antè pugnare deſiiſſe, quàm vincerent & triumpharent: & quemadmodum navis poſt diſcuſſum periculum refecta, & bitumine probè oblita non aliâ parte jam minùs admittit aquam, quàm quâ priùs neglecta vectores omnes præſenti diſcrimini expoſuerat: ſic Sancti nulla in virtute tantos progreſſus fecerunt, magiſque evaſerunt invicti, quàm in illa, in qua antè defecerant: caſtiores cum S. Maria Magdalena poſt libidines: fideliores cum Thoma poſt incredulitatem; conſtantiores cum S. Petro poſt inſtabilitatem; lucrum omne injuſtum cum S. Matthæo magis exoſi poſt uſuras. Ineptum proinde ſemper eſt, ad excuſandas ſuas miſerias dicere; Sanctos illos fuiſſe: cùm hoc non inſontes, ſed reos nos conſtituat: cùm illi fuerint, quòd nos eſſe deberemus. Ecquid eſt tandem eſſe Chriſtianum, niſi eſſe electum à Deo ad vivendum ſanctè ac perfectè? *Dilectis Dei, vocatis ſanctis.* Hæc eſt nomenclatura ut omnium glorioſiſſima, ſic & communiſſima, quâ Apoſtolus Fideles in Epiſtolis ſuis indigitat, dum identidem Sanctos vocat, aut quòd tales re ipsâ eſſent, aut ne obliviſcerentur obligationis, quâ tales eſſe tenebantur; ſi tamen reſpondere volebant divinæ vocationis excellentiæ, & familiaritatis, quâ Deo devincti ſunt; qui non tantùm

*Rom. 1. 7*

ſubditos, ut omnes homines ſunt, ſed ſervos etiam illius Majeſtatis ſe eſſe
Eph. 1. 4. profitentur. *Elegit nos in Chriſto ante Mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti.* Qui recuſat imitari Sanctos, neceſſe eſt, ut illuſtri etiam Chriſtiani nomine ac titulo cedat; cùm idem ſint Chriſtiani ac *Gens ſancta*, idem quòd *Filii Sanctorum*: nepotes nimirum ac poſteri innumerabilium Sanctorum Confeſſorum, Præſulum, Virginum Martyrum, qui ſanguine ſuo proſapiam noſtram nobilitârunt: unde cùm tam ſancta ſit radix, par ſanè eſt &
Rom. 11. 16. ramos eſſe ſanctos; *Si radix ſancta, & rami*: nam & noſtræ quodammodo venæ plenæ ſunt illo ſucco, illo liquore, ſpiritibus, vigore, quibus ad Cælum usque pulcherrimæ illæ ac nobiliſſimæ arbores ſe extendêre: id enim ſi ita non eſt, quomodo radicis hujus rami ſumus? Omni proinde huic prærogativo juri obnuntiet oportet, quisquis vult eſſe eximius obligatione, Sanctorum geſta ac vitam pro viribus imitandi.

IX. Quin imò ne illâ quidem meritò ampliùs gaudebit Cuſtodis ſui Angeli inſtitutione ac gubernatione, qui ab eo imitando abhorret; nam & hic nobiliſſimus Genius no[illegible]lio magìs titulo gloriatur, nec aliub magìs à nobis deſiderat, quàm ut ſimus Sancti. Quòd re aliâ nullâ magìs glorietur, pluriſque faciat in ſeſe, dubitari non poteſt; cùm ut inter humanas, ita & inter Angelicas excellentias ac decora ſupremum ſit Sanctitas. Hæc ubi defuerit, aliorum ratio habetur nulla. Inde videmus, quòd etſi Monarchæ hujus Mundi læſæ Majeſtatis ſuæ reos ac perduelles, non plectant tantùm gratiæ ac favoris ſui privatione, ſed fiſco etiam addicant bona eorum planè omnia, Feuda, domos, agros, cenſus, & quidquid ad eos quoquo modo pertinebat; Deum tamen Lucifero, illi perduellium coryphæo, & ſequacibus omnibus, etſi tantæ tamque infamis perfidiæ Reis, non ademiſſe decora, quibus ornabantur, cetera, non rerum ſcientiam, non agilitatem ſummam, non prudentiam, non vires, ſed ſolâ eos Sanctitatis, eorúmque munerum, quæ cum hac conjuncta ſunt, jactura mulctâſſe. *Dona naturalia in* S. Th. 1. p. q. 64. ar. 1. in c. *integra manent*: quæ eſt doctrina ex S. Dionyſio hauſta; ejusque rei cauſa eſt, quod donum ceterarum ac munerum omnino omnium, ſi Sanctitati conjuncta non ſint, nulla in Cælo ratio habeatur: Scientia absque Sanctitate ignorantia reputatur: velocitas ſine Sanctitate æſtimatur tarditas; prudentia ſine Sanctitate ſtoliditas; vires ac robur ſine Sanctitate mera imbecillitas. Sola Sanctitas, ut eſt titulus, quo ſolo Cæleſtes Genii Deum compellant, Choris omnibus ſummâ ſemper concordiâ concinentibus, *Sanctus,* Isa. 6. 3. *Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Exercituum*: ita & ipſi pro ſe non alio magìs gloriantur, *Angelus Domini ſanctus ſit in itinere veſtro.* Tob. 11. 11. Non eſt proinde, cur porrò ambigamus, an ille Angelus, cujus fidei ac curæ creditus unusquisque noſtrûm eſt, pluris aliquid in ſe æſtimet, eóque glorietur, quàm quòd ſit Sanctus.

X. Nec-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

X. Nec obſcurius eſt, nihil eundem vehementiùs à nobis deſiderare, quàm ut ſimus Sancti. Hâc enim, & non aliâ magis causâ à primo inde, quo lucem aſpeximus, momento, nobis ille datus eſt, ut ejus Magiſterio diſcamus obedire Deo, in quo tandem, tanquam in Synopſi, Sanctitas conſiſtit. Neſcio an unquam noſtrûm quiſpiam animum de induſtriâ intenderit ad conſiderandum & intelligendum exemplum illud obedientiæ incomparabile, quod oculis noſtris Fides objicit, dum docet Cuſtodem noſtrum Genium ſemper noſtro hærere lateri, ut Deo ita jubenti obtemperet. Pſ. 90. 11. *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Applicate ad hæc perpendenda mentem, ait S. Bernardus, & duplex hoc maximè caput examinate: cui hoc ſit imperatum, & quem in finem? Juſſa hæc accipit Angelus, infinito propè intervallo noſtrâ conditione ſuperior; tam naturâ, ſpirituali omnino & concretionis omnis corporeæ experte, atque adeò Divinæ Naturæ ſimiliore; quàm facultatibus, validis, planè ac ad operandum expeditis plus quàm ſatis æſtimari queat; atque adeò etiam actionibus, quæ tam præſtantibus ac potentibus facultatibus reſpondent: ac denique ſuperior nobis ampliſſimis gratiæ & gloriæ donis, quibus Princeps hic cæleſtis curiæ exornatus eſt. Hic eſt, qui juſſa hæc accipit. Et quæ illa? Ut adſit homini miſero, rudi, indocili, peccatori, qualis eſt noſtrûm quilibet. Paret autem ille his imperiis ſic ad amuſſim, ut ne momento quidem unico à latere noſtro diſcedat. Et hoc miro mirius nobis non videatur? Cùm Balenæ ſint oculis luſcioſis, ducem illis providit natura piſciculum, qui pueri inſtar manum cœcæ porrigat. Meritò hanc Providentiæ curam tam amabilem miramur. Haud paulò tamen admiratione dignius foret, ſi piſciculum luſcum bene oculata balena duceret. Hoc autem, imò ſine comparatione majus prodigium, quod perpetuò noſtâ causâ operatur Gratia, dum cœco homini ducem dat Cœleſtem Genium. Minùs quidem admiratione dignum foret, ſi ſaltem jus faſque eſſet Angelo perfectiſſimo deſerere homuncionem non cœcum tantùm, ſed ingratum & effrontem, quoties ille inſuper habitis doctoris ac ductoris ſui monitis ſanctiſſimis ac ſapientiſſimis, ſummam per inſaniam peccare non erubeſcit. Sed ne tum quidem permiſſum illi eſt recedere à cliente. S. Th. p. 1. q. 113. ar. 6. Apes odoratu ſunt tam delicato, ut prope fœtidum cadaver morari non poſſint; quin ne flores quidem attingunt jam marceſcentes & languidos. Quomodo igitur ſpiritus hi puriſſimi, & labis omnis neſcii conſtanter adhærent animæ peccatrici? qui fit, ut tergum illi non obvertant, non primo momento deſerant, ſuâque cuſtodiâ deſtituant? Non aliâ causâ, quàm, quia, ne id fieret, Deus vetuit. *Non dimittet, cùm peccaveris.* Ex 23. 20. Atque hoc obtemperandi ſtudium facit, ut etiam ad latus Peccatoris putridi, & tetriorem, quàm ullum cadaver, mephitim exhalantis, Cœlum tamen ipſi



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

inveniant. O Illuſtre divinis juſſis obtemperandi exemplum! quàm pudebit nos coram Judice Deo, ſi illud ſequi, ex eo proficere neglexerimus? ſi perrexerimus obluctari illis imperiis, ea protervè violare, quæ Principes iſti immortales tam pronis animis adorant, tantâ fide & obſequio tam prompto exequuntur.

## II.

XI, Sed illa beneficentiſſima ſidera, quæ Solis vicem implent, non contenta lucem in nos derivâſſe, innumera etiam alia munera noſtrum in ſinum effundunt. Tranſeamus proinde à Sanctorum exemplis, quibus viam ipſi nobis monſtrant, ad opem & auxilium, quod ſuis precibus impetrant. Lex humana, Magnates, & præpotentes viros advocandi munere arcet: aliis in Cælo legibus vivitur: Miſeratio enim Supremi Numinis tam non interdicit Magnatibus & Principibus ſuis noſtro patrocinio, ut imperet etiam. Hac quoque parte videri poterat nobis abundè ſufficere, ſi Mediator eſſet ſolus Servator noſter Jeſus. Ut tamen ille Sanctos, ſocios eſſe ſuos voluit in curanda hominum ſalute, ſic & ſocios eſſe vult in munere patrocinandi. *Claritatem quam dediſti mihi, dedi eis.* Ut proin certi ſimus ac ſecuri, quòd Beati Cælites ſuis nos juvent ſuffragiis & plurima nobis, ut ſalutis noſtræ Mediatores ſecundarii, beneficia impetrent, Id quod duplici ratione accidit, quando ſcilicet vel noſtras nos preces ſupplices eorum operâ Deo offerimus, vel quando ipſi noſtro bono & commodo Deo ſupplices fiunt.

*l. Divinè & l. ſi & cuiuſcunque C ne liceat Potentibus.*

*Jo. 17. 22.*

XII. Plurimum igitur tunc nobis proſunt Beati, quando libelli noſtri ſupplices eorum velut manu Deo porriguntur. Noſtis, nihil eſſe, quod magis gratas acceptáſque Deo preces faciat, quàm animi modeſtiam ac demiſſionem, Oratio ſiquidem ſagittæ inſtar eſt, quæ tantò majore vi ac impetu jacitur, quò magis arcus retrorſum curvatur. *Oratio humiliantis ſe penetrat nubes.* Eſt autem modeſtiæ ac demiſſionis ſingularis, indignum ſe exiſtimare, qui ſuos ipſe libellos Deo porrigat, eâque causâ optare alium, qui gratior illi acceptiórque, manu eos ſuâ offerat. Hæc igitur ſemper efficiet, ut magis Deo placeant, quæ ſic funduntur, eique offeruntur preces. Centurio ille Seniores populi ad Chriſtum miſit, cùm ipſe indignum ſe exiſtimaret, qui coram tanto Principe appareret: *me ipſum non ſum dignum arbitratus, ut venirem ad te.* Hac autem tam abjecta de ſe opinione adeò intima cordis Chriſti penetravit, ut palàm ille miraretur, etſi in eum, ut ſapientiam infinitam, nulla vera admiratio caderet. Nec demiſſionis tantùm multum eſt in precibus, quas noſtro nomine Deo Cælites offerunt, ſed creſcit etiam magnis incrementis fiducia, quam excitat ipſe rogantium numerus. Hæc autem quantum conferat, quis ſatis explicet, cùm conſtet eâ proportione creſcare vim ac virtutem precum, quâ creſcit fiducia? Navis pluribus jactis anchoris ſecuriùs ridet inſultantes procellas, minúſque flu-

*Eccl. 35. 21.*

*Luc. 7.*

fluctuat; ſic & oratio, plurium Cælitum ſimul rogantium fulta ſubſidio minùs fluctuet neceſſe eſt.

XIII. Altera ratio, quâ Sanctorum nobis preces commodant, eſt, cùm ipſi moventur, ad rogandam à Deo noſtris miſeriis ac ærumnis opem, ac remedium. Duplici modo, ſi S. Thomæ credimus, pro nobis Sancti orant, & voce, & re ipſa; ſeu, ut dicimus, expreſsè, ac tacitè. (S.Tho. Suppl. q. 72.ar.3.) Tacitè quidem, quia eorum merita ſemper divinis oculis obverſantur; & idcirco non tantùm gloriam Deo reddunt, ut incenſum in Altari, ſed ſimul ſemélque miſerationem malis noſtris implorant. Quæ autem huic tacitæ orandi rationi vis inſit, quis ſatis explicet? Miles qui vulnera oſtentat Principi, quæ in pugna accepit, quâ de Regno agebatur, non aliâ indiget facundiâ, quâ pro ſuis neceſſariis peroret. Satis, & plus quàm eloquenter perorant cicatricum illarum nondum obductarum ora, absque eo, quod ullius vocis miniſterio animentur. Cogitemús proinde, quantum nobis impetraturus ſit exercitus Martyrum innumerus ſuis illis tormentis, ac crudelibus, quas paſſi ſunt, lanienis; ut nihil de illis dicam, qui ſi cum Martyribus ſanguinem fidei causâ non profuderunt, tam multa tamen dura ſunt paſſi; hi quidem peregrinas obeundo terras, & ad loca ſancta inviſendo; illi docendo & prædicando; alii generoſiſſimis alios præcedendo exemplis abnegationis ac victoriæ de ſuis propenſionibus, pietatis in Deum ac Cælites, Tolerantiæ, Caſtitatis! Adeò arriſit Herodi impio illa ſaltatricis mulierculæ impudentia, ut ſtultâ prodigalitate dimidium Regni promitteret, ſi illa petiiſſet. *Licèt dimidium Regni mei petieris, dabo tibi.* (Marc.6. 23.) Quid igitur impetrare non poterit tot Virginum innocentiſſima puritas à Deo, cujus bonitas limites non habet, benificentia circumſcribi ſe non patitur, quique ſummè æſtimat opus omne, ſuâ causâ & amore factum? Id ſolum hac in re dolendum, quòd dum ita pro nobis Cælitum omnis vita ac merita perorant, ingratiſſima noſtra flagitia obſtrepant, quò minùs audire Deus poſſit. Eſt certum quoddam oleum, quod impedit, quò minùs ferrum Magnes aliquando ad ſe trahat, etſi trahendi virtutem non auferat. Apparet hinc, quâ causâ omnium nonnunquam Cælitum plurima ac maxima merita emolumenti nobis nihil adferant, etſi ad Cælum usque vi ac virtute ſua trahere nos debere videantur. Nimirum non pauci fœdiſſimis ſordibus nimium quantum obliti ſunt; omni parte ſtygium quoddam oleum exundat, quod quò tenaciùs eorum voluntatem vitio agglutinat, hoc potentiùs vim omnem, quam Cælitum merita cæteroquin in nobis ſurſum trahendis exererent, eludit. Hinc docet Angelicus, non ſemper audiri à Deo tacitas has Cælitum preces, propter tam multos, quos parte noſtra nos obices interponimus. (Suppl. q.72.ar. 3.c.)

XIV. Quamquam autem tacitas

has

has preces non ſemper Deus audit; nunquam tamen non audit explicitas; hæ enim, eodem S. Doctore teſte, fundantur illâ notitiâ, quam Cælites habent, quâque vident, Deum, nunc hoc, nunc illo rerum ſtatu, velle nobis benefacere; ſic tamen, ſi illi disertè pro nobis eas gratias flagitent. Unde ſtabili illâ, & velut habituali pro nobis interpellandi ratione non contenti, meritis, quæ ſemper extant, jungunt alteram actualem, Deóque ut Advocati noſtri exhibent multiplicem, quâ premimur, neceſſitatem. *Hic eſt, qui multum orat pro Populo, & universâ ſanctâ Civitate; Ieremias, Propheta Dei.* Ita ſacer textus de Jeremia Vate jam mortuo loquitur: idque de Cælitibus reliquis proportione ſua citra dubium intelligendum. Nam, ut S. Hieronymus advertit, ſi tum, cùm etiamnum mortales propriis urgebantur miſeriis, nec ſui curam ponere poterant, non idcirco preces pro nobis fundere omittebant, & Dei dona impetrare; quantò id ampliùs eos facturos par eſt credere, cùm de ſe, & ſalute ſua ſecuri, nos etiamnum inter pericula vident luctari? an aliud magis cupient, quàm ut eorum triumphos, eorum trophæa ſpectemus propiùs & ipſi triumphantes? Apoſtolus teſtatur, ſuis precibus donatam à Deo vitam ducentorum ſexaginta ſex comitum in formidabili illa tempeſtate, quâ jactatus eſt, cùm Melitam veheretur. Et nunc ille in portu cum Chriſto, ſecurus omnium periculorum, pro iis non oret, quos videt etiamnum alto in Mari cum fluctibus, & tot periculis luctari? *Et poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt?* Duabus maximè dotibus inſignem oportet eſſe Advocatum: ut & dicendo ſit potens; & magno cauſam ſtudio & amore complectatur. Utrâque hac ad ſtuporem valent Beati Cælites. Primò enim ſincero nos corde diligunt. *Quisquis Angelorum Deum diligit, certus ſum, quòd etiam me diligit:* dicere ſolebat S. Auguſtinus; diligit nimirùm me, ut opus Dei, & diligit me in Cælo dilectione tantò defæcatiore, tantò ardentiore, quantò ſua in Sphæra ignis plus operatur. Parte autem alterâ, precum ipſorum, noſtro commodo, vis eſt longè maxima. Sidera errantia, quæ longiùs à terra diſtant, minùs in eam poſſunt. At è diverſo Cælites, etſi in auge ſint ſuæ Beatitudinis, virtute pollent ad nos juvandos efficaciſſimâ. Satis ſit dixiſſe, Cælitum preces vim quodammodo Deo inferre. *Ira Dei precibus Sanctorum frangitur*, ut loquitur S. Hieronymus. Atque ita quamdiu Sancti Viatorum ſunt in numero, repulſam pati & ipſi poſſunt: at non, cùm jam Comprehenſoribus accenſentur. Eo in ſtatu, quidquid disertè petunt, obtinent: *ſecundùm quod orant pro nobis aliquid poſtulando, ſemper exaudiuntur.* Affirmandum idcirco, Beatos Cælites illos eſſe, qui coram Dei throno ſupplices & incurvi Mundum ſuis precibus ſuſtinent. *Sub quo curvantur, qui portant*

Suppl. q. 72. ar. 3. ad 5.

2. Mach. 15. 14.

Act. 27.

Contra Vigilant. c. 3.

in Eccles. 13.

S. Tho. Suppl. q. 72. ar. 3. ad 2.

Job. 9. 13.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*tant orbem.* Sic de iis locum iſtum S. Hieronymus interpretatur; eorúmque precibus tribuit, quòd Mundus, flagitiorum ſuorum mole prægravis, non intereat. *Sancti portant Mundum, dum eum, ne ruat ac pereat, orationum fortitudine ſubſtinent.*

XV. Neque eſt, quòd quiſquam metuat; ne hic loquendi modus aliquid divinæ Bonitati deroget, quaſi hac opus habeat, ut ad nobis benefaciendum excitetur, ac ſtimuletur. Non ita ſe res habet, ſi non erravit Angelicus. Fit hoc eâ causâ, ut ſervetur pulcherrimus ordo, quo conſtituit Deus infima per media ad ſuos fines perducere. Cùm proinde nos tam longè abſimus à Deo, decebat nos ad eum adduci propiùs mediis Cælitibus, jam eo præſente fruentibus, qui nos inter, & illum, Mediatorum munere fungerentur. Quare ſicut in Deo potentiæ pleniſſimæ defectum non arguit ea voluntas, quâ vult ad rerum productionem effectionémque etiam cauſas ſecundas aliquid conferre; ita nihil idcirco Bonitati ejus decedit, quòd velit Sanctos ſuis pro nobis ad ipſum precibus, ſimul cum ipſo aliquid conferre ad producenda tantò nobiliora Gratiæ opera, usque eò, ut ſimul cum ipſo operentur ſalutem Animarum, quâ re non eſt alia divinior in Mundo, juxta celebre illud S. Dionyſii: *Omnium divinorum diviniſſimum eſt, cooperari Deo in ſalutem animarum.* Imò hæc eſt Bonitatis ejus vis immenſa, non tantùm ſui viſione & aſpectu Beatos reddere ſuos ſervos, ſed virtutem etiam iis conferre, ſalutem ac beatitatem aliis obtinendi. Præterea id agit ſolicitè, ut Sanctos ſuos mortales cuncti maximis honoribus afficiant, eâque causâ vult eorundem precibus plurima in nos omnis generis beneficia redundare: Satis enim novit, non alios Principum aſſeclas à ſubditis honorari & propè adorari impenſiùs, quàm qui plurimum gratiâ apud Principem poſſunt, quorúmque causâ in multos ille beneficus ſit ac liberalis.

*Suppl. q. 72. ar. 2. c.*

*de Cæl. Hierarchia.*

XVI. Cunctis his ex capitibus palàm eſt, quàm miſera ſit illa Anima Chriſtiana, quæ penitùs deſtituta ſingularibus illis gratiis ac favoribus, quos alii accipiunt à Cælitibus ſuis Patronis, aliud tandem non habet, quod expectet, quàm quod ignavis illis incolis urbis Lais evenit; qui cùm nullo eſſent fœdere aliis gentibus, quæ plus valebant opibus, juncti, nullo negotio extincti, extirpatíque ſunt, *Nullo penitùs*, ut loquitur ſacer textus, *ferente præſidium, eo quòd cum nullo hominum haberent quidquam ſocietatis ac commercii.* Invadent miſeram hoſtes, ſanam etiamnum & vegetam, multóque magìs morti proximam; nec tamen erit, qui adjuvet: *nullo penitus ferente præſidium*: in juſtam ſummi teporis, & negligentiæ pœnam, quâ omiſit ſocietatem ac fœdus cum quoquam Cœlitum contrahere, quo ipſa teneretur cultum illis exhibere, eorum opem poſtulare; Cælitibus viciſſim opem ac patrocinium, omnémque benefi-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

centiam exhibituris. *Aſcendit ad Cælum deprecatio, & deſcendit miſeratio.*

XVII. Verùm de illis quid dicemus, qui non tantùm non colunt ac venerantur Sanctos, eorum patrocinium anxiè prenſantes; ſed etiam contemnunt, ut habeant adverſantes? Hujus furfuris impii illi ſunt, qui eos, quàm poſſunt ſacrilegè blaſphemant: Neceſſe eſt fateri, infames iſtos & conſceleratos contendere inter ſe, quis eorum crebriùs os ſuum malo Dæmoni commodet; qui cùm felices illos aliter contemptui habere non poſſit, quàm ſolo animo, qui, contra ac ipſe, fidem Deo ſervârunt intactam, nec per ſummum ab eo ſcelus defecerunt, horum ſacrilegorum operâ id etiam aſſequitur, ut verborum eos contumeliis dehoneſtet. Sed attendant, qui tales ſunt, indigni, quo gloriantur, Chriſtianorum nomine; attendant ſibi: ſicut enim qui Sanctos veneratur, Deum veneratur, & ab hoc ſui cultus mercedem expectat; ſic qui Sanctos blaſphemat, Deum blaſphemat, & ab hoc expectare debet pœnas, quas dabit nonnunquam graviores, quàm ſi ipſum Deum impio ore blaſphemâſſet; cùm is faciliùs conſueverit ignoſcere injuriis in ſe, quàm injuriis in ſer-

*Gen. 12. 2.* vos ſuos. *Maledicam maledicentibus tibi;* ajebat ad Abraham Deus ipſe. Et narratur eam in rem de Juvene, mali corvi ovo peſſimo, cùm aliquando S. Hieronymi nomen fœdè lacerâſſet, adfuiſſe mox tetri æthiopis formâ Dæmonem, atque in oculis aſpectantium arreptum infelicem illum ſecum aſportâſſe, ad proſequendas ibi blaſphemias, ubi finiuntur nunquam, ſed ſemper denuo inchoantur; ſic & alterum terribile Oraculum implendo: *Qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur.* *Num. 24. 9.*

*In Epiſt. ſub nom. Cyrilli ad S. Auguſt.*

XVIII. Neque hîc ſiſtunt execrandæ aliquæ impiorum linguæ; eò progrediuntur, ut in Cælitum contumeliam etiam Dæmonem Sanctum appellent. O linguas, quas ne ſtygias quidem dixiſſe ſat eſt, cùm nec Infernus tale unquam mendacium effutiret! An enim eſt in antro illo omnium calamitatum, illas inter umbras, in horrore illo ſempiterno, qui audeat, Dæmonem laudibus & encomiis exornare? quin imò alius alium in maledictis in eum jaciendis vincere contendit, quibus ſolis horrenda & inexaturabilis ejus impietas digna eſt. Quæ igitur hæc exonerandi bilem ratio, *Sancte Dæmon, Sancte Dæmon:* quæ non una in regione verba tam crebrò audiuntur? Vin ſcire, quæ ſit Dæmonis ſanctitas? hæc nimirum, ut ardeat æternùm tanquam victima Divinæ Juſtitiæ, & quantumvis nolens atque renitens, ſummam illi & immenſam ipſis ſuis funeſtiſſimis pœnis gloriam rependat & honorem. Et ejusmodi ſanctitatem ille ſanè quàm volens communicabit cum omnibus his, qui ratione tam inſolita blaſphemant, dum ſacrilegum eorum os implebit igne æterno, non aliter, quàm ſi acerram vivis impleret carbonibus, ut deinde ipſis blaſphemiis ter infelices illæ linguæ Deum honorent.

XIX. Sed

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XIX. Sed miſſos illos facio, quos malo credere, mihi nunc dicenti operam non dare. Hortabor vos potiùs Jobi verbis, ut ſolicitè ac velociter alicujus è Cælitibus opem imploretis, eique ſalutis veſtræ committatis cauſam, dum adhuc illa pendet:
Iob. 5. 1. *voca, ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Eligat quisque ex omni Divorum numero Patronum ſingularem, magisque inſignem, & ſtudeat ejus ſibi favores ac protectionem demereri omnis generis honoribus, obſequiis, & animi devoti indiciis, vulgò inter Chriſtia-
Iarric. l. 4. nos uſitatis. Magnus Mogorum Rex Ecchebar ita ſe Solis cultui addixerat, ut quater de die eum ſalutaret ac coleret longo elencho mille quadraginta titulorum & encomiorum magni hujus Planetæ; nunc ejus admirans excellentiam, nunc reverens dignitatem, nunc beneficia commemorans. O quàm vereor, ne Monarcha hic Idololatra extremo illo die ruborem excutiat longè plurimis è Chriſtianorum numero, qui inter negotiola parvæ familiæ tempus non inveniunt vel Litanias conſuetas in alicujus Divi honorem recitandi, cùm ille inter Regni vaſtiſſimi negotia horas potuerit invenire pangendis illi tot encomiis, qui ne aures quidem haberet, quibus eas audiret!

XX. Præcipuo autem ſtudio cuperem vos prenſare Cuſtodis veſtri Angeli favores, & ſingularibus obſequiis eundem colere ac venerari. Maximè autem vobis illum demerebimini audiendâ ipſius voce ac monitis; cùm illud præcipuè Deus jubeat, dum de illo loquitur. *Audi vocem ejus.* Exod. 23. 21. O vos beatos, ſi id egeritis! experiemini enim favores planè ſingulares, quibus inducamini ad omne vitiorum genus deſerendum, & fugienda quàm longiſſimè omnia ſalutis pericula. Ajunt Pavonem tam beneficum, quàm formoſum, occulto quodam naturæ magiſterio cognoſcere, quo loco venenum aliquod lateat; eóque confeſtim accurrere, ubi illud aſſervatur, ſtrepera dein voce ſua, alarum agitatione ac concuſſione nihil non agere, ut vas, quo illud clauſum eſt, diffringat, aut evertat ſaltem; & ſi terrâ conditum ſit, pedibus illud ſolicitè refodiat. An non hoc, & plura etiam aget Cuſtos veſter beatiſſimus in rebus & cauſis veſtris? Aget ſanè; & niſi proterviâ ac contumaciâ ſingulari peccatorum venenum abditum animo retinere obſtinetis, impellet ad illud verâ aliqua, ſincerâ ſuisque abſolutâ numeris confeſſione promendum; rumpet, quo illud clauſum eſt, vas; tollet inquam & amovebit occaſionem illam periculi plenam, illud commercium, illam familiaritatem pravam, quæ ſunt velut poculum toxici voluptatum. Verbo, omnia vobis Cæli dona impetrabit. Et ſicut parvulo, qui necdum ſuis manibus carpere fructus poteſt, qui paulò altiùs à terra hærent penduli, ramos inflectimus, dum ſtringere manibus poſſit; ſic ille ſuo patrocinio, ſuis precibus divi-

nam flectet miſerationem, ut vos pertingatis ad colligendos & accipiendos ab ea favores ſingulares & copioſos, ad quos veſtra merita cæteroquin non porrigerent. *Ad aliquem Sanctorum convertere.*

XXI. Iſti proinde, quod dicebam, erunt Turres aſyli ac receptûs ſuô patrociniô: *Turris fortitudinis à facie inimici*: iſti viam monſtrabunt ſecuram exemplo. Finiam idcirco verbis ſancti ſenis Tobiæ, & velut ſynopſi complectar, quidquid hucusque à me allatum eſt. *Filii Sanctorum ſumus*: & niſi per ſummum probrum omnino degeneres eſſe malimus, & tantis indigni natalibus opus erit imitari & factis exprimere mores Parentum tam glorioſorum; nec imitari ſolùm & ſequi, ut heliotropia ſolent, vultu & aſpectu ad illos couverſo, ſed pedibus: quod perinde eſt; ac dicere: non ſatis eſt eos ſequi probando & admirando eorum generoſa & præclara geſta, cùm interim hæreamus in terrra vivendo more belluarum, ne dicam impiorum.

Prov. 17.6. XXII. *Filij Sanctorum ſumus*. Quem autem filium non tangit Parentum gloria? *Corona ſenum Filii Filiorum, & gloria Filiorum Patres eorum.* Beati Cælites ſummam Eccleſiæ jam gloriam pepererunt: decet igitur nos viciſſim eſſe coronam eorum, ipſorum opem ac nomen reverenter implorando, templa eorum cultui dicata modeſtè frequentando, illorum cultum ſtudioſè promovendo, dies eorum honori feſtos ſingulari præcipuè pietate ſolennes habendo. Quæ autem vulgò eſſe ſolet inter Chriſtianos ratio dies Cælitibus ſacros tranſigendi? Nundinæ, Ludi, comeſſationes, compotationes, choreæ vel ante Templorum fores ductæ: hæc ſunt, queis fermè Divos veneramur, obſequia. Antiqui Idolorum cultores non immeritò talibus Deos ſuos obſequiis venerabantur; offerebant enim & exhibebant id, quo uno ejuſmodi vitioſus Deorum grex gaudebat, vitia. At nos quomodo Cæli inquilinos ſic honorare præſumimus? An colemus Patronos & Tutores noſtros tam inclitos Nundinis, quæ ullo anni tempore inſtitui ſoleant celeberrimis, hoc eſt, pleno illo jure exercendi artes ac fraudes, quas ipſi verbis, calamo, & factis ipſis deteſtari & odiſſe docuerunt? Colemus Martyres, qui tam atrocia pertulerunt tormenta, hilariùs & lautiùs, quàm unquam aliàs, eo die vivendo, quo ipſi inter cruciatus vivere deſierunt? Colemus Virgines illa frequentando conventicula, illos cœtus, quos ipſæ cùm viverent, tantopere horrebant, tantopere abominabantur? Abſint hæc procul: ſic enim Sanctos venerari nos facit videri ſtultos eorum filios, atque adeò pro favoribus, eorum contra nos iracundiam concitat: Prov. 17.25.
*Ira Patris, filius ſtultus.*

XXIII. *Filij Sanctorum ſumus*: & idcirco filiali eos fiduciâ in neceſſitatibus oportet appellare. Ethnici, cùm timerent à Diis ſuis deſeri, eos alligabant: tam erant in judicando inſani. Nos nihil eſt quòd ejusmodi

fugam

fugam metuamus. Faciamus officium Filiorum erga Cœlites, & ſecuri ſimus. Amant nos illi charitate maxima, atque ideò noſtrâ cauſâ etiam atque etiam cupiunt. Et quanquam id ſecus haberet, tamen periculum non eſſet, ne nos deſtituerent, ipſi ſiquidem Deo vinculis charitatis tam arctis devincti ſunt, ut aliud velle nequeant, quàm ut nos junctâ cum ipſis operâ illo fruamur, &, quam poſſumus, gloriam per omnem deinceps æternitatem exhibeamus. Nec verò aliud par eſt à nobis quotidie poſtulari. Beatos ſanè nos, ſi in re tanti momenti omnem exoſi ſumus ignaviam! Sperare enimverò licebit, nos poſt peregrinationem hujus vitæ non longam appulſuros in patriam, & ibi præſentes agnituros, & gratias iis maximas habituros, qui jam ſalvi id egerunt unicè, ut nos quoque hoc ex exilio ad ſalutis portum feliciſſimè applleremus.

# DISCURSUS ULTIMUS.

## *De Neceſſitate ad Mortem ſe præparandi.*

I. Fuit cùm Majores noſtri crederent, non aliud in Mundo mare eſſe, niſi illud, quod, quia terris undiq; cingitur, Mediterraneum appellatur. Unde ſiqua navis geminos illos ad montes acceſſiſſet, qui fretum Herculeum claudunt, Abylam inquam & Calpen, ultimos illa naturæ fines attigiſſe videbatur, ultra quos progredi liceret nemini. *Non plus ultra.* Sed jam à pluribus ſeculis infantiam hanc ſuam Mundus dedidicit, experientiâ doctus ultra illud noſtrum mare, Oceanum diffundi vaſtiſſimum, in quo naufragis inevitabilis ſit mors, ad littus autem ſecundâ navigatione appellentibus opes ac divitiæ ingentes paratæ. Hac ratione Ethnici etiam olim credebant, finem & terminū ærumnarum humanæ vitæ eſſe mortem, *Ultimum terribilium*, ultra quam mala eſſent nulla, niſi quæ ſibi rudes & nimiùm creduli fingerent, vel quæ ſolâ Poëticarum fabularum authoritate niterentur. Verùm non fallente Fidei magiſterio pridem didicimus; mortem humanarum ærumnarū metam non eſſe, ſed tenue principium. *Hac autem omnia initia ſunt dolorū* Matth. 24.8. Latiùs multò longiùsque patet ille malorum Oceanus, quæ ultra vitæ noſtræ columnas metuere debemus, ſi naufragium facimus; ſicut è diverſo multò & fortunatius, & omni opum affluentiâ noſtro littore beatius littus eſt, ad quod, ſecundâ navigatione uſi, appellemus. Quid autem hæc fide docente intellexiſſe juvat, ſi ſubinde vivimus, tanquam ſi altiſſi-

mâ adhuc rerum ejusmodi inſcitiâ laboraremus? Quid juvat, ſi graviſſima nec proſpicimus, nec cavemus pericula, quæ illo tranſitu nos manent? AA. Dilectiſſimi, finem imponam diſſertationibus hiſce meis, demonſtrando veritatem, inter omnes, quæ ad uſum revocari debent, momenti ſanè maximi, duobus hiſce comprehenſam: neceſſitate, & modo, ſeu ratione ritè ſe ad mortem præparandi. Suppono autem, non diffiteor, unumquemque eorum, qui huc ad me audiendum convenerunt, velle ſervare animam ſuam. Aliàs ſiquis adeſſet, qui, phraſi Prophetæ, feciſſet jam pactum cum Inferno, palàm denuntio, me ad eum verba non facere. Abeat ſanè ille hoc è cœtu, aut ſi abire detrectat, aures ſaltem, inſtar aſpidis ſurdæ, obturet, ne me maximo ſuo malo & damnationis incremento audiat. Si autem è diverſo ſalutem veſtram univerſi unicè anhelatis, cunctis ego pari evidentiâ demonſtrabo, tam argumentis à ſola ratione, quàm ab authoritate, fide nixâ, petitis ſummam neceſſitatem apparandi ſe ad mortem; ut inde digrediar ad oſtendendam paucis apparationis ejus formam ac modum. Rationem primò conſulamus.

I.

II. Apparationis ad opus quodcunque neceſſitas, gemino ex capite oriri poteſt; aut ex ipſo opere, aut ex operante. Si, qui operi efficiundo manum admovet, nihil unquam tale molitus ſit, aut opus ipſum ſummi ſit & pretii & æſtimationis, nemini non ſtolido vera dictat prudentia, apparanda ad illud omnia diligenter & accuratè. In re noſtra ſi primò lubet conjicere oculos in opus, videri ſanè cuivis poteſt, paſſim neſcire Chriſtianos, quâ quantâque de re agatur, dum agitur de tranſitu ad vitam alteram. An enim ejusmodi eſt iſte tranſitus, ut clauſis illum oculis tentare poſſimus, quin priùs cogitaverimus ſeriò, providerimus anxiè, conati ſimus induſtriè, ut quàm rectiſſimè fieret? Qui animi tantùm causâ ludit, poteſt temerè miſcere chartas & folia, quin illas aſpiciat. At aliter agendum, cùm de nummo ultimo, multóque magìs cùm de collo res eſt. Defigamus obtutum in milites illos infelices, quorum uno aleæ jactu vita periclitatur: cùm nimirum plures ſic aleam experiri coguntur, ut eum, qui pauciora jactu puncta numerat, laqueus, aut aliud infame mortis genus maneat: prô quàm illi cautè jaciunt, quàm numerant anxiè, quàm expalleſcunt ad minoris aſpectum numeri! Nimirum non de lana caprina, aut titivillitio, ſed de vita agitur. Non tamen agitur, niſi de vita hac brevi & caduca ſolius corporis. Quantò igitur magis par eſt, tum vires animi omnes intendere hominem, cùm de anima jacienda eſt alea? Utinam probè intelligeremus, quid tandem illo ex mortis puncto pendeat: *de ſorte mortis*! Eccl. 41. 5.
Cuncti animos advertite. Pendet è momento mortis aut æternus planctus, aut æternus riſus: aut æterna captivitas, aut Regnum æternum: aut ege-

egeſtas æterna, aut opulentia æterna; aut æterna miſeria, aut æterna beatitas. Et hoc momentum dignum non ſit, ut attenta meditatione ſit præviſum ac præparatum, non fortuitum? Equidem in re momenti tanti torporem omnem excutere poterit cogitatio quâ altè in animum demittamus, de quo tandem ibi agatur.

III. Illi equeſtris ordinis ac dignitatis viri, qui nôrunt, quantum interſit, ut in Principis oculis ludicro in certamine vincant, non multis debent rationum momentis, & neſcio quâ potenti ſuadâ induci, ut umbratili in certamine multò antea dexteritatem ſuam experiantur, & exacuant. Satis id ipſi intelligunt, & idcirco ſylvam propè haſtarum frangunt in umbra, ut deinde unam ſolam in luce publica frangant cum plauſu ſpectantium. Et tamen quâ de re denique his in decurſionibus agitur? O grandes nugas! Ille ictus, illa haſtæ contorſio veris erit digna encomiis & plauſibus, quâ, Chriſto Rege gloriæ inſpectante, impactâ in Luciferi pectus & diffractâ haſtâ (qui plenus furore catadromum illum ingredietur, ut omnem contra nos artem & vires exerat,) ſuâ ille ſede excutiatur, & pronus ruat. Et qui agnoverit, quanti demum momenti ſit hanc pugnam, hunc ictum feliciter cedere, an non omnem in eo operam rectè poni judicabit, ut uſu creberrimo dexteritatem hanc obtineat? Hâc, quid multis? hâc Cælum lucramur.

VI. Ita etiam nullâ opus eloquentiâ, ut inducatur ad præſens & graviſſimũ periculum fugiendum, qui illud planè perſpexerit. Non multis abhinc luſtris, cùm Arelate, Galliarum urbe ingens ortum eſſet incendium, & jam latè plurium ædium ſtrage graſſaretur, nonnemo, quem annis compluribus Paralyſis lecto immotum affixerat, cùm jamjam imminentes flammas cerneret, quibus mox in pabulum eſſet ceſſurus, tantum adhibuit conatum, ut redeunte in membra vigore proſilire è lecto & tantâ celeritate ad fores properare potuerit, ut flammarum illum globi non aſſequerentur. Profectò igitur non videtur dubitandum, quin plurima fierent prodigiis ſimillima, ſi mens ſatis caperet, quantum in eo momentum ſit, ut evitetur Inferni rogus, qui mortem malam lege non violabili excipiet! Hoc qui penetraret, non ille aliis hortationibus, non aliis monitis opus haberet, quibus incitaretur, ad agendum omnibus animi viribus & facultatibus, ne malâ morte defungeretur. Si vera unquam eſſet prima illa pars votorum, quæ Moyſes propoſuit: *Utinam ſaperent & intelligerent!* vera mox, & abſque ullâ morâ, fieret & altera: *noviſſima providerent.*

V. Plurimum augetur ejuſmodi induſtriæ & attentiſſimæ meditationis neceſſitas, cùm error admiſſus incuriâ, corrigi nulla ratione poteſt. Docent hoc nos vel brutæ belluæ, Equi, Cameli, quin & Aſini, qui cùm adiguntur à quocunque ad tranſeundum per aquam glacie conſtrictam, niſi priùs glaciei firmitatem impactâ ſæpius vi magnâ ungulâ exploraverint, an illis

fe-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ferendis ſit, fuſte citiùs animam extundi, quàm ad porrò pergendum impelli ſe ſinent. De Vulpe autem,
Plin. l. 8. c. 18. quam præ cæteris animantibus verſutam ſcimus, legitur, quòd, cùm ad flumen glacie conſtrictum accedit, haud quaquam tamen temerè fidat, & quamvis mole tam parvâ, pedibus ad curſum tam expeditis ſit, non tranſeat, niſi admotâ aure exploraverit, an ſubterlabentis aquæ murmur percipiat, quæ argumento ſit, denſam eſſe glaciem, & vulpinæ pelli ferendæ haud dubiè parem. Tam cautas natura belluas effinxit in iis, in quibus admiſſo errori correctio nulla. Et tamen homo, qui tantò belluis ratione & præſtat, & ſe præſtare gloriatur, cùm fide certiſſima illi conſtet, quantò & faciliùs, & majori cum diſcrimine erretur in tranſitu illo ultimo, nullam adhibeat diligentiam, nullam ſolertiam non errandi in negotio, quod ſi geratur malè, actum eſt pro ſemper, corrigi & emendari poteſt nihil? *Si*
Eccl. 11, 3. *ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Pronuntio paucis ac diſertè. Sicut actus eſt Prudentiæ Chriſtianæ ſummus, providere periculum periculorum maximum, quod eſt, malè mori, & providere tempori, non tunc navim oblinendo, cùm aquam jam admittere cœperit; ſic ſtultitiam ſtultitiarum maximam eſſe tali tantóq; diſcrimini ignavè improvidéque occurrere. Quot tandem animas habemus, ut, unâ fluctibus miſerè hauſtâ, aliæ ſecuræ ad littus enatare poſſint? Aut eſt quiſpiam, qui viam in Mundum alterum invenerit, non tot obnoxiam periculis, non tot infamem naufragiis, quàm eſt illa, quam ad hanc diem cuncti tenuere? Non eſt alius toto latè Oceano tranſitus tam formidabilis, quàm fretum, quod appellant Magellanicum, & Americam, ac Terram Ignis interjacet; ibi enim undæ contrariis impulſæ motibus hinc Maris ſeptentrionalis, inde Auſtralis, fluentium ac refluentium, perpetuas & velut domeſticas tempeſtates cient. Invenerunt tamen Naucleri modum freti hujus tam multa evitandi diſcrimina, dum illo omiſſo, longiùs Auſtrum versùs remotum, nec tot procellis, nec tam continuâ aquarum pugnâ infame, fretum ſuperant. An idem fortaſſis in re noſtra fieri poteſt? Non eſt tranſitus tam formidandus, quem ſuperare neceſſe ſit omnem, qui natus aliquando hanc lucem aſpexerit, quàm tranſitus Mortis. Hæc enim fretum quoddam eſt, in quo duo maria, Temporis unum, æternitatis alterum, immanibus inter ſe fluctibus certant. Et tamen tranſitus hic eſt planè unicus: alia nec inventa eſt ad hanc diem, nec invenietur deinceps via: hâc tranſeundum eſt. Et tanta eſt noſtra ignavia, ut non cogitemus, non provideamus? Non identidem nos excitemus verbis ejuſmodi? Quid me momento illo fiet? O miſerum, ſi mergor; miſerum, ſi ad ſcopulum aliquem, qui tam multi latent, alliſa navis frangitur! Ah infelicem, ſi Cælum amitto! actum eſt, & actum per interminatam infinitorum ſeculorum æternitatem! Prô conditionem hor-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

horrendam! *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori.* Semel tantùm morimur: & tamen ad moriendum bene videtur neceſſarium millies milliésque mortuum eſſe, & ſuismet erroribus rationem ritè, rectéque, citra ullum erroris metum moriendi, didiciſſe.

VI. Præterea (juvat enim evadendi viam vobis omnem præcludere) quisquámne noſtrum ſecurus eſt, quòd moriendum ſibi non ſit, cùm expectat minimè? Deſidero videre diploma de Cælo allatum, quo certus quis ſit de morte non venturá occultè & in tenebris, ut fures ſolent, ſed venturâ ut Curſore feſtinante, qui procul adhuc remotus inflato cornu ſe propediem adfuturum prænuntiet. Qui habet, promat. An dicet: multos amicorum agnatorumq; ſe vidiſſe placidâ in ſuo lecto morte defungi? Quantus autem eorum eſt numerus, quos non expectantes mors oppreſſit? Solymannus Turcarum Monarcha, ad expugnandam Rhodum machinas murales vaſtæ præter morem molis admoverat. Erecto tormentario aggere, dum verberabantur muri, tanto ſibilo globi, machinis illis excuſſi advolabant, ut foſſores moræ haberent ſatìs, ut ſe ſubducerent, dum illi innoxii prætervolâſſent. At cùm crebrâ tot machinarum exploſione rarior jam aër ſine ſibilo & ſtrepitu globos transmitteret, non proviſi ictus incautos, & ſui jam ſecuros quamplurimos immani ſtrage enecabant. Quidſi proinde, quæ non tacito ſibilo de adventu ſuo quosdam velut præmonuit mors, nos nec ſibilo priùs ullo admonitos opprimeret? Cæſareis Legibus nulli Reorum datum eſt, ut pœnæ ac ſupplicii genus ipſe ſibi optare poſſit: & cur divinis id permitti volumus? Haud ſanè ita fiet. *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit; arcum ſuum tetendit, & paravit illum.* (Pſal. 7. 13.) Sic moram trahentes in peccatorum emendatione Vates Regius terret. Jam, inquit, instructa eſt divina Juſtitia gladio, atque arcu: gladio, ut cominus feriat modo quo ferme ſolet; arcu, ut feriat eminus, cùm minimè quis opinatur: non tamen denuntiat, hoc, an illo uti decreverit, ut nemo non ſemper ſit paratus. (*Bellarm. in hunc locum.*) Si proinde veſtrûm aliquê, AA. Chariſſimi, hoc ipſo loco ac tempore emiſſum illo arcu telum tangeret, ſi, inquam, repentè non opinantem mors occuparet, quæ tandem illius per omne deinceps ævum ſors futura eſſet? Quis ſtultæ fiduciæ fructus, quâ nonnunquam ſalutem etiam non promeritam ſperare auſus eſt, quâque ad Cælum ſe appulſurum confidebat itinere, quod rectà ad Infernum ducit? Quàm tamen facilè eſt ſic opprimi? Si enim quisquam, de morte non proviſâ certus eſt, is eſt, qui certus ſibi videtur de morte non repentinâ & improviſâ obeundâ. *Cùm dixerint: pax & ſecuritas: pax,* in vita hac caduca, *ſecuritas* in æterna, *tunc repentinus ejus ſuperveniet interitus:* (1. Theſſ. 5. 3.) ſacri, ſed terribiles Apoſtoli Aphoriſmi ſunt. (*S. Thom. in hunc loc.*)

VII. Sic à difficultate operis tranſeo ad cauſam alteram, quæ oſtendit, quàm neceſſarium ſit, ſe ad mortem parare

parare; ad inexpertam, inquam, morientis ruditatem; ſeu magnam illam ineptitudinem, quâ laborat Peccator, ad moriendum bene, poſtquam vixit tam malè. Videte autem, quàm cum iſthoc hominum genere agam non ſeverè. Dabo ipſis, quòd mors non oppreſſura ſit imparatos & non opinantes, quod antè ajebam, & res loquitur, pluribus accidere; ſed quòd extremo ſuo in morbo non defuturum ipſis ſit tempus, quo ad ritè moriendum ſe præparent. Et vel hoc dato ſcire illos volo, maximè neceſſarium eſſe, vivere paratos, ut moriantur bene. Suppetet ergo tempus ad paranda omnia: quo autem eorum bono, ſi illo abuſuri ſunt? An ineptè & ridiculè præſagire videor? Enimverò ſatis patet, homulos iſtos Sacris in Literis parum verſatos eſſe, cùm non aliud malè viventibus minitentur crebriùs, quàm mortem non meliorem. Sufficiat meminiſſe illorum Sapientis verborum. *Cor durum malè habebit in noviſſimo.* Par eſt, cordis Peccatorum, & ferri diu aceto macerati conditio; iſtud non cedit malleorum ictibus. Illi quoque, cùm diu vitam culpis & ſceleribus ſuis immerſi duxerunt, tam contumaciter indureſcunt, ut quantumcunq; percutiantur à Deo, ſenſum tamen ictuum habeant nullum: quin non deſunt, qui pro eo, quòd demiſsè de ſe ſentiant, ſéque meritò à Deo ærumnis affligi fateantur, peſſimè eidem maledicunt, & ſimiles in voces ſacrilegi prorumpunt: *Quid tandem ego deliqui? Non ego prædonem, non latronem in viis egi publicis: videtur Christus me ſolum pœnarum, ac ſuppliciorum ſuorum ſcopum ſibi præfixiſſe.* Audiant hi. Non aſſirmabo ego, quòd ſi antè ſe ad mortem non paraverint, ne tum quidem ſupplices admiſſurus ſit Deus; ſicut non admittit militem Dux; qui à ſignis profugus ad illa redire cuperet, poſtquam cum hoſte pugnatum eſt. Non, inquam, hoc dicam (etſi dicere procul dubio poſſem, cùm non neſciamus, ſuperbum Regem Antiochum ſub idemmet tempus ſupplicem ſurdis auribus fuiſſe neglectum; *Orabat ſcelestus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus:*) Dicam tamen, quòd etſi porrecturus ipſis dextram ſit Deus, ipſi tamen amplexuri eam non ſint; dicam, quòd etſi ſuis eos inſpirationibus ad ſalutis curam excitaturus ſit Deus, ſuam tamen ipſi operam non ſint juncturi. Quoties beneficus Sol ſurſum vapores trahit, ut largos in nimbos depluant; & tamen ſicca manet tellus, propterea quòd repentè ortus è terra ventus nubes diſſipet, ſuóque flatu aridarum herbarum ſitim accendat magis, dum paratum jam Cælum erat ad ſitim illam reſtinguendam? Ita ſe Peccatores habent, qui dum vivunt, ad mortem ſe non parant, tum ſe paraturi, cùm illa præ foribus fuerit. Quamvìs paratam Deus habeat gratiarum ſuarum pluviam, quam in eos non parcè deſtillet, aridiores tamen ipſi ſunt, quàm unquam, ob turbinem repentè ortum, & nubes tam beneficas diſſipantem: ob impetum, inquam, aliquem animi perverſum, & propenſionem radicatam vindictæ alicujus, odii, amoris, aut ſaltem anxiæ nimis

Eccl. 3. 27.

2. Mach. 9. 13.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

de re familiari ſolicitudinis, de Teſtamento condendo, de nominibus expungendis, de dote ſtabilienda, de centibus exigendis; & cunctæ hæ tam inquietæ cogitationes facient, ne miſeri animæ dent poſtrema illa momenta, quæ Deus ad peragendum ſalutis negotium indulget.

VIII. Quin imò non auſim ſolùm affirmare, infelices illos extremâ preſſos invaletudine non uſuros auxiliis, quæ quantum in ſe eſt, Deus offerat; ſed quòd ne ſi velint quidem, rectà iis uti poſſint ob maximam illam difficultatem, quæ naſcitur partim ex mortuali illo corporis languore, partim ex animæ in tam triſti rerum facie ſtupore. Cœcus ſit oportet, qui non videt, quantum impediant moribundum vires fractæ jam jamque fugientes: Citharœdus etiam arte uſuque præſtantiſſimus diſcordibus citharæ fidibus malè ludet: & ludat rectè, quem Muſices ſchola ne tironem quidem aliquando vidit? Illi quoque religioſi, Deique obſequiis addicti, qui diu multúmque, veniam culparum à Deo petere, illum revereri, impensè ſe commendare, & precibus opem poſtulare, aſſueverant; valdè tunc laborant, ut ſtatis illis ſuis actionibus, religioni ac pietati in Deum vacent; & ad hæc omnia prompti illi expeditique ſint, quibus alia omnia ſanis cordi fuerant? Infelix hoc è numero quispiam cùm jamjam animam exhalaret, monitus, ut, quo res ac tempus poſcebant ſtudio, ſe Deo commendaret: Quadraginta, ajebat, anni ſunt, ex quo nunquam hæc animum meum ſubiit cogitatio: nec verò jam novi, quomodo rem iſtam aggrediar. Hanc difficultatem ſentiunt ſub illam horam Peccatores omnes, minorem quidam, majorem alii, etſi non omnes eam experiri videri velint. Ut penitiùs ipſum, ex quo hæc difficultas oritur, fontem pernoſcatis, perpendite; hominis voluntatem eatenus, & tantum progredi, quatenus facem illi & lumen intellectus præfert. Nequit autem hæc cognoſcitiva vis res aliter voluntati objicere, quàm ſicut in ipſa relucent. Unde cùm contingat facultatem imaginatricem turbatam, feſſam, & vigore ac ſpiritibus deſtitutam momento illo res non aliter, ac umbras tenui admodum & obſcura luce depingere, conſequens omnino eſt, intellectum vel ſideratum eſſe penitùs, vel in cognoſcendo planè torpere. Qui autem repetitis actibus rectè agendi aſſuetudinem non induit, cum tunc oporteret ſummo conatu uti ad tam multas, ſtatûs illius proprias, difficultates & obices ſuperandos. Quis ſecundam navigationem illi præſagiat onerariæ, quæ, præterquam quòd vehementer labefacta eſt undarum irruentium impetu, Nauclerum etiam ſortita eſt, quem nauſea tot inter procellas vexat, & vires ad clavum ſtare non ſinunt? Inſuper non ſolùm obruet animam afflicti corporis moleſtum onus, ſed pungentis etiam conſcientiæ cruciabunt aculei, qui timorem ſub id tempus ingentem incutiant, quòd mox ſiſtendus ſit reus tribunali Judicis omnia ſcientis. Neque eſt, quòd quis ſuſpicetur, immunes hoc

timore fore eos, qui tantum nunc animorum præ ſe ferunt. Affirmo ſiquidem, non alios tunc majori formidine percellendos, cùm in omni ferme genere accidat, eos, qui ante periculum ceteris audaciores videntur, ipſo dein in periculo eſſe omnium timidiſſimos. *Cùm diſcriminis tempus*
Curt. l. 3. *advenerit, in ſolicitudinem fiducia vertitur*: ut ille aſſerit: tantóque magis id nos dicere poſſumus, quia Peccatorum præfidentia non naſcitur ex magna Divinæ Bonitatis æſtimatione, ſed ex tenui & obſcurâ injuriarum eidem illatarum. Hæc tamen injuriarum æſtimatio tum immanè quantum creſcet; partim quia ſuo Conſcientia muneri non deerit, ſed in iis conſtituta anguſtiis tales eas, quales ſunt, proponet; tum etiam ob operam, quam eam in rem Dæmon conferet; qui Lupi inſtar turbido maximè cælo prædam quærentis, quantum poterit terroris Peccatoribus in illa caligine incutere ſtudebit.

IX. Scio, eſſe nonnullos, qui etſi ſuæ vel peritiæ vel induſtriæ parùm fidant, plurimum tamen ſpei in eo reponant, qui confitentes extremo illo tempore audiet, & ad luctam animabit. Neq; vana hæc ſpes eſt: cùm non ſit ambigendum, quin tum ille opis afferre plurimum poſſit. Unde par eſſet, cunctos, dum valent, deligere ſibi perpetuum animæ moderatorem virum ejusmodi, qualem ſibi cuperent in pugnâ illâ tam difficili adeſſe. Verùm etſi non contemnendum, minimè tamen ſat validum eſt ejusmodi præſidium. Vir genere, ſed non animo nobilis, armorum etiam tractandorum imperitus, ad ſingulare certamen provocatus, provocationem tamen admiſit, eâ ſpe, quòd adjutorem in pugna eſſet habiturus virum in palæſtra exercitatiſſimum, & ſibi in paucis amicum. Nec verò veteranus ille pugil partibus ſuis defuit. In ipsâ ſiquidem pugnâ cum æmulo, fixo in amicum digladiantem obtutu; tege, ajebat modò, te contra ictum humilem; attende; progredere; recede tantiſper: nunc feri. Sed fruſtrà omnia Nobilis: enim & artis imperitiâ, & pavore conſternatus vix in illa rerum perturbatione vocem audiebat dirigentis; tantùm abeſt ut exequeretur, quæ jubebatur: quare mox ab æmulo lethali acceptâ plagâ animam in arena poſuit, tanto palæſtritâ inſpectante. Plurium ſanè, quàm credi dicive poſſit, Chriſtianorum ſors eſt eadem illo in ſingulari certamine, quo omnes nôrunt ſe congreſſuros cum hoſte humani generis. Nituntur illi ope & conſiliis prudentis & periti animorum arbitri, qui, quid facto ſit opus, in tempore ſuggerat: quid dicat: nunc admiſſorum veniam à Deo pete: Fidei actum elice; conformitatis cum divina voluntate, contritionis perfectæ, fiduciæ in meritis Chriſti Jeſu, & in ejus etiam profuſo Sanguine. Sed ſi infelix ne vocum quidem iſtarum notionem aſſequitur (tam alienus ille ab hujusmodi virtutum actibus ſemper fuit) quâ tandem ratione proficiet ex ſapientibus ſacri arbitri monitis, qui quàm illa opportunè ſuggerere poteſt, tam non poteſt eadem

in-

infundere? Quin cedet primis oppugnationibus, & aſſentietur motibus perfidiæ, intolerantiæ, iracundiæ, diffidentiæ, ad quos hoſtis ſollicitaverit; quod perinde eſt ac primis ab eo ictibus penitùs transfodi.

X. Admittam & illud; expiaturos hoſce confeſſione animum, & non unâ lacrymâ noxas eluturos.

*de Pœn. d. v. c. nullus.*

Eas tamen ego Confeſſiones, quæ extremo illo tempore fiunt ab homine peccatorum ſuorum ſordibus eò usque immerſo, nullâ bene, & ex Chriſtianæ legis normâ mortis obeundæ curâ, tam parvi facio, ut viderer anchoram ſpei meæ tenui ligno & virgulæ credere velle, ſi hiſce meam ſalutem niti cuperem. Nec illud quidem mihi perſuadeo, dignas eas eſſe Confeſſionis nomine: tantum abeſt, ut effecta ab iisdem veræ Confeſſionis expectem. Si parturienti jam mortuæ ad fœtum eximendum ſecetur uterus, lex vetat eam parientem appellari: *Falſum eſt, eam peperiſſe, cui mortuæ filius extractus eſt.*

*l. etiam ff. de verbor. ſignific.*

Quomodo igitur veræ ſinceræque Confeſſiones dici poſſunt eorum Peccatorum, quorum jam ſemimortuorum ex ore ægrè elicitur Ita, aut Non, quin ſatis ſciant, quid dicant? Ad lacrymas autem quod ſpectat, iſtæ non unius ſunt generis. Si ſiniſter moribundi oculus lacrymas exudare cœperit, mali id ominis Medici pronuntiant; cùm id ſit argumento, cor jam fatigatum & languens mali vi tanquam prælo compreſſum exudare. Mihi videntur nonnullorum, vitiis ad eam diem aſſuetorum, lacrymæ cieri fumo rogi Infernalis, qui jam tum eorum ſe oculis ingerit. Lacrymæ ſunt plerumque oculi ſiniſtri, quia Caini, Saulis, Semei, & Regis Antiochi exemplo non tam culpæ pudore, quàm pœnæ metu expreſſæ; magisque ferè iis dolet, quòd porrò non poſſint pravas ſuas appetitiones ſatiare, quàm quòd iis antehac tam turpiter obſecundârint.

XI. Quodſi quem dabitis ex hoc Peccatorum numero (quòd perrarò fieri aſſolet) ſenſuum ſuique planè compotem, ne tum quidem ſecurum eſſe juberem. Ferme iſti non applicant animum ad rectè moriendum, niſi tum, cùm jam mors, ut ſic loquar, cubile, in quo jacent, ingreſſa ad lectum, eos abſtractura, accedit: ídque quia vel agnati falsâ pietate, & verâ proditione inducti, ad extrema usque differunt de morte inſtante monere; vel quia ægri, etſi de vicino periculo moniti, animum inducere non volunt ad credendum, verè propinquam eſſe migrandi horam, atque ita moras ex moris nectunt, nec antè ſacris ſe Eccleſiæ Myſteriis ac Sacramentis muniunt, quàm cùm illa adhibita vix jam quidquam afferunt adjumenti. Atque utinam vel is, qui morientem juvat, totâ Sacerdotalis ſuæ authoritatis poteſtate uſus, præſtare poſſet paucis, quod non niſi multis abſolvitur! Sed gnî id ipſe ſperet? Subuculam, quam ſordidus & fumoſus carbonarius annũ integrum geſtaverit, lavare tandem peritus fullo poteſt; ſed quantâ ad id induſtriâ, quanto tempore eſt opus? Quoties defricanda manibus, lixivio imbuenda, recenti iterum, iterúmque



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

aquâ abluenda & eluenda eſt? Non minus contumacium ſordium multorum contraxit Conſcientia. Et illam Sacerdos verbis pauculis nive candidiorem reddat? An non ſufficit, erit qui dicat, abſolvendi à noxis formulam pronuntiare? Hæc autem ſanè, quàm brevi tempore proferri tota poteſt. Sufficit equidem ſacra illa verba pronuntiare, dum non deſint conditiones ad effectum eorum requiſitæ. Sed hic Rhodus, hic ſaltus. Paucis & citò abſolvitur à culpis Pœnitens, ſed non paucis & citò ad id ritè præparatur. Cùm efformatum, ſuáque diſtinctum in membra eſt infantis materna in alvo corpuſculum, momento unico Anima introducitur; formando tamen illi quadraginta ſaltem dies requiri, ſi fœtus ſit maſculus, octoginta autem, ſi fœmineus, ſatis communis eſt Medicorum ſententia; & in hac ſcilicet formatione tota difficultas exhaurienda eſt. Nec multùm diſpar eſt doloris jamjam morientium conditio. Non multi laboris eſt, illum animare; at non levis, illum perficere & formare: primùm ac perfectus fuerit, mox animatur gratiâ, abſolutionis Sacramentalis virtute collatâ: ſed ad perficiendum, prô! quo, quantóque conatu eſt opus! quantum divini auxilii ad præparandum cor ineptum requiritur! Et ſit, qui hæc omnia tam levi brachio perficere ſperet? Felices ſanè illos, imò potiùs miſerrimos, qui in re tanti momenti tam fœdè hallucinantur! S. Hilarion vix ſibi promittere finem bonum potuit, poſtquam annos ipſos ſeptuaginta in Dei obſequio tantâ fide & conſtantiâ in ſolitudine tranſegerat, etſi nec ipſe ignoraret, quæ eſſet virtus ſententiæ Sacerdotalis, eo tempore pronuntiatæ. Et vos è diverſo finem iſtum tam beatum jam manu ſtringitis? Fateamur oportet, bonum illum ſenem, cum tot aliis ſanctiſſimis hominibus aberrâſſe à via, dum illi per prærupta & aſpera ſtuduerunt terminum ſalutis aſſequi, ad quem iſti ſaltu tam facili ſperant pertingere.

XII. Ex his ſapienter quis arguet, quàm non ſit nec æſtimanda, nec optanda mors illa nonnullorum è Chriſtianis, qui placidè & ſuaviter ſuo in lectulo expirant. Pronum eſt fieri, tantam pacem tranquillitatémque Dæmonis arte ſtudioſè procuratam eſſe: is enim, ut alii quoque ejus ſortis Peccatores animos ſumant, aut ſaltem minùs formident, venatorem imitatur, qui turdi cerebrum dextrè elidendo impedit, ne ſuo is ſtrepitu, & vocis ſono, ſocios terreat, & in fugam agat. Credite ſanctè affirmanti. Illo momento timere, plenum eſt periculi; ſed multò deterius eſt non timere: qui enim certus, ſe toties non perfunctoriè offendiſſe Deum, tam præfidens eſt tum, cùm ejus conſpectui ſiſtendus eſt, argumento id nimis manifeſto eſt, quòd infeliciter ignarus, nec Deum, nec ſe, nec culpas à ſe admiſſas agnoſcat. Navim carere velis, quibus ventum excipiat, ejúſque favore in portum provehatur, perquam noxium eſt; at multò eſt nocentius, vela, cùm venti furunt, habere capaciſſima; quis enim tunc vi aut arte ullâ retinebit, quò minùs

in

P. SEGNERI Homo Christianus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

in ſcopulos illiſa frangatur? Unde non eſt majus Animæ flagitiis deditæ, malum, quàm præfidentia nimia: quo enim iſta minùs formidat juſtum Judicem DEUM, tantò difficiliùs ab illo irritando & offendendo avocatur: tantò etiam difficiliùs inducetur ad eum poſt offenſam denuò conciliandum.

XIII. Vel una earum rationum, quas attuli tam multas, probè intellecta, ſufficere abundè poſſet ad eximendam nobis inſaniam, ita ut absque morâ ſtatuamus, jam nunc initium aliquod facere ad mortem ritè obeundam nos præparandi: quid autem par eſt omnes efficere? Nihilominus parùm abeſt, quin dicam, bonâ meâ veniâ licere vobis omnes nihil pendere, ſi eas conferatis cum maximo authoritatis, quam adducam, pondere. Equidem quandocunque pro concione dicenti propoſitum eſt ſolis rationum momentis, & argumentorum pondere inducere & perſuadere aliquid Auditoribus, facilè iſti deceptionis aliquid ſuſpicari poſſunt, quâ Orator vel deluſus ipſe ſit, vel audientes deludere paret, etſi fine non malo: ſed nulla relinquitur ita ſuſpicandi causa, cùm authoritate res agitur, & illâ maximè, quam fides ſubminiſtrat. Tum enim non Oratores ſacri tanquam Legati, ſed DEUS ipſe loquitur; quem ſcimus nec falli poſſe, nec fallere. *Impoſſibile eſt mentiri DEUM.* Hæc igitur tam nulli obnoxia deceptioni authoritas impellere debet quemlibet, ut ad mortem obeundam ſe paret quàm diligentiſſimè: Chriſtus enim Servator noſter, qui ignorare non poteſt, quid tempore illo tam difficili præſtare homo valeat, jubet, ne vel momento unico apparationem illam differat, qui quidem aliquâ ſalutis ſuæ curâ tangatur. Matthæi vigeſimo quarto ſic loquitur: *Vigilate, quia neſcitis, quâ horâ Dominus veſter venturus ſit*: neſcitis inquam, quo momento hinc ſitis evocandi. Idem monitum mox ſequenti etiam capite inculcat, dum Parabolam illam virginum prudentûm & fatuarum claudit his verbis. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam.* Lucæ duodecimo, non dubitat aſſerere, debere nos eſſe ſimiles ſervis, qui nocturno tempore ad ædium fores herum exſpectant reducem nuptiali à convivio, ea ætate in ſeram noctem protrahi ſolito. *Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à Nuptiis, ut cùm venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei.* Luc. 12. 36. Marci verò decimo tertio paucas intra lineas ter idem monitum inculcat. Primo loco ait: *Videte, vigilate & orate; neſcitis enim, quando tempus ſit.* Marci 13.33. Mox addit. *Vigilate ergo, neſcitis enim, quando Dominus veniat, ſerò an media nocte, an galli cantu, an manè.* Denique, ne quis exiſtimaret, Apoſtolis hæc tantùm dicta, aut aliis, qui virtutis ſtudium ac ſanctimoniæ ſingulare profiterentur, quorum eſt, etiam ſuadentem & conſulentem DEUM audire, his denique verbis tam ſeria & gravia monita obſignat: *Quod autem vo-*

*vobis dico, omnibus dico: vigilate.* Nequid verò eorum omitteret, quæ movere & incitare poſſent ad excubias tam ſalutares agendas, præmia enumerat & fructus ejus diligentiæ, Beatum vocitando, quisquis adventante Domino imparatus non offen-
Luc. 12. deretur: *Beati Servi illi, quos, cùm*
39. *venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Minas verò terrificas intentando illi, qui moras Domini pertæſus turbare cœperit, & licenter ac pro arbitrio ſe gerere. Si dixerit malus ſervus in
Matth. corde ſuo: *Moram facit Dominus meus*
24 48. *venire, & cœperit percutere conſervos ſuos &c. veniet Dominus ſervi illius in die, quâ non ſperat, & dividet eum, partémque ejus ponet cum hypocritis.*
Luc. 12. *Illic erit fletus & ſtridor dentium.* Et
45. monita, ipſius Divinæ Sapientiæ ore prolata, & toties ab Evangelii Scriptoribus inculcata, toties ab Eccleſia in memoriam revocata, tantum virium non habeant, ut funeſtum illum nobis lethargum excutiant, quo tanquam in voraginem profundiſſimam, in mortem planè infauſtam cœci & noſtrâmet ſocordiâ exoculati, ruimus? Quisquis vel partem horum audiret ex Medico, & artis perito, & ſalutis alienæ ſtudioſo, næ ille vel ad plura paſſuum millia fugeret periculum, & morbum imminentem; tantum periti & amantis hominis authoritas proprio judicio præponderaret. Et authoritas ipſius DEI, verbis tam diſertis, tam ſeriis & toties repetitis monentis de periculo tanto graviore, magisque formidando, quale eſt Salutis æternæ amittendæ, ſi moræ in præparatione præmittenda interceſſerint, ne quidem efficere poſſint, ut paſſum unum promoveamus? Quæ iſta damnoſa eſt faſcinatio? quæ negligentia, quæ inſania? Itáne ſeipſos mortales exuerunt, ut nullo jam ſui amore tangantur; niſi cùm de nugis agitur? non trepident ad pericula graviſſima, ſed ad minima; non ſperent, nec animos reſumant, cùm promittuntur certa, ſed cùm luduntur mendaciis? Si inſanus quiſpiā mediis in plateis vociferari cœperit; Cavete, cavete; nemo nō eo vertit oculos, unde vox allabitur, ut fugiat, ſiquod imminere viderit, diſcrimen. Et nunc cùm Servator ipſe DEUS toties ingeminat. Attendite, vigilate, væ quibus mors imparatis ſupervenerit! Cavete, excutite ſomnum, orate, obſervate, mentem advertite: nemo reſpicit, ut videat, quis à tergo moneat? Fateri profectò neceſſe eſt, majus alicujus inſani, quàm ipſius DEI verbis, hodie apud Mundi aſſeclas pondus eſſe. Illud certè extra omnem controverſiam erit, tantò noſtrum errorem fore deteſtabiliorem, nocentioremque, quò crebriùs per ſum̄am charitatem admoniti, animum advertere noluerimus. Sic certè cum Reis noſtra agunt Tribunalia; nec aliis legibus divinum utetur. *Admonitus delinquens,* L. Capi-
*graviùs peccat & punitur.* tulum ſ.

XIV. Dicent fortaſſe aliqui. Quæ- de Pœ.
cunque demum in medium allata ſint hactenus, iis aliud nihil confici, quàm fortaſſis non ſuffectura pauca illa momenta, ut ad rem tantam quis ſit paratus; atque adeò, cùm iſtud certum

non

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non ſit, manere veriſimile & alterum; quòd fortaſſis etiam pauca illa momenta ſuffectura ſint ad felicem mortem obeundam. Ex quo utique conſequens ſit, tam prudenter facturum, qui triſtem illum & moleſtum apparatum prætermiſerit, quàm qui illo ante tempus, fructu non magno, ſe fatigârit. DEUM immortalem, quàm multos inſanos vinculis ligamus in Morotrophiis, & cippis continemus, qui tamen longè mitiùs delirant, quàm qui ita loquuntur, Chriſtiani! Ubi de Anima agitur, ſpem reponere in eventu incerto, & fortuito? Catenis, catenis planè hic opus eſt, ubi ſic credimus, & ſic loquimur. An grandem pecuniæ ſummam locare parati eſtis, ubi cenſus annuus *fortaſſis* vobis reddatur? Scio vos non ita deſipere, ut putri palo in re tam non levis, ut vos dicitis, momenti niti velitis. Et huic palo niti velitis animam & ſalutem veſtram, quo malè paucorum nummorum ſumma niteretur? O ſtupiditatem! ô deliria vigilantûm! Poſſent ſufficere ad gerendum rectè ſalutis negotium momenta paucula; demus: quid ſi autem non ſufficerent? Et verò audite, quid Chriſtus ipſe ad litem hanc definiendam dicat: *Eſtote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.* (Luc. 12. 46.) Non dicit: *Paramini: Parati eſtote*, inquit. Non vult igitur, ut paremus nos illo momento, ſed ut illud momentum paratos nos inveniat. Et ita volendi cauſam non habuiſſe putemus? Si ad rectè & abſque ſalutis diſcrimine moriendum præparatio ſufficeret tumultuaria, quâ ſe ad rem tantam accingere vult poſtremo in morbo major mortalium pars, an tam ſeriò Chriſtus urgeret, ut non tum ſe præparent, ſed ut parati ſint? Quisquis ad mortem paratus accinctúsque non vivit, ſatis ſecurus & certus eſſe poteſt, quòd mortem non paratus ſit obiturus: præparatio ſiquidem ad mortem bonam, eſt vita bona: hæc autem non conſiſtit in momentis pauculis; ſed in multarum ſe conſequentium actionum longâ & non interruptâ ſerie ad tantum finem ſervientium. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.* (Luc. 21. 36.) Si milites tum ſolùm docerentur onerare fiſtulas, dimicare gladiis, ordines ſervare, quando rectà in hoſtem eundum eſt, quæ poſſet eſſe victoriæ obtinendæ ſpes? Si quo ad Nuptias ſponſa vocaretur momento, tum juberetur repentè ſartor adaptare corpori veſtem, quàm bellam, quàm aptam ſponſæ veſtem futuram arbitremur? Si tum primùm aggeres ſtruerentur, ad exundationem torrentis impediendam, cùm ille jam magno impetu ex alti montis jugo deorſum præcipitat, an nihil vaſtationis agris inferretur? Et tamen, ô inſanos, qui hoc ipſum agere volunt in negotio, quo nullum uſpiam momenti majoris eſſe poteſt! Sapiamus tandem AA. Dilectiſſimi: ſpectemur tutiora, & feſtinemus occupare tempus: ita certè ſuadet Sapiens: *ante judicium para juſtitiam tibi.* (Eccl. 18. 19.) Qui vehi



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poteſt navi bellicâ probè armatâ, rebus omnibus neceſſariis inſtructâ, ad curſum expeditâ, cur, hâc omiſsâ, ſcaphulam conſcendat malè ſartam, non annonâ, non apparatu nautico inſtructam, Navarcho deſtitutam? Neminem illud moveat, quòd non defuerit, qui horâ extremâ abundè de neceſſariis ſibi providere potuerit, ſicut Latroni bono rem ceſſiſſe fide docemur. Miracula ſunt iſta, non exempla. Contigit etiam nonnunquam funem frangi, cùm Reus in furcam ageretur; eique vitæ gratiam fieri, quam junctis clamoribus Spectatores exoraverant. An idcirco, qui apertum carceris oſtium invenerit, nullóque ſe periculo ſubducere potuerit Juſtitiæ, hærebit tamen ignavus in ergaſtulo, ſpe fretus libertatis poſt collum jam laqueo inſertum impetrandæ? Enimverò homulum ejusmodi Ducem conſtitueris illius exercitûs, qualem ſub ſigna convocare ſe poſſe
Eccl. 1, 15. affirmabat Sapiens: *Stultorum infinitus eſt numerus.* Rectiùs autem hoc loco, & tam ſublimi ſcilicet dignationis loco ſtabit, quisquis ſalutis negotium eventui tam incerto voluerit committere. *Quæ à jure communi exorbitant nequaquam ad conſequentiam ſunt.*
L. quæ à jure. de reg. l. in 6.
Si parare ſe ad mortem triſte quid ac tetricum videtur, perpendite quæſo, quanto dein triſtius magisque terribile futurum ſit, mori imparatum.

II.

XV. Satis jam & ad rationis & ad Fidei lumen demonſtrata eſt neceſſitas tempori ſe parandi ad mortem; ſupereſt, ut rationem, quæ ea in re tenenda ſit, paucis indicem. Hanc ego totam ad duas revoco præparationes, remotam unam, propinquam alteram. Gladiatores & Luctatores antiqui duplici ſe modo parabant ad præmium in arena conſequendum; Primus erat, quo vires ac robur ſervare ſtudebant: alter, quo non interrupta exercitatione ea privatim edebant ſpecimina, quibus poſtmodum in Amphitheatris, in tot ſpectantium oculis inclareſcerent. Lucta & pugna cuilibet pugnanda erit, Mors: ô beatum, qui in totius Curiæ Cœleſtis oculis hac in pugna vincet! quia victoriæ præmium erit omnium bonorum æternitas: *Qui vicerit, poſſidebit hæc.* Apoc. 21. 7.
Geminâ proin etiam præparatione eſt opus. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum!* Pſal. 56. 8.
Primo loco curandæ vires ſunt, & roborandæ, & ſolido quotidie cibo augendæ. Id inquam agendum ante omnia, ut ſinceræ exactæque Confeſſionis ope divinam recuperemus gratiam & amicitiam; & hanc Confeſſionem non abs re foret à primis conſciæ vitæ annis repetere, ſiquis nondum eas ſecum catenus rationes iniit: quâ ratione affirmarentur illa decreta ac propoſita, tam crebrò aliàs infirma ac vacillantia; hâcque majori diligentiâ & accuratione ſupplerentur, qui toties in Confeſſionibus ordinariis obrepunt, errores in animi latebris perſcrutandis, in natura peccatorum explicanda, aliisque Sacramenti illius nunquam ſatis æſtimati partibus adimplendis; cujus uſus quò promptior, tantò eſt non-

nan-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nunquam minùs accuratus. Vigorem hunc animi, veræ Pœnitentiæ beneficio obtentum, augere oportet piis aliis actionibus adjunctis, eleemoſynæ in pauperes erogatæ, abſtinentiæ à cibis, religionis in Deum ac Cælites, uſus frequentis & ſtabilis divinorum Myſteriorum; cautum dein eſſe oportet in illis vitandis immoderationibus, quæ valde atterunt vires, aut periculo exponunt invaletudinis. Fit hoc, ſi vitentur occaſiones periculoſæ, animi relaxationes nimiæ, conventicula ſuſpecta, garrulitates ineptæ. Si his omnibus Pugiles antiqui abſtinebant, ut coronâ brevis ævi cingerentur, quid par eſt facere, aut quid durum videri poteſt pro corona ſolidâ ac ſempiterna? *Qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.* Uterque hic modus & exercitandi actiones pias ſanctasque, & abſtinendi pravis ac periculoſis, indicatur à Chriſto Allegoriâ illâ lampadum accenſarum, quas præferre oportet manibus, ne impingamus in obſtacula; & lumborum, quos præcingere neceſſe eſt, ut ſic veloces & expediti ſimus ad Dominum nocturnis in tenebris adven-

*Luc. 2. 31.* tantem excipiendum. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Atque hæc remota eſt præparatio ad mortem beatam: ad rationis & Legis Chriſtianæ normam vitam exigere; quâ ſine vitâ mortem ſibi promittere felicem, eſt nigram carbone in pariete lineam deſcribere, cujus pars ultima candida ſit. Sed quis ſapiens rem hanc ſucceſſuram exiſtimet? ut reliquæ, ſic & ultima lineæ pars nigra erit. Turris caduca eam in partem & latus proruit, verſùs quod pendebat; mortales quoque nunc ad dextram morientes cadunt, & ſalvi fiunt; aliàs ad ſiniſtram, & pereunt; prout nimirum vivi habitibus & propenſionibus bonis aut pravis hanc illamve in partem inclinabant. Ad hanc remotam præparationem revocari poſſunt omnia nomina ac debita, quibus ſatisfaciendum eſt, quæ ceteroquin multum implicare, & à negotio omnium maximo avocare poſſent, legata, inquam, pia, reſtitutio rei alienæ, mercedes debitæ, & ultimæ voluntatis libellus, ſicui id juris competit; ut ita navis inſtar ſit ad navigandum tam expeditæ, ut præter ventum à puppi expectet nihil.

XVI. Altera Pugilum præparatio ad vincendum erat, crebrâ & umbratili exercitatione ſeriis pugnis præludere. Hâc quoq; imitari iſtos decet, perinde nos gerendo, ac ſi jam poſitâ vitæ ſpe, deſerti ab amicis, à Confeſſario de via æternitatis mox ineunda moniti, agonem aggrederemur. *Diſpone domui tuæ, cras enim morieris.* *Iſ. 38. 1.* Hîc ad Deum ſe vertere oportet, earúmque elicere virtutum actus, qui magìs & neceſſarii & utiles ac proficui ſunt, ad ſanctè migrandum, ut ſunt maximè Fidei, Spei, Charitatisque Theologicarum, quibus addendi ſemper contritionis ac Doloris perfecti, & conformitatis voluntatis noſtræ cum Divina; illius quidem, deteſtando o-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mnes præteritæ vitæ culpas; hujus autem, acceptando à Deo pœnas pro noxis immiſſas, morbi ipſius ac mortis præcipuè. Profiteatur proin quisque quàm creberrimè, tenere ſe fide firmiſſimâ, quidquid Deus loqui & manifeſtare dignatus eſt, Eccleſiæ ſuæ miniſterio ad eam rem uſus; paratus vitam dare & ſanguinem ad obſignandas hoc velut ſigillo veritates revelatas, & vitam ponere illius Religionis & Eccleſiæ causâ, cujus membrum tam inde à matris utero ſingulari Dei beneficio quis eſt conſtitutus. Profiteatur reponere ſe ſpem omnem in miſerationibus Dei infinitis; per has confidere obtentarum culparum veniam, gloriæ poſſeſſionem, quâ nec Latrones pœnitentes ac verè dolentes extorres voluerit. Profiteatur toto ſe animo amare illum ut Deum ſuum, ut Conditorem, Conſervatorem, ac Redemptorem dulciſſimum, agendo gratias pro beneficiis, quæ & maxima & plurima in immerentem contulerit, & præcipuè pro vita in Crucis arâ pro ſe oblatâ. Teſtetur, diſplicere ſibi ſuper omne malum injurias ipſi allatas, quibus ſanctiſſimas & æquiſſimas divinæ voluntatis leges pro nihilo violârit; quòdque, ſi liceret denuo vitam ordiri à principio, mori millies, quàm ſummum bonum offendere mallet. Ejus in rei argumentum dicat accipere ſe ab ejus manibus demiſſione quàm poſſit maximâ morbum, dolores, mortem, dudum ſibi perfido & rebelli debitam, quem idcirco id unum cruciet, quòd vitam non habeat, niſi unicam, unicè diſcupiens vel millenas ſacrificare ad ſatisfaciendum tot injuriis ipſi illatis. His, aliisque generis ejusdem exercitationibus paret ſe quisque ad tranſitum, velut jam tum imminentem: commendet ſuam Deo animam, ut is hinc abeuntem ſuismet manibus excipiat; imploret Sanctiſſimæ Matris opem, Cælitum omnium, & Cuſtodis maximè ſui Angeli, omniúmque planè Beatorum Geniorum, ſicut patrocinium eorum implorabitur in precibus fundi ſolitis, dum migrat anima. Verbo, Ideam quisque ſibi formet, proportione ſuâ reſpondentem operi illi magno, quod olim erit perficiendum, cùm benè rectéque erit moriendum.

XVII. In Rhodo Inſula Draconem tam mole corporis vaſtum, quàm damnis paſſim illatis formidandum fuiſſe Annales memorant. Vivam hanc peſtem ut è medio tolleret Eques, Gallus natione, qui ſupremum ſubinde ſacræ illius Militiæ Magiſterium geſſit, in villam ſe ſuam contulit; cúmque Draconem, vero illi perſimilem, ex contuſa, ut Scenici ſolent, chartâ confici ſibi curâſſet, quot diebus fictum iſtud belluæ corpus è famulis aliquem ingredi juſſit, qui huc illuc moveret, & veri monſtri partes meliore, quo poterat, modo ageret. Aſſuefecit deinde Moloſſos geminos, ut Draconem hunc fictitium aggrederentur, ipſe verò equo inſidens, haſtâ, ceterisque in rem idoneis armis inſtructus, non equum magis, quàm ſe uſu ipſo, ferire monſtrum, & non expaveſcere docuit. Sic omnibus

bus in otio & umbrâ paratis, Rhodum, cùm maturum viſum eſt, cum canibus, equo, & ſervo rediit, ut ſeriâ jam pugnâ Draconem oppugnaret; quæ res præmeditata tam bellè ac feliciter cecidit, ut pernitie illâ Regionem liberaret, nominis verò ſui famam latè propagaret, ut Equitum illorum Magiſter Supremus, quod dicebam, legeretur, quos & pugnare cum monſtris & vincere poſſe palàm feciſſet. Obſervandum ea in re, quàm ſalubris uſus fuerit præparationis non propinquæ minùs, quàm remotæ, nec propinquæ tantùm, ſed etiam in re, quoad ejus licuit, ſimillimâ, & veræ pugnæ non difformi ſimulacro! Sic agere oportet ſapientem quemlibet. Illa, quam animo quisque ſuo objiciet, Mors, erit velut chartaceum ſimulacrum, comparata veræ morti: nec tamen refert. Ea enim exercitatione pulcherrimè ſe comparabit, & fictis ictibus veros magno animo ac dexteritate infligere diſcet. Non inuſitatum militiæ ſtratagema eſt, Exercitum priùs quàm cum hoſte confligat, altiore loco ſic collocare, ut omnes hoſtiles copias in conſpectu habeat, ne inani metu numeroſiores ſibi fingat. *Veget. l. 3.* *Sic collocandus Exercitus, ut hoſtem videre poſſit.* Nec minoris artis eſt, aſſuefacere militem ſuum ad vincendum variis velitationibus hoſtem antè quàm totâ acie pugnetur. Ita Marius, magni Romanos inter Belli Duces nominis, non priùs totum profligandum ſibi Cymbrorum Exercitum cenſuit, quàm Gigantes illos, quales mole corporis videbantur, vinci à Romanis poſſe, multæ præviæ velitationes, è quibus rei ſumma haud quaquam penderet, docuiſſent. Atque hanc propinquam præparationem Servator innuit, dum non dixit, ut parati mortem expectemus, ſed ut expectanti ſimus ſimiles: *Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum:* quibus verbis indicat, non omni quidem momento expectandam mortem eſſe, omni tamen momento nos debere eſſe ſimiles expectantibus, illarum exercitatione crebrâ virtutum, quas illo momento ſuæ ſalutis ſeriò ſtudioſi Chriſtiani conſueverunt exercitare.

XVIII. Adhuc muſſitabit veſtrûm nonnemo, & dicet: ſic parare ſe ad mortem, eſſe quoddam mori ante tempus, & non ſolùm ſimulare mortem: ſe proinde non invito alium quemlibet uti poſſe medio tam moleſto; ſibi quidem non arridere rationem non timendi mortem, quæ ipſâ morte ſit magìs timenda. Sed parciùs iſta: qui ita ſentit, res ejus loco non bono ſunt. Captivus, qui, quoties janua carceris aperitur, inhorreſcit, ſatis oſtendit, ſe innocentem non eſſe, ſed reum, ſed damnatum, quódque in momenta aliud nihil, quàm Crucem expectet. Nec enim, qui liber dimitti ſperat, trepidat aut turbatur, ſed lætatur. Sic & noſtra res ſe habet. Timor ille mortis tam vehemens, quoties de ea infertur mentio, ille de ea loquendi, quin & cogitandi horror, argumento eſt minimè bono, Conſcientiam non lætum ſperare, ſed funeſtum & triſtem exitum formidare. Væ miſero, quisquis ita



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

wivit: Beatum è diverſo illum, qui non æbsque animi ſui ſolatio, certè absque horrore, nuntium de adventante morte excipit, aut de ea ſecum ſolus cogitat! Satis enim eâ re prodit, nullâ ſe culpâ ſuâ captivum attineri; ſed illorum inſontium ex genere eſſe, qui quoties vel clavium, vel catenarum ſtrepitum audiunt, lætum expectant de libertate mox obtinenda nuntium, & ſpem fovent, illis ex ærumnis & auguſtiis tandem abeundi. Curet proin quisque veſtrûm animum habere omnis ſceleris conſcientiâ immunem, crebrò eum in finem divinis uſurpandis Myſteriis; & tum diſcet, quàm paulatim ceſſaturus ſit timere mortem,
Apoc. 14. 23. quæ tantum nunc timoris incutit. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Dei verba ſunt. Quinam autem ſunt mortui illi, qui moriuntur, niſi illi, qui ante mortem ita ſe gerunt, ſic agunt omnia, ac ſi re ipsâ morerentur? Beati idcirco ſunt primò, quia uſu & familiaritate, ſi ita loqui fas eſt, cum morte jam inita plurimum imminuerunt formidinem; dein Beati, quia *in Domino moriuntur*: id eſt, moriuntur inter divinæ brachia Providentiæ; moriuntur, ut vitam novam vivant; moriuntur morte non tam verâ, quàm apparente, ut ſidera, quæ orto Sole non amittunt, quam noctu oſtentabant, lucem, ſed augent, etſi noſtris oculis extincta videantur. Et quamvis hæc exercitatio, allatis Chriſti verbis. *Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum*, inſinuata, plena nunc quidem foret tædio, quid refert, dum tantum emolumenti affert, & æternitatem in tuto collocat? An non præſtat pharmacum amarum, & minùs gratum palato, ſed ſalubre, potioni dulci, ſed venenatæ? Meminerint omnes, quòd ſemel malè mori, eſt mori malè per omnem æternitatem. *Periiſſe ſemel æternum eſt.* Nec ſinant ſe larvis terreri, ut pueri; diſcant potiùs non timere; & contemnere larvam eam prehendendo manibus, verſando, & quid rei ſit, undique circumſpiciendo, ut res ipſa aliquando non formidetur. Vivant omnem diem, tanquam eorum, quos victuri ſunt, poſtremum: Sacrificanti adſtent, tanquam poſtremùm adeſſent: aperiant Sacerdoti noxas perinde, ac ſi poſtremam id ante luctam facerent: ſi ſacro paſcantur Epulo, tanquam non ampliùs paſcendi. ſic orent, quaſi deinceps non oraturi. Deum bonum, quantus exercitationum harum fructus exiſter! Nemo meliùs iſto vivit; & ſic nemo illo feliciùs morietur. *Beatus ille ſervus, quem cùm venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem: Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.*

# Finis Partis Tertiæ.

## *Refricatur Paſtoribus Animarum memoria obligationis graviſſimæ, quâ Animas verbo Dei paſcere tenentur.*

I. CHriſtus JESUS, Paſtorum Princeps, Sanguinem pro Animabus dedit. Paſtores tamen minores, qui ſunt Curiones, quod fidem ſuperat, ne verba quidem ampliùs pro Animabus dare parati ſunt! An autem ejusmodi Curionum negligentium parvus eſt numerus? Loquantur tot populi, qui undique in pagis & villis profundiſſimâ rerum divinarum inſcitiâ laborant: *ignorant legitima Dei terræ.* 4. Reg 19. nec id aliâ ex causâ, quàm quia Sacerdotes illi, quorum curæ crediti ſunt, nunquam exclamant altiùs, ut ſoporem dormientibus excutiant, etſi videant non Leones jam tantùm, ut olim in Samaria, ſed malos Dæmones eos invadere, & immanem ſtragem edere. Non erit proinde, ut ſpero, inutilis labor, paucis foliis illa rationum complecti momenta, quibus oſtendatur debitum illud ingens, quo tenentur Curiones Dei verbo prædicando ſe addicere. Etſi enim hæc veritas in Eccleſiâ dubia nunquam fuerit, tam nihilominus parùm illa in multorum animis habet virium, quàm ſi foret incertiſſima. Paucis igitur dici poteſt: Contra Curionem mutum *omnia jura clamant.* Clamant, inquam, junctis vocibus Leges Divinæ, Naturales & Humanæ.

Clamant Divinæ. Cùm enim Chriſtus Petrum Paſtorem conſtituit, quem ſibi finem propoſitum habuit? An ut novo tantùm Dignationis titulo redderet ſpectabiliorem? Haudquaquam ſanè: onus potiùs, quàm honorem imponere voluit, & idcirco non dixit, *ſis Paſtor*, ſed *Paſce*; non ſolùm conferendo munus, ſed muneris exercitationem imperando, *Paſce oves meas.* Majore etiam & ſolenniore ritu idem præceptum promulgatum eſt, die, quo ad Patrem in Cælum Chriſtus aſcendit, dum his verbis cunctos Apoſtolos allocutus eſt: *Docete omnes gentes*: ita autem hoc præceptum deinceps in Eccleſia acceptatum fuit, ut nullum inter Paſtores & Doctores diſcrimen fieret, ſed munus utrumque conjungeretur. Idcirco cùm Apoſtolus ad Epheſ. 4. ſcripſit, quòd Chriſtus *poſuit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas*, cùm tamen ad Paſtores deinde deſcendit, ſubjunxit; *alios autem Paſtores & Doctores*: tam à Curionibus ſeparari non poteſt docendi officium. *Sub eodem addit Paſtores & Doctores* (ſic in hunc locum commentatur S. Thomas) *ad oſten-*

*den-*

*dendum*, *quòd proprium officium Paſtorum E cleſiæ eſt*, *docere*, *quæ pertinent ad fidem*, *& bonos mores.* Hâc etiam notâ oſtendit Apoſtolus, ſe veros Paſtores à falſis diſcernere: *Mementote Præpoſitorum veſtrorum*, *qui vobis locuti ſunt verbum Dei.* Hebr. 13. Perinde ac ſi nec eleemoſynæ, quas largirentur multas, nec Sacramentorum adminiſtratio, ne ſanguis quidem pro grege fuſus, dignos reddat munere, ſed ſola verbi Dei Prædicatio. Ita non aliam unquam muneris partem Apoſtolus, primus Evangelii Interpres, Paſtoribus inculcavit verbis tam diſertis, tam efficacibus, aut ſi ſuis momentis librentur, magìs horridis. Hic ille præcepit, adjuravit, proteſtatus eſt, nec dubitavit appellare Tribunal illud rigidiſſimum, quod Chriſtus extremo die ſtatuet ad Triumphum obedientium, & probrum ac dedecus Refractariorum. En verba ejus ad Timotheum, 2. c. 4. *Teſtificor coram Deo, & Chriſto Jeſu, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, per adventum ipſius, & Regnum ejus: prædica verbum &c.* Verba, quæ ſatis demonſtrent, quàm ubi reddendæ rationis tempus advenerit, jure ac merito Paſtores elingues cum Propheta dicturi ſint: *Væ mihi, quia tacui!*

Clamant deinde Leges Naturales, dum negligendo præcipuam ſui muneris functionem, interea fruuntur reditibus Beneficiorum, qui hunc ad finem maximè olim à Fidelibus collati ſunt, & ad eundem hodie diſtribuuntur. Parochiæ & Curionatus, non ſunt, ut nonnemo fortaſſis exiſtimet, ſedes quietis, ſed Cathedra loquentis. Quo igitur jure ſtipendiis frui poteſt, qui miniſterium non exercet, cui illa attributa ſunt, quod eſt docere? Et hâc causâ non deſunt Doctores, qui Paſtores iſtos ligneos, qui *os habent*, *& non loquuntur*, obligatos aſſerant ad reſtituendam redituum partem, negligentiæ huic reſpondentem: ſicut citra omnem controverſiam reddere teneretur ſalarium Nutrix, quæ ad lactandum parvulum conducta, fame illum emori ſineret. Sed quidquid de hac redituum reſtitutione ſit, ad aliam haud paulò graviorem divina eos Juſtitia reſtitutionem obligat, ad reddendas, inquam, animas, quæ neceſſariæ inſtitutionis adjumento deſtitutæ perierunt. *Speculatorem dedi te domui Iſraël.* (ita Paſtores omnes Deus alloquitur) *Audiens ergo ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis. Si me dicente ad Impium: Impie morte morieris, non fuerit locutus, ut ſe cuſtodiat Impius à via ſua; ipſe Impius in impietate ſuâ morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezech. 3. Non igitur ea tantùm, quæ aliis vulgò Sacerdotibus, Paſtoribus reddenda erit coram Judice Deo ratio, nec iis tantùm de rebus: etiam de alienis animabus rationem reddant neceſſe eſt; ſic ut eorum quisque, ſi modò ſalvus eſſe vult, debeat poſſe dicere cum Apoſtolo: *Mundus ſum à ſanguine omnium*: hoc autem quomodo verè dicent, niſi addere poſſint cum Apoſtolo? *Non enim ſubterfugi*, *quo minùs annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Act.

20. Hoc

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

20. Hoc qui reſpondere nequiverit, nihil aliud ad rem reſpondere poterit.

Clamant tandem, ad condemnandos Paſtores Mutos, Leges Eccleſiaſticæ à ſummis Pontificibus & Conſiliis latæ. Sed quia has omnes referre non hujus eſt loci ac operis, prima tantùm Eccleſiæ & poſtrema ſecula contemplemur. Ad prima quod attinet, ſi vera teſtatur Clemens, ſtatuerant ipſi Apoſtoli, ut qui Curio omiſiſſet in rebus ad fidem moréſque ſpectantibus ſuos inſtituere, ille Communione privaretur, & loco denique moveretur. *Epiſcopus aut Presbyter, qui negligentiùs circa Clerum aut populum agit, neque in pietate eos erudit, à Communione ſegregator: ſi verò in ea ſocordia perſeveraverit, depoſitor. Can. Apoſt. c. 57.* Idem docendi officium jam ante mille annos præcepit Synodus, quæ ſexta vulgò appellatur; his verbis Can. 19. *Oportet eos, qui præſunt Eccleſiis, omnibus quidem diebus, ſed præcipuè diebus Dominicis omnem Clerum & populum docere.* &c. Nec diſſimilia habet concilium Toletanum, quod hanc functionem inter Paſtorales agnovit præcipuam: *Omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat.* Ut ad noſtra accedamus tempora, Concilium Tridentinum, quod inter tot Hæreſum tempeſtates Eccleſiæ fuit aura ſalutis, quid non agit, ut obligationem iſtam, ejúsque memoriam omnium animis altè imprimeret? cùm ſatis nôſſet, ſi huic non ſatisfieret, actum fore de ſalute Animarum, & omni earum bono: *Ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum. Prov. 19.* Affirmat hanc obligationem eſſe Juris Divini, ſeſſ. 23. de Reform. c. 1. Quid docendi ſint populi præſcribit ſeſſ. 5. c. 2. de Reform. Quis modus in docendo tenendus, ibidem tradit. Tempus etiam conſtituit; inter Miſſarum ſolennia, ibid. & ſeſſ. 24. cap. 7. de Reform. & ſeſſ. 22. c. 8. Denique etiam Præſulum manus fulminibus armat, dum Jus iis confert, Fidelium Communione movendi ſocordes in tanti momenti ac ponderis negotio Curiones. Audiamus Synodi verba. *Archipresbyteri, Plebani & quicunque Parochiales, vel aliàs animarum curam habentes Eccleſias quomodocunque obtineant, per ſe, vel per alios idoneos (ſi legitimè impediti fuerint) diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas, pro ſua, & earum capacitate, paſcant ſalutaribus verbis, docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annuntiandóque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant. Si ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu alias, ad ipſius Epiſcopi arbitrium, cogantur; ita ut ſi expedire viſum fuerit, ex Beneficiorum fructibus alteri, qui id præſtet, honeſta aliqua merces perſolvatur, donec principalis ipſe reſipiſcens officium ſuum impleat. ſeſſ. 5. cap. 2. de Reform.* Et non ſufficiant minæ iſtæ ad fugandos & ejiciendos ex Eccleſiis *Canes*, qui cùm *muti* ſint, tantum ferè gregi af-

ferunt detrimenti, quantum voraces lupi? Neque dici prudenter poteſt, quæ adducta ſunt Concilii verba, non habere vim præcepti, ſed directionis tantùm: nam Cenſuræ, quæ adjectæ ſunt, & voces Cenſuram minitantes ſatis loquuntur, verum hoc ac proprium S. Synodi præceptum eſſe. Præterquam quòd alibi eadem Synodus diſertè verbis præceptivis in hac materia utitur, ut ſeſſ. 24. de Reform. c.4. ſeſſ. 25. de Invocatione Sanctorum; & ſingulariter ſeſſ, 22. de Sacr. Miſſæ. c. 18. quo loco hæc habentur verba: *Mandat Sancta Synodus Paſtoribus, & ſingulis animarum curam gerentibus, ut frequenter inter Miſſarum celebrationem vel per ſe, vel per alios, ex iis, quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant, diebus præſertim Dominicis & Feſtis.* Et ſeſſ. 24. de Reform. c. 7. in eundem modum loquitur. *Præcipit S. Synodus, ut inter Miſſarum ſolennia, aut divinorum celebrationem, ſacra eloquia & ſalutis monita vernaculâ linguâ ſingulis diebus Feſtis, vel ſolennibus explanent, eadémque in omnium cordibus, poſtpoſitis inutilibus quæſtionibus inſerere, atque eos in Lege Domini erudire ſtudeant.* Verbis autem his *Mandat*, *Præcipit* Præceptum proprium ac rigoroſum, ut vocant, ſignificari, non tantùm communis Doctorum ſententia, ſed Congregationis Eminentiſſimorum S. Concilii Interpretum definitio declarat,

Si Eccleſiaſticis Legibus tam veteribus, quàm recentibus juvat aliquod robur addere teſtimoniis Sanctorum Doctorum, ſufficiet legiſſe S. Auguſtini Homil. 7. inter 50. Paſtorales lib. S. Gregorii par. 2. c. 4. & Moral. l. 22. c. 16. S. Hieronymum in cap. 33. Ezechiel. Librum tertium S. Iſidori de Summo Bono c. 46. & S. Proſperi de vita contemplat. l. 1. c. 20. S. Joan. Chryſoſtomi Hom. 15. in Epiſt. 1. ad Tim. & libros de Sacerdotio. S. Ambroſ. in Epiſt. 1. ad Tim. c. 4. §. 6. alióſque ejus generis, & palàm apparebit, quantopere eorum quilibet tam detrimentoſum Curionum ſilentium ſit deteſtatus.

Tandem, ne quis pateat fugæ locus, audienda eſt comunis omnium Theologorum doctrina, è quibus profiteor nullius me verba aut nomen allegaturum, quem non in fonte, quod ad præſens inſtitutum pertinet, conſuluerim. Sunt autem horum alii Scholaſtici, alii Morales. Scholaſtici ſupponunt ut certam cujusvis Paſtoris obligationem, inſtituendi ſuæ curæ creditos, & ex hac ipſa aliam colligunt obligationem, cognoſcendi & credendi explicitè multò plura Fidei dogmata & veritates, quàm quas vulgò Chriſtiani nôſſe teneantur; cùm docere non poſſint, quod ignorant. Sic concordibus ſtudiis loquuntur Antiquiores in tert. Senten. diſt. 25. S. Thom. q. 2. art. 1. & 2. S. Bonaventura q. 1. Scotus q. 1. Durandus q. 1. n. 8. & 9. Richardus q. 1. art. 4. Gabriel q. un. concl. 2. Sequuntur Antiquiores iſtos Recentiores alii omnes, ubi de Fide ſcribunt. Suarez diſp. 13. Sect. 6. n. 6. Vaſquez in 3. part. diſp. 236. c. 10. n. 107. Valentia 2. 2. diſp. 1. q. 2. pun. 3. Sanchez l. 2. in Decal.

c, 3.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

c. 3. Lugo diſp. 13. ſect. 5. n. 148. 152. Coninck diſp. 14. n. 196. Caſtropalao to. 1. tract. 4. diſp. 1. pun. 11. Lorca q. 2. art. 6. Granado tract. 10. diſp. 3. n. 13. Bannez 2. 2. q. 2. art. 8. concl. 3. & ut rem paucis, omnes, qui ſcribunt in 2. 2. q. 2. ar. 6. S. Thomæ. Morales deinde de hac obligatione fuſiùs agunt, & conveniunt in eo, ut tam gravem adſtruant, ut eo referant minas, quas Deus intentat Sacerdotibus ignorantibus, ubi ait: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Oſ. 4. Juvat hîc referre aliquorum verba, tanquam magìs aperta. *Negligentia magna Parochi in docendo ad ſalutem neceſſaria, mortalis eſt. Ubi paſſim magnus eſt abuſus eorum, qui contenti, docuiſſe ſymbolum latinè, non explicant populo rudi Myſteria Fidei, præſertim Trinitatis, & Incarnationis, tantopere ad ſalutem neceſſaria. Væ Parochis, væ Epiſcopis, væ Prælatis!* Sa, verbo Parochus. *Tenetur Curatus ſub mortali docere id, quod ſub mortali tenetur ſcire ſubditus.* Trull. l. 1. c. 1. dub. 4. n. 7. *In oppido, ubi ſilente Curato omnes ſilent, ſine dubio Curatus, nec per ſe, nec per alium prædicans, peccat mortaliter.* Poſſev. de Off. Curati c. 3. n. 3. *Paſtorale officium eſt fidem docere populum. Quare profectò hujus muneris, ubi grandis eſt negligentia, peccatum eſt mortale.* Soto de Juſtit. l. 10 q. 1. ar. 3. *Advertant, quicunque in Chriſti Eccleſia ad Paſtoralis officii dignitatem aſſumpti, ad hoc Apoſtolicum prædicationis munus exercendum naturali, divino & Eccleſiaſtico jure ita eſſe adſtrictos, ut niſi id diligenter expleverint, certum ſubituri ſint damnationis ſupplicium.* Medina de recta in Deum Fide 13. c. ult. *Poteſt Epiſcopus Parochos obligare ſub pœna Excommunicationis, ut ſibi ſubditos de doctrina Chriſti rectè inſtruant, quia obligantur ad id, ad quod de jure divino ſunt obligati: & hac pœnâ & obligatione incitantur, ut diligentes ſint in ſui muneris executione.* Caſtropalao loc. cit. n. 3. Sanchez lib. 2. c. 15. n. 15 Manuel to. 1. Sum. c. 88. *Parochi prætermittentes verbi Dei prædicationem, toties peccant contra præceptum divinum, quoties populus graviter indiget prædicatione. Præcisè verò gravi populi neceſſitate, arbitror moraliter peccare, ſi uno integro menſe continuò, aut etiam ſi duobus, vel tribus menſibus totius anni diſcontinuis, non concionentur.* Bonac. in 3. Dec. præc. diſp. 5. pun. 2. n. 30. &c. His addere licebit hîc brevitatis ſtudio omiſſos Tolet. l. 5. cap. 5. n. 4. Navar. in man. c. 25. n. 235. Barboſa de Poteſt. Par. c. 15. n. 2. Caſtropal. de obſervat. Feſtor. diſp. 2. pun. 4. n. 5. Regin. tom. 2. l. 20. ſect. 3. n. 68. Fragoſ. tom. 2. l. 10. diſp. 21. §. 1. Suarez de Relig. tom. 1. l. 2. c. 16. n. 7. & alios.

His tot, tam gravibus rationum momentis, tantâ tamque irrefragabili authoritate ſuppoſitâ, *tantam habentes impoſitam nubem teſtium*, quæro ex omnibus, qui tam gravi muneris ſui obligationi non ſatisfaciunt, quo tandem ſcuto ſe arment contra tot fulmina, quæ hac ex nube in eorum capita torquentur? Oſtendite, per Deum, ſi poteſtis, ô Paſtores Animarum, unum ſaltem aliquem Doctorem, qui excuſet:

Afferte aliquod Concilium, allegate Canonem; adducite ſancti alicujus Patris faventis veſtræ negligentiæ authoritatem. Saltem tot è Doctoribus,qui in materia Morum tam varias, nec ſanè ſeveras ſemper, ſectati ſunt opiniones,invenire unum, qui pro vobis ſtet, ut eo quamlibet infirmo aggere ſententiæ mediocriter probabilis, poſſitis vos tueri contra vim & impetum tot Legum,humanarum,naturalium,Divinarum,ut tandem non obruamini, & veſtra ſuper capita tantum iſte torrens excreſcat, ut ne quidem aquæ Diluvii tanto ſpatio Montibus Armeniæ ſuperiores fuerint. Quid ad excuſandos vos afferetis? An quod ſubditi ad vos audiendos venire nolint? Falſum id eſt; quia jubet Concilium inter Miſſarum ſolennia, ad quæ omnes conveniunt, verba facere. Quòd libenter vos non audiant? Et hæc excuſatio nullius momenti eſt: oportet enim vos prædicare *opportunè* & *importunè*: ut Apoſtolus jubet: *opportunè* Bonis & volentibus: *importunè*, Pravis & nolentibus. Quòd non calleatis artem concionandi? Atqui non exigitur à vobis neſcio quæ eloquentia; ſed modus dicendi facilis,planus, placidus,qui & veſtræ & veſtrorum reſpondeat tenuitati. An quòd ne iſto quidem genere dicendi planè valeatis? Atqui tum ſupplere poteſtis, ut S. Carolus jubebat, lectione libri idonei, quem identidem explicetis, ut facilè illum quivis aſſequatur. Si hoc quoque grave cuipiam fuerit,cedat munere Paſtoris neceſſe eſt, etſi mendicatò inde vivere oporteret: nec enim æquum eſt, ut potior habeatur ratio ſuſtentationis cujusquam corporalis, quàm ruinæ ſpiritualis tot animarum ipſius inepti curæ creditarum. Non greges Paſtorum causâ conſtituti ſunt, ſed gregum bono Paſtores dati ſunt: aliàs *Væ Paſtoribus Iſrael, dicit Deus, qui paſcebant ſemetipſos; lac comedebatis, & lanis operiebamini, gregem autem meum non paſcebatis.* Ezech. 34. Unde ſi dicendum eſt, quod res eſt, non eſt anchora ulla, cui ſalutem veſtram poſſitis tutò credere.

Non juvat dicere: Urbium etiam Paſtores non concionari: nam hos excuſare forſan poteſt minor ovium imperitia, & major numerus aliorum Concionatorum, qui nullo non die Feſto in urbibus audiuntur. Non juvat dicere: veſtra in Eccleſia dudum exoleviſſe morem concionandi; nec enim hæc eſt conſuetudo, vel uſus, ſed abuſus, quem deplorant ſubditi, qui conciones mallent; quem ſacri Magiſtratus deteſtantur, & abrogatum cupiunt. Neque verò ulla conſuetudo contra Jus divinum quidquam poteſt præſcribere; cùm conſuetudo Legis humanæ vim habeat; lex autem humana contra divinam prævalere nunquam debeat vel poſſit. An dicetis forſan; vos annis ſingulis peverni jejunii dies vocare Concionatorem aliquem? At iſtud non ſufficit. Paucæ enim illius temporis Conciones, ſi ſpectetur populi illas audientis hebetudo, non ſunt annona ſufficiens pellendæ fami unius integri anni. An illud vos excuſabit, quòd omnibus diebus Dominicis parvulos in doctri-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

na Chriſtiana erudiatis? At non parvulorum tantùm, ſed & adultorum Parochi & Curiones eſtis: hos igitur etiam, & non tantùm exiguam gregis veſtri partem oportet paſcere: *annuntiando vitia, quæ eos declinare; & virtutes, quas ſectari oportet, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant.* Trid. ſeſſ. cit. Si vobis incumbit adminiſtrare Sacramenta, an eorum utilitates explicare, quid ad eorum valorem requiratur, & quomodo ritè ac dignè recipi debeant, docere ad vos non pertinebit? Coninck loc. cit. n. 96. Quid dicetis tandem? An, quòd ſi vera hæc eſſent omnia, pauci Curionum ſalutem eſſent conſecuturi? Horrendum eſt, quod infertis! Sed quid dicemus, ſi hoc ipſum tam multi Sancti nihil tergiverſati admiſerunt? Sanctus certè Joan. Chryſoſtomus, attonitus graviſſimo obligationum onere, quod ſibi imponunt, qui Animarum curam in ſe ſuſcipiunt, non eſt veritus dicere: *Miror, an fieri poſſit, ut aliquis ex Rectoribus ſalvus ſit.* Hom. 34. in Epiſt. ad Hebr. Effatum, quod prima fronte videri poſſit heteroclitum, ſi tamen non indiligenter perpendatur, reperietur à veritate non alienum.

Non eſt proinde quidquam fiduciæ reponendum in alio quocunque piarum actionum & operum genere, ſi iſtud omittatur. Ut Paſtores ſalutem conſequantur, non eſt ſatis vitam eorum bonam eſſe, oportet eos & linguam habere bonam. *Attende tibi, & doctrinæ, & inſta in illis,* ſcripſit ad Timotheum ſuum Apoſtolus, 1. 4. *hæc enim faciens & te ipſum ſalvum facies, & qui te audiunt.* Bonæ ſunt eleemoſynæ, bona jejunia, bonæ ſui diverberationes, optimæ orationes, ſed non ſufficiunt ad dandam vobis ſalutem. Quid non præſtabat in ſe Apoſtolus, paſſus perſecutiones, affectus injuriis, catenis alligatus, virgis cæſus, quin & lapidatus amore ſui Servatoris? Et tamen, *væ mihi*, exclamat poſt hæc omnia, *væ mihi ſi non evangelizavero!* non eſt remedium: *neceſſitas mihi incumbit.* 1. Cor. 9. Aut Concionari oportet, aut damnari. Finiamus igitur Monita hæc de obligatione, quâ vos Paſtores obſtricti eſtis, & dicamus. *Diſpenſatio vobis cæleſtis ſeminis credita eſt; væ ſi non ſparſeritis! Væ ſi tacueritis! Quodſi Vas electionis formidat, & clamat; quantò magis cuilibet exiguo metuendum eſt?* Diſt. 43. c. Diſpenſatio.

# FINIS.

*Omnia ad majorem DEI Gloriam.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# TABULÆ CONCIONUM
## In Dominicas & Feſta totius Anni.

*Domin. I. Adventûs.*

Videbunt Filium hominis venientem in nube. *Luca 21.*

Judicium Univerſale manifeſtabit malitiam Peccati mortalis. *Part. 2. Diſcurſu. 17.*

*Dominica II. Adventûs.*

Hominem mollibus veſtitum? *Matth. 11.*

De vanitate & levitate veſtium. *Partis 3. Diſcurſ. 30.*

*Dominica III. Advent.*

Confeſſus eſt & non negavit. *Ioan. 1.*

De Mendacio. *Part. 1. Diſcurſ. 30.*

*Domin. IV. Advent.*

Prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ. *Luca 3.*

Signa veræ Pœnitentiæ. *Part. 3. Diſcurſ. 17.*

*Domin. infra octav. Nativit.*

Jejuniis & obſecrationibus ſerviens. *Luca 2.*

De neceſſitate & virtute Orationis. *Part. 3. Diſcurſ. 2.*

*Domin. infra octav. Epiph.*

Fili, quid feciſti nobis ſic? *Luc. 2.*

De obligatione honorandi Parentes, *Parte 1. Diſcurſ. 16.*

*Domin. II. poſt Epiphan.*

Vocatus eſt autem & Jeſus ad Nuptias. *Ioan. 2.*

De Sacramento Matrimonii. *Part. 3. Diſcurſ. 25.*

*Domin. III. poſt Epiphan.*

Vade, oſtende te Sacerdoti. *Matth. 8.*

De Beneficio Confeſſionis, *Part. 3. Diſc. 11.*

*Domin. IV. poſt Epiphan.*

Quid timidi eſtis modicæ fidei? *Matth. 8.*

De modo certò ſalvandi Animam ſuam, *Part. 1. Diſcurſ. 6.*

*Domin. V. poſt. Epiphan.*

Unde ergo habet zizania? *Matth. 13.*

De Pravis Sodalibus, à quibus tanta in Republ. Chriſtianâ mala. *Part. 1. Diſc. 21.*

*Domin. VI. poſt Epiphan.*

Simile eſt Regnum Cælorum grano ſinapis. *Matth. 13.*

Verbi divini rectè auditi vis. *Part. 1. Diſcurſ. 1. aut. 2.*

*Domin. Septuageſ.*

Nemo nos conduxit. *Matth. 20.*

De numero Electorum & Reproborum. *Part. 1. Diſc. 5.*

*Domin. Sexageſ.*

Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. *Luc. 8.*

De neceſſitate audiendi verbi divini. *Part. 1. Diſcurſ. 1.*

*Domin. Quinquageſ.*

Cœcus quidam ſedebat ſecus viam. *Luc. 18.*

Peccatum excœcat peccantem. *Part. 2. Diſcurſ. 9.*

*Domin. I. Quadrageſ.*

Non tentabis Dominum Deum tuum. *Matth. 4.*

Vitandæ occaſiones peccandi; aliàs tentatur Deus. *Part. 3. Diſcurſ. 15.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Domin. II. Quadrageſ.*

Domine, bonum eſt nos hîc eſſe. *Matt.* 17.
Gloriæ Cæleſtis magnitudo, quâ privat peccatum. *Part. 2. Diſc.* 19.

*Domin. III. Quadrageſ.*

Cùm ejeciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus. *Lucæ* 11.
De Sacrilegio reticentium aliquod peccatum in Confeſſione. *Part. 3. Diſc. 12.*

*Domin. IV. Quadrageſ.*

Fugit in montem ipſe ſolus. *Ioan. 6.*
De amore ſolitudinis & fuga conſortii periculoſi. *Part. 3. Diſc. 33.*

*Domin. V. Quadrageſ.*

Tulerunt ergo lapides Judæi. *Ioan. 8.*
Pro beneficii lapides Deo reddimus, hoc eſt injurias. *Part. 2. Diſc.* 1.

*Dominica Palmarum.*

Invenieris aſinam alligatam, ſolvite & adducite mihi *Matth. 21.*
Plenum Dei in res omnes dominium, quod Peccatores violant. *Par. 2. Diſc. 2.*

*Feriâ V. Cœnæ Domini.*

In finem dilexit eos. *Ioan.* 13.
Chriſti erga ſuos Amor in Inſtitutione Euchariſtiæ. *Part. 3. Diſc. 7.*

*Feriâ VI. Paraſceves.*

Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſecundùm Joannem.
Paſſio Chriſti gravitatem & malitiam peccati ſummè manifeſtat. *Part. 2. Diſc.* 21.

*Domin. Reſurrect. D. N. I. C.*

Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum. *Marc.* 16.
Communioni, quæ ſub hoc tempus ſumenda eſt, præmittenda debita præparatio, *Part.* 3. *Diſc. 8.*

*Feria II. Paſchatis.*

Cognoverunt eum in fractione panis, *Lucæ 24.*
De frequenti Communione, *Part. 3. Diſc. 9.*

*Feria III. Paſchæ.*

Aperuit eis ſenſum, ut intelligerent Scripturas. *Lucæ 24.*
Fides donum Dei. *Part.* 1. *Diſc. 3.*

*Dominica in Albis.*

Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. *Ioan. 20.*
De Sacramento Ordinis, quo Apoſtolis hæc poteſtas collata. *Part. 3. Diſc. 24.*

*Dominica II. poſt Paſcha.*

Cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. *Ioan. 20.*
De præcepto amandi Deum, hoc enim amore oves Chriſti ab hœdis diſcernuntur. *Part.* 1. *Diſc. 7.*

*Dominica III. poſt Paſcha.*

Plorabitis & flebitis vos; Mundus autem gaudebit. *Ioan.* 16.
Peccatum tam ſecunda, quàm adverſa efficit materiam damnationis. *Part. 2. Diſcurſ.* 14.

*Domin. IV. poſt Paſcha.*

Arguet Mundum de Peccato. *Ioan. 16.*
De odio, quo Deus in Peccatum fertur, *Part. 2. Diſc. 6.*

*Domin. V. poſt Paſcha.*

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Ioan.* 16.
Conditiones requiſitæ ad efficaciam Orationis. *Part. 3. Diſc. 3.*

*Feſto Aſcenſionis D. N. I. C.*

Exprobravit incredulitatem & duritiam cordis. *Marc.* 16.

Pec-

Peccatum indurat cor Peccatoris. *Part. 2. Diſcurſ. 10.*

*Domin infra octav. Aſcenſ.*

Qui interficit vos. *Ioan. 15.*

Peccatum interficit & occidit animam. *Part. 2. Diſcurſ. 11.*

*Feſtum Pentecoſtes.*

Qui non diligit me, ſermonem meum non ſervat. *Ioan. 14.*

Peccatum facit nos excidere Gratiâ, quæ eſt Spiritûs Sancti donum præcipuum. *Part. 2. Diſc. 8.*

*Feria II. Pentecoſtes.*

Qui malè agit, odit lucem. *Ioan. 3.*

Jactura omnium bonorum operum ex peccato. *Part. 2. Diſc. 13.*

*Fer. III. Pentec.*

Fur non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat. *Ioan. 10.*

peccatum verus fur omnem felicitatem, etiam temporalem, aufert. *Part. 2. Diſcurſ. 12.*

*Feſtum SS. Trinitatis.*

Docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. *Matth. 28.*

Trinitatem non honorat, qui mandata non ſervando peccat. *P. 2. D. 4.*

*Domin. I. poſt. Pentec.*

Eſtote miſericordes. *Lucæ 6.*

De Elemoſyna. *Part. 1. Diſc. 17.*

*Solennitas Corporis Chriſti,*

Patres veſtri manducaverunt, & mortui ſunt. *Ioan. 6.*

Qui SS. Euchariſtiam in peccato ſumunt, non vitam, ſed mortem manducant. *Part. 3. Diſc. 16.*

*Domin. infra. octav. Corporis Chriſti.*

Cœperunt omnes excuſare. *Lucæ 14.*

Stultitia differentium converſionem uſque ad mortem, & ſemper antè ſe excuſantium. *Part. 3. Diſc. 1.*

*Domin. III. poſt. Pentec.*

Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. *Lucæ 15.*

Pœnitentia poſt peccatum non differenda, ne Angelis differamus ſuum gaudium. *Part. 3. Diſcurſ. 16.*

*Domin. IV. poſt Pentec.*

Per totam noctem laborantes nihil cepimus. *Lucæ 5.*

Ludo dediti, temporis multum nullo fructu huic impendunt. *P. 3. D. 32.*

*Domin. V. poſt. Pentec.*

Reus erit gehennæ ignis. *Matth. 5.*

Pœnæ Inferni malitiam peccati demonſtrant. *Part. 2. Diſcurſ. 18.*

*Domin. VI. poſt Pentec.*

Miſereor ſuper turbam. *Marci 8.*

De modo faciendi eleemoſynam exemplo Chriſti. *Part. 1. Diſcurſ. 18.*

*Domin. VII. poſt Pentec.*

Ex fructibus eorum cognoſcetis eos *Matth. 7.*

De Comœdiis & Ludis laſcivis, quorum malitia ex effectis cognoſci poteſt. *Part. 3. Diſcurſ. 31.*

*Domin. VIII. poſt Pentec.*

Hic diffamatus eſt apud illum. *Luc. 16.*

Damna Detractionis. *Part. 1. Diſcurſ. 29.*

*Domin. IX. poſt. Pentec.*

Ingreſſus in Templum cœpit ejicere vendentes in illo & ementes. *Lucæ 19.*

De

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Reverentia Templis debita. *Part. 3. Diſcurſ.4.*

*Domin. X. poſt Pentec.*

Injuſti, Adulteri. *Lucæ 15.*

De gravitate Adulterij. *Part.3.Diſc.26.*

*Domin. XI. poſt Pentec.*

Apprehendens eũ de turba ſeorſũ. *Marc.7.*

Contra Amatorias levitates. *Part.3.Diſ.27.*

*Domin. XII. poſt Pentec.*

Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo. *Luc.10.*

De Præcepto amandi DEUM. Vel de Peccato collato cum Divina Excellentia. *Part.1.Diſc.7.* vel *Part.2.Diſ.3.*

*Dom. XIII. poſt Pentec.*

Occurrerunt ei decem viri leproſi. *Luc.17.*

Quàm multi leprâ Luxuriæ infecti? quomodo curandi? *Part.1.Diſ.23.*

*Domin. XIV. poſt Pentec.*

Ne ſolliciti ſitis Animæ veſtræ, quid manducetis. *Matth.6.*

Contra vitium Avaritiæ. *Part.1. Diſc.25.*

*Domin. XV. poſt Pentec.*

Reſedit, qui erat mortuus. *Luc.7.*

Mortuus per peccatum confeſtim ſurgere debet, nec differre converſionem ad tempus mortis. *Part.3. Diſc.1.*

*Domin. XVI. poſt Pentec.*

Homo quidam Hydropicus erat ante illum. *Luc.14.*

Avaritia vera Hydropiſis. De re aliena reſtituenda. *Part.1.Diſc.27.*

*Domin. XVII. poſt Pentec.*

Diliges proximum tuum ſicut teipſum. *Matth.12.*

De Eleemoſyna. *Part.1. Diſc.17.*

*Dom. XVIII. poſt Pentec.*

Cùm vidiſſet JESUS cogitationes eorum. Vel, quid cogitatis mala in cordibus veſtris? *Matth. 9.*

De Peccatis cogitatione admiſſis. *P.1.D.31.*

*Domin. XIX. poſt Pentec.*

Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt. *Mat.22.*

Ira DEI demonſtrat gravitatem peccati, *Part.2. Diſc.7.*

*Domin. XX. poſt Pent.*

Niſi ſigna & prodigia videritis, non credítis. *Joann.4.*

De Spe in DEO reponendâ. *Part.1, Diſc.4.*

*Domin. XXI. poſt Pentec.*

Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. *Matth.18.*

De venia inimicis danda. *Part.1. Diſc.22.*

*Domin. XXII. poſt Pentec.*

Cognitâ JESUS nequitiâ eorum. *Matt.22.*

Error peccantium fiduciâ Confeſſionis: cognoſcit hanc nequitiam Chriſtus. *Part.3. Diſc.18.*

*Domin. XXIII. poſt Pentec.*

Sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim. *Matth.9.*

De infelici ſtatu Luxurioſorum. *Part. 2. Diſc.24.*

*Domin. XXIV. poſt Pentec.*

Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus! *Matth.24.*

Prægnantes & nutrientes ſunt, qui nunquam ſeriò proponunt ſe emendare. *Part.3. Diſc.14. de emend. propoſito.*

*Feſto S. Andreæ.*

Relictis retibus & Patre ſecuti ſunt eum. *Matth.4.*

Zebedæus filios ſuos bene educavit: unde illi promptè ſecuti ſunt JESUM, ſicut S. Andreas. *P.1. Diſ.13. De educ. Librorũ.*

*Feſto S. Nicolai.*

Qui quinque talenta acceperat, operatus eſt in eis. *Matth.*25.

S. Nicolaus tum aliarum exercitatione virtutum, tum maximè abſtinentiæ, reſpondit acceptæ DEI gratiæ. *P.* 3. *D.* 20.

*Feſto Conceptionis B. M. V.*

De qua natus eſt JESUS. *Matth.*1.

De dignitate Virginitatis, quâ Matrem ſuam excellere Chriſtus voluit. *Part.*1. *D.*25.

*Feſto S. Thomæ Apoſtoli.*

Dixerunt ei alii Diſcipuli; vidimus Dominum. *Joann.*20.

Fratres errantes corrigendi: ſicut Apoſtoli Thomam incredulum reducere conati ſunt ad fidem. *Part.* 1. *Diſc.*19.

*Feſto Nativitatis D. N. J. Chriſti.*

Cognovit Bos & Aſinus. *Iſa.*1.

Homo non cognoſcit DEUM pro ſe Incarnatum, ſed illi ingratus peccat. *Part.*2. *Diſc.*5.

*Feſto S. Stephani.*

Ne ſtatuas illis hoc peccatum. *Act.*6.

De venia inimicis danda, vel, de Moderatione Iræ, contra quam fecerint lapidantes S. Stephanum. *Part.* 1. *Diſc.* 22. vel *Part.* 1. *Diſc.*20.

*Feſto S. Joannis Evangeliſtæ.*

Sic eum volo manere. *Joan.*21.

Nimirum perpetuò Virginem. de Virginitatis Dignitate. vel. Exiit ſermo inter fratres, quòd Diſcipulus ille non moritur. *Joan.* 21.

De Judiciis temerariis. *P.*2. *Diſ.*25. vel 28.

*Feſto SS. Innocentûm.*

Occidit omnes Pueros. *Matth.*2.

Peccato Adami omnes Pueri mortui. *Part.* 2. *Diſc.*16.

*Feſto Circumciſionis D. N. J. C.*

Conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur. *Lucæ* 2.

Hodie Circumciſioni Baptiſmus ſubſtitutus, quò annum vitæ Chriſtianæ inchoamus. *Part.*3. *Diſ.*5.

*Feſto Epiphaniæ.*

Procidentes adoraverunt. *Matth.*2.

Adorandus DEUS & Chriſtus cum Magis, non blaſphemandus cum Herode. *Part.*1. *Diſc.*8.

*Feſto SS. Fabiani & Sebaſtiani.*

Virtus de illo exibat. *Lucæ* 6.

Magna vis Sacramenti Confirmationis, quod contra omnes Perſecutiones roborat. *Part.*3. *Diſc.*6.

*Feſtum Purificat. B. V. M.*

Impleti ſunt dies Purgationis. *Lucæ* 2.

Statuti à DEO & Eccleſiâ dies ſervandi, de Obſervat. Feſtor. *Part.* 1. *Diſc.*11.

*Feſto S. Mathiæ Apoſtoli.*

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis. *Matth.*11.

Nullum onus gravius onere Peccatorum, quod ponitur obtentis Indulgentiis. *Part.*3. *Diſc.* 21.

*Feſto S. Joſephi Sponſi B. V.*

Antequam convenirent. *Matth.*1.

S. Joſephus non eſt uſus arte habendi Conjugem, quâ hodie multi, varias levitates admittendo &c. *Part.* 3. *Diſc.* 27.

*Feſto Annuntiat. B. M. V.*

Ave gratiâ plena. *Lucæ* 1.

De B. V. abundantiſſimâ gratiâ, & fiduciâ in ejus Patrocinio. *Part.*3. *Diſc.*34.

*Feſto S. Georgii M.*

Sine me nihil poteſtis facere. *Joan.*15.

Neceſſitas audiendi Verbum DEI, quia ſine

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſine hoc non confertur à DEO gratia. *Part.1.Diſc.1.*

*Feſto SS. Apoſt. Philippi & Jacobi.*

In domo Patris mei manſiones multæ *Jo.14.*

Nulla tamen manſio pro agitantibus choreas, quæ hoc tempore verno frequentes. *Part.3.Diſc.29.*

*Feſto S. Joannis Baptiſtæ.*

Quis putas puer iſte erit? *Luc.1.*

Quales erunt, qui tam malè à Parentibus educantur? *Part.1. Diſc.14.*

*Feſto SS. Apoſt. Petri & Pauli.*

Portæ Inferi non prævalebunt. *Matth.16.*

Eccleſiæ firmitas maximè nititur Sacrificio Miſſæ incruento. *Part.1.Diſc.12.*

*Feſto Viſit. B. M. V.*

Benedicta tu in mulieribus. *Luc.1.*

Fauſta precari oportet, non mala. de Imprecationibus. *Part.1. Diſc.9.*

*Feſto S. Mariæ Magdalenæ.*

Lacrymis cœpit rigare. *Luca 7.*

De Pœnis, quibus peccata vindicanda. *Part.3. Diſ.19.*

*Feſto S. Jacobi Apoſtoli.*

Dic, ut ſedeant hi duo filii mei. *Matt. 20.*

Defectus & peccata educationis pravæ. *Part.1.Diſc.15.*

*Feſto S. Annæ.*

Multæ filiæ congregaverunt divitias. *Prov. 31.*

Nulla plus, quàm filia S. Annæ, maximè propter fugam omnis licentiæ. *Part. 3. Diſc. 28.*

*Feſto S. Laurentii M.*

Amen, Amen dico vobis. *Joan.12.*

De Juramento, quod licitum? *Part.1, Diſ.10.*

*Feſto Aſſumptionis B. M. V.*

MARIA optimam partem elegit. *Luc.10.*

Quia etiam à venialibus noxis libera, quæ gravitatem mortalium oſtendunt. *Part 2. Diſc.22.*

*Feſto S. Bartholomæi Apoſt.*

Elegit Bartholomæum. *Luca 6.*

Quanto robore opus in extremo vitæ, dum pellis, & omnia detrahuntur. *Part. 3. Diſc. 23.*

*Feſto Nativit. B. M. V.*

Ut Feſto Annuntiationis.

*Feſto SS. Angelorum Cuſtodum & S. Michaëlis Archang.*

Angeli eorum vident faciem Patris. *Matth.18.*

Non vident eam, nec in æternum videbunt Angeli damnati. *Part.2. Diſc.15. & Part.3. Diſc.35.*

*Feſto S. Matthæi Apoſtoli.*

Cum Peccatoribus manducat. *Matth 9.*

Sed dolentibus de ſuis peccatis. Neceſſitas doloris de peccatis. *Part.3. Diſc.13.*

*Feſto SS. Simonis & Judæ Apoſtol.*

Odio habuerunt me. *Joann.15.*

Purgatorium oſtendit gravitatem peccati. *Part.2, Diſc.20.*

*Feſto Omnium Sanctorum.*

Beati. *Matth.5.*

Sanctorum Patrocinium. *Part.3. Diſc.35.*

*Feſto S. Martini Epiſc.*

Vide, ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint. *Luca 11.*

Neceſſitas præparationis ad mortem. *Part. 3. Diſc.ult.*

*Feſto S. Catharinæ V. M.*

Ornaverunt lampades ſuas. *Matth.25.*

De eadẽ præparatione ad Mortẽ. *P.3. D.ult.*

*Feſto Dedicat. Templi.*

Si quid defraudavi, reddo quadruplum. *Luca 19.*

Fraudes propriæ Ludo deditorũ. *P.3. D.32.*

# INDEX RERUM MEMORABILIUM,

quæ tribus hiſce partibus continentur.


## A.

*Abortus.*

Abortum procurare quantum malum ſit. Parte 3. Diſc. 16. num. 15.

*Adamus.*

Adamus ſummus Mundi Monarcha. Part. 2. Diſc. 16. n. 2.

Electus à DEO ad imponenda nomina rebus huius Mundi. P. 2. D. 22. n. 1.

Illius dotes, ſeu dona Sapientiæ. Part. 2. D. 16. n. 3.

Gratiæ. n. 4.

Juſtitiæ originalis. n. 5.

Cur tentata ſit illius fides prohibitione rei in ſe non malæ. p. 2. d. 1. n. 19.

Ipſius peccatum in quo conſiſtat. Part. 2. d. 16. n. 7. &c.

Num majus fuerit peccato Evæ. n. 18.

Aut num exceſſerit noſtra peccata. n. 18. 19. &c.

Quantum terrorem nobis incutere debeat. n. 9. 18. &c.

Illius ſupplicium, primò quidem in ipſo Adamo. n. 10.

Deinde in Poſteris. n. 11.

Ob mala in Mundum invecta. n. 11.

Ob æternum interitum plurimorum infantium. n. 13.

Et adultorum. n. 14.

Non obſtante pœnitentia Adami per octingentos integros annos. n. 16.

Et ſatisfactione pro eodem à Chriſto exhibitâ. n. 16.

*Adoptio.*

Adoptio Divina quanti ſit æſtimanda. P. 2. D. 8. n. 5. &c. P. 2. D. 13. n. 2. 3. P. 3. D. 5. n. 3. &c.

Quantum præſtet adoptioni humanæ. P. 3. D. 5. n. 3.

*Adulterium.*

Adulterium & illius gravitas. P. 3. D. 26. n. 1. &c.

Quàm execrandum ſit, poſtquam Matrimonium ad dignitatem Sacramenti evectum eſt. n. 16. 17. &c.

Plectitur in Inferno horrendis ſuppliciis. n. 20.

Num graviùs in eo vir peccet, an femina? n. 21. & p. 1. d. 25. n. 20.

Etiam plures beſtiæ illud horrent, aut ignorant. p. 3. d. 26. n. 21.

*Adulter.*

Adulter fur eſt & prædo non vulgaris. p. 3. d. 26. n. 1. &c.

Contra eum clamat ipſa ratio, & plurium criminum incuſat uno actu commiſſorum. n. 2. 3.

Quæ excuſari aut defendi non queunt. n. 4.

Clamant contra ipſum Leges Civiles, quæ eum morti adjudicant. n. 5.

Et Leges Canonicæ irrogando ſententiam excommunicationis. n. 6.

Et imponendo ſeveriſſimas pœnas. n. 7.

Atque hæc quidem juxta ſenſum & judicium omnium populorum. n. 8.


Præ

Præ omnibus aliis clamat contra eum ipſe Deus. n.9.
Qui crimen iſtud ſummè deteſtatur. n.10. 11. &c.
Præcipuè in Chriſtianis. n.15.16.&c.
Ac ſeveriſſimè punit in hac & in altera vita. n.12.13.19.
Adulter in ſuo peccato omnino inſanit. n.14.

*Æternitas.*

Quantum ponderis addat pœnis Inferni. p.2.d.18.n.16.17.&c.
Quantum gaudii addat cœleſti gloriæ. p.2. d.19.n.12.

*Agrippa.*

Agrippa Rex quomodo è carcere à Cajo dimiſſus fuerit. p.2.d.2.n.10.

*Alphonſus Albuquercius.*

Alphonſus Albuquercius quo modo horridam tempeſtatem in mari ſedaverit. p.1.d.12.n.15.

*Alphonſus à Caſtro.*

Alphonſus à Caſtro qualem ſe exhibuerit erga calumniatorem venientem ad ſe, ut de peccatis ſuis in ſacro Tribunali ſe accuſaret. p.1.d.29.n.25.

*Ambitio.*

Vide *Superbia.*

*Amedeus Sabaudiæ Dux.*

Amedeus Sabaudiæ Dux quo nomine pauperes compellare conſueverit. p. 1. d. 18.n.8.

*Amici.*

Amici perverſi quantum noceant p.1.d.10. n.1. &c. Vide *Socii perverſi.*

*Amatoriæ levitates.*

Amatorias levitates exercere abuſus eſt ſummè noxius familiis, è quibus obedientiam, & pacem exturbat. P.3.d.27. n.2.&c.
Animabus ſummè nocent. n.6.
Præcipuè innocentibus. n.8.
Sunt occaſio ſuperſtitionum. n.9.
Homicidiorum. n.10.
Et plurium aliorum malorum. n.11.12.13.
Maximè obſunt cultui Divino. n.15.&c.
Quia tollunt devotionem. ibid.
Sanctitatem dierum Feſtorum pervertunt. p.1.d.11.n.16.
Ceu ultimus finis præfiguntur. p.3.d.27. n.16.
Falſum eſt, quòd Matrimonium inituro neceſſarium ſit has levitates præmittere. p.3.d.28.n.2.
Imò neque utilitatis quidquã afferunt. n.4.
Adverſantur omnibus conſiliis ſacræ Scripturæ. n.7.
Nec excuſantur conſuetudine. n.6.7.8. &c.
Mos eſt introductus à Dæmone. n.9.
Et ab eodem propagatus. p.2. d.16.n.9.
Si ex natura ſua peccatum non ſunt, plerumque tamen peccatum evadunt ex circumſtantiis. p.3.D.28.n.10.
Sæpe ſunt occaſio ConfeſſionumSacrilegarum. n.11.
Non carent periculo, etſi eis initium detur ex optimo fine. n.12.13.
Adverſantur ſummopere bonæ educationi. p.1.d.17.n.7.8.9.&c.
A Parentibus ſine peccato permitti nequeunt. ibid. n. 20. & p.1.d.19.n.4.5.p.1. d.15.n.14.

*Amor Benevolentiæ & Concupiſcentiæ.*

Amor Benevolentiæ & Concupiſcentiæ in quo differant. p.1.d.7.n.4.

Amor Benevolentiæ alius eſt appretiativus, alius affectivus. p.1.d.7.n.5.

*Amor Carnalis.*

Amor Carnalis ex Paſſionibus animi omnium vehementiſſima eſt. p.1.d.15. n.14.

Duos Sapientiſſimos totius Mundi ſeduxit Adamum, & Salomonem. ibid.

Eſt Paſſio omnium maximè cœca. ibid. & n.17.& p.3.d.27.n.6.7.&c.

Ruina juventutis p.3.d.27. n.1. & P.3.d. 28.n.1.&c.

Quantum laſcivis ſpectaculis accendatur. p.3.d.31.n.2.3.4.

Inclinat ad turpia, & inhoneſta. p.1.d.24. n.19.

Nemo huic obnoxius ſibi fidat. ibid.& p.3. d.27.n.17.18. p.2.d.16.n.9.

*Amor DEI erga nos.*

Amor DEI erga nos in SS. Incarnatione Chriſti. p.2.d.5.n.1.&c.

Paſſione. p.2.d.21.n.9.

Et Euchariſtiâ. p.3.d.7.n.1.

Æqualiter apparet in rebus proſperis & adverſis à DEO nobis immiſſis. p.2. d.14.n.1.&c.

Facit, ut DEO quodammodo magis cordi ſit ſalus noſtra, quàm proprius honor. p.1.d.27.n.4. p.1.d.21.n.17.

Eſt una ex rationibus ſeu motivis ingentis illius odii, quo DEUS peccatum proſequitur. p.2.d.6.n.15.16. &c.

*Amor DEI ſuper omnia.*

Amor DEI ſuper omnia in quo fundetur. p.1.d.7.n.1.

Eſt neceſſarius omnibus ad ſuam ſalutem. n.3.

Non in quantum eſt affectivus, ſed in quantum appretiativus eſt. n.5.

Quàm juſtè nobis præcipiatur. n.3.

Eſt primum ex omnibus præceptis. ibid.

Ad quid nos obliget. n.4. &c.

Quænam illius ſint ſigna ſeu indicia. n.9. &c.

Nunquam eſt otioſus. n.9.10.

Eſt patiens. n.11.

Cognoſcitur in adverſis. n.11.

Imò hæc ipſe deſiderat. n.13.

Non admittit in conſortium amorem creaturarum, nec patitur, ut æqualiter Deum & creaturas amemus. n.7.8.

Quàm rarus ſit in Mundo. n.8.16.&c.

Eſt primum punctum, de quo à nobis rationem Chriſtus exiget in judicio. n.17.

Qui iſto caret, Cœlo excidit. n.18.

Qua ratione concurrat ad eliciendam contritionem. p.3.d.13.n.5.6.&c.

Eſt præcipua diſpoſitio ad dignè percipiendam ſacram Euchariſtiam. p.3.d.8. n.16.17.

Cujus etiam proprius effectus eſt. n.18.

Ignis eſt vehementius urens ipſo Purgatorii igne. p.2.d.2.n.8.

*Amor Proprius.*

Amor Proprius nos ipſos excœcat. p.1. d.5.n.29.

Efficit, ut de Proximo malè judicemus. P.2. d.28.n.4.

Primus extruxit Civitatem Diaboli amor ſui. p.2.d.15.n.5.

*Amor Proximi.*

Amor Proximi indicium eſt prædeſtinationis. p.1.d.20.n.21.

Ad hunc obtinendum neceſſe eſt proximum contemplari in ipſo Deo. n.22.&c.

Ut ſit perfectus, non naturalis, ſed ſupernaturalis ſit oportet. n.23.

Peccata huic oppoſita ex eorum numero ſunt,

ſunt, quæ omnium difficillimè remittuntur. p.1.d.9.n.21.
Qua ratione in Beatis ad augendam illorum gloriam concurrat. p.2.d.19.n.11.
Vide *Eleemoſyna. Correctio. Inimicus. &c.*

*Angeli.*

Quis eorum numerus. p.2.d.3.n.11.
Eorum dotes naturæ & gratiæ. p.2.d.15. n.3. &c.
Nil in ipſis majore æſtimatione dignum eſt Sanctitate, quemadmodum nec ipſi aliquid pluris æſtimant. p.3.d.35.n.9.
Quodnam fuerit peccatum, quod commiſerunt. p.2.d.15.n.4.
Rationes, quæ poterant pro illius excuſatione afferri. n.7. &c.
Videlicet dignitas & excellentia eorum, qui deliquerunt. n.8.
Multitudo. n.9.
Levitas delicti conſiſtentis in unica cogitatione. n.10.
Nec in pluribus quàm in uno peccato. ibid.
Sine exemplo præcedentis ſupplicii. n.11.
Et tamen hæ omnes rationes non evicerunt, ut pœna etiam ſolummodo differretur. n.13.&c.
Quàm ſubitò puniti. n.16.
Et quàm ſeverè. ibid.
Quid ex eorum ſupplicio diſcere debeamus. n.16.17.&c.
Quare iisdem dona naturæ adempta non ſint. p.3.d.35.n.9.

*Angelus Cuſtos.*

Quale obſequium præcipuè à nobis deſideret. p.3.d.35.n.10.
Quàm nobis præluceat præclaris exemplis Demiſſionis & Sanctitatis. ibid.
Quid nobis ſperandum ſit ex ejus patrocinio. n.20.
Reveretur Sacerdotes ſuæ Curæ commiſſos. p.3.d.24.n.4.

*Anima.*

Majori dolori obnoxia eſt, quàm corpus. p.2.d.20.n.6.
Uti etiam capax majoris gaudii. p.2.d.19. n.5.&c.
Quàm exiguæ curæ ſit multis Chriſtianis. p.1.d.1.n.6. p.1.d.3.n.11. p.1.d.3.n.19.20. p.1.d.6.n.18.&c. p.3.d.9.n.16. p.3.d.31.n.19. p.3.d.29.n.16.
Quid facere oporteat, ut animæ ſalutem conſequamur. p.1.d.6.n.1.&c.

*Anima in gratiâ conſtituta.*

Quantæ pulchritudinis ſit. p.2.d.8.n.3. 4.p.3.d.5.n.8.9.
Quàm dives. p.2.d.8.n.5.6.
Quàm nobilis. n.7.8. p.2.d.11.n.4.
Allicit Deum ad amorem ſui. p.1.d.8.n.3. p.2.d.13.n.3.
Quàm viciſſim deformis reddatur per peccatum. p.2. d.15.n.19. p.2.d.8.n.17. p.2.d.12.n.14. &c.

*Anima à DEO derelicta.*

Ejus ſumma miſeria. p.2.d.12.n.1. &c. p.3.d.26.n.13.

*Animæ Purgatorii.*

Vide *Purgatorium.*

*Animalia.*

Vide *Beſtia.*

*S. Antimus.*

Mori præeligit, quàm in mendacium conſentire. p.1.d.30.n.12.

*Artifices.*

Artifices inſignes quo in pretio fuerint. p.2.d.3.n.1. p.2 p.11.n.6.

*Aſſuetudo.*

Aſſuetudo boni optimum eſt ad bonam mortem adjumentum. p.3.d.ult.n.8.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ne amittatur, multum juvant devotiones obitæ etiam in peccato. p.2.13. n.16.
Aſſuetudo mali oritur ex frequentatis peccatis, & ſimul origo eſt aliorum multorum peccatorum. p.1.d.1.n.6.p.2.d.10. n.4.5.&c.
Quantum obſit, quò minùs ſalutem conſequamur. ibid. & p.2. d.22. n.9. &c. p.3.d.17.n.11.13.&c.
Originem ſumit è rebus minimis. p. 2. d. 10. n.2.&c. p.2. d.22. n.9.12. &c. p.3. d.18.n.22.
Quò plus peccatur, eò magìs hæc roboratur. p.3. d.18. n.12. p.3.d.16.n.14. p.2.d.10.n.19.21.
Perſeverat etiam factâ debitâ Confeſſione, debilior tamen. p.1.d.10.n.7.p.3.d.18. n.10.11.&c. p.3.d.19.n.12.
Quibus remediis tollatur. p.2. d.10.n.20. &c.p.3.d.19.n.12.

*Attritio.*

In quo differat à Contritione. p. 1. d.13. n.4.5.6.7.
Vide *Dolor*.

*Avaritia.*

Eſt vitium communiſſimum inter homines. p.1.d.26.n.2.
Latet tamen eos, nec agnoſcitur, qui ipſo affecti ſunt. ibid.
Alia eſt in effectu, alia in affectu. n.3.
Prima, quæ Juſtitiæ opponitur, frequentiſſima eſt, & tamen occulta eſt in pauperibus. n.4.
Nec à divitibus agnoſcitur. n.5.
Neque à Mercatoribus. n.6.
Secunda, quæ opponitur Liberalitati, adhuc magìs occulta eſt, etſi minùs frequens. n.7.
Eſt fœcundiſſima radix omnium malorum. n.8.
Tum quoad ſe. n.9.
Tum quantum concurrit ad alias pravas inclinationes, & paſſiones. n.10.11.
Eſt vitium, cui difficulter mederi poſſumus. n.12.21.
Tum ob peſſimas ejus proprietates modò dictas. n.12.13.
Tum quia ſubterfugit omnem medicinam. n.14.15.
Eſt vitium ſemper creſcens. n.12.
Quàm bene comparetur cum Idololatria. n.16.
Illius indicia. n.22.
Quo modo ei obviandum. n.18.19.&c.
Eſt vitium inter Spiritualia & carnalia medium. p.1.d.27.n.10.
Et quidem vehementiſſimum. n.11.12.13.
Cui omnis alia prava inclinatio cedit. n.14.
Ob avaritiam feſti dies debito modo non coluntur. p.1.d.11.n.15.
Etſi ejuſmodi transgreſſiones à DEO ſeveriſſimè puniantur. n.9.10.

*Auguſtus Imp.*

Renuit aſſumere titulum Domini. p.2. d. 2.n.4.

*Auxilium Divinum.*

Vide *Gratia actualis.*

# B.

*Baptiſmus.*

Nos efficit filios DEI. P.3.D.5.n.3.
Efficit, ut in nos Spiritus Sanctus deſcendat. n.6.
Cum omnibus donis gratiæ. n.7.10.
Animum mirabiliter immutat. n.8.9.
Qualem characterem ei imprimat, & ad quem finem? n.11.
Reſerat nobis Cœlum. n.13.
Quid advertendum ſit Conferenti Baptiſmum in caſu neceſſitatis. n.14.

Quàm

Quàm graviter peccet exponens prolem periculo moriendi absqueBaptiſmo. n.15

Ad quid obliget quemcunqueChriſtianum. n.4.5.16.17.18.&c.

Quam Confuſionem ex eo percepturi ſint damnati in Inferno. n.19.

Illius Miniſter, materia, & forma. n.14.

Eidem renuntiat, qui frequentat laſciva ſpectacula. p.3.d.31.n.18.

*Beatitudo.*

Quanti æſtimanda ſit, cùm illius objectum ſit ipſe DEUS. p.2 d.19.n.2.

Quàm nihilominus vili pendatur à multis. n.3.

Ut nos ad æſtimationem illius DEUS excitaret, conceſſit nobis bona innumera ſuper terram. n.4.

Satiabit cor hominis. n.5.

Etſi hoc in cœleſti Patria plùs quàm naturali capacitate præditum ſit. n.6.

Modus beandi animam hic eſt, quòd Deus ſe intimè illi communicet. n.7.

Quam eo ipſo ad Sublimiſſimum ſtatum elevat. n.8.

Redundabit etiam in corpus dotibus glorioſis ornatum. n.9.

Quantum æſtimabilitatis eidem addat æternitas, qua duratura eſt. n.12.

Inſania peccatorum eandem contemnentium. n.12.

Pateſaciet ea nobis, quantum malum peccatum ſit. n.13.

Certanti conceditur, non deſidi. n.14.

In eam ingredi Juſtorum animæ recuſarent, niſi ab omni nævo mundatas ſe eſſe ſcirent. p.2.d.20.n.21.

*Beatus.*

Beatus quilibet in Cœlo felicior eſt, quàm miſeri ſint omnes damnati ſimul ſumpti in Inferno. p.2.d.19.n.10.

Felicitas cujuscunque augetur felicitate alterius. n.11.

*Beneficia Divina.*

Quàm malè iisdem reſpondeant Peccatores. p.1.d.8.n.13. p.2.d.14.n.7.8.

Vide *Ingratitudo.*

*Beſtiæ.*

Peccatoribus comparatæ. p.2. d.12.n.14. &c. p.2.d.1.n.12.

Propoſitæ hominibus, ut ab iis diſcerent normam vivendi. p.2.d.5.n.8.

Piæ erga parentes. p.2.d.20.n.15. p.1. d.16.n.9.

*Bilances.*

Figura ſunt actuum intellectûs & judicii. p.1.d.28.n.2. p.2.d.6.n.1.

Quantum aberrent à rectitudine in peccatoribus. p.2.d.6.n.1. p.2.d.19.n.12.

*Blaſphemare.*

Blaſphemare in adverſitatibus quàm malum ſignum ſit. p.2.d.14.n.9.10.

*Blaſphematores.*

Provinciarum perditio ſūt. p.1.d.8.n.115. p.1.d.19.n.6.

Neſcitur, an homines ſint, an potiùs Dæmones. p.3.d.32.n.17.

A Deo ſeverè puniti ibid. & p.1.d.8.n.11. 15.16,&c.

Corrigi debent, etſi nulla ſperetur ſecutura emendatio. p.1.d.19.n.11.

Quàm Deo ingrati ſint. p.1.d.8.n.12.13. p.2.d.2.n.16.

*Blaſphemia.*

Horrendum peccatum. p.1.d.8.n.1. &c.

Alia eſt conjuncta cum hæreſi, alia eſt ſimpliciter talis. n.3.4.

An ſit blaſphemia, dicere: per Dei Corpus. n.4.5.6.

Eſt omnium graviſſimum ſcelus, quod committi poſſit à Chriſtiano. n.7.
Ex objecto; quod eſt dehonoratio, ſeu vilipenſio Dei directè intenta. n.9.
Ex vilitate Blaſphemantis, ſeu inferentis hanc contumeliam, ejúsque ſummam ingratitudinem. n.10.
Ex peſſimis illius effectibus. n.14. &c.
Eſt ſignum reprobationis. n.16.
Oritur ab exigua æſtimatione Dei. n.18.
Et debili fide. n.20.
Secum invehit omnia vitia. n.22.
Origo eſt ingentium cladium, & interitûs integrarum urbium ac regionum. n.15. p.1. d.15 n.6.
Execrabilior eſt in ore hominis Chriſtiani, quàm ipſius Dæmonis. p.1. d.8. n.12.
Vitium eſt, quod facilè, & ſubitò in alios ſerpit. n.14.
Verè malitioſum. n.22.
Dignum, ut ab omnibus odio habeatur. n.15.22.
Quàm illud execretur ſacra Scriptura. n.1.
Differt ab imprecatione. n.2.

*Bona Cæleſtia.*

Vide *Beatitudo.*

*Bona Temporalia.*

Quomodo nobis à Deo ſperanda ſint. p.1. d.4. n.16. &c. p.2. d.12. n.13.
Quàm malè ſperentur obtinenda mediante Peccato. p.1. d.4. n.18. p.2. d.12. n.10.
Quàm malè à Dæmone. p.1. d.4. n.19. Vide *Proſperitas.*

*Bonitas Divina.*

Quomodo ſæpius contra eam, quàm contra Potentiā præcipuè aut Sapientiā peccetur. p.2. d.4. n.19.20. Vide *Miſericord.*

# C.

*Cæcitas Intellectûs.*

Quanta ſit in peccatore. p.1. d.1. n.6.
Eſt ſimul culpa & pœna. p.2. d.9. n.1. &c.
Modò in peccatore ſtultam ſpem generat, modò efficit, ut ſpem omnem deponat. n.3.
Illius, ut culpa eſt, cauſæ ſunt humana fragilitas. n.7.
Inconſideratio. n.3.
Paſſiones ſeu inclinationes perverſæ. n.10.
Præcipuè Laſcivia. n.10.
Illius, ut pœna eſt, cauſa eſt ipſe Deus, cujus inſpirationes Peccator neglexit. n.11. 12.
Eſt pœna juſtiſſima. n.12.
Et ſeveriſſima. n.13.
Cæcitas occaſionis eſt, quando DEUS nos in occaſionem peccandi devenire permittit. n.14.
Cæcitas permiſſionis eſt, quando Deus permittit, ut Dæmon nos excœcat. n.15.
Effectus utriusque iſtius Cæcitatis ſunt, non avertere, nec moveri miſero ſtatu, in quem peccator lapſus eſt. n.16.
Et in eadem mori, ibid. Vide *Ignorantia, Ira, Impudicitia.*

*Caligula.*

Vult ab Hæbreis adorari ut Deus. p.2. d.4. n.9.
Illius odium adverſus Populum Romanum. p.2. d.11. n.7.

*Carolus V.*

Quo honore affecerit Titianum. p.2. d.3. n.1

*Caſſanus.*

Caſſanus Tartarorum Rex convertitur ad fidem, dum filius ejus in ſacro Baptiſmate ex deformi in elegantem puerulum immutatur. p.3. d.5. n.9.

*Charitas.*

Secum trahit alias virtutes. p.1. d.7. n.17. Vide *Amor Dei.*

Cha-

*Charitas Fraterna.*

Vide *Amor Proximi.*

*Chorea.*

Vide *Saltus.*

*Chriſtianus.*

Quanti æſtimandus ſit propter fidem. p. 1. d. 3. n. 5. &c.

Quænam myſteria fidei neceſſariò callere debeat. n 10. p. 2. d. 4. n. 12.

Neceſſe eſt, ut ipſe fidem ſuam aliquoties periclitetur. n 16. &c.

Non ſufficit, ſi à malo declinet, niſi etiam bonum operetur. p. 3. d. 5. n. 16. &c.

Graviora ſunt peccata Chriſtiani, quàm infidelium ob tres rationes. n. 17. &c.

Quanto pudore conficiendus ſit in Inferno ob characterem ſibi in Baptiſmo impreſſum. n. 19.

Impudicitia in Chriſtiano præ omnibus aliis ſceleribus execrabilis eſt. p. 3. d. 5. n. 19. p. 3. d. 26. n. 6.

Quàm ingratum ſe exhibeat beneficiis à Deo acceptis, dum peccat. p. 2. d. 5. n. 2. &c.

Graviores pœnas in Inferno meretur quàm Ethnici ejusdem peccati cum ipſo Rei. p. 2. d. 5. n. 26. p. 2. d. 4. n. 21.

In quonam ab iis differat, dum peccat. p. 2. d. 5. n. 5.

A Chriſto præ aliis increpabitur in extremo judicio. n. 27.

Chriſtiani antiqui, quâ ratione dies feſtos tranſegerint. p. 1. d. 11. n. 22. &c.

Quoties ſe ſacra Synaxi refecerint. n. 24. p. 3. d. 9. n. 7.

Quàm abhorruerint à peccatis carnalibus. p. 3. d. 26. n. 6. 7.

Quàm averſati fuerint juramenta. p. 1. d. 10. n. 6. 7.

Mendacia. p. 1. d. 30. n. 12.

Quàm fugerint profana Spectacula & theatra. p. 3. d. 31. n. 1. 18. & 20.

Eorum inſignis fervor in pœnitentiis publicis & privatis. p. 3. d. 21. n. 8. 9.

Quamdiu pœnitentiam egerint pro quolibet gravi peccato? p. 3. d. 19. n. 14.

Quo rigore Quadrageſimale jejunium ſervaverint? p. 3. d. 20. n. 18.

Quanti Indulgentias æſtimarint? p. 2. d. 21. n. . o.

*Chriſtus.*

Cur dictus admirabilis? p. 2. d. 5. n. 1.

Quàm promptè pro nobis paſſus ſit. p. 2. d. 1. n. 9. &c. p. 2. d. 8. n. 14. p. 2. d. 19. n. 8. &c.

Quàm gravia tormenta ſuſtinuerit. p. 2. d. 21. n. 2. 3. p. 2. d. 8 n. 12. 13.

Plus nos amavit, quàm propriam vitam. n. 14. &c.

Plurimum ipſi debemus, quòd nos è ſervitute redemerit. n. 9. &c.

Et ob modum nos redimendi. n. 11. &c. p. 1. d. 6. n. 22.

Quàm malè eidem reſpondeamus. n. 16. p. 2. d. 5. n. 22. &c.

Venit in hunc Mundum, ut nobis via eſſet exemplo ſuo. p. 2. d 5. n. 3. 4. &c.

Veritas Doctrinâ. n. 10. 11. &c.

Vita Redemptione à peccato. n. 16. 17. &c.

Quanto majoris efficaciæ illius exempla fuerint, quàm aliorum. n. 6. 7. &c.

Quantum illius doctrina præceſſerit aliorum doctrinas. n. 11. 12. &c.

Quænam fuerit illius primaria intentio in tot laboribus & adverſitatibus. n. 21.

Quomodo à Peccatoribus iterum crucifigatur. n. 22. 23.

Illius corpus quàm tenerum fuerit. p. 2. d. 21. n. 2. &c. Vide *Corpus Chriſti.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quàm terribilis futurus ſit in judicio, p.2. d.17.n.4.1. &c.
Præcipuè ſceleratis Chriſtianis. p.2.d.5. n.27.
Apparens in ſomno alicui juveni, quantum ei terrorem incuſſerit. p.2.d.17,n.9.
Illius amor in inſtitutione SS. Euchariſtiæ. Vide *Euchariſtia.*
Quantam reverentiam in Eccleſiis Cœleſti Patri exhibeat. p.1,d.12.n.8.&c. p.3.d.4.n.12.
Quàm ardens in eo Zelus gloriæ Dei. n.16. p.2.d.21.n.8.
Ipſius amor erga ſanctiſſimam Matrem, p.3.d.34.n.6.
Adeſt in mortis articulo ſuis fidelibus. p.3. d.23.n.20.
Quantum nobis benefecerit inſtituendo SS. Sacramenta. n.21.p.3 d.5.n.1.
Dedit nobis exemplum honorandi Sacerdotes. p.3.d.24.n.4.
Quantum in manibus iſtorum ſe demittat. n.9.10.
Cur etiam ipſe ſanctiſſimum ſuum Corpus ſumpſerit in ultima Cœna. p.3.d.10.n.8.
Quantam fiduciam in eo tanquam Redemptore noſtro habere debeamus. p.1, d.4.n.4. p.1.d.12.n.14.15 &c.
Ipſe ſolus in terra eo horrore, quo dignum eſt, peccatum deteſtatus, p.1.d.21. n.8.
Ipſius ſingulare odium adverſus vitia carnis. p.1.d.23.n.13.
Quantum paſſus ſit transferendo in ſe peccata hominum. n.9.
Fuit à Patre non ſolùm tanquam peccator, ſed ut ipſum peccatum aſperrimè tractatus. n.16.
Primus detexit malitiam internorum peccatorum. p.1.d.31.n.3.
Noluit à Romanis inter Deos eorum adorari. p.1.d.7.n.8.
Meritis ſuis immenſum reddit theſaurum Indulgentiarum. p.3 d.21.n.5.6.

*S. Clemens.*

S. Clemens Anciranus quàm conſtans fuerit in amore DEI. p.1.d.7.n.7.

*Cœli.*

Eorum mirabilis magnitudo. p.2. d.3.n.3.

*Cogitatio.*

Cogitationes malæ à ſolo DEO Lege Divina prohibentur, quia ipſi ſoli perſpectæ ſunt. p.1,d.31.n.2.3.
Aliquando nos improvisò obruūt, aliquando oppugnant. n.1.
Ne iis obruamur, earum inſinuationibus ſedulò invigilandum eſt. n.5.6.
Præcipuè dum evigilamus. n.4.
Ut iis peccetur, non ſufficit, quòd menti incidant, niſi iis etiam immoremur & conſentiamus. n.5.6.19.
Peccatur iisdem tum per deſideria, tum per delectationem. n.7.
Quanta ignorantia ſit hujusmodi Cogitationes non curare. n.4.5.18.p.3.d.6. n.3.
Quando nos oppugnant, iis etiam poſitivè reſiſtendum eſt. p.1.d.31.n.9.
Idque celeriter. n.9.19.20.
Quod ſi fiat, nulla porro cura habenda eſt, ſi pertinaciùs perſiſtant. n.10.
Cæterùm reſiſtentia neceſſaria eſt, quantum ad præſens tempus, cùm peccata in cogitatione conſiſtentia terribiliſſima ſint propter facilitatem, qua perpetrantur. n.12.
Et propter numerum. n.13.
Qui animam paulatim inſenſibilem & incorrigibilem reddit. n.14.

Deinde etiam quantum ad tempus futurû, propter ingens periculum, quod in morte adducunt. n.15.16.
Quantam deſperationem in Inferno damnati habeant, dum ſe vident eò delapſos ob unicam cogitationem. n.20.
Quàm multò majoris malitiæ ſint in Eccleſia. p.3.d.4.n.20.

*Colloquia.*

Colloquia prava quantum obſint virtuti. p.1.d.21.n.6.7.

*Comœdia.*

Comœdiæ laſcivæ: Quàm acriter in eas invecti ſint SS. Patres. p.3.d.31.n.1.&c.
Reduci poſſunt ad tres ſpecies veneficii. n.2.
Amatorium, ob vim quam in ſe continent incitandi ad amorem laſcivum. n.3.4.
Hoſtile, ob maximam ſtragem animarum, quam edunt. n.5.6.&c.
Et Soporiferum, ob ſomnolentiam ſeu languorem, quem Auditoribus ingerunt, ne latentem malitiam agnoſcant. n.14.
Subminiſtrant arma inſenſiſſimis noſtris inimicis. n.5.6.&c.
In ijs plus quàm alibi falſa ſua dogmata Mundus confirmat, & roborat. n.5.
Sitim accendunt Carnalium voluptatum. n.6.
Concupiſcentiæ omne frœnum adimunt. n.7.
Vivaria ſunt Dæmonis. n.8.
Et ſchola publica omnis iniquitatis. n.9.10.&c.
Suaſæ omni ſtudio Gentilitati à Dæmone. n.12.
Quàm nullæ ſint excuſationes eorum, qui eas frequentant. n.14.15.
Et quàm ineptè Comœdias iſtas defendant. n.16.17.
Præcipuè diebus Feſtis. n.17.
Et tempore Quadrageſimæ. ibid.
Quàm iniquè ijs iraſcantur, quibus huiusmodi Comœdiæ non probantur. n.18.
Eas frequentare, eſt renunciare Baptiſmo. n.18.&c.
Quantum noceant maximè Juventuti. n.11.

*Communio.*

Communio neglecta ex reſpectu humano. p.1.d.11.n.24.
Quàm bonum ſit & conveniens, eam frequenter adire. p.3.d.9.n.1.2.&c.
Quàm utile. n.8.9.&c.
Præcipuè ijs, qui rebus carnalibus eximere ſe deſiderant. n.18.
Inanes rationes, quas nonnulli prætexunt, ut S. Synaxi abſtineant. n.13.14.&c.
Quàm peſſimum ſignum ſit, eam vilipendere. n.19.20.&c.
Fructus ipſius præcipuè pendet à bona diſpoſitione accedentis. p.3.d.8.n.23.&c.
Qualis hæc eſſe debeat. n.10.11.&c.
Quàm enorme ſit ad eam accedere cum Conſcientia peccati mortalis. p.3.d.10.n.12.&c.
Quàm ominoſum & ſummè noxium eam indignè ſumere. n.15.16.&c.
Vide *Euchariſtia.*

*Comici.*

Vide *Hiſtriones.*

*Commodum proprium.*

Etiam inter fratres diſcordias ſeminat. p.1.d.27.n.14.
Occaſio eſt, ut Matres ipſæ inducant filias ſuas ad peccatum. p.2.d.11.n.15. p.1.d.14.n.18. p.1.d.26.n.10. p.3.d.28.n.2. p.2.d.10.n.10.
Et ut Patres ad ſacros ordines promovere

filios ſatagant, quamvis indignos. p. 1. d.11.n.3. p.1.d.26.n.10.
Vide *Avaritia.*

*Concio.*

Vide *Verbum Dei.*

*Concionatores.*

Ex ſe vim nullam habent auditores ſuos convertendi, niſi Deus cooperetur. p.1. d.1.n.15.17.
Cur iſto tempore cum exiguo fructu dicant? p.1.d.2.n.1.2.&c.
Quæruntur illi potiùs, qui delectent, quàm qui doceant. n.10.

*Concupiſcentia.*

Quantum peccato roboretur. p.1.d.1.n.5. p.2.d.10.n.23. &c. p.3.d.16.n.14.
Etiam levi. p.2.d.22.n.12.&c.
Quantò robuſtior fiat laſcivis Comœdiis. p.3.d.31.n.6.7.&c.
Evadit inſatiabilis. p.2.d.10.n.12.
Minuitur adverſis. p.2.d.14.n.16.&c.

*Confeſſarius.*

Quantum & ſibi & Pœnitenti noceat, dum eum non corrigit. p.1.d.19.n.2.17.
Aut dum eum non obligat, ut vitet occaſiones proximas peccandi. p.3.d.15.n.11.12.
Ut reſtituat injuſtè poſſeſſa. p.3.d.17.n.14.
Pacem ineat etiam Chirographo firmatam. p.1.d.22.n.12.
*Confeſſarius probæ vitæ* quantum proſit moribundis. p.3.d.ult.n.9.
Nec tamen hic ſolus ſufficit. n.9.10. p.3.d. 1.n.12.
*Confeſſarius Prudens* plurimùm prodeſt magnis Peccatoribus. p.3.d.11.n.13. p.3.d.34.n.12.
Confeſſarii, qui parvas pœnitentias Injungunt, quærendi non ſunt. p.3.d.19.n.14.
Ii quærendi ſunt, qui juſti, non qui nimium faciles ſint. p.3. d.15. n.12. p.3. d.17. n.14.

*Confeſſio.*

Beneficium eſt, quod Deus vult à nobis ſingulariter agnoſci. p.3.d.11.n.1.&c.
Quantum in ea reluceat Omnipotentia Dei. n.3.4.&c.
Bonitas. n.7.&c.
Injuſtè à noñullis onus eſſe creditur. n.9.10.
Modica illa moleſtia, quæ ipſi ineſt, cedit in noſtram utilitatem. n.11. p.3.d 18. n.1.
Reſtituit animæ omnia bona amiſſa per peccatum. p. 2. d. 13. n. 6. p.3.d.11. n.14.
Cum augmento novæ gratiæ. n. 15. p.3. d.17.n.18.
Nec tamen ſemper extinguit pravas aſſuetudines contractas à Peccatore. p. 2.d. 10.n.7. p.3.d.18.n.10.&c. p.3.d.19. n.12.
Quàm grave malum ſit, in ea peccatum aliquod reticere. p.2.d.1.n.13. p.3.d.12. n.2.
Tum propter honorem, quem Peccator Deo deferet confitendo ſe reum. ibid.
Tum ob horem, qui Deo accreſceret peccatum remittenti. n.3.4.&c.
Quantum hoc ipſum noceat Peccatori ob ingentia commoda ex ſyncera Confeſſione oritura, quibus ſe ipſe ſpoliat. n.6. 7.8.9.
Et ingens periculum, cui ſe exponit. n.10.
Quænam ſint media ad ſuperandam iſtam difficultatem. n.10.&c.
Si grave accidit peccata confiteri, graviùs adhuc accidere deberet, ea in Confeſſione retiecre. n.12.13.

Quod

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quodnam Examen ad eam præmitti debeat?
Vide *Examen*.
Quis dolor?
Vide *Dolor*.
Quale propoſitum.
Vide *Propoſitum*.
Poſt lapſum in peccatum differenda non eſt. p.3.d.16.n.2.
Tum quia aliàs difficilior eſt Confeſſio. n.2. 3.4.&c.
Tum quia converſio minùs conſtans eſt. n. 12.13. &c.
Eam procraſtinando digni reddimur, ut Gratiam Dei perdamus, ne deinceps etiam confiteri poſſimus. n.19.20.
Signa bonæ Confeſſionis. p.3.d.17.n.1. 2. &c.
Excuſationes in ea adhiberi ſolitæ quàm malæ ſint. n.9.10.10.
Adhuc tamen pejores accuſationes aliorum. n.22.
Præcipuè Dei. n.13.
Confeſſarii. n.14.
Confeſſiones malè obitæ ſummæ pernicies ſunt Chriſtianorum. n.19.20. & p.1. d.5.n.3.&c.
Qui peccat fiduciâ Confeſſionis, duobus graviſſimis periculis ſe exponit, vel non bene confitendi. p.3.d.18.n.2.3. &c.
Vel etiam factâ ſyncerâ Confeſſione, tamen pereundi ob alia peccata, in quæ denuo labitur. n.10.11.&c.
Qui facilè relabitur, neceſſe eſt, quòd rarò bene confiteatur. p.1.d.5.n.16.p.2.d. 10.n.7.p.1.d.24.n.14. p.3.d.16.n.12. 13. &c, p.3.d.17.n.16.17.18.19.&c, p.3.d.22.n.3.4.&c,
Vide *Relapſus*.
Confeſſionem ipſi etiam Hæretici, qui eam reprobârunt, neceſſariam eſſe judicarunt. p.3.d.11.n.11.
Dilata uſque ad mortem, admodum incerta eſt. p.1.d.5.n.24. p.3.d.1.n.13.
Vide *Pœnitentia dilata*.
Quàm ſit conveniens eam præmittere ſumptioni S. Synaxis. p.3.d.25. n.5.
Indecens tamen eſt, immediatè antè quàm ſacram Euchariſtiam *Peccator* ſumpturus eſt, eam peragere, ſed aliquo tempore eam præmittere convenit. p.3. d.8. n.13.
An ſufficiat in neceſſitate loco Confeſſionis ante ſumptionem *S.* Euchariſtiæ elicere actum contritionis. p.3.d.10.n.14.


*Confirmatio.*


Armat Chriſtianum contra apertam vim, & dolos ſuorum hoſtium. p.3.d 6. n.1. 2. &c.
Inſignes Victoriæ per eam obtentæ. n.3.
Ipſius materia & forma. n.6.
Dies, quo ſuſcipimus hoc Sacramentum, idem nobis eſt, qui fuit Apoſtolis dies Pentecoſtes. n.7.
Differentia inter Sacramentum Baptiſmatis, & Confirmationis. n.8.
Ipſius effectus mirabiles dependent à bona diſpoſitione ſuſcipientis. n.9.
Non apparent, niſi ingruente occaſione. n.10.
Eſt neceſſaria ad perfectionem ſalutis. n.11.
Quare à ſolo Epiſcopo conferatur? n.11.
Quare frons cruce ſignetur? n.14.15.&c.
Et alii ritus adhibeantur. n.15.
Illam contemnere, grave peccatum eſt. n. 8.11.
Antichriſtus omni modo conabitur eam impedire. n.8.
Quem Zelum debeant adhibere Parentes circa filios ſuos. n.11.


Ro-

Roborat nos ad irriſiones & contumelias viriliter pro virtute, & fide ſuſtinendas. n.14.15.

*Confirmati.*

In Cœlo different à non Confirmatis. p. 3. d.6.n.11.

*Conformitas.*

Conformitas cum Divina voluntate non minuit pœnas animarum in purgantibus flammis detentarum. p.2.d.20.n.11.

*Conjux.*

Conjuges obedientiam præſtare debent ſuis Maritis. p.3.d.25.n.19.

Qua ratione eos amare, ac revereri debeant. n.24.

Si Conjuges malos nactæ ſunt, quomodo poſſint animum illorum ſibi devincire. p.1.d.19.n.16.p.3.d.26.n.20.p.1.d.20. n.11.16.30.

Vanitatem ſuam ſæpè hoc falſo titulo tegunt, quòd debeant placere oculis Conjugum ſuorum. p.3.d.30.n.6.

*Conſcientia.*

Cur remordeat poſt admiſſum peccatum. p.2.d.4.n.8.

Præcipuè in agone. p.3.d.ult.n.8.p.3.d.23. n.7.8.&c.

Quàm eo tempore angat Peccatores. ibid.

*Conſtantinus Magnus.*

Qua devotione Verbo Dei interfuerit. p.1. d.2.n.8.

*Conſuetudo.*

Nulla in malo excuſatio eſt. p.3.d.28.n.7.8 p.3.d.14.n.11.12.p.3.d.29.n.17.

Conſuetudo mala, bona conſuetudine pellitur. p.1.d.10.n.20.

*Contritio.*

Quantæ virtutis & efficaciæ ſit. p.1.d.1. n.16.p.3.d.13.n.6.

In quo differat ab attritione. p.3.d.13.n.5. 6.7.

*Converſatio.*

Converſationes nimis liberas prohibere, pietatis opus eſt, non crudelitatis. p.3. d.33.n.1.

Sunt peſtes animarum. n.1.2.&c.

Quia facilè inficiunt etiam innocentes n.4.5.

In aliis verò jam ſeductis vitia augent. n.6. &c.

Vix admittunt medicinam. n.9.

Sunt origo omnium malorum. n.10.

Iſtis ſublatis, non difficulter eradicantur alia vitia. n.11.

Converſatio, & familiaritas non quævis prohibetur, ſed qualis ferè ſemper eſſe ſolet nimis libera. n.12.

Oportet ſibi ab iis cavere, etſi durum accidat. n.13.14.&c.

Puellis præcipuè convenit eas vitare. p.1. d.15.n.7.8.12.13.&c. p.1.d.14.n.17. p.1.d.19.n.3.4.p.2.d.11.n.15.p.1. d.25.n.18.

*Cor.*

Cor humanum quàm inſatiabile. p.2.d.19. n.5.

Satiabitur in Cœlo. ibid.

Quàm obduretur peccato. p.2.d.10.n.1. 2.&c.p.3.d.ult.n.7.

Mundatur adverſitate. p.2.d.14.n.16.

Cur Deus id totum poſſidere cupiat, non contentus parte illius, quemadmodum Dæmon. p.3.d.33.n.14.p.1.d.7.n.8.

Deo ſoli patet. p.1.d.31.n.2.

*Corpus.*

Corpus in hoc Mundo infringit pœnas animæ. p.2.d.20.n.6.

Quanta paſſurum ſit in inferno. Vide *Infernus*.

Quan-

Quantis gaudiis fruiturum in Cœlo. Vide *Beatitudo.*
Quàm meritò operibus pœnitentiæ ab anima caſtigetur. p.3.d.18.n.8. p.3.d.20. n.12.
Nimiùm ei indulgere, malum indicium eſt. n.10.
Inſania, illud nimium ornare. p.3.d.30. n.1.31.32.&c.
Extrema unctione diſponitur ad gloriam, quam anima jam Beata ipſi poſt Reſurrectionem allatura eſt. p.3.d.23.n.6.

*Corpus Chriſti.*

Quàm tenerum fuerit. p.3.d.21.n.2. &c.
Hoc ipſum corpus omnes injurias ſuſtinuit, quæ Chriſto illatæ ſunt in hoc Mundo. p.2.d.4.n.6.
Quapropter vult Chriſtus, ut ſingulari honore & reverentia in templis afficiatur. ibid. & p.3.d.10.n.4.&c.
Primum locum obtinet in Sacra Euchariſtia. p.3.d.7.n.11. p.3.d.10.n.7.
Aliud eſt Corpus Chriſti verum, aliud myſticum. p.3.d.24.n.6.
Illud nominare per iram an ſit blaſphemia? p.1.d.8.n.4.5.
Quantæ ingratitudinis reus ſit, qui illud non reveretur. p.2.d.2.n.16.

*Correctio.*

Correctio Fraterna quàm rarò adhibeatur. p.1.d.19.n.1.
Ad eam præcipuè tenentur Parochi & Confeſſarii. n.2.17.
Ac Patres familias. n.3.
Præcipuè erga filias in periculo conſtitutas. n.4.
Non tamen etiam alii ab hac obligatione immunes ſunt. n.6.7.
Maximè in aliquibus caſibus. ibid.
Circumſtantiæ, in quibus obligat hoc præceptum, tenent ſe ex parte peccati, & peccatoris. n.8.
Peccatum debet eſſe culpa gravis, iterabilis, & manifeſta. n.8.
Non debet nimiùm in aliorum defectus inquiri, ut corrigantur. ibid.
Peccator ille corrigendus eſt, qui necdum pœnitentiam egit. n.9.
Et qui non ſit incorrigibilis. ibid.
Nec tamen nimis citò deponenda ſpes eſt futuræ in ipſo emendationis. n.10.
Blaſphematores, etſi ſpes nulla effulgeat emendationis, tamen corripiendi ſunt. n.11.
Modus utiliter corrigendi induſtriam exigit, videlicet ut attendamus ad locum & tempus opportunum. n.13.
Adhibenda ſunt verba, quæ non exaſperent. n.14.
In quo maximè cura adhibenda Parentibus eſt circa filios ſuos. n.15.
Attendere etiam debent in hoc Uxores circa Maritos. n.16.
Induſtriæ jungenda eſt vis & efficacia. n.17.
Ad hunc finem obtinendum multùm juvat, ſi correctioni bona exempla jungantur. n.18.
Quàm deteſtabile ſit, eam ægro animo ſuſcipere. n.19.

*Creatio.*

Eſt actio ſolius Dei propria. p.2.d.2.n.2. &c.
Quantum manifeſtet illius magnitudinem. p.2.d.3.n.3. &c.
Obligat nos ad ſummam gratitudinem. p.2.d.2.n.2.

*Creatura.*

Creaturæ tum exiſtentes actu, tum poſſibiles quantum manifeſtent magnitudinem DEI. p.2.d.3.n.13.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quàm promptæ ſint ad omnem illius vocem, p.2.d.3.n.7.
Quàm cupidæ vindicandi injurias creatori illatas. p.2 d.3.n.10.
Unitæ Deo nec minimum ipſi perfectionis addunt. p.2.d.3.n.14.
Quomodo inſurrecturæ ſint contra peccatores in die judicii. p.2.d.17.n.3.&c.
Qua ratione eodem die renovandæ ſint. n.8.
Dependent à Deo cum ſumma ſubjectione non tantùm eſſentiali, ſed omnino indiſpenſabili, ſeu inſolubili, p.2.d.2.n.4.

*Crux.*

Quàm acerbum ſupplicium fuerit, p.2.d.21.n.15.

*Curioſitas.*

Quàm noxia Caſtitati. p.1.d.14.n.14.p.3.d.31.n.7.

D.

*Dæmon.*

Ante omnia nititur impedire fructum, qui percipitur ex Verbo Dei. p.1.d.2.n.2.
Dedecet eidem in ira maledicere. p.1.d.9.n.14.
Quàm abominabile ſit illius nomen in ore Parentum. p.1.d.9.n.18.p.1.d.14.n.8.13.
Nunquam cum eo ineundum commercium etiam minimum. p.1.d.4.n.19.20.21.
Quàm falsò bonorum iſtius terræ ſe Dominum jactet. p.2.d.9.n.15.
Diu famulatur avaro ſub figura Simiæ. p.2.d.13.n.12.
Quantâ aſtutiâ uſus ſit in tentando Adamo. p.2.d.16.n.7.8.
Quanta illius vafrities in decipiendo quolibet peccatore. p.3.d.18.n.13.14.
Decipit & prodit in ſe confidentes. p.1.d.4.n.19.20.21.
Quantum incitet ad impudicitiam. p.1.d.24.n.12.
Amat eam, & ſimul averſatur, p.1.d.23.n.14.
Magni facit Virginitatem, etſi odio habeat, p.1.d.25.n.11.
Nunquam plus lucratur, quàm dum nos tentat tentationibus internis, ſeu cogitationibus. p.1.d.31.n.13.
Ab initio parum poſtulat. p.3.d.27.n.17. p.3.d.18.n.13. p.3.d.33.n.14.15.
Inſidiatur ante omnia Sacramento Pœnitentiæ. p.3.d.17.n.1. p.3.d.13.n.13.
Vehementiùs aggreditur relapſos in peccatum. p.3.d.22.n.9.
Aliquos non tentat, quos certò jam ſcit, ſibi in prædam ceſſuros. p.3.d.31.n.14.
Vehementiſſimè nobis inſidiatur in articulo mortis. p.1.d.31.n.15.p.3.d.23.n.15.19.
Multitudine tentationum. n.16.
Earum vehementiâ & gravitate. n.17.
Malitiâ. n.18.
Pellitur Sacramento Extremæ Unctionis. n.20.
Cur contentus ſit parte humani cordis, cùm Deus id ſibi totum expetat. p.1.d.7.n.8. p.3.d.33.n.14.
Pauca largitur, ut multa obtineat. p.1.d.4.n.21.
Vult Deo præferri, nec contentus eſt, ſi ei æquiparetur. p.1.d.11.n.1.
Sibi vendicare nititur Eccleſias Deo dicatas. n.2.3.&c. & p.3.d.31.n.17.
Plurimùm gaudet, dum alii doctrinâ Chriſtianâ non imbuuntur. n.5.
Cur dicatur Aſmodeus. p.1.d.23.n.15.
Cur Beelzebub. p.2.d.6.n.9.

Omni

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Omni conatu promovet amores. p.3.d.28. n.19.
Saltus. p.2.d.19.n.8.9. &c.
Laſcivas Comœdias. p.3.d.31.n.12.
Quantum robur ex his ipſi accedat. n. 8.
Incitat ad vindictam. p.1.d.22.n.29.
Thus adolet laſcivis picturis. p. 3. d.30. n.13.
Illius retia ſunt feminæ laſcivè comptæ. n.13.17.
In Dæmonem transformatur, quicunque mortale peccatum admittit. p.2. d. 15. n.19. p.2.d. 8.n.17.
Dæmone etiam pejor eſt omnis ſeductor. p.1.d.21.n.20.

*Damnati.*

Quàm Cupidi Videndi Deum. p. 2. d. 18. n.15.p.2.d.20.n.11.
Quantam gloriam Deo etiam nolentes afferant cum ſumma ſua confuſione. p.2.d. 18.n.4.
Eorum Pœnæ.
Vide *Infernus.*
Quomodo DEUS omnem eorum memoriam depoſiturus ſit. p.2. d.1.n.22.

*Damnum.*

Pœna Damni qualis & quanta ſit in Inferno. p.2.d.18.n.14. &c.
Qualis & quanta in Purgatorio. p.2.d.20. n.8.

*Delectatio.*

Delectatio moroſa Quid ſit? p.1.d.31.n.7. 12.p.3.d.16.n.3.
Cur ita vocetur. p.1.d.31.n.12.

*Deſiderium.*

Non adimpletum quantum affligat. p.2. d.20.n.11.
Deſiderium malum peccatum eſt, etſi opere externo non compleatur. p. 1. d.31. n.3.4.&c.
Vide *Cogitatio.*

*Detractio.*

Vide *Murmuratio.*

*Detractor.*

Vide *Murmurator.*

*Devotio.*

Erga Angelum Cuſtodem quænam vera ſit? p.3.d.35.n.9.10.
Quantum lucri ex ea nobis accedat. n. 20.
Devotio erga Sanctos quænam vera ſit.p.3. d.35.n.2.3.&c.
Quàm utilis. n.11.12.&c.
Devotio erga B. V. quænam vera ſit. p.3. d.34.n.3.4.&c.
Quantum juvet. n.7.8.&c.
Num proſit etiam in ſtatu peccati. n.10. 11.&c.
Vide *MARIA Virgo.*

*DEUS.*

Non vult nos ipſe docere immediatè, ſed per Miniſtros ſuos. p.1.d.1.n.9.
Quantum ei res noſtræ cordi ſint. p.1.d.4. n.3.4.&c. p.1.d.27.n.4. p.1.d.20. n.23.
Aliquando graviùs punit injurias Proximo illatas, quàm ſibi ipſi. p.1.d.21.n.17.
Vult amari ſuper omnia. p.1.d.7.n.2.3.&c.
A Peccatore vera injuria ipſi infertur, eáque graviſſima. p.2.d.1.n.1.&c. p.2. d.2.n.1. p.2.d.3.n.17.&c. p.2.d.4. n.15.&c.p.2.d.5.n.22.&c. p.2.d.6.n.9. &c. p.2.d.7.n.9.
Quantum Dominium in nos ei competat quà Creatori. p.2.d.2.n.2.&c.
Quantum habeat quà Redemptor. p.2.d.2. n.9.&c.
Quà DEUS. p.2.d.3.n.1.2.&c.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dignum eſt, ut de DEO ſæpè loquamur, etſi non poſſimus pro dignitate. p. 2. d.3.n.2.

Ejus excellentia elucet in productione Mundi ex nihilo. n.3.

Et quod poſſit producere etiam alium pariter ex nihilo. n.4.

Elucet eodem modo, quòd operetur abſque inſtrumentis. n.5.

Et hoc in momento. n.7.

Quòd operetur ſine defatigatione. n.8.

Ex obedientia, quam ei exhibent omnes creaturæ. n.9.10.11.

Ex creaturis poſſibilibus. n.12.

Quòd nullâ creaturâ indigeat. n.13.

Quòd ex omnibus creaturis nihil ipſi novæ perfectionis accedat. n.14.

Quòd infinitè ſuperet, quidquid de eo concipitur. n.15.

Eſt unicus ex Eſſentia. p.1.d.7.n.8. p.2. d.4.n.3.

Cognoſcitur à nobis per Creaturas, quamvis imperfectè. n.10.

Non cognoſcimus eum, in quantum eſt Trinus, & unus, niſi per revelationes fidei. n.10.11.

Explicatur, in quo conſiſtat hoc magnum Myſterium. n.12.13.&c.

Quomodo Peccator ſumma temeritate adverſus eum inſurgat. n.14.15.&c.

Quanto odio peccatum proſequatur, & propter Peccatores. p.2.d.1.n.22. p.2. d.29.n.18.

Odit in Peccatore ſolum peccatum. p.2. d.7.n.7.&c.

Non poteſt non odiſſe peccatum. p.2.d.1. n.5.&c, p.2.d.6.n.3.&c.

Proſequitur illud odio eſſentiali. n.4.

Infinito. n.5.

Æterno. n.6.

Immutabili. n.6.

Et unico. n.7.

Idque tam fatali odio proſequitur, quia ſe ipſum perfectiſſimè amat. n. 8. &c.

Et quia ſummè amat animam Peccatoris. n.15.

Punit invitus. p.2.d.7.n.1.&c.

Cum amore. n.7.8.

Minus merito. n.11.& p.2.d.18.n.14.

Graviora ſupplicia præcedentibus ſignis præmonſtrat. p.2.d.17.n.2.

Eſt vita Animæ. p.2.d.11.n.6.7.

Ardentiſſimè cupit nobis benefacere. p.3. d3.n.10.

Immittit proſpera & adverſa. p. 2. d.14. n.2.

Et hæc omnia ad majorem ſuam gloriam. n.3.

Et utilitatem noſtram. n.4.5.&c.

Liberalius remuneratur, quàm plectit. p.2.d.19.n.10.

Quot media adhibeat, ut cor Peccatoris lucretur. p.2.d.14.n.2.3.&c. p.2.d.9.n. 11.&c.

Qua ratione dicatur Peccatorem excæcare. p.2.d.9.n.11.&c.

Obdurare. p.2.d.10.n.15.

Semper præſens adeſt peccanti. p.2.d.1. n.10.&c. p.2.d.4.n.16.17.&c.

Oſtendit ſingulariter ſuam Bonitatem & Omnipotentiam in Confeſſione. p.3.d. 11.n.12.&c.

Videt iniquitates noſtras in ſua Divina Eſſentia. n.18.

Habitat in Eccleſiis ſingulari modo. p.3. d.4.n.5.

Quare culpam condonans non ſemper cum ea remittat etiam reatum pœnæ. p.2.d. 19.n.2.3.4.&c.

Cur contentus non ſit parte cordis noſtri, quemadmodum Dæmon, ſed totum id ſibi expetat. p.1.d.7.n.8.p.3.d.33.n.14.


Diſſ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Diffidentia.*

Diffidere DEO quàm dedeceat hominem Chriſtianum. p.1.d.4.n.8.9.16.17.
Unde oriatur. n.17.

*Dilectio Inimicorum.*

Vide *Pax*, *Inimicus*, *&c.*

*Dives.*

Divites à DEO ſunt conſtituti in gratiam Pauperum. p.2.d.14.n.5.
Interim iſtos mille modis affligunt. p.1.d.26.n.5.p.1.d.18.n.6.
Quàm obligentur, ut de ſuperfluis ſuis divitiis eleemoſynas largiantur. p.1.d.17.n.8.9.10.&c.
Vivunt in ſumma ignorantia iſtius obligationis. n.2.14.
Non ſunt abſoluti Domini ſuarum rerum. n.30.
Non decet, ut pauperes ad Deum remittant, quos ad eoſdem Deus miſit, ut iis benefacerent. p.1.d.18.n.5.
Dum his eleemoſynam largiuntur, ſibi perſuadeant, plus ſe accipere, quàm dare. n.8.
Malis verbis eoſdem accipere non debent. n.9.
Nec nimiùm examinare eorum neceſſitates. n.10.11.
Nec ſolùm liberali manu ijsdem ſuccurrere convenit, ſed etiam animo compati. n.13.
Idque propter Chriſtum. n.14.15.&c.
Nec omnem fiduciam ponant in eleemoſynis factis pauperibus conſanguineis. n.19.
Magnam prudentiam eſſe judicant, divitias congregare. p.1.d.26.n.7.
Quot peccatorum cauſa ſint poteſtate ſua, quam in plebem exercent. n.9.
Plus iis timendum eſt, qui diverſis artibus divitias ſibi compararunt, quàm qui divites nati ſunt. n.15.
Exiguum fructum referre ſolent è verbo DEI. n.14.
Eos quærunt Confeſſarios, qui ſibi moleſti non ſint. n.15.
Quomodo ſe de ſalute ſua certos reddere debeant, qui plùs æquo divitias amant. n.22.23.
Divites mendaces quinam ſint. p.1. d.27. n.16.

*Doctores Sacri.*

Quanti æſtimandi ſint. p.1.d.5.n.3.

*Doctrina Chriſtiana.*

In Eccleſiâ non ſine ſummo animarum damno negligitur. p.1.d.3.n.10.11.
Plaudente Dæmone. p.1.d.14.n.5.
Eam exponere filiis ſuis tenentur Patres & Matres. n.3.
Aut eò filios mittere, ubi hæc traditur & explicatur. n.4.& p.1.d.3.n.11.
Quàm neceſſaria ſit eius auditio. p.1.d.11. n.23.

*Doctrina Chriſti.*

Quàm æſtimabilis. p.2.d.5.n.10.&c.
Quàm parvi habeatur à Peccatoribus. n.14.&c.

*Dolor.*

Dolores Chriſti cur dicantur ſimiles fuiſſe doloribus Inferni. p.2.d.21.n.17.18.19.
Eorum acerbitas unde orta ſit. Vide *Paſſio.*
*Dolor de peccatis*, alius eſt in parte ſuperiore animæ, alius in inferiore. p.3.d.13. n.2.
Prior tantùm ad Confeſſionem neceſſariò requiritur. ibid.
Tamen opus eſt, ut non tantùm naturalis, ſed ſupernaturalis ſit. n.3.

Supernaturalis dividitur in perfectum, & imperfectum. n.4.5.&c. p.3.d.18.n.5.
Imperfectus (qui elicitur ex timore pœnarum, quas Deus minitatur) ſufficit, dummodo includat abominationem peccati. p.3.d.13.n.4.
Perfectus (qui elicitur ex ſola diſplicentia ob offenſum Deum) quantò præſtantior ſit imperfecto. n.5.6.7.
In quo conveniant duo iſti dolores, & in quo differant? ibid.
Dolor peccatorum ſummè neceſſarius eſt ad Confeſſionem, nec unquam poteſt omitti. n.8. & p.3.d.18.n.1.
In quibus hominibus difficiliùs inveniatur? p.3.d.13.n.9.
Quæ media ſint, ad eum à Deo obtinendum. n.10.11.
Non ſufficit eum deſiderare, ſed requiritur, ut actu adſit. n.12.
Quid nos ab eo impediat. n.13.
Indicia veri doloris deſumi debent ex cogitationibus, verbis & operus. p.3.d.17. n.2.3.&c.
Qualia ſint hæc ſigna? ibid. & p.1.d.15. n.16.17.

*Dominium Divinum.*

Quantum ſit in creaturas? p.2.d.2.n.1.&c. p.2.d.3.n.1.&c.

*Durities Cordis.*

Vide *Obſtinatio.*

E.

*Eccleſia.*

Quare dicatur Mater ſuorum fidelium? p.1. d.1.n.1.
Eccleſiæ ſunt emporium Paradiſi, ubi præcipuum commercium inſtituitur inter Deum & homines. p.3.d.4.n.1.
Earum finis primarius eſt, ut ibi Deo tributum reverentiæ, & debiti cultus deferatur. n.2.
Et religionis. n.4.
Quia ibi ſpeciali modo Deus habitat. n.4.
Quia Chriſtus ibidem exiſtit in SS. Sacramento. n.5.
Et exiſtit quidem eo in loco, ut injuriæ, quas in terris ſuſtinuit, ſpeciali honoris exhibitione aboleantur. n.6.
Quàm nihilominus in iis dehonoretur. n 6.&c.
Actionibus externis. n.8.&c.
Et cogitationibus internis. n.11.20.
Tantò pejoribus, quòd è diametro adverſentur honori, & venerationi, quam in Eccleſia Chriſtus Patri ſuo cœleſti exhibet. n.12.
Finis Eccleſiarum ſecundarius eſt, ut in iis obtineamus à Deo dona gratiarum, n.13.
Ibi Deus ſe multò liberaliorem, quàm alibi exhibet. n.13.
Etſi ſæpè ob irreverentias in iis commiſſas, gratias ſuas petentibus neget. n.14.
Imò ſeverè nos puniat. n.15.
Chriſtus ſpecialem zelum præ ſe fert erga Eccleſias. n.16.
Quàm exiguam iis reverentiam præſtent moderni Chriſtiani. n.18.&c. & p.1. d.11.n.19.
Peccata in Eccleſia commiſſa graviora ſunt aliis. p.3.d.4.n.19.
Vide *Miſſæ Sacrificium.*

*Eccleſiaſtici.*

Quo modo etiam ipſi ſubverti ſe ſinant ab avaritia. p.1.d.26.n.11.
Sunt dignior pars Regni Chriſti in terra, p.3.d.24.n.1.
Vide *Ordo Sacer.*

*Educatio.*

Educatio bona quantum conducat ad bonum filiorum. p.1.d.13.n.1.2.&c.
Eſt vera methodus reformādi univerſū. n.3.

Primæ

Primæ ſtatim pueritiæ adhibenda eſt. n. 6.9.
Quàm Deus eam ſibi cordi eſſe oſtenderit. p.1.d.14.n.2.
Quàm carò conſtet Parentibus eam negligentibus. n.20.p.1.d.13.n.8.
Errores in ea committi ſoliti fuſè annotantur. n.9.10.11.p.1.d.14.n.3.4.&c. p.1.d.15.n.2.3.&c. p.3.d.31.n.11.p.1.d.19.n.3.4.
Præ hac omnis alia cura deponenda eſt. p.1.d.19.n.5.

*Electi.*

An plures ſint, quàm Reprobi? p.1.d.5.n.1.&c.

*Electio Statûs.*

Electio Statûs filiorum libertati relinquenda eſt. p.1.d.15.n.2.3.4.&c.
Nec tamen in ea filii negligere debent conſilia Parentum. n.6.& p.1.d.16.n.8.

*Eleemoſyna.*

Alia eſt de conſilio, alia de præcepto. p.1.d.17.n.1.2.&c.
Præcepta, cadit ſub legem naturæ. n.2.
Sub legem Divinam. n.3.
Evangelicam. n.4.
Nihilominus vix creditur ab hominibus. n.2.14.
Non potuit non præcipi. n.5.6.
Qui eam non adimplet, injuriam infert Providentiæ DEI. n.5.
Atque illius ſupremo Dominio. n.6.
Injuriam infert Pauperibus. n.7.
Ut dignoſcatur, quando, & quantum obliget hoc præceptum, attendendum eſt, tum ad ſuperfluitatem bonorum Divitis, tum ad neceſſitatem Mendici. n.8.9.10.&c.
Ab aliquibus nunquam minùs obſervatur, quàm cùm ad eam maximè obligantur. n.14.
Ad eleemoſynam, quæ eſt de Conſilio, invitat nos præmium temporale, promiſſum à DEO in hoc Mundo. n.15.16.17.&c.
Magìs tamen adhuc præmium ſpirituale. n.21.22.&c.
Ejuſmodi præmiis magna ex parte ſe privat, qui elargiri eleemoſynam differt in finem vitæ. n.24.25.&c.
Illius negligentia in Divitibus aliundè provenire non poteſt, quàm ex defectu fidei. n.27.28.29.&c.p.1.d.18.n.13.
In eroganda ſtipe minùs difficiles pauperes, quàm divites eſſe ſolent. p.2.d.14.n.11.12.
Non eſt intermittenda ex vano timore, ne in egeſtatem deveniamus. p.1.d.17.n.18.p.1.d.18.n.12.
Nec ex timore, ne eam largiamur fictis tantùm pauperibus. p.1.d.18.n.10.11.
Cur Sacrificio comparetur. p.1.d.18.n.17.
Cur Baptiſmo. p.1.d.17.n.23.
Differt à reſtitutione. p.1.d.27.n.22.

*Eleemoſyna ſpiritualis.*

In quonam ſuperet corporalem. p.1.d.17.n.17.

*Eleemoſynarii.*

Eleemoſynarii veri, ex quibus ſignis agnoſcantur. p.1.d.18.n.1.2.3.&c.
Non eſt miraculum, ſed debitum, quod DEUS iis abundanter in omnibus proſpiciat. p.1.d.17.n.17.
Vide *Pauperes. Divites*, *&c.*
Eleemoſynarii falſi ſunt, qui mutuum præſtant Pauperibus cum uſura. p.1.d.18.n.6.p.1.d.26.n.6.
Et illi, qui aliis nihil erogant, quàm Conſanguineis. p.1.d.18.n.19.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Eva.*

Quomodo in peccatum inducta? p.2.d.16. n.7.&c.
Graviùs peccavit Adamo. n.18.
Qua ratione eundem ſubverterit. p.1.d.21. n.6.

*Euchariſtia.*

Ejus inſtitutio quàm manifeſtet amorem JESU erga nos. p.3.d.[illegible].n.1.2.&c.
Ob dona, quæ nobis in illa largitur. n.4.5.&c.
Conjuncta verbis ſummum amorem ſpirantibus. n.7.
Ob injurias, & irreverentias, quas pro nobis ſub ſpeciebus Euchariſticis exiſtens ſuſtinet. n.10.11.12.&c.
Ob finem in ea intentum, ut toti transformaremur in ipſum. n.18.
Adſcribitur ſpecialiter amori, etſi in ejus inſtitutione omnia alia Attributa DEI concurrerint. n.20.
Execrabiliores reddit impudicitias in homine Chriſtiano. n.19.
Quàm malè à nobis huic ſummo amori reſpondeatur n.21.
Quàm ſtupendum ſit, quòd nos non prorſus Divinos efficiat. p.3.d.8.n.1.
Efficeret hoc, ſi præmiſſâ debita præparatione ad eam ſumendam accederemus. n.2.&c.
Comparatio illius cum cibo humano. n.3.&c.
Quàm exiguum fructum ferat in plurimis Chriſtianis. n.7.
Qua de cauſa. n.7.
Ut dignè ſumatur, accedendum eſt cum Fide viva. n.10.
Fide practicâ. n.11.
Eo timore, quem Angeli ibi præſentes præferunt. n.12.
Nec ſolùm externo, ſed interno. n.13.14.15.
Denique cum amore appretiativo & affectivo. n.16.
Ex quo oriatur deſiderium ardentiſſimum eam ſumendi. n.17.
Abuſus eorum, qui ad S. Synaxin acceſſuri immediatè ante illius ſumptionem Confeſſionem peragunt. n.13.
Et qui poſt ejus ſumptionem ſtatim diſcedunt gratiis nondum perſolutis. n.18.

*Euchariſtiæ frequens uſus.*

Sæpè ſe eâ reficere oportet. p.3.d.9.n.1.2.&c.
Tum quia ſic Chriſto placet, qui ardentiſſimè iſtud deſiderat. n.2.3.&c.
Tum ut nos conformemus ſenſui Eccleſiæ ad hoc nos exhortantis. n.6.7.
Tum ne anima noſtra plurimis bonis privetur, quæ inde eſſet perceptura. n.8.9.10.&c.
Quinam ſint ii, qui omnium ſæpiſſimè intermittunt ſe eâ reficere. n.13.14.
Rejiciuntur inanes illorum excuſationes. n.14.15.&c.
Quid agere oporteat homines ſenſui & carni deditos circa uſum frequentiorem iſtius Sacramenti. n.18.
Quàm malum indicium ſit ab illius Sumptione abhorrere. n.19.20.&c.

*Euchariſtiæ abuſus.*

Quanta enormitas ſit ad eam accedere in ſtatu peccati mortalis. p.3.d.10.n.1.2.&c.
Tum quia Chriſtus Dominus graviſſimè offenditur. n.3.
Tum quia maximè adverſatur fini à Chriſto intento, ut ſcilicet in hoc Sacramento

ro magìs quàm alibi honoretur, n.4. 5. &c. & p.3.d.4.n.6.
Quid ſit in eodem corde Chriſtum velle recipere,& peccatū. p.3.d.10.n.9.10 &c.
Ejuſmodi temeraria actio æquè ſacrilega eſt, quàm fuerit actio eorum, qui Chriſtum in Crucem egerunt. n.13.
Imò etiam ſuperat. ibid.
Quænam damna inferat Sacrilega Communio. n.15.16.17.&c.
Sunt clariſſima ſigna reprobationis. n. 20.
Quantum hujusmodi Communiones Cœlitibus diſpliceant. n.22.

*Eulogius.*

Eulogius lapicida, & ejus mirabilis caſus, p.2.d.14.n.16.

*S. Euphraſia.*

Stratagemate Virginitatem ſervat. p. 1. d.25.n.6 7.

*Examen.*

Quale examen præmitti Confeſſioni debeat. p.3.d.16.n.2.
Quò magìs Confeſſio differtur, eò minùs bene & difficiliùs inſtituitur. n.3.4.
Negligitur à multis. p 1.d.5.n.12.
Præcipuè circa peccata omiſſionis. n.13.

*Excuſatio.*

Excuſare malum, cùm negare non potes, id perpetrâſſe, indicium eſt exigui doloris. p.3 d.17.n.9.10.

*Exempla bona.*

Quanto fiét verbis efficaciora p.1.d.14.n.11.
Præcipuè in Parentibus reſpectu filiorum. n.11.12 13.
Quam vim habeant, ſi iis inſuper adhortationes jungantur. p.1.d.2 .n.6.

*Exempla prava.*

Exempla prava ſubitò imitamur p.1.d.21. n.3.4.&c.

Sunt animarum pernicies. ibid. & p. 3. d. 21.n.6.

*Exemplum Chriſti.*

Quàm nobis neceſſarium fuerit. p. 2. d. 5. n.3.4.
Quàm efficax. n.5.
Non potuit ab eo exhiberi in illis virtutibus, quæ imperfectionem ſupponunt. p.3.d.35.n.4.

*Exempla Sanctorum.*

Cur præter exemplum Chriſti adhuc requirerentur. p.3.d.35.n.2.3.&c.
Quantam vim habeant nos animandi. n. 6.

*Exemplum.*

Efficaciæ, quam habet Verbum DEI, ſeu Concio. p.1.d.1.n.16.p.1.d.22 n.5.
Contritionis admirandæ. p.1. d.1. n.16. p.3.d.13.n.6.
Miſericordiæ DEI. p.1.d.1.n.16.
Ultionis Divinæ ob Verbum DEI neglectum. p.1.d.2.n.5.
Patientiæ in eo audiendo. n.8.
Veritatis fidei noſtræ. p.1.d.3.n.3.
Pœnæ à DEO inflictæ ob fiduciam in Superſtitionibus Diabolicis poſitam. p. 1. d.4.n.20.
Blaſphematorum ſeverè punitorum. p. 1. d.8.n.11.20.p.3.d.32.n.17.
Imprecationum pauperum à DEO exauditarum. p.1 d.9.n.3.
Imprecationum Matrum contra liberos ſuos. p.1.d.9.n.8.9. p.1.d.14.n.8.
Filiorum perverſam loquendi libertatem à Parentibus addiſcentium.p.1.d.14.n.13.
Et peſſima exempla. n.15.
Perjurii à DEO ſeverè puniti. p 1. d. 10. n. 5.p.1.d.25.n.14.
Laboris ſervilis diebus feſtis exerciti à Deo caſtigati. p.1.d.11.n.10.
Miſſæ Sacrificii, & illius ingentis virtutis. p.1.d.12.n.4.

Quantum conferat adverſus tentationes. p. 1.d.12.n.17.
Educationis, quantum ab ea dependeat. p.1.d.13.n.4.5.13.p.1.d.14.n.14 15.
Patris ad inferos damnati ob educationem neglectam. p.1.d.13.n.8.
Quantum debeat Infernus Parochis negligentibus in inſtituendis ſuis Parochianis. p.1.d.14.n.5.
Inceſtûs ſeverè à Deo puniti. p.1.d.13.n.13.
Pœnæ Parentum filiis libertatem negantium in contrahendo matrimonio, & filiorum ſpernentium conſilia ſuorum Parentum. p.1.d.15.n.6.
Damni, quod inferunt puellis amatoriæ levitates. p.1.d.15.n.11.
Irreverentiæ Parentibus exhibitæ ſeverè caſtigatæ. p.1.d.15.n.6.
Supplicii negligentium Parentibus ſubvenire, cùm poſſent. p.1.d.16.n.11.
Utilitatis ex Eleemoſyna provenientis. p.1.d.17.n.19.p.2.d.9.n.13.
Eleemoſynæ majore facilitate à pauperibus erogatæ, quàm à Divitibus. p.2.d.14.n.16.
Veniæ & pacis heroico actu conceſſæ. p.1.d.20.n.20.
Diſcrimen, quod in ſe experitur, qui eam largitur, ab eo qui veniam negat. p.1.d.22.n.5.
Ultionis Divinæ ob veniam negatam. p.1.d.22.n.26.
Præmii à DEO conceſſi ob veniam inimico datam. p.1.d.22.n.30.
Quam vim impellendi habeat laſcivus veſtitus, ut in peccata relabamur. p.1.d.24.n.10.p.1.d.31.n.16.
Virginitatis generoſa morte ſervatæ. p.1.d.25.n.7.
Avari Divitis à Deo caſtigati. p.1.d.26.n.17.
Injuſtorum hæredum à DEO punitorum. p.1.d.27.n.28.
Supplicii eorum, qui temerariè judicant. p.1.d.28.n.12.
Animi fatali odio pleni. p.1.d.22.n.5.
Quàm difficile accidat, famam ablatam reſtituere. p.1.d.29.n.25.
Quàm multò plùs utilitatis afferat veritas in venditionibus adhibita, quàm mendacium. p.1.d.30.n.10.
Quàm horruerint mendacium antiqui Chriſtiani. p.1.d.30.n.12.
Quid efficiat unica mala cogitatio in articulo mortis. p.2.d.31.n.16.p.3.d.16.n.17.
Pœnæ irrogatæ, peccata in Confeſſione reticentibus. p.3.d.12.n.9.p.1.d.30.n.3.
Stupendi conjugalis amoris cujuſdam Reginæ. p.2.d.5.n.19.
Ingratitudinis execrandæ erga Benefactores. p.2.d.5.n.25.p.2.d.14.n.8.
Conjugis malè habitæ à ſuo marito. p.2.d.6.n.16.
Juvenis obſtinati ad admonitiones à defuncto Parente ſibi factas. p.2.d.9.n10.
Amantium miſerè pereuntium. p.2.d.10.n.16.p.1.d.13.n.13.
Patris filiæ ſuæ exequias adornantis, cùm in peccatum lapſa eſſet. p.2.d.11.n.14.
Peccatoris nunquam ſecuri in ſtatu peccati. p.2.d.12.n.5.
Miſeriæ temporalis ortæ ex ipſo peccato, unde ingens proſperitas ſperabatur. p.2.d.12.n.10.
Peccatoris fœdè mutati ac deformati. p.2.d.12.n.16.
Gratitudinis ob exiguum donum exhibitæ, p.2.d.13.n.4.
Utilitatis, quam affert devotio etiam in ſtatu peccati, p.2.d.13.n.12.p.3.d.34.n.12.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

n. 12. p. 3. d. 35. n. 7. p. 2. d. 20. n. 16. p. 3. d. 14. n. 18. p. 3. d. 24. n. 16. p. 3. d. 27. n. 14.
Dæmonis ſub figura Simiæ impio Doctori famulantis. p. 2. d. 13. n. 12.
Proſperitatis noxiæ. p. 2. d. 14. n. 12.
Juvenis à Chriſto in ſomnis reprehenſi. p. 2. d. 17. n. 9.
Filii à Patre mortuo reprehenſi. p. 2. d. 20. n. 10.
Beneficii recepti ob pietatem erga animas Purgatorii. p. 2. d. 20. n. 16.
Summi horroris à peccato. p. 2. d. 6. n. 7. p. 2. d. 21. n. 9. p. 2. d. 22. n. 7.
Gravium pœnarum ob peccatum veniale inflictarum. p. 2. d. 22. n. 15. 16.
Vehementiæ ignis infernalis. p. 2. d. 18. n. 13.
Orationis imprudentis. p. 3. d. 3. n. 7.
Puellæ à Deo caſtigatæ ob neglectam vocationem ingrediendi Monaſterium. p. 3. d. 3. n. 7.
Mirabilium effectuum Sacramenti Baptiſmatis. p. 3. d. 5. n. 9.
Confirmationis. p. 3. d. 6. n. 8.
Severi Supplicii procurantis abortum ad occultandum peccatum. p. 3. d. 5. n. 15.
Horrendarum injuriarum Chriſto in SS. Euchariſtia illatarum. p. 3. d. 7. n. 16.
Affectûs erga SS. Euchariſtiã. p. 3. d. 8. n. 17.
Pœnæ inflictæ ſe ea ſæpiùs reficere negligentis. p. 3. d. 8. n. 11.
Supplicii indignè ſumentium in ſtatu peccati ſacram Synaxin. p. 3. d. 10. n. 11. 18. p. 1. d. 30. n. 9.
Mortis infeliciſſimæ peccatorum, p. 3. d. 10. n. 18. p. 3. d. 16. n. 17. 19. p. 1. d. 31. n. 16. p. 3. d. 22. n. 13. p. 3. d. 30. n. 20. p. 2. d. 9. n. 10. p. 1. d. 14. n. 15.
Ingentis utilitatis provenientis ex bene peracta Confeſſione. p. 3. d. 11. n. 13.
Confeſſarii prudentis. p. 3. d. 11. n. 13.
Confeſſarii ſagacis. p. 1. d. 29. n. 25.
Confeſſarii unà cum Pœnitente, quem malè à peccatis abſolverat, damnati. p. 3. d. 15. n. 12. p. 3. d. 17. n. 14.
Quantum ſeria voluntas efficere poſſit, ſi velit, in deponenda prava aſſuetudine. p. 3. d. 14. n. 12.
Efficacis propoſiti alicuius pœnitentis. p. 3. d. 14. n. 18.
Quàm neceſſarium ſit fugere occaſiones proximas peccandi. p. 3. d. 16. n. 17.
Concubinarii à Deo graviter puniti. p. 3. d. 16. n. 17. p. 1. d. 31. n. 16.
Confeſſionis ſacrilegè obitæ in articulo mortis. p. 1. d. 31. n. 16. p. 3. d. 16. n. 17. 19.
Supplicii irrogati ob bona injuſtè parta, non reſtituta. p. 1. d. 27. n. 28. p. 3. d. 17. n. 14.
Severi ſupplicii eorum, qui tempore & loco publicæ Devotioni deſtinato ad ſua ſcelera abutuntur. p. 3. d. 21. n. 22.
Quanti æſtimandum ſit Sacramentum Extremæ Unctionis. p. 3. d23. n. 20. 25.
Puellæ miſerè pereuntis ob promiſſa Sponſalia non ſervata. p. 3. d. 25. n. 14.
Supplicii eorum, qui beneficia Eccleſiaſtica indignis conferunt. p. 3. d. 24. n. 16.
Quas pœnas ſuſtineant in Inferno Adulteri. p. 3. d. 26. n. 20.
Amoris inordinati. p. 3. d. 27. n. 6. p. 3. d. 28. n. 9.
Non impedientes peccata aliena, cùm poſſent, à Deo ſeverè caſtigantur. p. 3. d. 27. n. 14.
Faſcini Amatorii p. 3. d. 28. n. 9.
Faſcini Soporiferi. p. 3. d. 31. n. 12.
Quas clades inducant amatoriæ levitates, p. 3. d. 27. n. 14. p. 3. d. 28. n. 13

Favoris exhibiti à B. V. ſuis Clientibus. p.2.d.13.n.12.p.3.d.34.n.12.p.3.d 14. n.18. p.3.d.27.n.14.

Auxilii ab eadem negati alii, ne in peccatum laberentur. p.3.d.34. n.13.

Pœnæ inflictæ ob dies Virgini Deiparæ dicatos in hoſpitiis, & choreis male transactos. p.3.d.21.n.22.

Quàm innumera mala ex ſaltibus oriantur. p.3 d.29.n.13.

Feminæ veſtium vano luxui deditæ acerba caſtigatio. p.3.d.30.n.7.20.

Quantùm feminæ laſcivè, ac vanè comptæ noceant. p.3.d.30.n.17.

Pœnæ luſorum Sacrilegorum. p.3.d.32. n.17.

*Exequiæ.*

Exequiæ celebratæ à Patre filiæ etiamnum vivæ, cùm in peccatum laberetur. p. 2. d.11.n.14.

*Extrema Unctio.*

A Chriſto inſtituta eſt, ut nos roboret pro ultima luɛta, & periculis in agone. p.3. d.23.n.1.2.&c.

Lenit morbi, & mortis acerbitatem. n.3.4.

Confert etiam corpori ſanitatem, ſi expedit ſaluti animæ. n.4.

Diſponit ad æternam gloriam, quando non expedit, ut corporis ſalutem conſequamur. n.6.

Mitigat remorſum Conſcientiæ, n.10.

Liberat nos à peccatis non ex integro deletis. n.11.12.13.

Auget gratiam. n.11.

Confert vires ad ſuperandas Diabolicas tentationes in articulo mortis. n.15.16. &c.

Quantum Chriſto debeamus, quòd nobis hoc Sacramento tam bene proſpexerit. n.21.22.&c.

Quanta ſit eorum veſania, qui juſto plùs differunt extremam Unctionem recipere. n.5.

Quomodo adminiſtranda ſit n.6. 23 24.

Quomodo nos debeamus in vita diſponere ad eam dignè recipiendam. n.23.

# F.

*Feminæ.*

Quàm fragiles & ad malum proclives. p.1. d.15.n.16.

Quàm facilè donis expugnentur. n.17.

Quàm potentes ſint ad nocendum. p. 2. d. 16.n.9.p.3.d.30.n.13.15.&c.p.1.d.11. n.20.

Quàm fugiendæ ſint in converſationibus, ibid. p.1.d.15.n.14.p 3.d.28.n.7.p.3. d.29.n.19.p.3.d.33.n.7.10.

Quàm ſolitudinis amantes eſſe debeant. p. 3.d.29.n.6. p.3. d.30. n. 18. p.3. d.33. n.12.

Quàm noxiæ in theatris. p.3.d.31.n.4.

Et in Eccleſiis, dum ibi comparent ad vanitatem ornatæ. p.1.d.11.n.19.p.3.d.4. n.8.9.10.p.3.d.21.n.22.23.

*Falſitas.*

Quàm ſit contraria ipſimet naturæ. p.1.d. 30.n.3.

Vide *Mendacium.*

*Fama.*

Quanti æſtimanda. p.1.d.29.n.3.

Non tantùm ut finis, ſed ut medium. ibid.

Bonum eſt non minus ipsâ vitâ. n. 3.4.

Imò maius. n.17.18.

Quàm grave peccatum ſit injuſta detractione eam imminuere. n.4.5.&c.

Non licet de ea detrahi etiam peccatori, quamdiu crimen occultum eſt. n.13.14.

Quàm difficilè ſit ablatam reſtituere. n.25. 26.27.




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Fames.*
Magnum DEI flagellum. p.3.d.32.n.11.
Inhabitat domos luſorum. n.11.&c.
Fames Chriſti Euchariſtici optima ad ſacram Communionem diſpoſitio. p.3.d.8.n.16,17.
*Familiaritas.*
Vide *Converſatio.*
*Felicitas.*
Vide *Proſperitas.*
*Feſti dies.*
Quem in finem intenti à Deo. p.1.d.11.n.2.
Præcipiuntur Lege naturali & Eccleſiaſtica. n.3.4.
Quid requiratur, ut ſanctè ſerventur. n.5.
Quàm parum à plurimis obſerventur. n.6.7.
Non ſolùm eos non ſervat, qui ipſe non laborat, ſed etiam qui alios laborare jubet. n.8.
Quantum Deo diſpliceat eorum violatio. n.10.11.
Si eam non puniat ſenſibilibus pœnis, pejus eſt. n.11.
Peccatum quodlibet die feſto commiſſum, Sanctitati illius adverſatur. n.12.13.
Nunquam plura ſcelera patrantur, quàm diebus feſtis. n.14.&c.
Præcipuè avaritiæ. n.15.
Luxuriæ. n.16.&c.
Et vanitatis. n.19.
Quo modo ſanctè tranſigi poſſint. n.22.
*Fides.*
Sine Verbo Dei non præbet ſufficiens lumen ad bene operandum p.1.d.1.n.11.
Similis eſſe debet radici in ſuis proprietatibus. p.1.d.3.n.1.2.&c.
In quo conſiſtat illius ſoliditas. n.3.
Quantum ſuperet humanas ſcientias. n.5.
Non debet eſſe contenta ſuperficie Divinorum Myſteriorum, ſed conari ea penetrare. n.9.
Intellectus humiles exigit, non ſuperbos. n.9.
Fœcunda ſit in bonis operibus. n.12.&c.
Sine his non ſufficit ad ſalutem. n.15.
Æqualiter munienda eſt adverſus curioſitatem, & ignorantiam. p.2.d.4.n.2.
Sola nos docet Myſterium SS. Trinitatis. n.10.11.&c.
Quàm facilè debilitetur peccato. p.2.d.9.n.5.
Præcipuè peccatis carnalibus. n.10. p.1.d.24.n.3.4.
Quæ eam etiam omnino eripiunt. p.1.d.3.n.12.13.14.
Obſcuritas Fidei, quàm juſtè à Deo permittatur. n.9.
Quare habitus fidei non amittatur amiſſâ gratiâ. p.1.d.3.n.13.
Deficiente expoſitione Verbi Dei facilè etiam Fides deficit. p.1.d.2.n.18.
Fides mortua quænam ſit. p.1.d.3.n.12.13.
*Fideles.*
Fideles nomine tenus, non autem operibus, non habent locū in Cœlo. p.1.d.3.n.15.
Graviores pœnas in Inferno ſuſtinebunt ipſis Infidelibus. n.15.
Quantopere iiſdem Dæmones inſultaturi ſint. n.15.19.
Vide *Chriſtianus.*
*Fiducia in DEUM.*
Vide *Spes.*
*Fiducia in hominem.*
Quàm vana. p.2.d.12.n.10.
Peccare fiduciâ Confeſſionis quæ mala portendat, & invehat. p.3.d.18.n.1.2.&c.

*Finis ultimus.*

Ob quem creati ſumus, quàm parum ab hominibus apprehendatur. p.1. d.2.n.19. 20.

Ut hunc aſſequamur, omnem noſtrum conatum non aliò impendere convenit. p. 1.d.6.n.14.15. &c.

A fine ultimo deſumenda eſt ratio omnium aliorum finium. n.16.17.18,

*S. Franciſca Romana.*

Quantum horruerit peccatū. p.2.d.12.n.5.

*Furor.*

Vide *Ira*.

## G.

*S. Godoleva.*

Quàm malè habita fuerit à ſuo Conjuge. p. 2.d.6.n.16.

*Gratia.*

Dividitur in actualem, & habitualem. p. 2. d.8.n.1.

*Gratia Actualis.*

Sunt ea auxilia, ſine quibus non poſſumus unquam actum aliquem bonum incipere, nec in eo progredi. p.2. d.8. n.2.

Eſt omnino neceſſaria. p.3.d.1.n.18. p.3. d. 2. n. 8. p.3. d.18. n.15. p.1. d.6. n.4. p.3.d.15.n.8.p.2.d.2.n.6.

Non poſſumus eam condignè mereri. p.3. d.2.n.11.

Prima etiam non petita nobis conceditur, non verò ſecunda. n.9.p.1.d.6.n.5.

Præcipuè ſi loquamur de efficaci. p.3.d.2. n.13.

Quantò magis augentur peccata, tantò majore gratia opus eſt peccatori, ut ſe convertat. p.3.d.18.n.16.

Nihilominus, quò magis peccata creſcunt, eò vehementiùs decreſcit gratia. n.17. 18. &c. p.2. d. 9. n.7. 12. p.2. d.10. n. 15. &c.

*Gratia Efficax.*

A Deo negari poteſt, cuicunque ille voluerit. p.3.d.1.n.19.p.3.d.2.n.11.

Conſtanti oratione obtinetur. n.8.&c.p.1. d.6.n.5.p.3.d.13.n.10.

Communiter in morte negatur peccatoribus, qui peccandi aſſuetudinem in vita contraxerunt. p. 3. d. 1. n.17. &c. p.3. d.18.n.17.&c. p.1.d.5.n.24. p.2.d.22. n.11.

In vita verò negatur iis, qui temerè ſe peccandi occaſionibus exponunt. p.3.d.15. n.4.5.&c.

Minuitur peccatis venialibus. p.2. d.22. n. 10.11.

Non conceditur nobis ad noſtrum beneplacitum, ſed juxta diſpoſitionem Divinæ Providentiæ. p.1.d.15.n.4.

*Gratiæ gratis datæ.*

Quænam ſint. p.2.d.8.n.10.

Inferiores ſunt gratiā ſanctificante. ibid.

*Gratia in Confeſſione recepta.*

Singulari virtute prædita eſt nos præſervandi, ne in peccato relabamur. p.3.d. 22.n.3.p.3.d.17.n.18.p.1.d.5.n.16.

*Gratia Habitualis.*

Nos efficit filios Dei adoptivos. p.3.d.5.n. 3.p.2.d.11.n.4.5.

Primò nobis confertur in Baptiſmo. p.3.d. 5.n.6.&c.

Quantum ſit pretium pulchritudinis illius intrinſecum. n.9.p.2.d.8.n.34.

Divitiarum. n.5.6.

Dignitatis. n.7.8.p.2.d.11.n.4.5.

Eſt gloria inchoata. p.2.d.8.n.6.

Imò in aliquibus circumſtantiis ipſi gloriæ eſt præferenda, n.6.

Per,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Perficit hominem intrinſecè tribus dotibus glorioſis. n.8.
Operibus illius nobilitatem addit. p.2.d.11. n.5. p.2.d.13.n.2.3.4.
Qui eam poſſidet, malè conqueritur de ſua paupertate. p.2.d.8.n.9.
Huic gratiæ cedunt omnes aliæ gratiæ gratis datæ. n.10.
Quantum ſit pretium illius extrinſecum ob æſtimationem, quam de ea habuerunt Sancti. n.11.
Chriſtus. n.12.13.&c.
Solum peccatum nos eâ ſpoliat. p.2.d.8.n. 1.&c. p.2.d.11.n.6.7.&c.
Solâ pœnitentiâ recuperatur. p.3.d.11.n. n.14.&c. p.3.d.13.n.8.
Inſania illorum, qui vel unico momento negligunt perditam gratiam recuperare. p.2.d.16.n.19.
Idque facere vel maximè convenit Indulgentias lucraturo. p.3.d.21.n.13.14.
Aut aliud notabile opus pietatis obituro. p.2.d.13.n.17.
Gratia accepta in Sacramentis ex opere operato non omnino certum, quòd iterum recuperetur poſt pœnitentiam. p.2. d.13.n.7.

*Gratitudo.*

In minimis beneficiis. p.2.d.13.n.4.
Cur ſpecialiter eam Chriſtus exegerit à lepróſis à ſe mundatis. p.3.d.11.n.1.
Benefactori non ſolùm æquivalens reddit, ſed cum exceſſu. p.1.d.12.n.12.
Quâ ratione hoc etiam erga DEUM præſtari poſſit. ibid.
Vide *Ingratitudo*.

# H.

*Hebræi.*

Quanta fecerint ad honorem ſui templi ſervandum. p.2.d.4.n.9.
Interdicitur iiſdem etiam è loco remoto Hieroſolymæ aſpectu. p.2.d.1.n.19.

*Hiſtriones.*

Non minus damnum animæ inferunt, quàm venefici. p.3.d.31.n.2.&c.
Quid de iis ſtatuant jura tum Eccleſiaſticum, tum Civile. n.10.

*Hrmo.*

Homines à DEO inſtituuntur, ac docentur per alios homines. p.1.d.1.n.9.
Per peccatum in beſtias transformantur. p.2.d.12.n.14.

*Hugo.*

Hugo Hetruriæ Dominus veræ converſionis exemplar. p.3.d.14.n.18.

# I.

*Idololatræ.*

In quo differant à Chriſtianis mortale peccatum committentibus. p.2.d.4.n.5.
Quantum immutentur auditione Verbi Divini. p.1.d.1.n.14. p.2.d.5.n.6.

*Idololatria.*

Cur ſpecialiter hoc nomine compelletur avaritia. p.1.d.26.n.16.

*Jejunium.*

Sanat tres plagas nobis ab Adamo inflictas per vetiti pomi commeſtionem. p. 3. d.20.n.1. &c.
Quantum poſſit coram DEO. n.3.4.&c.
Quantam vim habeat ad vincendum Dæmonem. n.10.19.
Quantam ad ſubigendam carnem. n.11.
Juvat ad producendam vitam. n.13.
Præcipitur etiam Lege naturali, adeò eſt neceſſarium. n.11.&c.
Cur in aliquibus exiguum fructum ferat. n.14.
Abuſus circa ipſum. n.15.16.17.&c.

Quid

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quid requiratur, ut ſanctè & perfectè ſervetur. ibid.
Quàm rigoroſè obſervatum ſit tempore Quadrageſimæ à Primitiva Eccleſia. n.18.

*JESUS.*

Vide *Chriſtus.*

*Ignis infernalis.*

In quibus ignem noſtrum excedat. p. 2. d. 18. n. 5. &c.
Duplam vim habet, naturalem, & ſupernaturalem. n.9.&c.

*Ignis Purgatorii.*

Quàm tremendus. p.2.d.20.n.3.&c.
Non quoslibet æqualiter urit, ſed punit cum proportione & juſtitia. n.5.

*Ignorantia.*

Ignorantia omnium peſſima illa eſt, quâ res ad ſalutem pertinentes ignoramus. p.1.d.1.n.4.
Eſt Mundo communiſſima. n.4 p 1. d.2. n.6.7. p.1.d.5.n.19.20. p.1.d.14 n.4. p.1.d.26.n.2.p.2.d.9.n.3.&c.
Eſt effectus peſſimus originalis peccati. p.1.d.1.n.4.
Augetur peccatis actualibus. n.6.p.1.d.5. n.18.
Eſt mater omnium vitiorum. p.1.d.1.n.9.
Fovetur non auſcultando Verbum DEI, & huius auditione minuitur. n. 9. 10.&c.
Maxima eſt circa Myſteria fidei. n.11. & p.3.d.3.n.10.
Quod lucrum Dæmonibus afferat. p.1.d.2. n.18. p.1.d.3.n.11. p.1.d.14.n.5.
Vide *Cæcitas intellectûs.*

*Ignorantia invincibilis.*

Quænam ſit? p.2.d.9.n.2.

*Ignorantia vincibilis ſeu culpabilis.*

Non excuſat à peccato. p.2.d.9.n.3.

*Ignorantia affectata.*

Reddit culpam graviorem. p.2. d.9.n.10.

*Imelda.*

Imelda Virgo ex deſiderio ſacræ Synaxis moritur. p.3.d.8.n.17.

*Imitatio.*

Imitatio DEI exemplis Chriſti facilior reddita. p.2.d.5.n.3.4.&c.
Imitatio Chriſti exemplis Sanctorum facilior effecta. p.3.d.35.n.3.4.&c.

*Impatientia.*

Impatientia in adverſis quàm damnoſa ſit. p.3.d.19.n.7.
Domos Chriſtianorum perpetua inquietudine replet. p.1.d.20.n.16.

*Impœnitentia.*

Impœnitentia finalis unde oriatur. p. 2. d.10. n. 13. &c. p.3. d.1.n.26. &c. p.3. d.18 n.10.15.16. &c. p.3.d.ult.n.7.p. 1.d.5.n.24.
Vide *Obſtinatio.*

*Imprecatio.*

Imprecationes differunt à blaſphemiis. p.1. d.8.n.2.
Sæpè juſto DEI judicio finem ſuum conſequuntur. n.2.3.&c.
Præcipuè ſi à Pauperibus in Divites ingerantur. n.3.
Aut à Parentibus in liberos. n. 4. 5. &c. p.1.d.14.n.8.
Horrenda mala invehunt. p.1.d.8. n.8.9.
Etſi non ſemper ſtatim, ac proferuntur. n.10.
Summopere adverſantur bonæ educationi. n.11.p.2.d.16 n.15.
Ex natura ſua ſunt grave peccatum. p. 1. d. 8. n. 13.

A plu-

A plurimis falſis excuſationibus reguntur. n.13.14.15.16.
Per eas ſe homo aliquo modo ipſi Deo arroganter præfert. n.17.
In auditoribus grave ſcandalum generant. n.18.19.&c.
A tenera juventute facilè addiſcuntur. n.18 p.1.d.9.n.20.
Sæpè recidunt in auctorem. n.21.
Modus hoc vitio ſe liberandi. n.22.

*Impudici.*

In quàm miſerum ſtatum delapſi ſint. p.1.d.24.n.1.2.&c. Vide *Impudicitia*.
Omnium difficillimè odia deponunt. p.1.d.22.n.19.

*Impudicitia.*

Quàm falsò credatur parvum peccatum. p.1.d.23.n.1.2.3.&c. p.1.d.25. n.14. p.3.d.26.n.10.
Excepto homicidio eſt omnium maximum peccatum, quæ contra proximum committuntur. p.1.d.23.n.4.
Quanto odio Deus ſemper hoc vitium proſecutus ſit. n.6.7.&c.
Cur illud tantopere execretur. n.12.&c.
Ipſi Dæmones id deteſtantur. n.14.
Difficilem reddit conſecutionem ſalutis ex parte voluntatis Divinæ. n.5.6.&c.
Et humanæ. p.1.d.24.n.1.2.&c.
Excœcat impudicos, ne ſuum peccatum agnoſcant. n.2.
Nec ſinit eoſdem Deum agnoſcere, qui poſſet ex tanto malo eruere. n.3.4.&c.
Non permittit eos pœnitentiam agere de peccato, niſi ſumma difficultate. n.5.6.&c.
Imò ſi fortè doleant, non patitur ulteriùs progredi ad ſeriam & celerem emendationem. n.11.12.&c.
Occupat totum hominem. n.13.
Facit, ut ſine fructu & ſacrilegè Confeſſiones peragantur. n.14.
Infernum implet damnatis. n.16.
Appellatur omne malum, nec immeritò. ibid.
Remedia contra hoc malum ſunt, fervens Oratio. n.17.18.
Et fuga occaſionum. n.19.
Eſt omnium vitiorum infamiſſimum p.1.d.22.n.21.p.1.d.23.n.13.
Plùs omnibus vitiis intellectum obcœcat. p.1.d.24.n.2.3.&c. p.2.d.9.n.10.
Plùs aliis obdurat cor. p.2.d.10.n.16.
Eo demum pertingit, ut fidem extinguat. p.1.d.3.n.14.

*Incarnatio.*

Cur Myſterium admirabile dicatur. p.2.d.5.n.1.
Quæ bona nobis attulerit. n.2.&c.
Quàm eidem ſe ingratos exhibeant Peccatores. n.9 14.20.21.&c.

*Inconſideratio.*

Quomodo propria ſit Peccatoribus. p.2.d.9.n.5.&c.

*Inconſtantia.*

Inconſtantia in bono unde oriatur. p.1.d.2.n.15. p.3.d.16.n.15.16. p.3.d.15.n.13. p.3.d.22.n.4. p.3.d.14.n.8.

*Indulgentiæ.*

Similes ſunt auro, quod in fluminibus reperitur. p.3.d.21.n.1.
Sunt remiſſio pœnæ temporalis collata nobis ſubſidio charitatis. n.2.
Merita Sanctorum, B.V. atque ipſius Chriſti Domini noſtri ſunt inexhauſtus theſaurus, unde eruuntur. n.3.4.5.&c.
In iiſdem mirabili modo conveniunt Miſericordia & Juſtitia. n.7.11.

Apud antiquos Chriſtianos multò erant rariores, & hoc non ſine ratione. n.8.9.10.
Quæ conditiones requirantur ad earum valorem. n,12.
Ut eas conſequamur, neceſſe eſt, ut ſimus in ſtatu gratiæ. n.13.
An neceſſarius ſit ſtatus gratiæ, dum opera injuncta exequimur. n.14.15.16.
Meritò magni ſunt æſtimandæ. n.17.
Quàm inſaniat, qui eas lucrari negligit, tum ob facilem ſatisfactionem, qua ſe ipſum privat. n.17.18.
Tum ob meritum, quod amittit. n.19.
Tum ob injuriam, quam Cœlo inferr. n.21.
An perfectio ſit, Indulgentias nolle lucrari, ut pro peccatis in Purgatorio ſatisfaciat. n.21.
Aliqui meliùs facerent, ſi omnino abſtinerent, quàm ut malè diſpoſiti Indulgentias lucrari velint. n.22.23.
Modus eas dignè lucrandi. n.24.
Quæ à Confeſſario injunguntur, non tam medicinæ rationem habent, quàm Pœnitentiæ ſatisfactoriæ. p.3.d.19.n.16.
Ob Indulgentias Pœnitentia intermittenda non eſt. ibid.

*Infernus.*

Complectitur pœnam ſensûs & damni. p. 2.d.18.n.2.
Sunt iſtæ pœnæ proportionatæ Divinæ Juſtitiæ tanquam effectus ſuæ cauſæ. n.3.
Et tanquam media ſuo fini, qui eſt, Deo ablatam gloriam reparare. n.4.
*Pœnæ ſensûs* proprium inſtrumentum eſt ignis. n.5.
Quàm igne noſtro hic multò atrocior futurus ſit, ob finem, propter quem eſt productus. n.5.
Ob quantitatem. n.9.
Qualitatem. n.7.
Quia eſt incluſus. n.8
Ob vim & vehementiam ſupernaturalem inditam ipſi à Deo. n.9.
In quo noſter ignis ab eo differat. n.10. 11.
Continebit virtute quæcunque horribilia tormenta. n.12.
Ipſius admiranda activitas. n.13.
*Pœnæ damni*: quàm atrox. n.14.
Conſiſtet in violenta ſeparatione animæ à Deo. n.15.
Quantum augeat iſta ſupplicia æternitas. n.16.17.18.19.
Quantùm per iſtas pœnas damnatus paſſurus ſit in omnibus ſenſibus Corporis. n.21.
Et in omnibus potentijs animæ. ibid.
Majus eſt illius ſupplicium, quàm ut à nobis concipi valeat. n.22,
Patet ex eo gravitas peccati. n.23.24.25. p.2.d.11.n.10.&c,
Quàm enorme ſit, Infernum credere, & tamen peccare. p.2.d.18.n.26.
In quo conveniat cum Purgatorio. p.2. d.20.n.11.
In quonam comparari poſſit cum doloribus Chriſti. p.2.d.21.n.17.&c.

*Ingratitudo.*

Ingratitudo deteſtanda cujuſdam militis erga proprium ſuum liberatorem. p.2. d.5.n.25.
Peccatorum erga Chriſtum. p.2.d.2.n.16. p.2.d.5.n.24.25.
Præcipuè erga ingentia dona, quæ nobis confert in Sacramento Euchariſtiæ. p.3. d.7.n.1.21.
Nos reddit indignos gratiâ. p.2.d.22.n.10. p.2.d.9.n.12.p.3.d.18.n.19.
Eſt propria illorum, qui à Deo majora beneficia acceperunt. p.2.13.n.8.

*Inimici,*

*Inimici.*

Inimicis obviandum eſt beneficiis. p. 1. d. 20.n.19.20.29.

Ad eorum amorem acquirendum multum juvat eoſdem conſiderare ut proximos noſtros in Deo. p.1.d.20.n.22.23.31.

Ad eos ſupportandos prodeſt cogitare, quòd inſtrumenta Dei ſint, quæ nos affligendo ſalutem noſtram promoveant. n.24.25.

Quàm excellens actus ſit, eos amare. n.29.

Et proprius Chriſtianorum. n.23.31.

Non modò non licet eos odio habere, ſed neque id ſigno oſtendere. p. 1. d. 22. n.8.

Tenemur ijs exhibere omnia officia communia Charitatis. n.8.

Et ſolùm poſſumus abſtinere à ſignis particularibus amoris. n.8.

Utrum poſſimus ijſdem negare pacem chirographo noſtro firmatam. n.12.

Vide *Pax. Vindicta. &c.*

*Injuria.*

Illata Deo per peccatum quàm execranda ſit. p. 2. d.1.2. &c. Vide *Peccatum*,

*Inobedientia.*

Inobedientia filiorum erga Parentes cur à Deo frequenter permittatur. p. 2. d. 2. n.8.

Quàm dedecens ſit. p. 1. d. 16. n. 14.

Sæpè oritur ex mala educatione. n.15.p.3. d.27.n.3.d.32.n.13.

*Inobediens.*

Inobedientem ſe Deo exhibere, quàm grave delictum ſit. p.1.d.1.n. 19. p. 2. d. 2. n.2.&c.

*Ira.*

Extirpanda non eſt, ſed temperanda. p.1. d.20.n.12.

Eſt affectio omnium communiſſima. n.2.

Huic moderaturus dexteritate opus habet, & vigore. n.3.

Ad dexteritatem quod attinet, attendendum eſt, quàm ſæpe nos iræ dedamus absque ratione. n.4.12.

Id eſt iraſcamur ijs, quibus non deberemus iraſci. n.5.

Aut ob rem, quæ iram non meretur. n.6.

Aut modo indebito. n.7.

Aut vehementiùs quàm par eſt. n.8.

Aut denique diutius, quàm decet. n. 10.11.

Pertinet etiam ad dexteritatem, prævidere, quantum fieri poteſt, occaſiones, quæ nos ad iram concitant, & contra eaſdem fortiter ſe inſtruere. n.13.14.&c.

Ad vigorem quod attinet, neceſſe eſt, prorſus oppoſitum agere, quàm nobis perverſa affectio ſuadet. n.18.19.&c.

Ita ut etiam bona pro malis retribuamus. n.20.21.

Motiva ſuadentia iræ moderationem. n 22. 23.&c.

Eſt impetus animi cœcus. n. 9.10.30. p.1. d.22.n.20.

Audit rationem, ſed non ſequitur. p. 1. d. 22.n.21.

Difficulter admittit medicinam. p. 2.d.20. n.18.

In quonā ab odio differat. p.1.d.22.n.9.10.

Quamdiu ira perſeverat, nihil ullam in partem ſtatuendum eſt. p.1.d.20.n.8.30.

Nec corrigendi aliorum errores. n.8. 16. 30.

Illius victoria glorioſiſſima. n.29.

Quantum dedeceat familias Chriſtianas. n.16.

*Iracundi.*

Iracundi alij acuti, alij amari, alij difficiles quinam ſint. p.1. d.20. n.10.11.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Ira Divina.*

Ira Divina quàm diverſa ſit ab ira humana. p.2.d.7.n.2.&c.
Eſt ſimplex voluntas emendandi defectus culpæ juſtâ pœnâ. n.3.
In ſe non creſcit, ſed in effectibus ſuis. ibid.
Simul averſatur, & amat, n.7.
Commiſeratur. n.11.
Quàm horribilis futura ſit in extremo judicio. p.2.d.17.n.6.&c.
In peccatores tota effunditur. p.2.d.18.n.3.&c.

*Irriſio.*

Irriſiones quantum impediant virtutem. p.3.d.6.n.12.&c.
Sunt arma præcipua perverſæ Societatis. p.1.d.21.n.8.
Vincuntur Sacramento Confirmationis, p.3.d.6,n.14.&c.

*Irriſores.*

Irriſores Juſtorum Deo odio ſunt. p.3.d.6,n.16.

*Iudæi.*

Vide *Hebræi.*

*Iudex.*

Judices competentes qui ſint? p.1.d.28.n.2.

*Iudicium.*

Judicia humana quàm fallacia ſint. p.1.d.28.n.4.5.6.&c.
Judicium univerſale patefaciet, quàm grave malum peccatum ſit. p.2.d.17.n.12.&c.
Erit prælium ingens in interitum & ruinam Peccatorum. n.2.
Primus illius aſſultus conſiſtet in ſignis Judicium præcedentibus, n.2.3.&c.
In horribili adventu Judicis. n.4.5.&c.
In excidio univerſi Orbis. n.11.
Illius conflictus in manifeſtatione Conſcientiarum, n.12.
Ubi non ſolùm numerus, ſed etiam malitia peccatorum patefiet. n.14.
Abſque hoc, quod ullum auxilium ab aliquo ſperari queat. n.15.
Edenda ſtrages conſiſtet in tremenda ſententia. n.16.17.
Quam ſequetur præceps interitus Reproborum. n.18.
Ac renovatio Univerſi purgati à peccato & peccatoribus per totam æternitatem. n.18.19.

*Iudicium temerarium.*

Judicare proximum eſt vitium omnium univerſaliſſimum. p.1.d.28.n.1.
In quo differat à dubio & ſuſpicione. n.2.
Quid ſit temerariè judicare. n.2.
Ex quibus capitibus hoc vitium ſummè vituperabile ſit. n.3.4.5.&c.
Fallaciſſimum. n.4.5.6.
Judicare de re facta ad ſolos Superiores pertinet, de re bene facienda etiam ad alios. n.3.
Alios facilè ſecundùm nos ipſos judicamus. n.4.
Niſi quòd erga nos ſimus benigni, imites erga alios. n.8.
Alios temerariè judicans ſe ipſum condemnat. n.11.&c.
Quia injuriam infert toti SS. Trinitati. n.15.
Qui alijs præeſt, dubia omnia meliori modo interpretari debet, interim tamen ita providere, ac ſi res malè facta eſſet. n.14.

*Iuramentum.*

Eſt invocatio Dei in teſtem alicujus rei. p.1.d.10,n.2.
In quas ſpecies dividatur. n.3.

Ut

Ut licitum ſit, neceſſe eſt, ut fiat cum judicio, Juſtitiâ, & veritate. n.2.
Jurare cum judicio eſt jurare cum diſcretione ſeu prudentiâ. n.4.
Adhibendum eſt inſtar medicinæ n.4.5.
Illius rarus uſus cedit in DEI honorem. n.6.
Frequentia ac facilitas in contemptum. n.5.7.
Illius nimis frequentem uſum non excuſat vehementia iræ. n.8.
Nec incredulitas aliorum. n.9.
Jurare cum Juſtitia, eſt jurare in rebus licitis, id eſt, quas exequi poſſis ſine peccato. n.10.
Jurare in rebus illicitis duplicem impietatem includit. n.10.
Ut peccatum eſt, eas cum juramento promittere, ita peccatum graviſſimum eſt, eas adimplere. n.11.
Jurare in rebus honeſtis inducit gravem obligationem ad executionem. n.9.
Jurare cum veritate eſt jurare circa res veras. n.13.
Quam parum ad hoc attendatur. ibid.
Nunquam licitum eſt etiam in bonum alterius falſum jurare. n.14.
Enorme autem peccatum eſt edere juramentum falſum, ut alteri noceas. n.15.
Quæ regula ſervanda ſit in juramentis. n.16.17.&c.
Conſuetudo jurandi, modò velimus, emendari poteſt. n.20.
Quænam ſint media aptiora ad eam deponendam. n.21.22.23.

*Juſti.*

Juſti impijs prævalere debent in bonis, quæ elargitur Providentia, p.3.d.18.n.18.19.20.21.
Nec tantùm in bonis ſpiritualibus, ſed etiam temporalibus. p.2.d.12.n.3.4.&c.
Caſtigantur aliquando à DEO, non tamen ex primaria intentione. n.12.
DEUS ijsdem terrena bona tanta ſolet largiri, quanta ipſis expediunt ad ſalutem. n.13.
Quantum poſſideant, poſſidendo gratiam. p.2.d.8.n.3.&c. p.2.d.11.n.4.5.p.2.d.13.n.2.
Quantopere eos impij perſequantur propter virtutem. p.2.d.6.n.2.3.4.5.12.&c.

*Juſtificatio.*

Juſtificatio impij quàm magnum opus ſit. p.3.d.11.n.2.3.&c.p.3.d.12.n.3.p.3.d.24.n.7.8.&c.
Hæc ſola in DEO dici poteſt victoria. p.3.d.12.n.3.
Ex omnibus operibus à DEO factis maximum eſt. p.2.d.9.n.7.p.3.d.13.n.10.

*Juſtitia Divina.*

In quo differat ab humana. p.2.d.7 n.2.&c.
Docet nos, quàm grave malum peccatum ſit. n.2.3.&c.
Huic ſoli competit pro merito pœnam peccato infligere. n.6.
In hoc Mundo Clementiam ſibi conjunctam habet. n.12.
In extremo Judicio ipſa ſola aget. p.2.d.17.n.7.
Quàm ſevera in ſupplicio Angelorum. p.2.d.15.n.1.&c.
Et Adami. p.2.d.16.n.1.&c.
In Inferno ſpecialiter intendit DEO ſuam gloriam reparare. p.2.d.18.n.4.
Quàm perfecta ibidem exiſtat. n.3.4.&c.
Adhuc tamen exactior in paſſione, & morte Chriſti. p.2.d.21.n.16.&c.

Concurret in cœlis cum miſericordia ad beandos Electos. p.2.d.19.n.9.

*Juſtitia Humana.*

In quo diſcrepet à Divina p. 2. d.7. n. 2. 3.&c.

*Juſtitia orginalis.*

Quanta & qualia dona in ſe comprehenderit. p.2.d.16.n.5.

Peccato Adami etiam in Poſteris perijt. n. 10.&c.

Quomodo ijs reſtituatur per Baptiſmum. p.3.d.5.n.8.

Amiſſa per intemperantiam, reparatur jejunio. p.5.d.20.n.1.2.&c.

## L.

*Lachrymæ.*

Conceduntur nobis, ut peccata defleamus. p.2.d.21.n.20.p.3.d.13.n.1.

In quo diſcrepent lachrymæ frigidæ, tepidæ, & calidæ Confitentis. p.3.d.13.n. 3.4.&c.

Illatum ingens virtus peccata delendi. n.7.

Non ſemper in moribundis indicium ſunt veri doloris. p.3.d.ult.n.10.

*Lætitia.*

Lætitia falſa Peccatorum. p.2.d.12.n.13.

*Laſcivia.*

Vide *Impudicitia.*

*Latro bonus.*

Ipſius converſione ne ſibi blandiantur Peccatores. p.3.d.1.n.27.

*Legata pia.*

Quàm injuſtè ab Hæredibus alienentur. p.1.d.20.n.17.

Quàm carò luant ejuſmodi alienationem. ibid.

*Lex Chriſti.*

Vide *Doctrina Chriſti.*

*Lex Peccati.*

Quomodo in nobis dominetur. p.1.d.1. n.5.

Cur iſto nomine appelletur Concupiſcentia. p.3.d.31.n.14.

*Liberalis.*

Quis ita dicendus? p.1.d.18.n.19.

Num talis ſit, qui abundanter largitur Conſanguineis? ibid.

Num liberales eſſe poſſint etiam Pauperes. n.3.

*Liberi & eorum educatio.*

Ad Doctrinam Chriſtianam mittendi ſunt. p.1.d.3.n.11.p.1.d.14.n.4.

Ijsdem maledicendum non eſt. p.1.d.14. n.8.p.1.d.16.n.15.p.1.d.9.n.4.5.&c.

Etiamſi ſint immorigeri. n.10.

Sæpè à DEO aut pænâ aut præmio afficiuntur propter malè, aut bene facta Parentum. n.7.

Virgis potiùs caſtigandi ſunt, quàm Verbis aut increpationibus. n.11.p.1.d. 14.n.7.8.p.1.d.19.n.15.

Etſi cum moderatione. p.1.d.9.n.11.

Facilè addiſcunt vitia ſuorum Majorum. n.18.19.p.1.d.14.n.13.14.15.p.3.d. 25.n.19.

Quantum in eo ſitum ſit, ut bene educentur. p.1.d.13.n.1.2.&c.

Et quidem à teneris annis. n.4.5.6.&c. p.1.d.16.n.15.p.1.d.19.n.5.

A prima infantia malitiam addiſcunt. p.1. d.13.n.d.13.p.1.14.n.15.

Quomodo eorum peccata in Parentes redundent. p.1.d.13.n.14.15.16.&c.

Dum parvi ſunt, ſeveriùs ſunt habendi, quàm cum jam adoleverunt. p.1.d.14. n.9.10.

Quàm proni ſint, ut ſequantur exempla Parentum. n.11.12.13.14.16.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Defflebunt tota æternitate pravam ſuam educationem. n.20.
Electio ſtatûs eorum arbitrio relinquenda eſt. n.2.3.&c.

*Liberi & eorum obligatio.*

Non poſſunt unquam Parentibus ſuis ſe ſatis gratos exhibere. p.1.d.15.n.1.
Nemini poſt DEUM plus debent. p.1.d.16.n.3.
Patribus honorem debent, à quibus vitam acceperunt, ſuſtentationem ob alimenta ſibi præbita, obedientiam ob educationem. p.1.d.6.n.2.3.&c.
Parentes in Senectute patienter ferre debent. n.4.5.6.&c.
Nec impiè accipere verbis. n.7.
Iidem conſulendi ijs ſunt circa electionem ſtatûs. n.8.p.1.d.15.n.6.p.1.d.25.n.13.
Tenentur ad eorum ſuſtentationem, ſi quando inhabiles evadunt ad labores. p.1.d.16.n.9.
Patri in æquali neceſſitate conſtituto citiùs tenentur ſuccurrere, quàm proprijs liberis. n.10.
Aut propriæ Uxori. n.10.11.
Imò quàm ſibi ipſis. ibid.
Hoc debitum etiam voto Religionis præfertur. n.12.
Quàm graviter delinquant, eorum ultimas voluntates & teſtamenta non exequendo. n.13.p.2.d.20.n.71.
Sæpè deficiunt in obedientia Parentibus debitâ, nec ſe de eo accuſant. p.1.d.16.n 14.15.&c.
Quando à DEO vocati non ſunt, Eccleſiaſticum ſtatum adire non debent, quia ita Parentibus placet. p.3.d. 24. n. 20.
Qua ex cauſa Pater degenerem filium poſſit domo expellere, non autem viciſſim filius Patrem ſceleratum. p.1.d.16.n.15.
Benedictiones Divinæ ijs promittuntur, qui Parentes honorant; maledictiones, qui eos irreverentiâ aut contumelijs afficiunt. n.16.17.

*Libertas.*

Libertas bona negata filijs à Parentibus quænam ſit. p.1.d.15.n.2.3.&c.
Quæ ſit libertas mala ab ijsdem ijs permiſſa. n.7.8.&c.

*Libertas in converſando.*

Vide *Converſatio.*

*Liberum Arbitrium.*

Non ſufficit, ut nos in occaſione proxima à lapſu ſervet. p.3.d.15.n.8.&c.
Nihil efficere poteſt, niſi Divinâ gratiâ adjuvetur. ibid.
Vide *Gratia Habitualis.*

*Libido.*

Vide *Impudicitia.*

*Lingua.*

In morbis omnium certiſſima ſigna ægritudinis exhibet. p.1.d.29.n.1.
Quibus organis à natura inſtructa ſit. p.1.d.30. n.4.p.1.d.10.n.1.
Quem in finem à DEO nobis conceſſa. p.1.d.29.n.28.
Quid ei timendum, qui linguam nimis liberam habet. p.1.d.9.n.21.
Quâ ratione frenanda ſit. n.22.p.1.d.10.n.21.22.&c.
Quæ ſint indicia feriò pœnitentis. p.3.d.17.n.9.
Lingua ab Inferno ſuccenſa quænam ſit. p.1.d.29.n.4.

*S. Ludovicus.*

S. Ludovicus Franciæ Rex quam nobilitatem

catem potiſſimùm magni fecerit. p. 2. d. 11. n. 4.
Noluit videre Chriſtum in ſacra hoſtia exiſtentem. p. 1. d. 3. n. 4.

*Luna.*

Quomodo figura ſit B. V. MARIÆ. p. 3. d. 34. n. 8.

*Luſus.*

Dividitur in tres ſpecies: qui eſt cum virtute, non valdè bonum, & malum. p. 3. d. 32. n. 2.
Qui cum virtute conſiſtit, rariſſimus eſt, in quo opus eſt magna moderatione, ſimplicitate, & honeſtate. n. 2.
Vitioſus, origo eſt mille malorum. n. 23. &c.
Huic ſe dedere, idem ferè eſt, ac animam ſuam perditioni objicere. n. 3. 4. 5. &c.
Cùm in eo perdatur ſobrietas erga ſeipſum. n. 4. 5. &c.
Juſtitia erga Proximum. n. 11. 12. &c.
Pietas erga DEUM. n. 17. 18.
Vitioſo luſui deditus nihil unquam lucratur. n. 10.
Quantum amittat perdendo tempus. n. 4. 5. 6. &c.
Pecunias, honorem, judicium, & omnia alia bona. n. 9.
Introducendo in ſuam familiam omnia mala. n. 11. 12. &c.
Exponendo animam inevitabili ruinæ. n. 14. 15. 16. &c.
Blaſphemiæ horrendiſſimæ in luſu proferuntur. p. 3. d. 32. n. 17.
Quantum DEO diſpliceat. n. 19.
Quando ſit proxima occaſio peccati, quando remota. p. 3. d. 15. n. 2.

*Luxuria.*

Vide *Impudicitia.*

# M.

*Maledicentia.*

Vide *Murmuratio.*

*Maledictio.*

Vide *Imprecatio.*

*Malitia.*

Quàm multò majus malum ſit, quàm ignorantia. p. 1. d. 1. n. 5.

*Malum culpæ.*

Superat malum pœnæ. p. 2. d. 11. n. 10. 11. p. 2. d. 6. n. 19.
Nunquam impunitum DEUS relinquit. p. 3. d. 12. n. 13. p. 1. d. 22. n. 16. p. 1. d. 20. n. 19. p. 3. d. 21. n. 2. 7. p. 2. d. 7. n. 6. p. 3. d. 19. n. 18.
Multò citiùs malum ſequimur, quàm bonum. p. 3. d. 33. n. 4.

*MARIA Virgo.*

Duas plenitudines gratiæ habet. p. 3. d. 34. n. 5.
Unâ capacitatis in ordine ad ſe ipſam. n. 6.
Alteram abundantiæ in ordine ad nos n. 7.
Quàm juſtè poſſimus confidere in ejus Patrocinio. n. 7. 8. 12.
Illius nomen quàm utile ad noſtram ſalutem. n. 9.
Et quàm ob hoc ipſum Venerabile. ibid.
Vera illi devotio, non falſa placet. n. 10.
In quo conſiſtat vera devotio. n. 3. 4. 11. 12.
Falſa quænam ſit. n. 10. 13.
Devoti MARIÆ dici poſſunt etiam illi Peccatores, qui eam invocant, ut poſſint à peccato reſurgere. n. 11. 12.
Non verò illi, qui eam colunt, ut in peccato etiam perſeverantes, pœnam effugiant. n. 13.
Non poſſunt ſibi ejuſmodi homines vana ſpe blandiri, dum vident magna beneficia

ficia à Virgine aliquando Peccatoribus fuiſſe conceſſa. n.4.
Nec tamen abſtinere debent ab ejus cultu, ſed corrigere intentionem. n.15.
Nunquam favet peccato. n.13.
Imò vult, ut etiam nos illud horreamus. n.16.
Execratur amatorias levitates, & ſaltus diebus ſibi ſacris inſtitutos. p.3.d.21.n.28.
Quantum paſſa ſit ad pedem ſanctæ Crucis. p.3.d.21.n.5.
Quantum horrorem oſtenderit ab omni etiam ſola umbra peccati. p.2.d.1.n.15.
Quantum viciſſim amorem erga Virginitatem. ibid. & p.1.d.25.n.10.

*Mariti.*

Quouſque indulgere debeant amori & reverentiæ ſuarum Conjugum. p.3.d.25. n.19.20.
Qua ratione eaſdem caſtigare. n.22.
Libenter auſcultant illarum conſilia. n.23.
Ne permittant, ut vano & inſolenti veſtitu utantur. p.3.D.30.n.8.
Quàm ineptè agant, dum eas ducunt ad comœdias, præſertim incorrectas. p.3. D.31.n.11.

*Matres.*

Liberis ſuis maledicentes, quàm graviter peccent. P.1.D.9.n.8.P.1.D.14.n.8. P.1.D.16.n.15.
Quam gravis culpæ ſe reas conſtituãt, dum ſe exponunt periculo abortûs. P.1.D.13. n.9.P.3.D.15.n.15.
Graviùs tamen peccant, quæ, ut crimen commiſſum occultent, fœtum expellunt aut perimunt. ibid.
Quàm graviter delinquant, filias ſuas non ſubducendo ſuſpectis familiaritatibus, aut etiam ad eas inducendo. P.1.D.14. n.17.P.1.D.15.n.7.8.14.&c.P.1. D19.n.3.4.5.P.2.D.11.n.15.
Permittendo iiſdem, ut exerceant amatorias levitates. P.3.D.28.n.2.&c.P.1.D.19. n.4.5.P.1.D.15.n.14.20.
Aut eas aſſuefaciendo vanitati. P.1.D.13.n. 11.P.1.D.14.n.16.P.3.D.30.n.11.
Quomodo olim potuerint gaudentes in victimas proprias proles Idolis offerre. P. 1.D.19.n.4.P.2.D.11.n.15.

*Matrimonium.*

Quantò nobilius poſt Chriſti adventum in Mundum, quàm antè fuerit. P.3.D.25. n.1.P.3.D.26.n.15.16.&c.
Cur magnum dicatur inter Sacramenta. ibid.
Honorandum eſt à Chriſtianis in eo, quod ipſum præcedit, videlicet in intentione illud contrahendi ex fine ſancto. P.3. D.25.n.2.3.&c.
Et in electione mediorum congruentium. n.4.&c.
Quæ ſunt oratio & obedientia. n.12.13.
In eo, quod ipſum comitatur, videlicet, præmittendâ peccatorum ſuorum Confeſſione. n.5.
Attendendo ad ſanctitatem operis, quod peragitur. n.16.17.18.
In eo denique, quod ipſum conſequitur, videlicet in mutua benevolentia ac reverentia conjugum erga ſe invicem. n.19.20.
An Matrimonia inita ex cœco amore conſtantiora ſint. n.6.p.3.d.28.n.2.4.&c.
Quantum iiſdem noceant peccata, per quæ nonnulli ſatagunt conjugium conſequi. p.3.d.25.n.7.8.9.10.
Qua ratione emendari debeant matrimonia pravâ intentione contracta. n.25.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Officium ea contrahendi Scriptura ſacra Patribus imponit, non filijs. p.3.d.25. n.13.

*Matthæus de Baſcio.*

Dæmonem patefacit Domino ſervientem in forma ſimiæ. p.2.d.13.n.12.
Sanguinem exprimit è veſte hominis injuſto lucro addicti. p.3.d.30.n.10.

*Memoria.*

Memoria peccatorum quantum proſit. p.3.d.17.n.5.6.&c.

*Mendacium.*

Triplex eſt, officioſum, jocoſum, & pernicioſum. p.1.d.30.n.2.
Solet hominum primum eſſe peccatum. n.9.
Alia vitia fovet. n.7.8.
Eſt vitium communiſſimum. n.9.10.
Quàm illud deteſtati ſint antiqui Chriſtiani n.11.
Quo odio id Deus proſequatur. n.27.
Nullam affert utilitatem etiam temporalem, ſed eſt ſummè pernicioſum. n.10. 11.14.
Veritatem reticere non ſemper eſt mendacium. n.13.
Quàm exectabile ſcelus ſit in Confeſſione mentiri. n.9.p.3.d.12.n.1.2.&c.

*Mendax.*

Tripliciter & graviſſimè quidem ſe reum conſtituit, peccando contra naturam, rationem, & fidem. p.1.d.30.n.1.&c.
Invertit intentionem Creatoris, quam habuit concedendo nobis linguam. n.4.
Tollit conſortium humanum. n.5.
Eſt diſcipulus Dæmonis. n.6.
Ejusque filius. ibid.

*Mercatores.*

Quàm falsò ut Eleemoſynarios ſe aliquando jactent, cùm tamen non ſint. p.1.d.26. n.6.
Quàm difficile ſit mercaturam exercentibus peccato abſtinere. ibid.
Id ſolùm certò & indubitatò poſſident, quod Deo donant. p.1.d.17.n.18.
Optima eorum negotiatio eſt cum pauperibus. p.1.d.17.n.27.
Falluntur, dum putant ſe lucraturos mentiendo. p.1.d.30.n.10.14.

*Meritum.*

Meritum de *Congruo*, & meritum de *Condigno* in quo differant. p.3.d.2.n.11.
Merita bonorum operum quo modo per peccatum emortua, virtute pœnitentiæ reviviſcant. p.2.d.7.n.14.p.2.d.13.n.7. p.3.d.11.n.14.

*Miſericordia.*

Quàm rara in divitibus. p.1.d.8.n.13.
Non ſufficit naturalis, ad hoc, ut eleemoſyna ſit meritoria. n.14.

*Miſericordia Dei.*

Quantum nos roboret in ſpe. p.1.d.4.n.4.
Dividitur in antecedentem, & conſequentè. p.3.d.1.n.23.
Conſequens (quæ amplectitur recens converſos) nulli negatur. ibid.
Antecedens (quæ peccatoris converſionem expectat, aut etiam ad eam vocat) multis negatur. ibid. p.1.d.5 n.28.
Præcipuè, qui peccandi conſuetudinem contraxêre. p.3.d.22.n.14.p.3.d.1. n.23.24.&c.
Quantum ſit beneficium, quòd Deus Peccatoris converſionem expectet. p.2. d.7.n.12.
Quanta gratia, quòd ad eam ultrò invitet. n.13.

Quan-

Quantum beneficium, quòd ſe convertenti iterum reconcijetur. n.14.
Etiam poſt quaſcunque iniquitates perpetratas. ibid. p.3.d.11.n.7. 8.9.&c.
Elucet mirabiliter ex his omnibus, quàm grave malum peccatum ſit, p.2.d.7. n.15.16.17.
Miſericordia efficit, ut Deus invitus puniat, non tamen efficit, ut ſinat peccata impunita abire. p.3.d.1.n.24.p.1.d.5.n.26. p.2.d.18.n.25.
Non ſequitur perverſam voluntatē peccatoris, ſed legem Divinam. p.1.d.4.n.11.
Exigit etiam noſtram cooperationem ibid.
Eſt infinita, nec tamen propterea ſine fine peccata condonat, p.3.d.1.n.22.
Non eſt, quòd ſpeciales gratiæ pluribus conceſſæ nos faciant præſumere de venia impetranda. n 27.
Eâdem ubi convenit, non abuti. p.1.d.5. n.30.p.3.d.18.n.17.
Nihilominus eá ferè ſemper abutuntur Peccatores. P.1.d.4.n.10.&c.p.2.d.7. n.15.
Illius finis eſt deſtructio peccatorum. p.2. d.7.n.16.
Etſi ſæpè peccatores impediant, ne tantum operetur, quantum vellet operari. n 17. p.3.d.12.n.5.
Hos vincere unicus victoriæ actus eſt, quem operetur. ibid.
Æſtimatio Divinæ Miſericordiæ, non opponitur timori Juſtitiæ, ſed potiùs eum confirmat. p.3.d.18.n.6.

*Miſſæ Sacrificium.*

Dæmonibus ſummo horrori eſt. p.1.d.12. n.1.
A Chriſto eſt inſtitutum, ut debita cum Deo contracta ſolvere poſſemus. n.2.
Quàm perfectè per illud primo debito ſatisfaciamus, quod eſt Deum pro dignitate Majeſtatis ſuæ honorare. n.3.4.
Quomodo ſecundum debitum expungamus, quod eſt eundem placare ob illatas injurias. n.5.6.7
Eidemque ſatisfacere. n.8.9.
Quomodo tertium ſolvamus, quod eſt Deo gratias agere pro beneficijs acceptis. n.10.11.12.
Denique quo modo quarto debito ſatisfiat, quod eſt Deum rogare, ut nova nobis beneficia conferat. n.13.14.&c.
Propter illud Deus Orbem mitiùs & minùs frequenter punit, n.6.7.
Eſt verum Sacrificium propitiatorium. n.9.
In quo conveniat, & differat à Sacrificio oblato à Chriſto in Cruce. n.9.
Quantum ſe coram Patre in illo Chriſtus demittat. n.3.8.p.3.d.4.n.12.p.3.d.24. n.10.
Offerre hoc Sacrificium, aut procurare, ut ab alijs offeratur, optimus modus eſt placandi Deum in adverſis. p.1.d.12. n.7.
Quomodo delicta noſtra deleat, n.8.
Quantò faciliùs exaudiamur à Deo, ſi quid in hoc Sacrificio ab ipſo petamus. n.14. 15.&c.
Illius efficacia contra tentationes. n.17.
Ut fructum ex eo capiamus, non corpore, ſed & animo præſentes adeſſe convenit. n.17.
Corpore quidem, ut Deo exhibeamus externam reverentiam. n.20.21.
Animo verò, ut internam, quæ in attentione conſiſtit, n.22.
Nec tamen debemus ſolùm aſſiſtere, ſed ſimul offerre. n.23.

Quod ſit offerendo Deo hoc Sacrificium ex quatuor motivis ſuprà memoratis. n.24.
Quàm exigua fides eorum ſit, qui aliud avidiùs non expectant, quàm finem Sacri. n.25.
Aut qui ſub eo peccant, cùm deberent Deum placare. n.25.26.
Pretium, quod pro eo Sacerdotibus datur, non eſt ſolutio Sacrificij. n.1°.

*Moderatio.*

Moderatio iræ, qua ratione eam conſequamur. p.1.d.20.n.1.2.&c.

*Monſtra.*

Cur à natura permittantur, cùm tamen eadem abhorreat. p.1.d 4.n.3.
Quid ſufficiat ad hoc, ut monſtra naſcantur. p.3.d.32.n.13.
Monſtrum horrendum eſt indigna ſumptio Sacræ Euchariſtiæ. p.3.d.10.n.2.3.&c.
Ob malum, quod in ſe continet. n.3.4.&c.
Et quod præſignat. n.15.16.&c.

*Mors.*

Olim credita ultima linea rerum. p.3.d. ult.n.1.
Sed poſtea fides nos docuit, quòd ea rerum principium ſit. ibid.
Summa ſolicitudine ad eam ſe parare neceſſe eſt. n.2.
Tum ob operis magnitudinem. n.3.14.
In quo ſi errorem admittimus, reparari porro non poteſt. n.5.
Quod tamen facillimè contingit. n.6.
Tum ob inexperientiam operantis. n.7.
Qui bono ſe non aſſuefecit in vita, aut carebit in morte Divino auxilio. n.7.
Aut ea ad ſalutem ſuam uti non ſciet. n.7. p.3.d.23.n.3.d.22.n.13.
Non poteſt ſpem ponere in Confeſſario, qui ei in extrema lucta aſſiſtet. p.3.d.ult. n.8.
Nec in Confeſſione, quam deſiderabit peragere. n.10.11.
Quia utrumque in fine vitæ incertum eſt. Ibid p.3.d.1.n.12.13.&c.
Non confidendum in morte, quam tranquillam plures etiam peccatores obierunt. p.3.d.ult.n.12.p.3.d.1.n.5.
Sed magis credendum eſt monitis Chriſti, qui vult, ut in ſingula momenta ad mortem parati ſimus. p.3.d.ult.n.13.n.14.
Vera ad mortem præparatio eſt bona vita. n.25.
Deinde ut crebrò nos exerceamus in ijs actibus; qui maximè à moribundo elici deberent. n.6.
Quod nobis non moleſtiam, ſed conſolationem afferre debet. n.7.
Qui malè vivit, malè moritur. p.1.d.4.n.10.&c.p.1.d.5.n.24.p.3.d.1.n.1.2.&c.p.3.d.18.n.15.16.17.&c.p.3.d.22.n.12.13.&c.p.1.d.4.n.24.
Mors tribus horrendis aſſultibus moribundos aggreditur: morbi doloribus, qui bonis operibus attendere nos non ſinunt. p.3.d.23.n.3.
Conſcientiâ, quæ de peccatis redarguit. n.7.8.&c.
Diabolicis ſuggeſtionibus, quæ in agone multò atrociores ſunt, quàm ullo alio tempore. n.15.16.&c.p.3.d.1.n.3.5.p.2.d.31.n.15.
Hæ ferè omnes in cogitationibus conſiſtent. n.15.16.p.3.d.16.n.17.
Admiſſo peccato mereremur, ut ſubitò mors ingrueret. p.2.d.n.7.12.
Veritates priùs incognitas patefacit. p.2.d.15.n.19.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Mors culpæ.*
Deterior eſt omni alia morte. p.2.d.11.n. 3.4 &c.
Etiam morte totius humani generis. n.6.7.
Eſt vera mors, etſi non appareat. n.8.9.
Quanta temeritas ſit, audere eam animæ inferre. n.7.8.15.
Innumeri ſunt, qui eam ſibi ipſis inferunt. n.13.
Omni ſtudio ab ea cavendum eſt. n.10.16. 17.

*Mortes peſſimæ Peccatorum.*
Vide *Exempla peſſimi interitus.*

*Mortificatio.*
Mortificatio appetituum defectum pœnitentiæ corporalis ſupplet in ijs, qui iſtam ſubire non valent. p.3.d.19.n.17.

*Mundus.*
Ex nihilo creatus quantopere manifeſtet magnitudinem Dei. p.2.d.3.n.3.&c.
Quot animas contineat. p.2.d.16.n.13.
Quàm ferus fuerit & incultus ante adventum Chriſti. p.1.d.1.n.14.p.2.d.5. n.6.
Et ab ipſo ad meliorem formam reductus. n.6.13.
Seneſcens in deterius labitur. p.3.d.31.n.5.
Ea propter à Chriſto excluditur in ſuis precibus. ibid.
Quantum lucri ei accreſcat, dum ſequaces nanciſcitur ex incorrectis Comœdijs. ibid.

*Murmuratio.*
Bonam æſtimationem proximi minuit, dum de eo vel falſa ſparguntur, aut vera, occulta tamen; vel etiam quæ nota ſunt, augentur, & amplificantur, ſi mala ſunt; aut ſi mala non ſunt, ita narrantur, ut mala eſſe appareant. p.1.d.29. n.2.
Comparatur homicidio. n.4.
Aliquando etiam ipſius cauſa eſt. ibid.
Gravior eſt contumeliâ. n.9.
Placet magnopere. n.11.
Non tamen eidem faciles aures præbendæ ſunt. n.11.
Nec fides habenda. n.12.
Nec alijs narranda. n.12.13.&c.
Imò oſtendi debet diſplicentia. n.15.
Ex quibus animi affectionibus oriatur. n. 19.20.21.
Eſt malum univerſaliſſimum. n.23.
Difficulter reſarcitur. n.24.25.26.&c.
Hinc in initio ſtatim reparanda eſt. n.29.

*Murmurator.*
Murmuratores ſeu detractores tres ſtrages ſimul inferunt. p.1.d.29.n.2.
Prima conſiſtit in fama Proximi abſentis, dum ei vitam ſaltem Civilem eripiunt. n.3.4.
Doloſè agunt inſtar proditorum. n.5.6.7. 8.9.
Secunda eſt in Conſcientia Proximi præſentis. n.10.
Hanc inferunt aut directè, efficiendo, ut Proximus ſcandalum accipiat. n.10.
Aut indirectè, faciendo, ut Proximus auſcultando detractiones delectetur, imitetur, aut ſaltem non impediat. n.11.12. &c.
Tertia eſt in anima propria. n.16.
Hæc oritur ex malitia peccati, quod committunt. n.17.18.19.20.21.22.23.
Et ex difficultate, quæ conſequitur in adhibendo remedio. n.24.25.26.&c.
Murmuratores antonomaſticè vocantur Peccatores. n.18.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magiſtrum ſeu Præceptorem Dæmonem habent. n.5.9.
Qui eos poſſideat. n.26.
Nec mortuis parcunt. n.22.

*Mutatio.*

Mutatio ſubita quando fiat. p.3.d.1.n.26.
Speranda non eſt in morte hominis, qui peccandi aſſuetudinem in vita contraxit. n.26.27.

# N.

*Nobilitas.*

Nobilitas Natalium quantò inferior nobilitate, quæ nobis in Baptiſmo confertur. p.2.d.11.n.4.5.p.2.d.8.n.7. p.3.d.5.n.3.4.

*Nomen Dei.*

Nomen Dei incommunicabile quo modo uſurpatum ab Hebræis. p.1.d.10.n.7.
Quam reverentiam exigat. n.5.6.&c.
Cur invocatum hoc tempore non ea prodigia operetur, quæ olim in primitiva Eccleſia. n.18.

*Nomen Mariæ.*

Quanti æſtimandum. p.3.d.34.n.9.

*Nomina.*

Ab Adamo rebus impoſita. p.2.d.22.n.1.
Nos malè imponimus nomina peccatis. ibid.

*Nuptiæ Chriſtianæ.*

Vide *Matrimonium*.

# O.

*Obedientia.*

Eſt primum tributum, quod Deus à nobis exigit. p.2.d.1.n.19.p.2.d.6.n.9. p.2.d.16.n.7.
Quænam ei obedientia à nobis debeatur. p.2.d.2.n.6.7.p.2.d.3.n.19.p.2.d.6.n.9.p.2.d.16.n.7.p.3.d.19.n.5.
Obedientia eſt unum ex tribis debitus, quæ filij habent erga Parentes. p.1.d.16.n. 8.14.
Quàm parum à multis obſervetur in ætate adulta. n.14.
Nihilominus pauci ſunt, qui, ſicut deberent, hac de re ſe in ſacro Tribunali accuſent. ibid.
Quantum conferat ad felicem ſtatum Matrimonij. p.3.d.25.n.13.14.
Rarò eſt in ædibus, in quibus paupertas dominatur. p.3.d.31.n.13.

*Obligatio.*

Obligatio liberorum erga Parentes in quo conſiſtat. p.1.d.16.n.2.&c. Vide *Liberi.*
Obligatio erga Deum, ad quæ capita reducatur. p.1.d.12.n.2.&c.
Vide *Miſſæ Sacrificium.*

*Oblivio.*

Oblivio peccatorum quàm noxia in Peccatore. p.3.d.17.n.5.6.&c.

*Obſtinatio.*

Conſequitur in peccatoribus ad cœcitatem intellectûs. p.2.d.10.n.1.
Illius principium parvum eſſe ſolet. n.2.&c.
Progreſſus tres gradus continet, ſcilicet facilitatem peccandi. n.5.
Peccatorum frequentem iteratione. n.6.7.
Et quòd in peccatum conſentiamus in quacunque levi occaſione conſtituti. n.8.
Confidentiam in peccando. n.9.
Quæ includit negligentiam remediorum. n.10.
Jactantiam de peccato. n.11.
Inſatiabilitatem peccandi. n.12.
Quæ definit in impœnitentiam finalem. n.13.

Termi-

Terminum prorſus horrendum. n.13.14.16.
Cauſæ extrinſecæ iſtius obſtinationis ſunt Dæmon. n.14.
Juſtitia Divina irritata peccatis. n.15.
Effectus illius ſunt, quod reddat inutile omne Divinum auxilium. n.18.
Ut eo etiam contra ipſum Deum abutamur. n.19.
Remedia ſunt: oratio. n.20.
Attendere ab initio & cavere lapſum. n.21.
Multò magis tamen cavere, ne lapſum parvi pendamus. n.22.

*Obſtinati.*

Obſtinati in malo non volunt audire Verbum Dei. p.1.d.2.n.4.5.
Eò denique deveniunt, ut Deum, ſi ita loqui fas eſt, fatigent. p.2.d.7.n.17.

*Occaſio.*

Occaſio mala fructum Verbi Divini tollit. p.1.d.2.n.17.
Hominem facit furem, magis tamen Dæmonem. p.1.d.24.n.19.
Occaſio maximus Dæmon eſt. p.1.d.15.n.12.
Eſt de neceſſitate eam vitare, præcipuè hominibus libidini ac ſenſui deditis. p.1.d.24.n.19.
Et quiſquis caſtus eſſe cupit. p.3.d.25.n.5.17.p.3.28.n.10.11.
Occaſio proxima, quæ ſæpe inducit in peccatum. p.3.15.n.2.
Remota, quæ rariùs. ibid.
Hominem in proxima occaſione relinquere, eſt una ex maximis pœnis, quæ nobis à Deo infligi poſſunt. p.2.d.9.n.14.p.2.d.10.n.15.16.
Eſt ex majoribus erroribus unus, qui committi queant à Confeſſarijs. p.3.d.15.n.11.12.&c.
Summo ſtudio nititur Dæmon impedire illius fugam. n.3.20.p.3.d.29.n.6.
Qui eam non vitat, nunquam bene Confeſſionem peragit. p.3.d.15.n.2.3.4.&c.
Vel quia certus eſt, ſe iterum relapſurum in idem peccatum. n.3.4.&c.
Vel quia jam relapſus eſt, dum nimiùm de ſe præſumpſit. n.14.15.&c.
Qui ſe occaſioni temerè exponit; non poteſt præſumere de Divina Gratia. n.4.5.6.
Nec confidere in viribus liberi ſui arbitrij. n.8.9.
Nec de auxilijs ſpem habere, quæ ipſum à lapſu ſervatura ſint. n.10.
Modum eaſdem vitandi ex ore Dei didicimus. n.9.
Præcipuè in Evangelio. n.7.
Qui iſtum non adimplet, oſtendit, ſe parvi facere Divinam gratiam. n.15.
Aut non proſequi vero odio peccatum. n.1.7.18.
Id ipſum præceptum, quod prohibet peccare, ſimul obligat, ut ut fugiamus occaſionem peccandi. n.15.16.
Lapſus frequenter iterati primariò proveniunt, quòd occaſionem non fugiamus. n.13.p.3.d.16.n.16.17.
Qui ſe in ſacro Tribunali de peccatis accuſat, primam curam eò intendat oportet, ut deinceps peccata fugiat. p.3.d.15.n.19.
Minuendo ſaltem periculum, ſi tamen omnino vitare poteſt. n.21.
Quod aliquoties in ea non cecideris, non eſt fidendum te neque nunc eſſe lapſurum. p.3.d.28.n.12.p.3.d.33.n.15.
Nec quia aliquibus bene ſuccedit, idem ſperandum eſt omnibus. p.1.d.15.n.18.

Oculi.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Oculi.*

Mala eorum & negligens cuſtodia malè conveni Virgini. p.1.d.25.n.17.p.1. d.15.n.8.9.
Quantam circa eoſdem ſollicitudinem Sancti adhibuerint. p.2.d.10.n.4.p.3.d.29. n.9.
In ſaltibus Dæmoni magnum lucrum afferunt. n.9.10.
Et in comœdijs. p.3.d.31.n.9.
Quare ſecundùm Chriſti conſilium non ſolùm ſunt eruendi, ſed projiciendi. p.3. d.15.n.7.
Ex ijs magna indicia internæ conſtitutionis deſumi poſſunt. p.1.d.15.n.7.
In Sacris litteris omnes tranſgreſſiones oculis adſcribuntur. ibid.

*Odium.*

Eſt averſio inveterata. p.2.d.6.n.6.
Naſcitur ex amore. n.5.
Non modò ſicut ira non obedit rectæ rationi, ſed eam neque audit. p.1.d.22.n.3.
In quo iram malitiâ ſuperet. n.9.10.
Nulli plus nocet, quàm qui eam animo fovet. n.4.5.
Id nobis prohibendo, ſingulari favore nos DEUS complexus eſt. n.6.
Non eodem modo ſe habet in omnibus. n.7.
Quale ſit odium, è ſignis exterioribus colligitur. n.8.9.10.14.15.
Difficulter tollitur. n.10.20.21.
Præcipuè in laſcivis & ſenſui deditis. n.19.
Vix ab eo ſe aliquis liberat ſine ingenti ſui victoriâ. n.12.
Facilè nobis imponit ſub larva juſtitiæ. n. 13.14.&c.
Quàm difficile ſit odiſſe peccatum in eo, qui nos offendit, & non odiſſe offenſorem. n.16.17.18.
Vincendum eſt conſideratione mortis. n. 25.26.27.
Et noviſſimorum. n.28.29.&c.

*Odium Dei contra peccatum.*

Inexplicabile eſt. p.2.d.6.n.2.3.&c.
Eſt odium eſſentiale. n.3.4.
Infinitum. n.5.
Nec ſolùm inveteratum, ſed æternum. n.6.
Hujus ſolius Deus capax eſt. n.7.
Oritur ex amore, quo Deus ſe ipſum proſequitur. n.8.9.&c.
Et ex amore, quo nos proſequitur. n.15.&c.
Odium noſtrum contra peccatum imitari debet odium, quod Deus habet contra id ipſum. n.18.19.20.&c.

*Omiſſiones.*

Sunt peccata magìs communia, & quotidiana inter Chriſtianos. p.1.d.5.n.14.
Aliæ pertinent ad charitatem, aliæ ad juſtitiam. ibid.
Quantopere timendæ & cavendæ ſint. n. 13.14.
Facillimè nos fugiunt in Confeſſione. ibid. p.3.d.16.n.3.

*Opera Bona.*

Sunt veluti primogeniti animæ partus. p.2.d.13.n.1.p.2.d.11.n.5.
Valor eorum ob ipſorum principium, quod eſt Chriſtus, qui vera cauſa efficiens illorum meriti eſt. p.2.d.13.n.2.
Et cauſa exemplaris. n.3.
Et ob eorum terminum, qui eſt cæleſtis gloria. n.4.
Frequenter facienda ſunt. p.1.d.6.n.12.
Perduntur admiſſo peccato. p.2.d.13.n.5.
Quomodo reviviſcant virtute pœnitentiæ. n.7.

Facta

Facta in ſtatu peccati, non merentur præmium æternum. n.9.10.
Etſi poſſint morari damnationem. n.11.12.
Obtinent bona temporalia. n.14.
Sunt diſpoſitio remota ad gratiam. n.15.
Aſſuefaciunt ad bene operandum. n.16.
Prudens conſilium eſt præmittere ad ea Confeſſionam Sacramentalem. n.17. 18.&c. p.1.d.6.n.11.
Indicia ſunt veri doloris in Pœnitente. p.3. d.17.n.16.17.&c.
Sine illis non ſufficit oratio ad ſalutem, p.1.d 6.n.9.10.&c.
Nec ſufficit nomen Chriſtiani. p.3.d.22. n.15.p.3.d.5.n.18.19.&c.

*Opera Servilia.*

Opera Servilia, quaſi ſervilia, & pluſquam ſervilia diebus feſtis prohibita, qualia ſint; p.1.d.11.n.5.

*Oratio.*

Quomodo definiatur. p.3.d.2.n.2.
Eſt neceſſaria ad ſalutem. p.1.d.6.n.3.4.&c. p.3.d.2.n.3.&c.
Cujuscunque conditionis hominibus. p.1. d.6.n.15.
Eſt neceſſaria neceſſitate præcepti. p.3.d.2. n.3.4.&c.
Fundati in noſtra utilitate. n.3.4.&c.
Et honore Divino. n.7.
Et eſt de neceſſitate medii. n.8.9.&c.
Vide. *Gratia actualis.*
Eſt diſpoſitio, qua certi reddimur de perſeverantia finali. n.11.&c.
Aliquibus non modò medium neceſſarium, ſed unicum eſt ad converſionem. n.13. p.3.d.22.n.18.
Eſt efficaciſſima ad obtinendam animæ ſalutem. p.3.d.2.n.15.16.&c. p.3.d.3. n.15.&c.
Tum ex ipſa natura orationis, quæ vim habet movendi. p.3.d.2.n.15.
Tum ex promiſſione Dei, quòd velit orantes exaudire. n.17.
Quodammodo violentiam DEO infert. n.18.
Quàm multi eam omnino negligant. n.20.
Aut peragant negligenter. n.21.p.2.d.10. n.20.
In Inferno patebit, quanta inſania fuerit eam neglexiſſe. p.3.d.2.n.21.
Ut ea efficax ſit, neceſſe eſt omnem amorem peccati deponere. p.3.d.3.n.3.4.
Deinde ne petantur res inutiles, noxiæ, aut cultui Divino adverſantes. n.5.6.
Cùm iſtæ non concedantur, niſi quandoque in ſupplicium orantis. n.6.
Quoad modum orandi, neceſſe eſt, ut fiat cum fide, quantum ad intellectum, & cum fiducia, quantum ad voluntatem attinet. n.10.
Cum perſeverantia; n.11.
Etiam indefeſſâ. n.12.13.
Quare Deus non ſtatim exaudiat. n.13.14.
Quàm ſtudiosè Dæmones conentur orationem impedire. n.17.
Requirit conſtantiam animi. n.16.
Roboratur jejunio & efficacior redditur. p.3.d.20.n.9.10.
Et ſi per manus Sanctorum offeratur. p.3. d.35.n.12.
Eſt propria occupatio diebus feſtis; p.1. d.11.n.26.
Oratio, quam alii pro nobis offerunt, bona quidem eſt, non tamen ſufficiens. p.1. d.6.n.8.

*Ordo Sacer.*

Neceſſarius erat in Eccleſia Chriſti. p.3. d.24.n.1.
Dividitur in tres Hierarchias. n.2.

Earum officia. ibid. &c.
Quàm malè tribuatur, aut ambiatur ab iis, qui digni non ſunt. 15.16.17.

*Otium.*

Ex natura ſua omnia corrumpit. p.1. d.3.n.13.
Docet omne malum. p.1.d.11.n.13.
Otium ſanctum diei feſti debet eſſe ceſſatio à labore, quæ tamen ordinetur ad operationes ſanctas. ibid.

# P.

*Parochus.*

Vide *Paſtores Sacri*.

*Paſſiones.*

Quomodò concurrant ad excœcandum intellectum. p.2.d.9.n.8.9.
Non convenit iis obedire. n.10.

*Paſſio Chriſti.*

Diluvium fuit pœnarum p.2.d.21.n.1.&c.
Prima illius ſcaturigo fuit Cor Chriſti exiſtens in tenerrimo corpore, compacto ex puriſſimo ſanguine Virginis MARIÆ. n.3.
Per Spiritum Sanctum. n.4.
Ob excellentiam animæ, quæ illud inhabitavit. n.6.
Ut graviores pœnæ efficerentur, concurrit inſuper amor erga Patrem Cœleſtem, quem perfectè Chriſtus cognovit. n.8.
Amor erga homines. n.9.
Quorum peccata ante oculos habebat. n.9.
Damnationem. n.10.
Et ſecuturam ingratitudinem. n.9.10
Quæ omnia clariſſimè perſpexit primo ſtatim inſtanti ſuæ Conceptionis. n.11.
Secunda origo iſtius diluvii fuere inimici Domini ex diverſo hominum genere. n.12.
Inſtigati à Dæmone. ibid.
Et inſtructi acerbiſſimis inſtrumentis ad eum cruciandum. n.13.14.15.
Tertia origo fuit Divina juſtitia. n.16.
Quæ ſe totam in Chriſtum exoneravit. ib.
Tractando eum non modò ut peccatorem, ſed ut ipſum peccatum. ibid.
Dolores illius ſimiles doloribus Inferni. n.17.18.19.
Ex paſſione dignoſcitur atrocitas peccati. n.20.
Imò magis eam demonſtrat paſſio, quàm ipſe Infernus. n.21.

*Paſtores Sacri.*

Obligantur amovere ignorantiam à ſuis ſubditis. p.1.d.1.n.12.p.1.d.14.n.5.
Utilia ad Concionem dicere. p.1.d.2.n.10.
Cum ardore animis Auditorum imprimere. ibid.
Eosdem corrigere, ſi quando delinquunt. p.1.d.19.n.2.
Quantum gaudium Inferno afferant Paſtores muti. p.1.d.14.n.5.

*Pater.*

Patres quot peccata committant propter liberos ſuos. p.1.d.13.n.8.9.10.&c.
Quot peccatorum in filiis cauſa ſint. n.14.15.&c.
Tenentur eos erudire in bono. p.1.d.14. n.3.
In quo præcipuè. n.3.4.6.
Et corrigere in malo. n.7.
Quâ ratione. n.8.9 &c. & p.1.d.19 n.15.
Quantum deficiant à ſuo munere, dum non modò non docent, quæ bona ſunt, & mala non reprehendunt, ſed etiam mala

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mala docent, & bona vilipendunt. p.1. d.14.n.11.&c.
Eorum exemplum quàm efficax ſit. n.11. 12.13.&c.
Etiam in infantibus. n.15.
Quàm eos dedeceant verba obſcœna. n.14.
Nulli filiorum plùs quàm alteri addicti ſint. p.1.d.19.n.15.
Non malè imprecentur. p.1.d.16.n 15.
Peccant eos non ſubducendo familiaritatibus ſuſpectis. p.1.d 15.n.14.
Magìs deflere debent eorum animæ interitum, quàm corporis. p.2.d.11.n.13.14.
Ne eos promoveant ad ſacros ordines ob proprium commodum. p.3.d.24.n.17. p.1.d.7 n.10.p.1.d.15.n.3.
Quam libertatem ijsdem permittere debeant, quam negare. p.1.d.15.n. 2.3.&c.
Vide *Educatio*, *Liberi*. &c.

*Patientia.*

Eſt loco pœnitentiæ. p.3.d.19.n.17.
Eſt neceſſaria in adverſis. p.2.d.14. n.13.&c.
Patet in his, quis ea præditus ſit. p.1,d 7. n.12.
Acquirimus eam conſiderando, quòd omnia mala pœnæ à DEO proveniant. n.13.14.&c. p.1.d.20.n.24. p.3. d.19.n.17.
Et quòd omnia mala, peccatis noſtris meriti ſimus, etiam ut DEUS nobis patientiam non concedat. p.2.d.14.n.11.
Obtinetur etiam prævidendo adverſa, quæ nos turbare queunt, & contra illa fortiter nos armando. p.1.d.20.n.13. 14.15.
Eſt certum ſignum Divini amoris. p.1. d.7.n.11.12.13.

*Patrini.*

Cur in Baptiſmo adhibeantur. p.1.d.14. n.4.

*Pauperes.*

Pauperes & Divites quem in finem à DEO intenti in hoc Mundo. p.1.d.17.n.5. p.2.d.14.n.5.
Referunt Perſonam Chriſti. p.1.d.18.n. 15.16.
Quanam ſit obligatio ijs ſuccurrendi in neceſſitatibus extremis, gravibus, & Communibus. p.1.d.17.n.8.9.10. 11.&c.
Nunquam magis deſeruntur, quàm cùm potiſſimùm iisdem deberemus ſuccurrere. n.14.p.1.d.26.n.7.
Quo in honore fuerint apud Sanctos. p.1. d.18.n.8.p.2.d.14.n.4.
Non ſunt accipiendi verbis contumelioſis. p.1.d.18.n.9.
Nec nimiùm examinanda illorum neceſſitas. n.10.11.
Proniores ac faciliores ſunt ad dandam eleemoſynam, quàm ipſi Divites. p.2. d.14.n.11.12.
Si Pauperes furantur à Divitibus, plura contra hos furta committunt Divites. p.1.d.26.n.4.5.6.

*Paupertas.*

Quàm utilis ſi voluntaria. p.3.d.32.n.9.
Quàm noxia, ſi ſit involuntaria. n.9.11. 12.&c.
Difficulter hæc conjungitur cum honeſtate. n.13.p.1.d.17.n.29.
Et cum ſeria voluntate non peccandi p.1. d.14.n.5.
Ferè ſemper inhabitat domos luſorum. p.3. d.32.n.11.&c.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Pax.*

Eſt tranquillitas ordinis bene diſpoſiti. p.1.d.22.n.3.

Qui eam negat inimico, ipſe pace frui non poteſt. n.3.4.5.&c.

Nec eam habere cum DEO. n 7.&c.

An detur obligatio pacem cum inimico initam chirographo firmandi. n. 12. 13.&c.

Quænam ſit propria pax Chriſtianorum. p.1.d.20,n.19.

Vide *Inimicus*, *Odium*. &c.

*Pax animi.*

Non reperitur in anima peccatrice. p. 2. d.4.n.8.p.3.d.12.n.12.

*Peccator.*

Conatur efficere, ut DEUS non ſit, aut ſaltem non ſolus ſit DEUS. p. 2. d.4. n.5.

Tractat DEUM ut creaturam, ſe verò ut DEUM. p.2.d 6.n.9.10. p.2.d.1. n.8.19.

Obligat DEUM ad ſibi ſerviendum in ſuis ſceleribus. n.10.p.2.d.4.n.15.

Abutitur DEO contra DEUM. ibid.

Impedit primarium effectum Mortis Chriſti. p.2.d.5.n.21.p.2.d.2 n.17.

Et renovat illius cauſam. p.2.d.5.n.22.23.

Quantum ad ipſum attinet, eſt Deicida. p.3.d.19.n.5.

Sperat, ubi ſperare non debet, & ſpem deponit, ubi ſperare deberet. p.1 d.4. n.9.10.&c. p.2.d.9.n.7. p.3.d.14. n.5.

Media ſibi proponit ut finem, & finem convertit in media. p.1.d.6.n.19.20. p.2.d.6.n.12.

Res animam concernentes ſibi pro libitu ſuo fingit. p.1.d.5.n.25.

Nihil magis negligit, quàm ſeipſum. p.1. d.6.n.19.p.2.d.9.n.5.

Et ultimum ſuum finem. n.20.p.2.d.9. n.6.7.

Quantum aberret, dicendo ſe Dominum ſui ipſius. p.2.d.2.n.18.19.

Quàm temerarius ſit opponendo ſe DEO. p.2.d.3.n.17.18.

Et præſumendo de ſe ipſo. p.1.d.4.n. 10.22.

Culpam ſuorum defectuum in DEUM rejicit. p.2 d.16.n.12. p.3.d.17.n.13.

Quantum amittat, abſque hoc, quòd ad jacturam advertat. p.2.d.8.n.1.2.&c. p.2.d.13.n.1.2.&c. p.2.d.19.n.1. 2.&c.

Sibi ipſi malum longè maius infert, quàm ab ullo alio pati poſſet. p.2.d.11.n. 10.&c.

Se decipit, ſi ſperat per ſcelera felicem ſe reddere. p.1.d.4.n 18. p.2.d.12.n.1. 2.&c.

Pacem animi nequit obtinere. p.2.d.4. n.8.p.3.d.12.n.12.

Pejoris conditionis eſt, quàm beſtiæ. p.2. d.12.n.14.15 &c.

Quam Confuſionem paſſurus ſit in extremo judicio coram univerſo Mundo.p.2. d 17.n.12.13.&c.

*Peccatores habituales.*

Peccatores, qui peccandi aſſuetudinem aliquando contraxère, fugiunt verbum DEI. p.1.d.2.n.4.5.

Et ſi audiunt, non attendunt. n.12.

Si attendunt, ludibrio habent. n.11.

Non rumpunt peccata, ſed interrumpunt. p.1.d.2.n.15.p.3.d.16.n.12.

Semper evadunt ineptiores ad converſionem. p.1.d.5.n.17.18.p.2.d.9.n. 12.&c. p.2.d.10.n.1.2.&c. p.3.d.14. n.7.

n.7.p.3.d.16 n.10.11.15.18. p.3. d.18. n.15.16.17.&c. p.3.d.22.n.5.6.&c. p. 3.d.23.n.17.
Fatigant Miſericordiam DEI, p. 2. d. 7. n.17.
Malè pereunt, p.3.d.1.n. 1.2.&c, p.3.d. ult.n.7.8,&c.p.1.d.31.n.17.
Aliud medium ad ſalutem procurandam aliquando non habent, quàm orationem. p.3.d.2.n.13. p.3.d.22.n.18.
In morte etſi tranquilli ſint, ſecuri tamen non ſunt. p.3.d.1.n.5 p.3.d.ult.n.12.
Quæ media habeant, ut ſe convertant ad DEUM. p.3.d.12.n.15.16.&c.
Dæmon ipſis pro libitu dominatur. p.3. d.23.n.17.

*Peccatores Recidivi.*

Vide *Recidivus.*

*Peccatores Scandaloſi.*

Vide *Scandalum.*

*Peccatum.*

Eſt vera Dei injuria. p.2.d.1.n.4.5.&c. p. 2.d.6 n.12.p.3.d.19.n.4.5.&c.
Non ſolùm abſolutè, ſed etiam comparativè. p.2.d.1.n.6.&c.
Eſt injuria commiſſa in conſpectu DEI. n. 10.&c. p.2.d.4.n.16.17.&c.
Pro bono nullius momenti. p.2. d.1.n. 15.&c.
Etſi vera injuria ſit, DEO tamen non nocet. p.1.d.1.n.19. p.2. d.6. n.12. 13. p.3.d.19.n.5.
Nec quidem ſi peccator habeat intentionem nocendi. p.2.d.1.n.19.20. p.2. d.7.n.9.
Si DEO non præjudicat in bonis intrinſecis, præiudicat ſaltem in extrinſecis. p.2.d.6.n.12.
Ita ſe habet, ac ſi ei noceret. n.14.
Complectitur in ſe omne genus injuſtitiæ. p.2.d.2.n.1.&c.
Oppugnat unitatem DEI, p. 2. d.4. n. 4.&c.
Et Trinitatem. n.4.15.&c.
Eſt idololatria non intellectûs, ſed voluntatis. n.5.6. p.2.d.6.n.9.p.3.d.19. n.5.
Eſt uſurpata Divinitas. p.2.d.6.n.9. p.2. d.22.n.22. p.3.d.19.n.25.
Eſt contradictorium DEI, p.2.d.6.n.10.11.
Eſt DEI annihilatio ſaltem deſiderio intenta. p.3.d.19.n.5.
Opponitur beneficio Incarnationis. p.2. d.5.n.1.2.&c.
Scilicet exemplis Chriſti. n.9.
Doctrinæ Chriſti. n.14.
Et paſſioni Chriſti. n.20.21.&c.
Plùs DEO diſplicet, quàm placeant omnes operationes Juſtorum. p.3.d.6.n.5.
Proſequitur id DEUS odio eſſentiali, infinito, æterno, unico. n.3.4.&c.
Gravius Chriſto accidit omnibus ſuis doloribus. p.2.d.5.n.23.
Ipſius malitia complectitur omnem rationem mali poſſibilis. p.2.d.22.n.21.
Illius latitudo, altitudo, longitudo, & profunditas, n.21.22.&c.
Summè diſtat à primo principio. n.23.
Peius eſt omni malo pœnæ. p.2.d.11.n. 10.11.
Atque ipſo inferno. n.10. p.2.d.18.n.25.
Per omnes ſuas extrinſecas operationes DEUS illius deſtructionem intendit. p. 2.d.7.n.5.6.&c.n.16.17.&c. p.2.d.21. n.21.

*Peccatum & illius Cognitio.*

Quàm parum apprehendatur ab hominibus. p.2.d 15.n.19. p.2.d.16.n.17. p.2.d.1.n.1. p.2.d.22.n.1.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Non poteſt à nobis in hac vita ſufficienter cognoſci, quemadmodum in ſe eſt. p. 2. d. 1. n. 9.
Solus Deus id cognoſcit. p. 2. d. 16. n. 22.
Ut illud etiam nos cognoſceremus, inſtituit Deus diem extremi judicii. p. 2. d. 7. n. 18. p. 2. d. 17. n. 14.
Ad excitandum illius horrorem neceſſe eſt, ſtudere illius cognitioni, quantum poſſibile eſt. p. 2. d. 1. n. 3. 17. 18. p. 3. d. 13. n. 11. p. 3. d. 19. n. 15. p. 1. d. 24. n. 2. p. 2. d. 9. n. 9. p. 2. d. 16. n. 22.
Quantum horrorem ipſius habuerint, qui bene id cognoverunt. p. 2. d. 6. n. 7. p. 2. d. 21. n. 9. p. 2. d. 19. n. 9. p. 2. d. 22. n. 7. p. 2. d. 1. n. 17. p. 1. d. 31. n. 9.

*Peccatum & illius effectus.*

Summum damnum affert peccanti. p. 2. d. 6. n. 15. 16.
Omnibus nocet. p. 2. d. 22. n. 21.
Privat nos gratiâ Sanctificante. p. 2. d. 8. n. 1. &c. p. 2. d. 11. n. 6. 7. &c. p. 3. d. 5. n. 10. 11.
Tollit gratiam nos adjuvantem. p. 3. d. 18. n. 17. 18. &c. p. 2. d. 9. n. 7. 12. p. 2. d. 10. n. 15. &c. Vide *Gratia efficax.*
Excœcat intellectum Peccatoris. p. 2. d. 9. n. 1. 2. &c. p. 3. d. 23. n. 11. p. 1. d. 1. n. 6.
Obdurat voluntatem. p. 2. d. 10. n. 1. 2. &c.
Occidit animam. p. 2. d. 11. n. 1. 2. &c.
Adducit miſerias etiam temporales. p. 1. d. 4. n. 18. p. 2. d. 12. n. 1. 2. &c.
Pejorem efficit ipſis beſtiis. n. 14. 15. &c.
Deſtruit meritum bonorum operum, quæ peccatum præceſſerunt, p. 2. d. 13. n. 5. 6.
Impedit meritum illorum operum, quæ peraguntur in ſtatu peccati, n. 9. 10. &c.
Mutat in materiam noſtræ damnationis proſpera & adverſa ordinata aliàs ad noſtram ſalutem, p. 2. d. 14. n. 1. 2. &c.
Eripit Cœlum. n. 13.
Blanditur, ut prodat. p. 2. d. 22. n. 25.
Nocet inſenſibiliter, nec apparet. p. 2. d. 11. n. 9.
Plus damni homini infert, quàm ei nocere poſſint omnes Dæmones ſimul. p. 2. d. 11. n. 12.
Imò quàm ei directè damnum inferre poſſit Divina juſtitia. ibid.

*Peccatum & ejus pœna.*

Quàm ſeverè punitum ſit in Angelis DEO rebellibus. p. 2. d. 15. n. 1. 2. &c.
In Adamo. p. 2. d. 16. n. 1. 2. &c.
Et etiamnum in tota Poſteritate. n. 10. 12. &c.
Quàm ſeverè puniatur in Inferno. p. 2. d. 18. n. 1. 2. &c.
In purgatorio. p. 2. d. 20. n. 1. 2. &c.
Non poteſt impunitum abire. p. 3. d. 12. n. 13. p. 1. d. 22. n. 16. p. 1. d. 20. n. 19. p. 2. d. 7. n. 6. p. 3. d. 21. n. 2. 7. p. 3. d. 19. n. 18.
Etſi non ſemper ſubitò plectatur. p. 2. d. 12. n. 6.
Cur mereatur pœnam æternam. p. 2. d. 1. n. 22. p. 2. d. 3. n. 20.
Illius mala pœnæ commenſurantur malo culpæ. p. 2. d. 12. n. 12.
Non plectitur quantum meretur. p. 2. d. 7. n. 11. p. 2. d. 18. n. 24.
Unum peccatum eſt pœna alterius peccati. p. 2. d. 11. n. 10. 11. p. 3. d. 18. n. 8.

*Peccatum actuale.*

Renovat in nobis omnia mala invecta ab originali peccato. p. 1. d. 1. n. 6. p. 2. d. 9. n. 11. p. 1. d. 5. n. 17. p. 2. d. 12. n. 3.
Unum trahit alterum poſt ſe. p. 2. d. 10. n. 21.
Non ſunt omnia æqualia. p. 2. d. 22. n. 2.
Externum deſumit ſuam malitiam ab interno. p. 1. d. 31. n. 5.

*Peccatum originale.*

Quantum damnum homini attulerit. p.1. d.1. n.2. 3. &c. p.2. d.16. n.10.11. &c. p.3.d.20.n.2.&c.

Hæc damna omnia renovantur quovis peccato actuali. p.1.d.1.n.6. p.2.d.9.n.11. p.1.d.5.n.17.

Eſt unum in ſe, ſed ſimul radix omnium,& innumerabilium peccatorum. p.2.d.16. n.14.

*Peccatum Habituale.*

Vide *Aſſuetudo mali.*

*Peccatum omiſſionis.*

Vide *Omiſſio.*

*Peccatum in cogitatione conſiſtens.*

Vide *Cogitatio.*

*Peccatum veniale.*

Aliud fit deliberatè, aliud indeliberatè. p. 2.d.22.n.1.

In quo diſtinguatur à peccato mortali, ibid. & n. 18.

Eſt malum graviſſimum ſecundùm ſe tollens animæ nitorem. n.3.

Eſt malum reſpectu DEI, cuius gloriam minuit. n.4.

Leve dicitur in genere peccati, ſed non in genere mali. n.5.6.7.

Eſt malum graviſſimum quoad effectus, quia diſponit ad mortale aut directè, aut indirectè. n.8.

Indirectè dum minuit fervorem charitatis. n.8.

Aſſuetudinem ad virtutem. ibid.

Et perfectam conformitatem cum voluntate DEI. n.9.

Reddit nos indignos ſpeciali gratiâ. n.10. 11.12.

Directè peccata venialia diſponunt ad mortale, quia facilis lapſus eſt à parvo ad magnum. n.13.

Præcipuè in eodem genere. n.14.

Sunt mala graviſſima quantum ad pœnas, quas Deus etiam in hoc Mundo propter illa immittit. n.15.

Et quæ nos manent in altera vita. n.16.17.

Quàm bene ex veniali peccato deſumatur gravitas mortalis. n.18.

Quantopere proinde venialia ſint fugienda. n.19.20.

Si nos non terrent gravitate ſua, terrere ſaltem debet eorum frequentia. n. 10.

*Pecuniæ.*

Inſatiabiliter amantur. p.1. d.26. n.1.2. &c. p.1.d.27.n.10.11.&c.

*Periculum.*

Periculum proximum. Vide *Occaſio.*

*Perjurium.*

Gravius peccatum eſt homicidio. p. 1. d. 10.n.16.

Quàm graviter à Deo puniatur. n.12.15.

Quàm ſeverè olim ab Eccleſia punitum fuerit. n.16.

*Perjurus.*

Perjuri provocant furorem Dei. p.1.d.10. n.12.

Avertunt à ſe protectionem Cœlitum. n.16.

*Perſecutio.*

Perſecutiones juſtorum aliæ ſunt apertæ, aliæ occultæ. p.3. d.6. n.2.3. &c. p. 1. d.21.n.8.

Contra eas à Chriſto inſtitutum eſt Sacramentum Confirmationis. p.3. d.6.n.2. 3.&c.

Eis reſiſtendum animo forti. n.17.

Quantum noceant ſuis auctoribus. n. 16. p.1.d.21.n.9.10.&c.

*Perſeverantia finalis.*

Non poſſumus eam condignè mereri. p. 3. d.2.n.11.

Non

Non obtinet[ur] ſine oratione. ibid.
Oratione au[te]m infallibiliter eam conſequimur. n.19.

*Peſtis.*

Peſtis graviſſima eſt converſatio nimis libera. p.3.d.33.n.1.2.&c.
Vide *Converſatio*.

*S. Petrus.*

Cur à Chriſto tam acriter reprehenſus, dum ſe oppoſuit illius paſſioni. p.1.d.21. n.11.

*Phocas.*

Phocas Imperator à ſuo peccato proditus. p.2.d.12.n.5.

*Pœna.*

Pœnæ à Deo irrogatæ honorem reſarciunt eidem ereptum. p.2.d.6.n.12.
Parum timentur ab hominibus. p.2.d.15. n.1.
Solent à Deo differri. n.12.13.
Non infliguntur niſi prævia monitione. p.2.d.17.n.2.
Quàm conveniat eas ſubmiſſo animo acceptare. p.2.d.7.n.4. p.2.d.14.n.13. &c.
Quàm malum ſignum ſit, ſi quis iis deterior reddatur. p.2.d.10.n.9. p.2.d.14. n.20.
Pœna Angelis inflicta manifeſtat peccati gravitatem. p.2.d.15.n.17.
Uti & ſupplicium Adami. p.2.d.16.n.10.
Ac Poſterorum. n.11.&c.
Pœnæ irrogatæ ob venialia peccata. p.2. d.22.n.15.&c.
Pœna minor majórve in hac vita non ſemper arguit majorem, minorémve peccati gravitatem. p.2.d.7.n.6.
Pœnæ variorum ob varia peccata. Vide *Exempla*.

*Pœnitens.*

Pœnitentes quàm clementer à Deo accipiantur. p.3.d.11.n.9.10.&c.
Non minus potentes ſunt apud Deum, quàm innocentes. n.15.
Quantam gloriam Deo afferant ſincera Confeſſione. p.4.d.12.n.2.3.&c.
Et quantum ſibi ipſis bonum. n.6.7.&c.
Non poſſunt iiſdem peccata ſua ampliùs eſſe dedecori. n.10.
Quo ſigno diſcernantur Pœnitentes veri à falſis. p.3.d.14.n.13.14. p.3.d.17.n. 2.3.&c.
Nunquam ſibi nimiùm fidant in occaſionibus relabendi p.3.d.15.n.3.4.&c. p. 3.d.16.n.16.&c.
Si parum ſolliciti ſunt de peccato commiſſo, eò quòd jam remiſſum ſit, injuriam Deo inferunt. p.3.d.19.n.9.10.&c.
Nunquam illius memoriam deponere debent. p.3.d.17.n.5.6.&c.
Conſervare debent in corde ſuo perpetuum quoddam odium contra ſe ipſos. n.18. p.3.d.19.n.10. p.3.d.20.n.4.
Et contra ſuum peccatum. p.2.d.6.n.20.
Id maximè eos affligere deberet, quòd porrò efficere nequeant, ne peccatum commiſſum aliquando fuerit. p.3.d.13.n.5. p.3.d.18.n.5.
Attendendum iis eſt, ne plus averſentur malum pœnæ, quàm culpam. p.3.d.13. n.4.
Vita iis diuturna optanda eſt, ut diu poſſint deflere peccata ſua. p.3.d.17.n.8.21.

*Pœnitentia.*

Non poteſt niſi temerariè differri in finem vitæ. p.3.d.1.n.1,2.&c. p.3.d.ult. n.7.8.&c.
Bona per peccatum amiſſa nobis reſtituit. p.3.d.11.n.14.

Etiam

Etiam cum fœnore. n.15. p.3. d.13.n.6. p.3.d.17.n.18.
Quæ ſigna ſint veræ pœnitentiæ. p.3.d.17. n.1.2.&c.
Quò inconſtantior eſt, eò magis ſuſpecta eſt, quòd vera non ſit. p.3. d.22.n.3.4. p.3.d.1.n.14. p.3.d.14.n.8. p.3.d.17. n.19.20.
Duas habet facies, quarum una præterita reſpicit, alteram convertit ad futura, p.3.d.16.n.8.
Eſt ſummè neceſſaria, quisquis peccati ſibi conſcius eſt. p.3.d.13.n.8.

*Pœnitentia Corporalis.*

Eſt neceſſaria propter offenſum, qui eſt Deus. p.3.d.19.n.2.3.&c.
Et eſt neceſſaria reſpectu offendentis, qui eſt homo. n.9.
Qui hanc negligit, malum de ſe judicium præbet. n.10.
Neceſſaria eſt etiam ſcientibus peccatum ſibi remiſſum eſſe. n.11.
Et hoc propter vitam præteritam, cùm non conveniat inire pacem cum corpore, quod inimico nos prodidit. n.10.11.
Tum propter ſtatum præſentem, ut ſatisfaciamus reatui pœnæ, & aſſuetudinem mali contractam extirpemus. n.12.
Tum propter futuram, ut impediamus relapſum. n.13.
Quàm ſeveram pœnitentiam exercuerint antiqui Chriſtiani. n.14. p.3.d.21.n. 8.9.
Non agimus pœnitentiam, quia peccatum non cognoſcimus. p.3.d.19.n.15.
Non omittenda eſt propter indulgentias. n.16.
Illius partes ſunt oratio, jejunium, & eleemoſyna. n.17.p.3.d.22.n.16.
Illius defectum ſupplet mortificatio pravarum affectionum. p.3.d.19.n.17.
Et patiens tolerantia adverſitatum, ſi quas nobis Deus immittit. n.17.
Si in hac vita pœnitentiam non agimus, luimus in altera vita. n.14.18.
Ut perfecta ſit, ex quo motivo agenda ſit. p.3.d.20.n.4. p.3.d.19.n.7.

*Pœnitentia publica.*

Qualem & quantam olim egerint Chriſtiani. p.3.d.19.n.14. p.3.d.26.n.7. p.3.d.21.n.8.
In quo differat à ſolenni. p.3.d.21.n.9.
Cur poſtmodum ab Eccleſia mutata fuerit in opera pœnitentiæ minus auſtera. n.10.

*Prædeſtinatio.*

Quibus mediis ſecura reddatur. p.1. d.6. n.1.2.&c.
Illius ſignum eſt, libenter audire Verbum Dei. p.1.d.2.n.13.
Benefacere inimicis. p.1.d.20.n.21.
Deditum eſſe eleemoſynæ. p.1.d.17.n.23. 28. p.1.d.18.n.20.
Bene uti in ſuam ſalutem tribulationibus à Deo immiſſis. p.2.d.15.n.15.16.&c.

*Præparatio ad S. Communionem.*

Eſt ſummè neceſſaria, ſi volumus ex iſta fructum percipere. p.3. d.8. n.1.2.9. &c.
Qualis ea eſſe debeat. n.10.11.&c.

*Præparatio ad mortem.*

Vide *Mors.*

*Præſumptio.*

Præſumptio de ſalute in peccatoribus, in quo fundetur. p.1.d.4.n.10.11.&c.
Quantæ temeritatis ſit. n.11.12.13.&c.
Excludit timorem Dei. n.14.
Et gratiæ recuperationem. p.3.d.18.n.21.
Eſt peſſimum ſignum in articulo mortis. p.3.d.ult.n.12.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Prodigalitas.*

Eſt donatio fa[illegible]a, cui fieri non deberet ex fine, & m[illegible]o indebito. p.1.d.25.n.12.

Q[illegible] in ea relinquant omnes fatuæ Virgines. n.13.14.&c.

*Propoſitum.*

Propoſitum emendationis neceſſarium eſt ad Confeſſionem. p.3.d.14.n.1.&c.

Eſt actus ſeriæ voluntatis. n.20.

Qui procedit ex animo ſincero. n.3.4.

Facilè in eo deficiunt, qui peccant ex neceſſitate. n.5.

Qui malitiam peccati non apprehendunt, ſed in eo etiam gloriantur. n.6.

Qui peccandi aſſuetudinem contraxerunt. n.7.

Debet propoſitum eſſe univerſale, extendens ſe ad omnia peccata. n.9.

Ad omne tempus, omnes caſus & circumſtantias. n.10.

Denique debet eſſe efficax, ita ut progrediamur ad executionem. n.11.14.17.

Defectus efficacis voluntatis ſola origo eſt, quòd non ſequatur emendatio. n.11.12.

Signum efficacis voluntatis eſt, ſi ea ſit abſoluta, non tantùm conditionata. n.13.

Et adhibitio mediorum, quibus propoſitum in opus redigatur. n.14.

Armando ſe pro cavendo relapſu in peccatum. n.5.

Aut exarmando periculum. n.6.

Vero propoſito vix aliquid in Confeſſione eſt difficilius. n.19.20.

Huius defectu ſæpè deficit Confeſſio. n.4.

Quo diutiùs Confeſſio differtur, eò difficilius eſt, firmum propoſitum facere. p.3.d.16.n.8.9.&c.

Se debet non ſolùm extendere ad peccatum, ſed etiam ad occaſiones peccandi. n.9.

*Proſperitas.*

Proſperitas temporalis non obtinetur per peccatum. p.1.d.4.n.18.19.&c. p.2.d.12.n.10.11.&c.

A DEO nobis conceditur. p.2.d.14.n.14.

Cur eam DEUS quandoque etiam impiis largiatur. p.2.d.12.n.13.

Ex quo fine eam hominibus impertiatur. p.2.d.14.n.3.4.&c.

Quàm malè contraveniant huic fini peccatores. n.7.&c.

De eius abſentia conqueri non debemus. n.9.

*Pulchritudo animæ.*

Vide *Anima.*

*Pulchritudo muliebris.*

Quàm vilis ſit. p.2.d.8.n.8.

Aliud dicendum eſt de pulchritudine naturali, aliud verò de ea, quæ ab arte petitur. p.3.d.3.n.19.

Hæc culpâ non vacat coram Deo. ibid.

*Puella.*

Puellæ conſentientes in fornicationem, quo modo punitæ ſint in Lege veteri. p.1.d.13.n.15.

Puellæ honeſtæ expaveſcunt ad præſentiam virorum. p.1.d.15.n.10.&c.

Procul tenendæ ſunt à Converſatione juvenum ſeductorum. p.1.d.14.n.17. p.1.d.15.n.8.10.12.14.&c. p.1.d.19.n.2.1.5.p.2.d.11.n.15. p.1.d.25.n.18.

Non ſunt aſſueſaciendæ ad vanitatem. p.1.d.14.n.16. p.1.d.13.n.15.

*Purgatorium.*

Cruciat animas duplici igne: Materiali & Spirituali. p.2.d.20.n.1.&c.

Materialis, qui conſtituit pœnam ſenſûs, eſt eiuſdem qualitatis cum igne infernali. n.3.


Non

Non ad alium finem intentus eſt, quàm in pœnam. n.4.
Præter vim naturalem, indidit eidem Deus etiam vim ſupernaturalem. n.5.
Inde eſt, quod animas cruciet ſecundùm proportionem delicti. n.5.
Ultra quàm credi poſſit. n.6.7.
Pœna diuturna. n.11.
Spiritualis, qui conſtituit pœnam damni, affligit deſiderio videndi Deum. n.8.
Uno quidem naturali fundato in inclinatione ad ultimum finem. n.8.
Altero ſupernaturali, quod excitatur à ſpe. n.9.
Tertio Divino, quod oritur ex ardore charitatis. n.10.
Et augetur ipsâ conformitate, quam habent illæ animæ cum voluntate DEI. n.11.
Pœna damni partim minor eſt pœnâ Inferni, partim cum ea convenit. n.11.
Parum à nobis nunc apprehenditur ob cœcitatem noſtri intellectûs. n.12.
Ob perverſitatem voluntatis. n.13.
Et inhabilitatem, quam in nobis experimur, accedendi ad Deum. n.14.
Ut ab utroque hoc igne animas liberemus, movere nos debēt charitas erga eaſdē. n.15.
Nobis quoq; utilitatem ingentē affert. n.16.
Nihilominus plurimi nec quidem debito Juſtitiæ ſatisfaciunt. n.17.
Purgatorium magis manifeſtat gravitatem peccati, quàm ipſe Infernus. n.18.19.20.
Non eſt ſolùm opus Juſtitiæ, ſed etiam Clementiæ. n.21.
Si ibi non ab omni macula mundarentur animæ, non ſuſtinerent comparere in conſpectu Dei. n.21.

*Puritas.*

Cuſtoditur verecundiâ, & amore Solitudinis. p.3.d.29.n.4.5.&c.

## Q.

*Quies anim[æ]*

Vide *Pax*.

## R.

*Ratio Naturalis.*

Se ſolâ non ſufficit ad neceſſitates animæ, & ad eius remedia. p.1.d.1.n.10.
Non poteſt pertingere ad inveſtigandum S. Trinitatis Myſterium. p.2.d.4.n.10.
Quanto intervallo inferior ſit Fide. p.1.d.3.n.3.

*Recidivi ſeu Relabentes.*

Conſiderandi ſunt tanquam ægri. p.3.d.22.n.1.
Aliqui eorum conantur non relabi, alii ne conantur quidem. n.2.
Illi poſſunt bene ſperare, poſteriores pluribus ex capitibus in magno verſantur periculo. p.ead. d.22. n.1.2.
Quia celeres relapſus magno argumento ſunt ægros non convaleſcere ope Confeſſionum, quas peragunt. n.3.4.p.1.d.2.n.15.p.3.d.15.n.13.p.3.d.14.n.8.
Aut certè ſi ſanantur, breviſſimam ſanitatem eſſe. p.3.d.21.n.5.6.
Deinde quia mali vis augetur viribus, quas acquirunt inimici interni. n.8.
Et externi. n.9.
Roborati peccato relabentis, quod naturâ ſuâ multò deterius eſt, propter animum erga DEUM multò magis ingratum. n.10.
Ob maiorem eiuſdem contemptum. n.11.
Tertiò ob defectum remediorum, quæ evadunt inutilia. n.12.
Quin etiam noxia. n.13.
Quartò, propter Medicum, qui mali diuturnitate fatigatur. n.14.

Et tandem æ[illegible]rum deſerit. 16
Poſſunt tam[illegible] & iſti ſalutem conſequi, dummod[illegible] ſeriò velint. n.15.
Cùm in [illegible] requiruntur fructus digni pœni[illegible]itiæ. n.15.16.17.&c.

*Redemptio.*

Quantum ſit beneficium. p.2.d.2.n.9.
Quàm fuerit abundans. n.12.13.&c.
Obligat nos ad ſummam gratitudinem. n.9.&c.
Quàm tamen vulgo non ſit cognita. n.16. p.2.d.5.n.20.21.&c.
Manifeſtat nobis atrocitatem peccati. p.2.d.5.n.24.25.&c. p.2.d.21.n.20.

*Religio.*

Eſt virtus hominis propria. p.3.d.4.n.3.
Singulariter in templis exhibenda. n.4.&c.

*Religio Chriſtiana.*

Quantas olim perſecutiones paſſa ab Imperatoribus. p.3.d.6.n.3.4.
Quàm fruſtra oppugnata. n.5.
Quomodo demonſtretur eſſe à Deo. p.1.d.3.n.3.7.
Non poteſt eſſe certior, quàm reipsâ ſit. n.8.

*Reprobi.*

Utrum plures, quàm Electi, p.1.d.5.n.1.2.&c.
Signum Reprobationis eſt, invito animo audire verbum Dei. p.1.d.2.n.4.5.
Facilè blaſphemare. p.1.d.8.n.16.23.
Alios ad malum allicere. p.1.d.2.n.17.18.
Injurias ægrè condonare. p.1.d.22.n.28.
Communicare ſacrilegè. p.3.d.10.n.2.
Pecuniæ nimis impensè affici. p.1.d.26. n.15.16.17.21.
Nec ex ſecundis, nec ex adverſis proficere. p.2.d.14.n.23.
Habitualiter in paccato vivere. p.1.d.5. n.24.
Vide *Mors, malè vivens, malè moritur.*

*Reſtitutio.*

Eſt actus imperatus à Deo amore Juſtitiæ. p.1.d.21.n.3.
Et amore erga hominem. n.4.
Indiſpenſabilis. n.5.
Sine hac omnes preces caſſæ. n.6.
Inefficax uſus Sacramentorum. n.7.
Sic impoſſibilis redditur ſalus. n.7.8.
Parte alterâ, eſt actus ſummè arduus, dum obluctari debet avaritiæ. n.9.10.11.
Unde pauciſſimi ſunt, qui reſtituant. n.15.
Plures eorum dicunt, ſe non poſſe reſtituere. n.16.
Sed quàm hoc abſque cauſa. n.17.
Qui fatentur ſe poſſe, ad rem tamen venire neſciunt. n.18.
Perinde quaſi ad eximendum ſe obligatione reſtituendi ſatis ſit, velle reſtituere. n.19.
Et velle reſtituere, cùm mors præ foribus eſt. n.2.
Si tandem reſtituunt, non reſtituunt niſi partem modicam ablatorum. n.21.
Nec ſemper reſtituunt, cui deberent. n.22.
Aut ſi ſummam principalem reddunt, non reſarciunt damnum emergens. n.23.
Quibus mediis impelli debeat homo ad reſtituendum. n.25.26.&c.

*Remedia.*

Spiritualia, contrà quàm corporalia, quo adhibentur ſæpius, hoc operantur fortiùs. p.3.d.22.n.12.
Ad curanda vitia linguæ. p.1.d.9.n.22. p.1.d.10.n.20.21.p.1.d.29.n.28.29.&c.
Ad curandam Iracundiam. p.1.d.20. n.1.2.&c.p.1.d.22.n.25.26.&c.
Ad curandam Luxuriam. p.1.d.24.n.17.18.&c.

Ad

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ad ſuperandos obices Reſtitutionis. p.1. d.26.n.18.19.&c.p.1.d.27.n.25.26.&c.
Ad tollendas pravas cogitationes. p.1 d. 31.n 19.20.&c.
Ad non permittendum, ut noxæ cor indurent. p.2.d.10.n.20.21.22.
Ad liberandum ſe hac cordis duritia. p.3. d.2.n.13.p.3.d 3.n.17.
Contra confeſſiones ſacrilegas. p.3.d.12. n,10.11.&c.
Ad acquirendum dolorem ſufficientem. p.3.d.13.n.10,11.&c.
Ad non relabendũ. p.3.d.14.n.15.16.&c. p.3.d.15.n 1.2.p.3.d.19.n.9.
Ad exeundum ſtatu Relabentium. p.2.d. 22.n,15.16.
Ad ponendum affectum ad veſtes vanas. p.3.d.30.n.21.22.&c.
Ad vires tentationum enervandas. p.1.d. 12.n.17.

*Res aliena.*

Ex eſca, qualis primò erat, mutatur in laqueum. p.1.d.27.n.1.
Ubicunque reperiatur, clamat pro Domino. n.5.
Non ſatis eſt eam utcunque reſtituere, ſed reſtituere quàm certiſſimè. n.19.
Devorat etiam res jure acquiſitas, n.27.p. 2,d,12.n.12.
Vide *Reſtitutio*.

*Reſpectus humani.*

A Chriſtianis magno animo vincendi ſunt. p.3.d.6.n,14.15.27.
Ad hos ſuperandos inſtitutum eſt Sacramentum Confirmationis. n.14.15.&c,

*Robertus.*

Franciæ Rex quàm beneficus in egenos. p.1.d.18.n.8.p.2.d.14.n.5.

S.

*Sacerdotes.*

Quem dignationis gradum in Eccleſia obtineant. p.3.d.24.n.1.2.
Quanti æſtimandi ſint, colligitur ex æſtimatione, in qua apud omnes Gentes fuerunt. n 3.
Multóque magìs ex æſtimatione, quam de iis in Eccleſia conceperunt Sancti non Sacerdotes. n.4.
Imò ipſi Angeli & Chriſtus. 16.
Poteſtatem habent geminam, quodammodo divinam. n.6.
Unam in Corpus Chriſti myſticum, ſolvendo aut ligando peccata populi. n.7.
Quod ſoli Deo competit. n.8.
Alteram in Corpus Chriſti verum, dum conſecrant. n.9.
Aut manibus tenent in Altari. n.10.
Etſi moribus mali, tamen honorabiles Mundo. n.11.
Antequam initientur, vivere deberent moribus Sacerdote dignis. n.18.19.
Ad majorem perfectionem obligantur, quàm Religioſi non Sacerdotes, n.20.

*Sacerdotium Chriſtianum.*

Eſt dignitas in terris Deo propinquiſſima. p.3.d.24.n.12.
Quos per gradus ad eam aſcendere oporteat. n.2.
Quando à Chriſto inſtitutum. n.4.
Eſt dignitas, quæ tolli ampliùs non poteſt. n.5.
Eſt Sacerdoti intrinſeca. n.6.
Nemo ad eam aſpirare debet, niſi à Deo manifeſtè ſatis vocatus. n.12.p.1.d.15. n.3.
Ut vocatio hæc cognoſcatur, attendatur

ante omnia ad motivum, quo ad eam quis impellitur. p.3.d.24.n.13.
Petatur dein à Deo lumen ſpeciale precibus ardentiſſimis. n.14. p.1.d.15.n.4.
Væ illi qui conſcendit hunc gradum viâ vetitâ. p.1.d.24.n.15.16.
Væ qui filios & amicos indignos promovet. n.16.17.
Oportet dein etiam capere ſui ſpecimen, exercitando Pietatem, ac Puritatem Sacerdoti neceſſariam. n.18.19.
Quàm dignationem hanc viri Sancti refugerint. n.20.
Qui dignus eſt, eat, ſed vi pertractus. n.20.
Qui indignus, ne coactus quidem vadat. ibid.
Parandus ad illam Sacra Aſceſi animus. ibid.

*Sacramenta.*

Sunt pharmaca à Chriſto parata. p.3. d.5. n.1. p.3.d.23.n.21.
Quos ad fines ſingula referantur. ibid.
Vide *Sub nominibus ſingulorum propriis.*

*Saltus ſeu Choreæ.*

Quàm acriter à SS. Patribus reprehenſi. p.3.d.29.n.2.
Quomodo hi cum Theologis huius ævi conciliandi. n.3.
Eſt in his lucrum ceſſans Honeſtatis, quia in iis amittitur verecundia. n.4.5.
Uti & ſolitudinis amor. n.6.
Eſt damnum emergens, ob laſcivias ibi oculorum libertate admiſſas. n.9.10.
Ob libertatem manuum. n.11.
Aurium. n.12.
Juvenibus ſunt maiorum culparum occaſio. n.13.14.
Multò maximè diebus feſtivis. n.15.
Cur emergentia ex his pericula non timeantur. n.16.
Quàm pravè agant Matres, quæ ſuas ad eos filias ducunt. n.17.
Quàm malè filiæ eundo. n.18.
Quàm fugiendi omnibus Juvenibus. n.19.
Sunt inventio Dæmonis. p.1.d.11.n.17. p.3.d.29.n.2.

*Salus æterna.*

Poſita eſt à DEO in noſtro arbitrio. p.1. d.6.n.1.
Præcipua eam conſequendi media ſunt. Oratio. n.1.3.&c.
Cooperatio. n.9.&c.
Petenda & quærenda unitis viribus, & unicè. n.14.&c.
Ubi de hac agitur, tuta ſemper præeligenda. p.1.d.22.n.23.24.
Quàm parvi à plerisque æſtimata. p.1.d.1. n.6. p.1.d.3.n.11. p.1.d.5.n.19.20. p.1.d.6.n.18.&c. p.3.d.9.n.16. p.3.d.29.n.16. p.3.d.31.n.15. p.1.d.11.n.6.
Non acquiritur ſine difficultate & labore. p.1.d.6.n.10. p.2.d.19.n.14. p.3.d.33. n.19. p.1.d.5.n.21. p.3.d.31.n.19.
Omnia alia ad hanc ut finem ſervire debent. p.1.d.6.n.16. p.1.d.11.n.6.

*Sancti.*

Quantum laboraverint, ut ſalutem conſequerentur. p.1.d.6.n.10.
Quantum etiam, ut DEI gratiam retinerent. p.2.d.8.n.11.
Quantum eorum voluntarii cruciatus ſuperârint pœnas pro peccatis debitas. p.3.d.21.n.4.
Dati ſunt nobis à DEO, ut vivendi norma. p.3.d.35.n.2. & ſeq.
Non ſolùm monſtrant viam, ſed etiam ad eam tenendam provocant. n.5.

Et

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Et ſimul juvant. n.6.
Omnibus hominum ordinibus dati aliqui in exemplum. n.6.8.
Noſtra erga eos devotio potiſſimùm in Imitatione conſiſtit. n.7.8.21.
Etſi & aliæ devotiones ſalutares ſint. n.7.
Nec omittendæ ſint. ibid.
Non eſt excuſabilis Chriſtianus, qui eos non imitatur. n.8.
Juvant nos non exemplo tantùm, ſed & pro nobis orando. n.11.
Tam cùm noſtras preces offerunt DEO. n.12.
Quàm cùm ſuas pro nobis interponunt. n.13.
Aliæ preces eorum tacitæ, aliæ expreſſæ. n.14.
Tacitas eorum preces (merita nimirum, quæ pro nobis offerunt) non ſemper exaudit DEUS. n.13.
Audit tamen ſemper expreſſas. n.14.
Nihil derogat Bonitati DEI, quòd Sanctorum pro nobis preces exigat. n.15.
Imò hoc maioris Bonitatis argumentum eſt. ibid.
Quàm malo loco eius animæ res ſint, quæ nullum Cælitem Patronum habeat. n.16.
Quanto deteriore illius, quæ Sanctos blaſphemat. n.17.
Non ſunt honorandi eo modo, quo à multis hodie coluntur diebus eorum honori ſacris. n.22.

*Sanctitas.*

Eſt dos præcipuè ab Angelis æſtimata. p.3. d.34.n.9.
In quo ſita ſit Sanctitas operum, quæ facimus. p.3.d.20.n.14.

*Sanguis Chri[illegible].*

Quomodo etiam pro obſti[illegible]tis peccatoribus fuſus dicatur. [illegible].1.d.5.n.27.
Etſi nemo hominum ſalutem [illegible] tur, tamen fruſtra fuſus non [illegible]t. ibid. p.2.d.21 n.20.
Utrum eum in calore Iracundiæ nominare ſit Blaſphemia? p.1.d.8.n.45.

*Sanitas Corporis.*

Obtinetur Sacramento extremæ Unctionis, ſi ita expediat animæ. p. 3. d. 23. n.4.
Nunquam procuranda mediis ſuperſtitionem olentibus. p.1.d.4.n.21.

*Sapientia Divina.*

Quas offenſas ut proprias à Peccatore accipiat. p.2.d.4.n.16.17.18. p.2.d.1. n.10.11.
Quomodo reluceat in operibus ſatisfactoriis à DEO requiſitis pro peccatis. p. 3. d.19.n.5.

*Sapientes antiqui.*

Quanto minùs ſaperent, quàm quilibet verus Fidelis. p.1.d.3.n.5.p.2.d.4. n.15.

*Scandalum.*

Activum quid ſit. p.1.d.21.n.2.
Aliud directum, aliud indirectum. ibid.
Utrum voluntas non ſcandalizandi (quod eſt ſcandalum indirectum) excuſet feminas, quæ parùm decenter veſtitæ incedunt. p.3.d.30.n.15.16.17.19.
Quàm deteſtabile ſit ſcandalum, quod hoc veſtiendi genere directè intenditur. n.13.
Scandalum eſt malum, quod curam ægerrimè admittit. p.1.d.21.n.20.
Utrum illud, quod Chriſtus S. Petro expro-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

probravit, fuerit verum ſcandalum. p. 1.d.21.n.11.
Scandalum Paſſivum (quod eſt illud, quod accipitur) an in Perfectis inveniatur. p.1.d.21.n.3.

*Scientiæ.*
Omnes ſimul lumine Fidei multò inferiores. p. 1. d. 3. n. 5. 6. p.2. d. 4. n. 10. 12. &c.

*Separatio.*
Eſt unicum remedium conſtituto in occaſione proxima peccandi. p.3.d.15.n.6. 7.&c. p.3. d.16. n.17. p.3.d.33.n.13.
Ad hanc impediendam Dæmon omnes artes adhibet. p.3.d.15.n.20.
Quando obtineri non poteſt, ſumma eſt infelicitas. n.21.

*Socii Pravi.*
Impediunt fructum Verbi Dei. p. 1. d. 2. n.11.
Quantum noceant exemplo. p. 1. d. 21 n. 3. 4.
Quantum verbis. n.5.6. &c.
Sunt Vicarii Diaboli. n.10.
Sunt ipſi Diaboli. n.11.n.12.
Rectà ſe opponunt finibus & intentionibus Dei. n.14.15.&c.
Quàm eos exoſus ſit Deus. n.13.
Clamant contra illos animæ ſeductæ. n.18. 19.20.
Quantum in vita ac morte timere debeant. n.13.14.
Socius pravus unus ſufficit ad pervertendos multos bonos. p. 3. d. 33. n. 4. 5.&c.
Plus nocet bonis malus, quàm boni malis. n.4.
Vide *Scandalum. Converſatio.*

*Sol.*
Cur ab aliquibus Ethnicis adoratus. p.2. d.1.n.12.
Nullâ ſuâ culpâ eſt adoratus. p.3. d.30. n.19.

*Solitudinis amor.*
Et Verecundia ſunt dati Puritati Cuſtodes. p.3.d.29.n.6.
Tempore peſtis (quale eſt hoc ſeculi corrupti) omnino eſt neceſſaria ſolitudo. p.3.d.33.n.13.16.17.&c.
Virginibus maximè cordi eſſe debet. p. 1. d.25.n.14.17.18.

*Sollicitudo.*
Quo ſenſu à Chriſto in Evangelio prohibita. p.1.d.4. n.17.

*Spectacula laſciva.*
Vide *Comœdia.*

*Spes Chriſtiana.*
Quàm diverſa à ſpe communi. p.1.d.4 n.2.
Qualis ſit virtus. ibid.
Nititur præcipuè Providentiâ, Miſericordiâ, & Potentiâ Magni Dei. n.3.4.5.
Quomodo tamen admittat timorem. n.6.
Hic illi non officit, ſed eam ornat. ibid.
Quantum poſſit ad omnia bona impetranda. n.7.
Et ad ferendum omne malum. n.8.
Extendi debet etiam ad providendum de rebus temporalibus. n.16.
Jungenda ſunt ſpei actiones bonæ. n.6.15.
Quomodo Animas in Purgatorio cruciet. p.2.d.20.n.9.
Falſa Malorum, quantum differat à vera Bonorum. p.1.D.4.n.9.&c.
Proprium falſæ eſt ſperare, quod non oportet. n.10.11.12 &c.
Et nunquam ſatis ſperare, quod oportet.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Sperare.*
Multùm, proprium eſt Juvenum. p.1.d.4. n.10.
Spem in Dæmone reponere, quàm horrendum ſcelus. n.19.
Et quàm inſanum. n.20.21.
Sperare in peccato, eſt ſperare in mendacio. p.1.d.4.n.18.p.2.d.12.n.10.&c.

*Spiritus Sanctus.*
Deſcendit in nos in Baptiſmo. p.3.d.5.n.6.
Quæ ſecum dona afferat. n.7.&c.
In Confirmatione plenitudinem gratiarum ſuarum affert. p.3.d.6.n.7.
Quæ ſpecialiter injuriæ à quovis illi Peccatore inferantur. p.1.d.5.n.17.p.2.d.4.n.19.20.
Maximè ab ijs, qui temerè alios judicant. p.1.d.28.n.16.

*Sponſi.*
Solâ promiſſione ſibi devincti ſummo ſunt in periculo, ſi convivant. p.3.d.25. n.9.10.11.12.

*Superbi.*
Dedignantur audire Verbum Dei. p.1.d.2.n.6.
Non ſunt apti ad Fidem Chriſti. p.1.d.3. n.9.
Nec ad miſerationem erga inopes. p.1.d.18.n.13.
Alios facilè judicant temerè. p.1.d.28.n.6.
Suorum errorum cauſam in Deum conjiciunt. p.3.d.17.n.13.

*Superbia.*
Eſt mater præfidentiæ, quam Peccatores habent de ſalute conſequenda. p.1.d.4. n.10.11.
Triumphat in fœminis maximè diebus & locis Deo conſecratis. p.1.D.11.n.19.20 p.3.d.4.n.7.
Nutritur vanitate veſtium. p.3.d.30.n.8.
Principium eſt malorum omnium. p.1.d.26.n.10.
Quomodo in hoc conveniat cum Avaritia. ibid.
Quàm facilè parva excreſcat in magnam. p.2.d.15.n.4.5.
Superbia Angelos Rebelles fecit. n.4.&c.
Fuit primum Evæ, & primum Adami peccatum. p.2.d.16.n 7.8.
Non ſtat cum dolore perfecto de peccatis. p.3.d.21.n.23.
Hâc magìs, quàm alio peccati genere tentantur Animæ ſanctæ ſub mortem. p.3.d.23.n.15.

*Superfluum.*
Aliud eſt naturæ, aliud ſtatui. p.1.d.17. n.9.
Ex ſuperfluo naturæ (quod eſt illud, ſine quo vivere quis poteſt, ſed difficulter) non tenentur ditiores ſubvenire Pauperibus, niſi caſibus extremæ neceſſitatis. n.11.
Ex ſuperfluo ſtatui (quod eſt illud, ſine quo non commodè tantùm, ſed cum decoro vivitur) tenentur ſubvenire etiam in gravi neceſſitate. n.12.
Et certis in circumſtantiis etiam in ordinaria neceſſitate. n.13.

*Superſtitiones.*
Sunt proditiones, adhibitæ à Dæmone ad homines decipiendos. p.1.d.4.n.20.21.
Unde naſcatur earum malitia. n.19.

T.

*Tempus.*
Quàm pretioſum, quantique æſtimandum. p.35.d.32.n.
Opportunè illo utendum. ibid.
Quàm malè perditum à Ludo deditis. n.6.

Ejus jactura d[illegible]n fruſtra deploratur. ibid.
Indignus eſt i[illegible], qui abutitur. p. 1. d. 4. n. 12.
O[illegible]s aptum Pœnitentiæ, p.3.d. 19.n.1.

*Tentare.*

In ſe fidem ſuam quid ſit. p.1.d.3.n.16. 17. &c.
Quomodo Deus nos tentet. p.1.d.7.n.14.

*Tentatores.*

Omni dæmone deteriores ſunt ſocii pravi. p.1.d.21.n.12.13.

*Tentationes.*

Valdè pertinaces enervantur Jejunio. p.3. d.20.n.9.10.11.
Vincuntur quotidiani Sacri auditione. p.1. d.12.n.17.
Cur Deus fœdiſſimis etiam Sanctos tentari ſinat. p.1.d.31.n.10.
Sub tempus mortis ferè cogitationum tantùm erunt. n.15.
Si vel Sancti graviſſimas patiuntur, quid aliud Peccatores expectent. p.3.d.1.n. 14.p.3.d.23.n.15.
Cur ſub mortem terribiliores, quàm in vita. p.3.d.1.n.3. p.3.d.23.n.15.16.&c. p. 1.d.31.n.15.
Si tunc Peccatores magni nullas videntur experiri, peſſimi id eſt ominis. p.3.d.1. n.5.p.3.d.31.n.14.
Non ſemper poteſt ſperari, quòd ſint impediendæ ab Angelis bonis. p.3.d.1.n.6.
Nec ſemper ad id ſufficiunt, qui morituri-entibus adſunt, Religioſi. n.12.
Omnium peſſimæ in vita ſunt, in quas nos ipſi ingerimus. p.3.d.15.n.5.6.&c.
Reſiſtendum eſt omnibus initio. p.3.d.33. n.14.15.&c. p.3.d.18.n.13.14.
Non ſemper citò producunt effectum. p.3. d. 33. n.15.
Tentationes cogitationum plus fructûs afferunt malo Dæmoni, quàm Tentationes operum. p.1.d.31.n.13.
Quantò peccata numero magis creſcunt, tantò plus virium habent Tentationes. p.3.d.18.n.13.

*Terra Reproba.*

Cur vocentur corda obſtinatorum. p.3. d.14.n.23.

*Timor DEI.*

Eſt Tutor pudicitiæ. p.1.d.25.n.20.
Sufficit, ut abrumpatur omnis prava aſſuetudo. p.1.d.10.n.20.
Filialis, Servilis, Initialis, quomodo differant. p.1.d.4.n.13.
Filialis (qui ſolius culpæ timor eſt) quomodo verum ſit, quòd vel in Cœlo in Sanctis maneat. ibid.
Servilis (qui eſt ſolius pœnæ) eſt affectus Peccatorum. ibid.
Sæpe in Confeſſione confunditur cum timore culpæ. p.3.d.13.n.4.p.3.d.1. n.13.p.1.d.5.n.15.
Initialis (qui eſt partim culpæ, partim pœnæ) cur vocetur Initium Sapientiæ. p.1. d.4.n.13.
Non opponitur ſpei, ſed illam ornat. p.1. d.4.n.6.13.
Introducit Caritatem. ibid.
Quàm meritò illum Deus à nobis exigat. p.2.d.3.n.19.
Quàm tamen rarus in Mundo. p.2.d.15. n.1.p.3.d.18.n.6.
Ut ſit, qualis eſſe debet, oportet procedere ex motivis Fidei. p.3.d.13.n.4.
Agnitio Miſerationum divinarum non debet illũ tollere, ſed augere. p.3.d.18.n.6.

Qui

Qui peccat fiduciâ Confeſſionis, oſtendit ſe hoc metu carere. n.7.8.
Iſto carere ſumma miſeria eſt. p.3.d.22. n.12.p.1.d.4.n 14.p.3.d 18.n.21.
Maximè ſub mortem. p.3.d.ult.n.12.p.3. d.1.n.5.
Nunquam tamen debet eſſe absque ſpe. p.1.d.4.n.15.
Quo longiùs differtur Confeſſio, hoc am- pliùs imminuitur. p.3.d.16.n.7.15.
Timere & diffidere ſibi in pugna ſpiritûs, confert ad vincendum. p.1.d.4.n.6.

*Tiridates.*

Perſarum Rex peccatis in porcum mutatus. p.2.d.12.n.16.

*Tribulationes, ſeu adverſa.*

Veniunt à Deo omnia. p.2.d.14.n.13. 14.&c.p.1.d.20.24.25.
Mittuntur à Deo, vel ut nos purgent à vitiis. p.2.d.14 n.15.&c.
Vel ut nos ornent virtutibus. n.18.p.1.d.7. n.11.12.&c.
Aut DEO intimiùs uniamur. p.2. d.14. n 19.
Faciunt, ut revertamur ad nos, & nos ipſos cognoſcamus. n.15.
Ut feramus, cogitandum eſt, quòd ſapien- ter ac meritò iis exerceamur. n.15.16.21. p.1.d.20.n.12.p.3.d.17.n.15.
Imò deſideranda ſunt, ut expectanda. p.2. d.20.n.13.14.15.
Eſt ſpecialis Dei Miſeratio, ſi paulò diutiùs durant. p.1.d.14.n.17.
Argumento ſunt, quòd Deus noſtri curam gerat. n.17.
Avellunt nos à terra & caducis. n.18.
Non eſt rogandus Deus, ut illa tollat, ſed ut in iis nos dirigat. n.19.
Faciunt, ut revertamur ad Deum. n.19.
Nec iis quidem à Deo ſuccre[illegible] damari & ſubigi, peſſimi omnium eſt. [illegible] n.5[illegible].p.2. d.[illegible]o.n.19.p.[illegible]d.17.n.15.
Solum Peccatum à ſuo illa fi[illegible] pervertit. p.2.d.14.n.[illegible]o.[illegible]1.&c.
Ut faciliùs à nobis auferantur, oportet tol- lere peccatum. p.1.d.12.n.4.6.7.&c.
In Bonis magis obſervata, quia magis mi- rabilia. p.2.d.12.n.12.
Valdè mitigantur in his futurorum ſpe. p.1.d.4.n.8.
Et Dei Caritate. p.1.d.7.n.13.
Inſanit, qui ad Dæmonem fugit, ut iis ſe eximat. p.1.d.4.n.19.&c.
His ſolis cognoſcitur, quis ſit verus Patiens. p.1.d.7.n.11.
Qui his caret, nihil præſtat. n.19.
Impatientia tollit omne ex illis meritum. p.3.d.19.n.17.
Patienter tolerata, pœnarum loco ſunt pro peccatis. ibid.

*Trinitas Divina.*

Myſterium eſt & arcanum, quod niſi reve- latum cognoſci & ſciri à nobis non po- tuit. p.2.d.4.n.10.11.
In quo fundetur. n.12.
Non poteſt ulla ſimilitudine ſatis explicari. n.12.
Non ſatis eſt eam credere implicitè; crede- re oportet explicitè. ibid.
Notitia, quam de illa habemus plurimùm auget æſtimationem Dei. n.13.
Quomodo Deus ſpecialiter in hoc Myſterio à peccantibus lædatur. n.14.15.&c.

V.

*Venefici.*

Quantum humano generi officiant. p.3.d. 31.n.5.

Artes eorum ad nocendum liberè. n.12.
Quàm horrendas abominationes admittant in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ contemptum. p.3.d.7.n.16.
Quomodo prodantur à Diabolo, ipſis fœdere juncto. ibid. p.3.d.4.n.20.

*Verbum Dei.*

Audire quàm ſit neceſſarium. p.1.d.1. n.1.&c.p.1.d.2 n.1.&c.p.1.d.11.n.23.
Etiam Doctis neceſſarium. p 1.d.2.n 6.7.
Multóque magìs Patribus familias. p.1. d.1.n.12.
Electum à Deo ad reparanda damna homini illata à peccato tam in intellectu. n 9.&c.
Quàm in voluntate. n.13.
Et ad perficienda opera gratiæ Baptiſmalis. n.1.
Addit illi Deus gratiam internam. n.17.
Quàm efficax ſit. n.13.&c.
Cunctis debet eſſe intelligibile. n.9.
Forte eſt & invictum contra contumaces. p.1.d.2.n.70.
Non eſt attendendum, an ex ore Peccatoris, an ex ore aſicujus Sancti procedat. p.1.d.1.n.15.&c.
Audiendum eſt patienter. n.1.
Attentè. n.20.
Reverenter. 21.
Horrent illud impij. p.1.d.2.n.4.5.
Quin & derident. n.11.
Maximè à divitibus avaris. p.1.d.26.n.14.
Simile eſt ſemini. p.1.d.2.n.2.
Unde fiat, ut fructum ſubinde non afferat. n.2.3.4.
Infelicitas Populorum, qui eo deſtituuntur. n.18.
Aut quibus non placet. n.7.12.p.1.d.11. n.13.
Felicitas eorum, quibus placet, qui libenter audiunt. ibid.

*Verba Obſcœna.*

Quàm dedeceant linguas parentum. p.1. d.9.n.17.p.1.d.14.n.14.

*Verecundia.*

Quâ pudet malè agere eſt cuſtos omnium virtutum. p.3.d.19.n.4.
Præcipuè cuſtodit Pudicitiam. ibid.p.3.d. 31.n.7.
Singulari providentiâ data feminis pro freno. p.3.d.29.n.4.
In Choreis planè amittitur. n.5.
Summo damno. ibid.
Et amiſſa non recuperatur. ibid.

*Veritas.*

Quàm amara à Natura. p.1.d.30.n.3.
Ejus gratia collata homini facultas loquendi. n.4.
Commercium humanum ſervat. n.5.
Hanc ut manifeſtaret Dei Filius, Cœlo deſcendit. n.7.
Quàm Chriſtianorum propria. n.12.
Summi æſtimanda eſt. n.14.
Aliud eſt tacere verum; aliud dicere falſum. n.13.
Vide *Mendacium.*

*Veſtium Ornatus.*

Quouſque feminis permiſſus. p.3.d.30. n.2.3.&c.
Qui ſtatum ſuperat, ſine culpa non eſt.
Et multò magìs, ſi & ſtatum & opes ſuperet. n.10.11.

*Veſtes.*

Sunt faſciæ, quæ tegunt vulnera, à peccato inflicta. p.3.d.30.n.1.
Præter hoc, quod nos tegant, eò etiam ordinatæ ſunt, ut ordines & gradus hominum diſcernant. n.3.

Non debent excedere neque ſtatum, nec opes. n.3.4.5.&c.n.9.10.&c.

*Veſtium Vanitas.*

In feminis naſcitur ex ſuperbia. p.3.d.30. n.4.5.&c.
Eam nutrit. n.8.
Variè, ſed non ſufficienter excuſatur. n.5.6.7.
Occaſio eſt multarum injuriarum, quæ admittuntur, ut retineri poſſit. n.10.11.
Ut non ametur, expedit meminiſſe propriæ imbecillitatis. n.21.22.&c.

*Veſtes Indecentes.*

Summè dehoneſtant feminas honeſtas. p.3.d.30.n.12.
Duo fines eſſe poſſunt, ut geſtentur, vel ut videatur, vel ut noceat, quæ illis utitur. n.12.
Quæ nocere vult, quantum peccet. ibid.
Quæ videri tantùm vult, eſt nihilominus in manifeſto periculo ob ſtragem animarum, quam edit, etiam non volens. n.16.17.
Quàm irritetur Deus eo veſtium modo, qui alijs eſt offendiculo. n.19.
Non eſt excuſatio prudens in conjugibus, quæ aiunt, ſe nolle præbere offendiculum. n.19.
Neque in Puellis, quæ dicunt, ſe eâ ratione tantùm quærere maritum. n.20.
Quam veſtiendi rationem tutò ſequi liceat. n.26.

*Vices.*

Secundæ & adverſæ, ſunt fila, quibus tota vita humana contexta eſt. p.2.d.14.n.1.

*Vigiliæ.*

Seu Conventicula nocturna quàm noxia Juvenibus. p.1.d.19.n.4.p.1.d.15. n.10.12.&c.p.3.d.28.n.7.
Vide *Converſatio. &c.*

*Vigilantia.*

Quàm à Chriſto inculcata. p.3.d.ult.n.15.

*Vindicta Vindic[ti]vi.*

Vide *Pax*, *Inimicus*, *Odium.*
Quàm infelicem vitam ducan[t] qui illam expetunt. p.1.d.22.n.3.4.5.

*Virgines.*

Quàm laudatæ à SS. Patribus. p.1.d.21.n. 4.18.
Quàm honoratæ ab omnibus. n.2.3.&c.
Cuſtodiendæ ſunt ſummâ diligentiâ. n.8.
Vide *Puella.*

*Virginitas.*

Eſt theſaurus ſummi pretij. p.1.d.25.n.1.9.
Ejus pretium in admirationem rapuit in terris etiam Ethnicos. n.3.
Non tantùm Chriſtianos ſapientiores. n.4.
Quàm hanc iſti ſint venerati in alijs. n.5.
Quàm illā ſedulò in ſe cuſtodierint. n.6.7.
Singularibus in Cœlo prærogativis gaudet. n.8.
Quàm illam æſtimabiliorem reddat æſtimatio, quam de illa habuit B. V. Maria. n.10.
Infernus ipſe oſtendit, quanti ſit facienda. n.11.
Illam abjicere eſt prodigalitas nunquam ſatis deploranda. n.12.
Tam quia datur proditoribus. n.12.13.
Quàm quia datur pro re nullius momenti. n.15.
Et quia cùm non ſe offert, cui detur, quæritur. n.17.18.
Unde hujus virtutis pretium. n.20.
In viris perinde ac feminis æſtimata. ibid.
Amiſſa recuperari non poteſt. n.16.
Ejus Tutor eſſe debet Sanctus Timor Dei. n.20.

*Virtutes.*

Acquiſitæ ſen[illegible]n amittuntur, dum non exercentur. p.2.d.22.n.8.
Infuſæ in Bap[illegible]ſmo conferuntur. p.3.d.5. n.7.10.
Scaturiun[illegible] ex Gratia. p.2.d.11.n.5.

*Vita.*

Animæ quàm pretioſa. p.2.d.11.n.3.4.&c.
Amittitur peccato. n.6.9.
Quantum malum ſit, hanc alicui Juſto eripere trahendo illum in peccatum. n.8.
Et quantum malum ſibi illam eripere peccatum admittendo. n.6.7.10.&c.
Vita corporis peccato minuitur. p.2.d.12. n.8.
Maximè crapulis. p.3.d.20.n.13.
Abſtinentiâ producitur. ibid.

*Vitalius Monachus.*

Quomodo ab Alexandrino populo judicatus, & quomodo defenſus. p.1.d.28.n. 12.ſeq.

*Vocatio.*

Specialis neceſſaria eſt ad Sacerdotium. p.3. d.24.n.12.
Quibus ſignis cognoſcatur, an à Deo ſit. n.13.14. &c. Vide *Sacerdotium.*

*Voluntas Divina.*

Quantum humanæ præferenda. p.2.d.2. n.5.6.7. p.2.d.3.n.19. p.2.d.6.n.9. p.3.d.19.n.5.
Sua Deo Lex eſt. p.2.d.6.n.9.
Ejus ſolium, ſceptrum, Corona, p.3.d.19. n.5. p.2.d.1.n.19.
Propugnatricem habet Dei Juſtitiam. p.3. d.19.n.6.
Voluntas divina & humana neceſſariò concurrere debent ad ſalutem cujusvis hominis. p.1.d.23.n.5. p.1.d.24.n.1.

*Unctiones.*

Sacræ in Sacramentis, quid nobis ſignificent. p.3.d.23.n.11.

Z.

*Zelus.*

Qualis affectus ſit. p.3.d.4.n.16.
Qualis in corde Chriſti fuerit. ibid. p.2. d.21.n.8.9.10.
Zelus honoris divini debet eſſe univerſalis. p.1.d.19.n.6.
Maximè ad increpandos Blaſphemos. n.11.
Et ad eos extirpandos. p.1.d.8.n.21.

A. M. D. G.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN